


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

C
215
70'2

Digitized by Google

C 215.70.2

Harvard College Library



FROM THE BEQUEST OF

JOHN HARVEY TREAT

OF LAWRENCE, MASS.

(Class of 1862)

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SVRIVS

—

HISTORIAE SEU VITAE SANCTORUM

Digitized by Google

Digitized by Google

SVRIVS

HISTORIAE SEU VITAE SANCTORUM

JUXTA OPTIMAM COLONIENSEM EDITIONEM

NUNC VERO EX RECENTIORIBUS ET PROBATISSIMIS MONUMENTIS

NUMERO AUCTAE MENDIS EXPURGATAE ET NOTIS EXORNATAE

QUIBUS ACCEDIT

ROMANUM MARTYROLOGIUM BREVITER ILLUSTRATUM

TAURINENSI PRESBYTERO E CONGREG. CLERR. REGG. S. PAULLI CURANTE

OPUS

ILLUSTR.MO AC REV.MO

D. D. LAURENTIO GASTALDI

ARCHIEPISCOPO TAURIN.

DICATUM

VOL. III.

MARTIUS

AUGUSTAE TAURINORUM


EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA ET ARCHIEPISCOPALI

EQ. PETRI MARIETTI

MDCCCLXXV

Digitized by Google

C 215.70.2



Treat fund

Digitized by Google

MARTIUS

VITA S. ALBINI ANDEGAV. EPISC.

EDITA A FORTUNATO PRESBYT. DE QUA S. GREGORIUS TURON. DE GLORIA CONFESSORUM CAP. 96.

Natus 470. Obiit 550. — Nat. Gallus.

§ **1**. Religiosorum vita virorum quantum est meritis clarior, tantum voce celebrior populorum: quia dum illi universis beneficia tribuunt, in suam laudem linguas excitant singulorum. Igitur beatissimus Albinus * Veneticae regionis **, Oceani Britannici quae est confinis, indigena, non exiguis parentibus oriundus, immo digni germinis dignissima proles emergens, decus, quod sumpsit ex genere, felicis vitae meritis ampliavit: dum in illo et quod glorificaret, Christus elegit: et quod universus veneraretur mundus, effulsit. Qui inter ipsa novellae juventutis exordia tanto fidei fervore flagravit, ut parentes, ad quorum desideria solet infantia recurrere festinanter, pro charitate Christi magis iste voluntarie reliquisset, et velut hostes animae carnales affectus effugeret, credens sibi sufficere, si omnem delectationem in solo coelesti Patre plantaret. Mox autem in Cincillacensi monasterio *** tanta animi humilitate Domino placiturus se subdidit, ut salva morum honestate, nihil sibi de ingenuitatis privilegio vendicaret: ubi quem origo liberum genuit, famulum voluntas addixit: intelligens magis esse laudabile, ut amore Christi nobilitas inclinaret quod erat, quam fastidiret quod non erat. Proficiebat denique in eo exercitationis quotidianae processus, ita ultra se semper ascendens, ut meritis non solum reliquos vinceret, sed edòmito corpore, de seipso potius triumpharet. Quis enim expediet, quam fuerit in jejuniorum parcitate praecipuus, in vigiliarum delectatione propensus, in orationis assiduitate laudabilis, in miserationis opere singularis: ut et hostem qui sibi repugnabat, extingueret, et unde se solus affligeret, cunctis spe maxima subveniret? Erat enim ad obediendum parvulus, ad vitia calcanda maturus: ita ut in ipso juventutis tyrocinio jam senectutis esset exemplum, hoc solum habens cum homine commune,

* Gallice *Aubin*. ** Dioecesis *Vannes* in Britannia inferiori.
*** Monasterium *Cincillac*, nunc *Tilliers*, alii apud *Nantes* locant, alii in Andegavensi *(Angers)* territorio.

Digitized by Google

quod natus est: caeterum totum voluit esse Christi, quod vixit: non oculum voluptati, non aurem ludibrio, non animum accomodans levitati, semper se regens ancorâ gravitatis. Talem itaque se intra monasterii septa tractavit, ut si quando processit in publicum, esset infra carcerem sui cordis semper inclusus: nec aliud extra se aspiciendum praetulit, quam Christum, quem in pectore fidelis portator bajulavit.

§ 2. His igitur studiis occupatus, in tantam vitae claritatem pervenit, ut ejus devotum servitium mundo Dominus per miracula testaretur. Denique cum adhuc puèrulus per pagum in Abbatis sui proficisceretur obsequium, applicante eo apud quemdam locum, tanta eum detinuit violentia tempestatis, tantumque se pluvialis imber effùdit, ut ipsam domum nec sua tecta defenderent. Cum ergo pro magnitudine pluviae casa pro campo constaret, madefactis omnibus qui eodem tenebantur hospitio, solum beatum Albinum tunc imber tangere expavit: quia ubi flammam fidei sensit, ne injuriam faceret, se gutta detorsit. Quo comperto, conscientia sanctitatis quae celabatur annis, innotuit meritis, eo quod in flore adolescentiae virtutis odor fragraret. Dehinc coelestibus donis cum aetate crescentibus, annorum circiter triginta et quinque, monasterii rector et pius pastor eligitur; quippe qui suo splendore ad se traxerat dignitatem. Interea sub magistri censura, congregationis disciplina vernabat, ubi severitate districta, licentia peccandi perierat. Fervebat autem pietatis intuitus, exultabat psallendi concentus, coruscabat inter fratres obedientiae radius, praecellebatque sanctae charitatis ornatus: quia sicut erat ad vitia eradicanda solicitus, ita ad inserenda dona coelestia circumspectus. In quo Abbatis officio per viginti et quinque annos congregationem sibi commissam feliciter gubernavit. Et quia tanti meriti fama sepulta non latuit, sed felicibus pennis cuncta pervolans occupavit, contigit Andègavum civitatem pastoris gubernatione nudari. Tunc ab universitate populi, sed humilitatis studio ipso resistente, ad pontificalem gradum, duce Christo, concorditer eligitur. Qui honorem sacerdotii debitum consecutus, ita se in alimoniis pauperum, in defensione civium, in visitatione languentium, in redemptione praebuit captivorum, ut beata unius actio, generale fieret salvamentum: quibus ex studiis coelestes in eo fructificavere virtutes. Igitur in civitate Andègava cum ei quaedam mulier, Grata nomine, sed debilitate contractae manus ingrata, nervis stupescentibus occurrisset, signum crucis super infirmam dexteram fecit. Hinc praemortuae palmae prius se vivax tepor infùdit. Item sequenti die in ipso loco, ut ab eo signaretur, se obtulit. Quo facto, coeperunt venae suos excursus agnoscere. Tertia vero die, ubi super illam sigillum crucis impressit, statim se arentium digitorum fila laxarunt: et recepto ministerio, mulier in Christi nomine redivivâ dexterâ se signavit.

Digitized by Google

§ 3. Quadam vice cum ad vicum Gèginam praeteriens accessisset, adolescentem Malabandum nomine, amisso vitae rèperit jam munere. Audiens autem a parentibus extremam filii mortem deplorari, occurrit, et ut mortuum vivum erigeret, se in oratione prosternit. Quo incumbens, diutius oravit: et dum pallesceret jacens sacerdos in pulvere, animae vivacitas rubescebat in corpore, donec pulsato coelo, patefactoque tartaro, juvenis revocaretur a funere, sacerdos a prece. Deinde cum Asiacum monasterium paterna solicitudine visitasset, quidam ut ei succurreret, jam fide illuminatus, caecus exclamabat. Cui ut sanctae crucis medicamentum imposuit, tam fuit illi lumen cito recipere, quam quaesisse. Item Andègavis cum quidam Maurilio clausis oculis lumen sibi restitui postularet, tunc pontifex se ad nota arma convertens, mox ut signum venerabile super palpebras ejus extendit, velut balistâ fortissima penetratis tenebris crux post se caeco lumen invexit. Item cum Marcellinus, circiter decem annos transigens in nubilo caecitatis, tractus ad beatum pontificem pervenisset, ubi signum adorandae crucis super oculos ejus ipse extendit, statim erumpente sanguine, effugatisque tenebris, lux intravit.

§ 4. Illud etiam nobis est factum memorabile recensendum. Cum illustris Aetherea, jussione regia persequente, in Dullacensi villa militum custodiâ teneretur obsessa, tunc ovi periclitanti succurrente sancto pastore, solus, ut a nullo cognosceretur, ad ipsam ingreditur. Quo viso, amplectens ejus vestigia, lugens mulier inhaerebat. Tunc infelicis custodis insana procacitas, dum vult eam quasi lupus a veste pastoris evellere, injuriam vir sanctus excepit. Tunc insufflavit in ejus faciem, et temerator sacerdotis, celeri morte mulctatus est. Hinc terrore urgente, reliqui reverentiam habuere pontifici, et unius poena fecit alios immunes a culpa. Nec prius a muliere discessit, quam dato regi pretio ipse eam liberaret: sicque uno momento, et salus fuit supplici, et mors extitit praesumptori. Nec id quidem omittendum est, quod tradi memoriae sit votivum. In vicum, cujus vocabulum est Albinia, piae devotionis studio sanctus pater accessit. Ubi dum quidam caecus ab eo opem misericordiae postularet, coepit idem, qua dudum captus fuerat, infestatione daemonii, corporis vexatione torquèri. Tunc in oratione, cui semper animi sancta intentione vacabat, corpus etiam prostravit, captumque lumen pristinum reddidit oculis, et pestem immundi spiritus effugavit. O ineffabilis gratia pietatis: a qua dum substantia sola quaeritur, triplex remedium obtinetur: Victu pavit egènum, muneravit visu caecatum, reddidit libertati captivum.

§ 5. Itemque occurrente eo regi Childeberto Parisiis, nunciatur pontifici, regem venationis causâ de civitate in crastino esse discessurum, mandatque, se dignum duceret expectandum. Sed

quia beatum Albinum corporalis infirmitas praepedìvit, ad ejus praesentiam praedictus rex occurrere maturavit: qui donec per illam viam, quae ad sacerdotem ducebat, incessit, feliciter properavit. Cum vero in quoddam trivium pervenisset, velletque alibi deviare, equus ejus acsi metallum fusile, gressum movere non valuit. Suspicans igitur rex, culpam equi magis esse quam causae, alterum sibi fecit sterni. Quem dum per ipsum iter gradi compelleret, acsi muro impediente, caesus ire non valuit. Intelligens igitur nihil profecisse, mutasse vehiculum, nisi mutaret et cursum, coepit ab equo discere, quod homo peccaret, et humanus intellectus haberet, quod pecus corrigeret: deflectensque eum in viam quae ad sacerdotem ducebat, ea coepit alacritate discurrere, acsi ereptus de fovea, campi mollis planitiem recepisset.

§ 6. Est operae pretium, de quodam cadavere rem vivam proferre. Cum ad civitatem Venetensem * ipse vir apostolicus accessisset, uno de obsequentibus jam converso adolescentulo, quem pro morum qualitate peculiarius diligebat, in loco defuncto atque sepulto, post annum ejus corpusculum psallendo ad propria revocabat. Tunc remorante eo pro causa, voluerunt servientes prius corpus movère, quam sacerdos occurreret: sed tanto pondere fit gravatum, ut antea potuissent gigantaea membra prensare, quam puerile corpus sufferre, dum adhuc cadaver insepultum, crederetur jam marmore premi, nec equi gressum poterant promovere, acsi pulvis ejus de se vincula eis generasset, donec Antistes rediens oratione solveret, quos tacente voce confixit. Hoc iterum non minus est praedicandum miraculum, cum in Cincillacensi monasterio Gennomerus monachus esset oculorum luce privatus, et annosa tempora una essent nocte caecitatis transcursa, petiit sibi a viro sanctissimo fieri crucis signaculum. Quo facto, luminis vitalis splendor intravit, et fugatis tenebris, sol peregrinus illuxit. Est et hoc inter reliqua venerabile documentum: Cum in civitate Andègava ** turris portae cohaerens, damnatis carcer esset effecta, praetereunte beato Albino, fiebat insolentia de vocibus inclusorum. Tunc ad judicem precator accedit, ut eos pietatis causà de custodia relaxaret. Quod cum ille aure surda differret, mox pontifex ad Deum se fida petitione convertens, tam familiari voce suggessit, ut in loco, quo orationem sanctus effùdit, mirae magnitudinis saxeus quadrus exiliens, portae aditus fieret carceratis: quia ante ejus precem, soliditatem suam lapis servare non potuit. Hinc egressi quasi de sepulcro viventes, in basilica sancti Maurilionis domino Albino gratias referentes, se ad vestigia ejus prostraverunt, eo quod suspectos de funere, redire fecerat ad salutem.

* *Vannes.*
** *Angers,* cujus provincia l'*Anjou* appellàtur.

Digitized by Google

§ 7. Item dum quaedam mulier, arrepta a maligno spiritu, se beatissimo viro Albino vociferans et èjulans praesentasset, mox adversarius ipse supra ejus oculum in similitudinem vescicae sanguineae se collegit. Tunc pontifex faciens signum sanctae crucis, increpavit, dicens: Inimice, oculum quem non dedisti, nec possis auferre. Mox de collectione ipsa, in phlebotomiae similitudinem, subtiliter sanguis erùpit. Quo fluente, sine laesione oculi immundus hostis evanuit, et puella incolumis, imperante signo crucis, evasit. Sed et hoc magnanimitatis exemplum opportunum ducitur explicandum, quod pro Dei negotio apud eum non fuerit ulla regum potentumque personalis acceptio. Denique ad cumulum coelestis gratiae conquirendum, incestarum nuptiarum execrabilis copulationis jura condemnans, beati Joannis irreprehensibilis imitator, quanta sustinuerit, nullus digne poterit explicare. Siquidem martyr effici concupivit, si non defuisset dextera percussoris. Sed proculdubio palmam martyrii meruit, qui voti desideria non abscondit. Unde praeter labores reliquos, etiam per synodos, pro ipsa causa saepius excitatas, excurrens, ad postremum quamplurium episcoporum injunctione, ut excommunicatas a se personas absolveret, vi fratrum coactus est. Et cum rogaretur, ut eulogìas, quas reliqui antistites, ad personam communione suspensam dirigentes, benedixerant, ut et ipse signaret, ait ad sacerdotale concilium: Etsi ad imperium vestrum ego signare compellor, dum vos causam Dei recusatis defendere, ipse potens est vindicare. Quo facto, antequam eulogias excommunicata persona susciperet, expiravit: et priusquam portitor perveniret, sermo sacerdotis obtinuit. Qui etiam ad beatum Caesarium Arelatensem praesulem, pro eadem causa consulturus occurrit.

§ 8. Sed quia ejus singula non valemus retexere facta, sufficiat de plurimis vel pauca dixisse. Illud quoque beatissimi testimonium, viventis post obitum, necessarium credimus prae caeteris explicandum. Quia licet teneretur clausum corpus ejus in tumulo, attamen justi animae merces exuberavit in fructu. Igitur cum sanctus Germanus episcopus Parisiorum, vel comprovinciales ac pontifex successor ejus et populus, vellent membra sancti Albini in novam basilicam devote transponere, et propter cellulae angustiam, in qua conditus fuerat, non daretur sacri corporis extrahendi licentia, cunctis haesitantibus et incertis quid agerent curis popularibus se virtus beatissimi viri mediatrix interserit. Nam expectantibus omnibus et nihil deliberantibus, repente nutu divino discisso parìete cellulae qui erat ad pedes ejus, a parte orientali tres lapides dècidunt, scilicet dato signo, per qualem locum se jubèret edùci posse. Interea facto àditu, dum concentus psallentium ad sanctum sepulcrum progreditur, in loco, per quem est eductus, palam tres paralytici, jamdiu desperati, redditi sunt sanitati, ac nervi praemortui, vivificari didicerunt

Digitized by Google

meritis Dei viri sepulti. Statimque duo caeci sunt pariter illuminati, tandem aliquando sumentes lumina diei ab umbra defuncti: nimirum agnoscentes ejus adminiculo se posse lumen consequi, cujus virtute paries potuisset fenestrari. His et consequentibus infinitis miraculis, etsi summi pontificis membra recubant in sepulcris, attamen per creatoris gratiam in aeterna secula vivunt merita confessoris. Hic itaque coelesti dono venerandis floribus adornatus, viginti annis et sex mensibus pontificalem apicem Ecclesiasticâ regulariter censurâ gubernans, vitae autem octogesimo anno illud propheticum in potentatibus beatitudinis culmine feliciter explens, animam Deo charissimam, ereptam de seculo, mansuram cum Christo, angelis plaudentibus, Calendis Martii emisit ad coelos, praestante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria etc.

GREGORIUS TURONENSIS

In Libro *de Gloria Confessorum (Cap. 96)*.

§ 9. Albinus confessor, cujus nuper vitae liber a Fortunato est conscriptus presbytero, obtinet et ipse, impertiente merito, suum ostendi miracula ad sepulcrum. Aderat igitur dies solemnitatis, in quo paralyticus, membris omnibus debilis, evectus plaustro ante vitream absidae, qua sancta concluduntur membra, sedebat: datusque sopòri, vidit virum ad se venientem, et dicentem sibi: «Quousque dormìtas, et sanus fieri non desideras?» qui ait: «Utinam merear sanus fieri.» Dixitque ei vir: «Cum signum ad cursum horae Tertiae audieris insonare, surge continuo, et ingredere basilicam, ad quam venisti.» Futurum est enim, ut ipsâ horâ beatus Martinus cum Albino contribùle ingrediatur basilicam: et oratione facta, ad ejus solemnitatem Turonensem accedere debeat. Si enim eo momento praesens fueris, sanus efficièris. Nec moratus ille, commoto signo accedit ad tumulum sancti: cumque Davidici carminis laudationem Clerici canere coepissent, odor suavitatis in basilicam sancti advenit, et hic directis pedibus incolumis est erectus, quod non a paucis, sed a plerisque visum, regio testatur alumna. Sic et apud Cromensem vicum mulier a nativitate caeca, invocans nomen Sancti, ipsâ die illuminata est.

—

Digitized by Google

DE S. SWIBERTO SEU SUITBERTO

REGIONARIO EPISCOPO
SAXONUM FRISIORUMQUE APOSTOLO
SERMO S. RADBODI EP. (a)

Obiit anno 717. — Natione Anglus.

§ 1. Acturi, Fratres charissimi, diem nostrae specialis jucunditatis (b) in qua Patroni nostri beatissimi Suitberti sancta admodum commemoratio facienda est, oportet nos paratos esse ad omne opus bonum, promptosque habere animos; primo quidem ad audienda legis divinae mandata, postmodum vero, ut quantum possumus, ea factis exequi studeamus, et sic demum alios docere possimus. Hoc enim fecit D. N. Jesus Chr. de quo ita scriptum est: *Coepit Jesus facere et docere* (*Act.* I, 1). Aliòquin irrita et inanis nostra erit doctrina, si ea quae dicimus, nihil agendo, destruamus. Nam quid prodest alicui si bene audiat et male agat? Aut quid pròficit illi si alii viam pedum ostendat, ipse autem in via morum errare non desinat? Nos igitur vestigia Redemptoris nostri sequentes, quaelibet bona libentissime audiamus; audita vero dignis actibus compleamus; et sic per ordinem ad instituendos populos accedentes, consulamus eis rerum bonarum doctrinis atque exemplis. Hoc ergo ut sine dilatione fieri possit revocanda sunt nobis ad memoriam Patris nostri de quo supra diximus opera, qui in omnibus quae docuit, prius a semetipso auditoribus suis exemplum dedit; neque unquam in ecclesia aliquid faciendum dixit, quam in quo ipse faciendo praecessit. Verum ut se imitari volentibus hoc quoque manifestissimum fiat, facta ejus Deo placita, omnique audienti satis necessaria, in publico recitentur; quatenus ex eisdem plebs Christi aedificationem accipiat, ac de tanti viri gloriosis precibus semper gratulabunda existat. Sed quia nobis quaedam sunt occulta, quae eum fecisse, post Deum sola novit antiquitas; quippe qui ab Anglorum provincia in nostros fines venisse probatur, scripta Venerabilis Bedae Presbyteri proferantur in medium, qui in

(a) S. Swiberti prolixam *Vitam* a Surio exhibitam cum Henschenius Bollandi strennus continuator apocrypham omnino, ac merito rejiciendam censuerit, nostrum arbitrati sumus, eamdem in expoliendo Carthusiani collectitio Opere pènitus abolere. *Marcellini* (ad Romanam aptatum speciem ex *Marchelmo*) nomen, ac S. Swiberti coaevi ac socii, quam praesefert, laus eximium Surium deceperunt, cui in tanta congerendarum historiarum farragine, trùtinae rigidius tractandae temporis copia dèerat. *Vitae* illius itaque scriptor, ineptus quidam XV saeculi consarcinator fuit qui Marchelmi personam ausus induere, chronologià et veritate historica assidue conculcatis, ac alterius simul conflatis S. Suitberti Werdensis, posteriori saeculo Episcopi, gestis, fraudulenter, et quidem scripto ad Regionarium (quem falso Trajectensem vocat) Episcopum dicato, mendaciis per totum intertextam narrationem comminisci non est vèritus. Lege praevium laudati Henschenii ad hunc (I mart.) diem in Bollando Commentarium. Haec notavimus ad cautionem lectoris qui ex ceteris Surii editionibus, de S. Suitberto historiam haurire satis probabilem putaret.

(b) Trajectensis (*Utrecht*) in Hollandia S. Radbodus Ep. fuit. Colitur pluribus in Galliae et Germaniae locis XXIX nov. Floruit saeculo X.

Digitized by Google

Regestis Anglorum, inter cetera, sic de hoc sanctissimo viro scriptum reliquit.

§ 2. Tempore B. Willibrordi Trajectensis Episcopi, Fratres qui erant in Fresìa, verbi ministerio mancipati, elegerunt ex suo numero virum modestum moribus et mansuetum corde, Switbertum, qui eis ordinaretur Antistes. Quem Britanniam destinatum, ad petitionem eorum ordinavit Episcopus Wilfrid * qui tum forte, patriâ pulsus, in Merciorum regionibus exulabat. Non enim eo tempore habebat Episcopum Cantia, defuncto quidem Theodoro; sed necdum Berntwaldo successore ejus, qui trans mare ordinandus ìerat, ad sedem Episcopatus sui reverso. Qui videlicet Swithbrecht (Suitbertus), accepto episcopatu, de Britannia regressus, non multo post ad gentem Boructuariorum (*a*) secessit; ac multos eorum, praedicando, ad viam veritatis perduxit. Sed expugnatis non longo post tempore Boructuariis a gente antiquorum Sàxonum, dispersi sunt quòlibet hi qui verbum receperant. Ipse Antistes cum quibusdam Pippinum (*b*) petiit, qui interpellante Blithrude conjuge sua, dedit ei locum mànsionis in insula Rheni (*Werda*) quae linguâ illorum vocatur *in litore*. In qua ipse constructo monasterio, quod hactenus haeredes possident ejus, aliquandiu continentissimam gessit vitam, ibique clausit ultimum diem.

§ 3. Haec igitur quae superius de hoc sanctissimo viro digesta sunt, Bedam commemorasse, neminem ambigere credimus; nisi forte quempiam talem qui aliis vacans, negotiis, librum illum ubi ea scripta sunt, aut non legit, aut certe legendo neglexit. Ceterum nos nequaquam dubitare debemus virum istum in omnibus Christianae religionis studiis fuisse exercitatum, utpote qui inter tam pretiosas Ecclesiae Dei lucernas, quae his diebus, sive in Anglorum sive in Galliarum gente mirifice coruscabant, ovium Christi Pastor a sacratissimis ipsis ordinari promeruit. Nam nisi esset pastorali exercitio pleniter instructus, nullo modo ejus custodiae tantae gregis Christi copiae crederentur. Porro nisi esset miles quodammodo veteranus, et in agone martyrii fortis et imperterritus, nequaquam in acie Christi summus Tribunus, nequaquam primipilus Legionis divinae constitueretur. Verum his allegorice praelibatis, moraliter quoque nos aperire oportet quae sint exercitia quibus inexpugnabilem istum militem praeclarum fuisse non dubitamus. Quod quidem in pastoralibus primo est

* Ne confundas cum alio Wilfrido vel Winfrido, postea S. Bonifacio, qui sequenti saeculo floruit, et in Eccl. Univ. colitur v jun. Inscriptus in Rom. Martyrologio est Wanfridus (*Wilfrid*) XII oct.

(*a*) Regionem tunc incolentium inter Coloniam Agripp. et Assiam.

(*b*) Alter hic est ex quatuor insignibus hujus nominis viris, PIPINUS *de Héristall*, cognomento *Crassus*, Pipini Senioris, Palatii sub Austrasiae rege Dagoberto Praefecti filius, qui, hoc mortuo, ab Austrasiis Dux electus est, posteàque invido Ebroino armis devicto, inepto Theodorico regnante, Domus Praefectus, toti imperitavit Francorum ditioni, optime de Christ. Religione et de re publica meritus. Anno decessit DCCXIV. Hujus nepos extitit Pipinus cognomento, ex corporis exiguitate, *Brevis*, at consilio et virtute magnus, in Romanam Ecclesiam pie munificus. Postremus est Pipinus, Karoli Magni filius, Italiae Rex, qui annos natus 34, Mediolani obiit DCCCX

Digitized by Google

demonstrandum in quibus sive leo saeviens, sive lupus insidians, non modicum Christi ovibus detrimentum important; ubi si pastor pèrvigil aut insidias càverit, aut rapinam fortiter resistendo excusserit, salvo grege ad caulas Dominicas remeabit. Si autem in quotidiano procinctu positus arma numquam deposùerit, sed vel de castris hostem repulerit, vel in campo aperte dìmicans, rite triumphaverit; intra sanctae civitatis moenia post haec tutissime imperabit.

§ 4. Quae nimirum ùtraque beatissimum Switbertum fecisse, non ignoramus. Nam in Ecclesia Praesulatus officium gerens, fratres suos sive a deceptoriis persuasionibus retraheret, sive a contentionibus publicis revocaret, quasi leonem ferocissimum et quasi lupum callidissimum, a grege dominico excludebat. Cum vero aut Regum potentiâ pressos, aut quàlibet principum crudelitate vexatos, gladio verbi Dei scutoque fidei a tyrannica persecutione defenderet; profecto tamquam dux egregius milites suos ad castra incolumes reducebat. Itaque si nosse desideras quae fuerint nostri hujus Ducis in quotidianis congressibus arma; non ea fabrefacta, sed plane spiritualia cognosce. Neque enim erat ille oneratus ferro, sed potius fide, spe et charitate praecinctus, fundam David cum suo lapide tenens, et terribilem Philisthaeum in fronte percutiens, omnemque Israëlem a periculo servitutis et mortis eripiens. Porro autem, ne existimes illum hujuscèmodi arma unquam deponere esse solitum; hisdem erat in pace ornatus, quibus in bello stabat instructus. Semper enim humilis, semper mansuetus et mitis, patiens in adversis, modestus in prosperis.

§ 5. Erat quoque in pudicitia splendidus, in abstinentia strenuus, in vigiliis sobrius, in oratione stabilissimus. In judicio perorabat aequaliter, non personaliter; in compassione miserabatur humaniter, non tenaciter; alienorum non erat appetìtor, sed propriorum largissimus erogator; vitium in homine acriter persequebatur, hominem vero familiariter amplectebatur. Sermo ejus, ut mel, dulcis; praedicatio ejus admodum delectabilis; convivium ejus spiritualibus ferculis plenum; contubernium ejus Angelicum, mala omnia tamquam venena mortifera respuebat; bona omnia tamquam Paradisi aròmata diligebat. Postremo si velut quemdam epilogum facere volueris, totus ille erat perfectus, et totus erat Deo plenus. Haec erant, fratres, Patroni nostri beatissimi Switberti in adversis et prosperis arma; cum his in omni agone dimicabat, ac semper et ubique vincebat. Non enim erat illi colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus.

Digitized by Google

Ejusdem S. Radbodi allegoricum de eodem S. Switberto carmen his exorditur distichis:

Lux nova Switbertus Francos lustravit et Anglos,
Quo clarum fidei lumen utrisque daret.
Saxonicos adiit, cultor memorabilis, agros,
Ut sereret Christi semen amoris ibi.
Nec sterili ac vacuo Frisonum defuit arvo,
Idque novi fecit germinis esse ferax.

MARTYRIUM S. HERCULANI

EPISCOPI PERUSINI

SCRIPTUM A B. GREGORIO PAPA DIALOG. LIB. 3, CAP. 13.

Coron. anno 548 — Nat. Germanus.

Nuper Floridus, venerabilis vir vitae, Episcopus narravit quoddam memorabile valde miraculum, dicens: « Vir sanctissimus Herculanus (*a*), nutritor meus, Perusinae civitatis Episcopus fuit, ex conversatione monasterii ad sacerdotalis ordinis gratiam deductus. Totilae autem perfidi regis temporibus, eamdem urbem annis septem continuis Gotthorum exercitus obsèdit, ex qua multi civium fugerunt, qui famis periculum ferre non poterant. Anno vero septimo nondum finito, obsessam urbem Gotthorum exercitus intravit. Tunc Comes, qui eidem exercitui praeerat, ad regem Totilam nuncios misit, exquirens quid de Episcopo vel populo fieri juberet. Cui ille praecepit, dicens: « Episcopo prius a vertice capitis usque ad calcaneum corrigiam tolle, et tunc caput ejus amputa: omnem vero populum, qui illic inventus est, gladio extingue. » Tunc idem Comes venerabilem virum Herculanum Episcopum, super urbis murum deductum, capite truncavit, ejusque cutem jam mortui a vertice usque ad calcaneum incidit, ut ex ejus corpore corrigia sublata videretur. Mox corpus illius extra murum projecit. Tunc quidam humanitatis pietate compulsi, abscissum caput cervici apponentes, cum uno parvulo infante, qui illic extinctus inventus est, juxta murum, corpus Episcopi sepulturae tradiderunt. Cumque post eamdem caedem die quadragesimo rex Totila jussisset, ut cives urbis illius, qui quolibet dispersi essent, ad eam sine aliqua trepidatione

(*a*) Secundus hic est hujus nominis, Perusiae (in media Italia ad veteris Etruriae et Umbriae fines) Episcopus, Germaniâ, juxta probabiliorem sententiam, oriundus. S. autem Herculanus I, ejusdem civitatis Episc. ac martyr sub Domitiano, natione Syrus, colitur illic Patronus princ. VII Nov.

Digitized by Google

remearent, hi, qui prius famem fugerant, vivendi licentiâ accepta, reversi sunt. Sed cujus vitae eorum Episcopus fuerat, memores, ubi sepultum esset corpus illius, quaesierunt, ut hoc juxta honorem debitum in Ecclesia beati Petri Apostoli humarent. Cumque itum esset ad sepulcrum, effossa terrâ, invenerunt corpus pueri pariter humati, utpote jam die quadragesimo, tabe corruptum et vermibus plenum: corpus vero Episcopi, ac si die eodem esset sepultum. Et quod est adhuc magna admiratione venerandum, quia ita caput ejus unitum fuerat corpori, ac si nequaquam fuisset abscissum: sic videlicet, ut nulla vestigia sectionis apparèrent. Cumque hoc et in terga verterent, exquirentes si quod signum vel de alia monstrari incisione potuisset, ita sanum atque intemeratum omne corpus inventum est, ac si nulla hoc incisio ferri tetigisset.

VITA S. SIVIARDI ABB. ANISOLENSIS

PER QUEMDAM EJUS CONTEMPORANEUM SCRIPTA

Floruit Saec. VII — Nat. Francus.

§ 1. Fratres dilectissimi, Dominum omnipotentem, qui et in suis est admirabilis semper electis, quos et praescivit atque praedestinavit ante mundanam constitutionem, oportet nos tota mentis fortitudine collaudare. Et licet unusquisque juxta sensus sui capacitatem id conetur agere, tamen oportet, ut creatura rationalis suum assidue glorificet atque collaudet factorem. Quid enim aliud retribuemus Domino pro omnibus quae gratis nobis et largiter ipse tribuit, nisi ut mente sagaci universa considerantes ejus beneficia, reddamus pro universis Domino sacrificium laudis, quae est in conspectu ejus vera et acceptabilis hostia, si processerit omnino a mente devota? Unde et praesenti opusculo, plano videlicet et simplici, haec historìola, quam contexere dignum profecto putavimus ad Dei laudem, exordium sumat, a cujus pio munere tribuitur singulis, quicquid in servis suis utiliter eruditionis invenitur.

§ 2. Igitur de quodam Dei famulo, patre nostro Siviardo, egregio sacerdote, et de ejus admirabili vita vel conversatione sancta, quibusdam amicis flagitantibus, scribere decrevimus, unde et fraterna concordia optimo ejus aedificetur pietatis exemplo, et Christi laus semper accrescat per suum fidelem famulum supradictum. Nostro etenim tempore extitit haec nobis sancta propàgo, per cujus os, Deus larga praedicationis pocula suae

propinavit Ecclesiae. Et quidem ipsius sancta origo non de genere rustico, sed magis de nobili prosapia processit. Natus enim est in pago Cenomannico *, Christianis ac Deum timentibus parentibus, a genitore scilicet Dei famulo Sigiranno, necnon Deum timente foeminâ, quae vocabatur Adda. Ab his namque nobilibus atque felicibus genitoribus procreatus, processit in mundum hic optimus Christi miles Siviardus. Cujus nos conversationem sanctam atque honestissimam ab adolescentia sua optime nòvimus. Et quidem in ipsa sua adolescentia inter reliquos coaetaneos suos valde dissimilis erat in conversatione: aetate scilicet juvenis, sed moribus grandaevus erat. Non enim pueriliter levis fuit, sed magis gravitate fundatus. Et illud, quod solet juvenilis aetas litteraturae disciplinam fugere ac laborem, hic summo expetiit devotionis cultu. Ex quo sacro usu, comitante Christi gratiâ, ita velut esuriens fauce avida cibum divinae sapientiae hauriebat, ut etiam satiatus, semper ipse plus esuriret, ut et ipsa de se loquitur Dei sapientia. Qui me, inquit, edit, adhuc esuriet: et qui bibit, adhuc sitiet. Ex quo sacro cibo, hic magnus puer Dei sufficienter in brevi tempore cellulam suae memoriae de thesauro Dei copiose replevit.

§ 3. Et licet jam in ejus mente spiritus sapientiae et intellectus ex Dei munere refulgèret, tamen ut omnia per ordinem ageret, ad magistros, viros doctissimos, saepius recurrebat, et assidue prudenter interrogabat. Prudens etenim lector magis docet, si prudenter interrogaverit: ita et hic famulus Dei et semetipsum ex hoc plenius id conferendo erudivit, et alios postea plures ad salutem instruxit, ut verus magister docuit. Non enim solummodo verbis, sed potius mirificum humilitatis ostendebat exemplum. Festinavit namque ad perficiendam atque complendam perfectionem evangelicam, ut optimus negotiator venditis omnibus compararet pretiosissimam coelestem margaritam. Desiderabat enim clericatus religiosum officium, ut verus et obediens monachus fieret, et ut Christi vestigia, relictis omnibus, per viam humilitatis et obedientiae sequeretur. Quod et consolante Domino, recte perfecit, dum palam mitis et humilis cunctis in conversatione apparuit.

§ 4. Erat sane vir Dei aspectu gratus, vultu placidus, moribus temperatus, animo devotissimus: verbum semper divino sale conditum habuit, et ad aedificationem fraternam paratum; factus vero est non solum monachus, sed et per electionem fratrum, sacerdos et pater magnus ac doctissimus in cunctis salutaribus disciplinis. Et valde ex gratia superna proficiebat, magis convalescens, ut lumen fieret praeclarum huic mundo, et positus super Ecclesiae sanctae candelabrum, fulgèret coram hominibus ex bonis ac sanctis operibus, velut lucerna optima. Et resplendebat

* Gall. *Pays du Maine.*

Digitized by Google

in eo liquide fulgor coelestis gratiae. Erat igitur ornatus universis virtutibus, quasi praeclarissimis gemmis. Fidei etenim virtute robustus, et super petram solidam, id est, Christum firmatus, prudentiâ mira solers, justitiâ rectus, humilitate praecipuus et eloquentia clarus. In misericordia promptus, atque in fraterna dilectione semper paratus: Honorem condignum senioribus exhibebat, et coaequalibus pietatis affectum: junioribus vero rigorem disciplinae cum temperantiae moderamine. Praecipue quoque castitatis et pudicitiae gratiâ ab infantia fuit semper mundissimus et in locutione cautus. Assiduus insuper in oratione cum lacrymis, et in vigiliis sanctis pernoctans, in abstinentia vero corpus suum castigabat saepius: et ne quid nimis fieret, in omni actione erat omnino discretus et sobrius. Miseris ac dolentibus per pietatem compatiens, et consolans destitutos. Diligebat praeterea peregrinos velut proprios, eratque largus hospitibus, et dispensator hilaris, pauperibus cibum tribuens, et nudos indumento contegens, ac infirmos visitatione consolans atque confortans. Hic certe vir Dei forma optima et exemplum fuit ante oculos fidelium.

§ **5**. Post genitoris sui sancti Sigiranni decessum, fratres ex Anisolensi monasterio elegerunt sibi praeesse optimum pastorem. Qui non solum terreno, sed multo magis coelesti et spiritali cibo eos saepius reficiebat, et ipsam Dei domum, ut vir prudens, tam in structura, quam et in spiritali rigore pulcherrime aedificavit, et inibi felicem cursum vitae suae miro modo consummavit. Similem pene, ut Apostolus Joannes, ipse habuit vocationis suae finem. Neque etenim audivit aliquis plangere eum, aut contristari ante obitum suum. Et in ejus sanctae animae egressu, uni tunc ex fratribus ostensa est visio, ita ut ostenderetur cunctis palam, quanto ipse vir Dei esset culmine sanctitatis praecipuus. Nam visum est illi, ut dixit, lumen summae claritatis: idque sibi vicinius appropinquare. Et dum hanc admirabilem ipse visionem consideraret, astiterunt ei beatissimi Apostoli Petrus et Paulus, et in medio eorum anima illa sancta domini Siviardi nimio fulgore candebat. Qui utrique Apostoli utramque ejus manum tenere videbantur. Et fertur ad eum ille dixisse: « Frater, ego Christo ago gratias, qui me dignatus est nunc in requie sua suscipere. Vado ecce cum dominis meis praesentibus: vos vero eulogias, quas ego paravi, ferte germanae meae et ejus sororibus. O sacerdotem verum, qui nec post transitum oblitus est fraternae dilectionis: sed magis ac magis semper in eo flammavit fervor charitatis plenissimae. Nam fides et spes cessant aliquando in sanctis, et sola in eis post obitum excrescit flamma charitatis. Ita et in hujus sancti clare apparuit revelatione. Ecce inter Apostolos visus est ille sanctus, qui per munditiam castitatis, et opera plenissimae charitatis, ac mortificationis continentiam, et

Digitized by Google

patientiae perfectionem ad merita recte creditur pervenisse apostolica, eorumque, inter quos clarus apparuit in fine, et a quibus perductus est in coelestem patriam ad maximam gloriae coronam. Ecce quo praemio honoratur, et supra multa constituitur bonus ille servus, qui super pauca inventus est fidelis Revera enim pater iste venerabilis perseveravit semper cum fratribus et non cessabat usque in finem exhortari eos et consolando admonere, ut jugiter in sancto ordine perseverarent, atque in Dei laudibus permanerent. Et cum cognovit proximum finem suum, non contristatus est valde, sed oravit sobrie: et positis in lectulo sanctis membris, obdormivit quietus in pace. Et quidem octavo anno regni domini Theodorici regis, Calendis Martii sarcinam suae deposuit carnis, et receptus est cum sanctis angelis in sedem coelestem, et apud Dominum nostrum Jesum Christum requiescit, quem vere dilexit, cui est gloria, etc.

VITA S. CEADDAE VEL CEDDAE EPISC.

EX VEN. BEDAE.

HISTORIA GENTIS ANGLORUM LIBRO 3, C. 28, ET 4, CC. 2, ET 3.

Obiit anno 672 — Nat. Anglus.

§ 1. Interea rex Alchfrid misit Wilfridum presbyterum ad regem Galliarum qui eum sibi suisque consecrari faceret episcopum. At ille misit illum ordinandum ad Agilbertum, de quo supra diximus, qui relictâ Britanniâ, Parisiacae civitatis factus erat episcopus, et consecratus est magno cum honore ab ipso, convenientibus plurimis episcopis in vico regio qui vocatur, In Compendio. Quo adhuc in transmarinis partibus post ordinationem demorante, imitatus industriam filii regis Oswi, misit Cantiam * virum sanctum, modestum moribus, scripturarum lectione sufficienter instructum, et ea quae agenda in scripturis didicerat, operibus solerter exequentem: qui Eboracensis ** ecclesiae ordinaretur episcopus. Erat autem presbyter, vocabulo Ceadda, frater reverendissimi antistitis Ceddi, cujus saepius meminimus, et Abbas monasterii illius, quod vocatur Lestingaheu. Misitque rex cum eo presbyterum suum, vocabulo Eadhedum, qui postea regnante Egfrido, Rypensis Ecclesiae praesul factus est. Verum illi Cantiam pervenientes, invenerunt Archiepiscopum Deusdedit jam migrasse de seculo, et necdum alium pro eo constitutum fuisse pontificem. Unde diverterunt ad provinciam occidentalium Sàxonum, ubi erat Wini episcopus: et ab illo est

* *Kent*, Comitatus habens urbem principem *Canterbury*, Cantuariam. ** *Yorck*.

Digitized by Google

vir praefatus consecratus antistes, assumptis in societatem ordinationis duobus de Brìtonum gente episcopis qui Dominicum Paschae diem, ut saepius dictum est, secus morem canonicum a quartadecima usque ad vicesimamprimam Lunam celebrant. Non enim erat tunc ullus, excepto illo Wini, in tota Britannia canonice ordinatus episcopus. Consecratus ergo in episcopatum Ceadda, maximam mox coepit Ecclesiasticae veritati et castitati curam impendere, humilitati, continentiae, lectioni operam dare: oppida, rura, casas, vicos, castella, propter evangelizandum non equitando, sed Apostolorum more pedibus incedendo, peragrare. Erat enim discipulus Aidani, iisdemque actibus ac moribus, juxta exemplum ejus ac fratris sui Ceddi, suos instituere curavit auditores.

§ 2. Itaque Theodorus perlustrans universa (fuerat is Theodorus Romae a Vitaliano Pont. ordinatus episcopus, et missus in Britanniam) ordinabat locis opportunis episcopos, et ea, quae minus perfecta rèperit, his quoque juvantìbus corrigebat. In quibus et Ceaddam episcopum cum argueret non fuisse rite consecratum, respondens ipse voce humillima, dixit: «Si me, inquit, nosti episcopatum non rite suscepisse, libenter ab officio discedo: quippe qui neque me unquam hoc esse dignum arbitrabar: sed obedientiae causâ jussus subire hoc quamvis indignus consensi.» At ille audiens humilitatem responsionis ejus, dixit non eum episcopatum dimittere debere: sed ipse ordinationem ejus denuo catholica ratione consummavit.

§ 3. Eo tempore provinciae Merciorum * rex Vulfhere praefuit: qui cum mortuo Jarumanno, sibi suisque a Theodoro episcopum dari peteret, non eis novum voluit ordinare episcopum, sed postulavit a rege Oswio, ut illis episcopus Ceadda daretur: qui tunc in monasterio suo, quod est in Lestingaheu, quietam vitam agebat, Wilfrido administrante episcopatum Eboracensis ecclesiae, necnon et omnium Nordan-Humbrorum, sèd et Pictorum **, quousque rex Oswi imperium protendere poterat. Et quia moris erat eidem reverendissimo antistiti opus Evangelii magis ambulando per loca, quam equitando perficere: jussit eum Theodorus, ubicumque longius iter instaret, equitare, multumque retinentem studio et amore pii laboris, ipse eum manu sua levavit in equum: quia nimirum sanctum virum esse comperit, atque equo vehi, quo esset necesse, compulit.

§ 4. Susceptum itaque episcopatum gentis Merciorum simul et Lindisfarorum, Ceadda juxta exempla patrum antiquorum, in magna vitae perfectione administrare curavit. Cui etiam Rex Vulfhere donavit terram quinquaginta familiarum ad construendum

* Mercia in Heptarchia Anglo-Saxonica latissimum Britanniae propriae orientalis regnum fuit.
** *Picti* dicebantur a pingendo coloribus corpore Caledonii, incolae Britanniae Barbarae, postea Scotiae; Caledoniam australem occupantes, *Picti Maearcae* appellabantur.

Digitized by Google

monasterium in loco qui dicitur Etbearut, id est, ad nemus, in provincia Lindissi: in quo usque hodie instituta ab ipso regularis vitae vestigia permanent. Habuit autem sedem episcopalem in loco qui vocatur Liecidfelth *, in quo et defunctus ac sepultus est: ubi usque hodie sequentium quoque provinciae illius episcoporum sedes est. Fecerat vero sibi mansionem non longe ab ecclesia remotiorem, in qua secretius cum paucis, id est, septem sive octo fratribus, quoties a labore et ministerio verbi vacabat, orare, ac legere solebat.

§ 5. Qui cum in illa provincia duobus annis ac dimidio ecclesiam gloriosissime rexisset, affuit superno dispensante judicio tempus, de quo loquitur Ecclesiastes, *Quia tempus mittendi lapides, et tempus colligendi* (*Eccles.* III). Supervenit namque clades divinitus missa, quae per mortem carnis vivos Ecclesiae lapides de terrenis sedibus ad aedificium coeleste transferret. Cumque plurimis de ecclesia ejusdem reverendissimi Antistitis de carne subtractis, veniret hora ipsius, ut transiret de hoc mundo ad Dominum, contigit die quadam, ut in praefata mansione forte ipse cum uno tantum fratre, cui vocabulum erat Owinus, commoraretur, caeteris ejus sociis pro causa opportuna ad ecclesiam reversis. Erat autem idem Owinus magni meriti monachus, et pura intentione supernae retributionis mundum derelinquens, dignusque per omnia, cui Dominus specialiter sua revelaret arcana, dignus, cui fidem narranti audientes accommodarent. Venerat enim cum Regina Edildride de provincia Orientalium Anglorum eratque primus ministrorum, et princeps domus ejus. Qui cum crescente fidei fervore, seculo abrenunciare disponeret, non hoc segniter fecit: sed adeo se mundi rebus exuit, ut relictis omnibus quae habebat, simplici tantum habitu indutus, et secùrim et asciam in manu ferens, veniret ad monasterium ejusdem reverendissimi patris, quod vocatur Lestingen. Non enim ad otium, ut quidam, sed ad laborem se monasterium intrare signabat, quod ipsum etiam facto monstravit. Nam quo minus sufficiebat meditationi Scripturarum, eo amplius operi manuum studium impendebat. Denique cum episcopo in praefata mansione pro suae reverentia devotionis inter fratres habitus, cum illi intus lectioni vacabant, ipse foris quae opus esse videbat, operabatur.

§ 6. Qui cum die quadam tale aliquid foris ageret, digressis ad ecclesiam sociis, ut dicere coeperam, et episcopus solus in oratorio loci lectioni vel orationi operam daret, audivit repente, ut postea referebat, vocem suavissimam cantantium atque laetantium, de coelo ad terras usque descendere. Quam videlicet vocem ab Euroaustro, id est, ab alto brumalis exortus primo se audisse dicebat, ac deinde paulatim eam sibi appropinquare, donec ad

* In Comitatu Staffordiensi; *Lichfeldia* autem est quasi *Cadaverum campus*, quod plurimi illic Christiani, sub Diocletiano mactati sunt.

Digitized by Google

tectum usque oratorii, in quo erat episcopus, perveniret: quod ingressa, totum implevit, atque in gyro circumdedit. At ille dum solicitus in ea quae audiebat, animum intenderet, audivit denuo, transacto quasi dimidio horae spatio, ascendere de tecto ejusdem oratorii idem laetitiae canticum, et ipsâ, qua venerat, viâ ad coelos cum ineffabili dulcedine reverti. Qui cum aliquantulum horae quasi attonitus maneret, et quid haec essent, solerti animo scrutaretur, aperuit episcopus fenestram oratorii, et sonitum manu faciens, ut saepius consuevit, si quis foris esset, ad se intrare praecepit. Introivit ille concitus. Cui dixit Antistes: «Vade cito ad ecclesiam, et hos septem fratres huc venire fàcito, tu quoque simul adesto.» Qui cum venissent, primo admonuit eos, ut virtutem dilectionis et pacis ad invicem et ad omnes fideles servarent. Instituta quoque disciplinae regularis quae vel ab ipso didicissent, et in ipso vidissent, vel in patrum praecedentium factis sive dictis invenissent, indefessâ instantiâ sequerentur. Deinde subjunxit die sui obitus jam proxime instare. Namque hospes, inquit, ille amabilis qui fratres nostros visitare solebat, ad me quoque hodie venire, hocque de seculo evocare dignatus est, propter quod revertentes ad ecclesiam, dicite fratribus, ut meum exitum Domino precibus commendent, et suum quoque exitum, cujus hora incerta est, vigiliis, orationibus, bonis operibus praevenire meminerint.

§ 7. Cumque haec et hujusmodi plura loqueretur, atque illi, percepta ejus benedictione, jam multum tristes existerent, rediit ipse solus qui carmen coeleste audierat, et prosternens se in terram, ait: « Obsecro pater, licetne aliquid interrogare? » — « Interroga, inquit, quae vis. » At ille: « Obsecro, inquit, dicas, quod erat canticum illud laetantium, quod audivi, venientium de coelis super oratorium hoc, et post tempus redeuntium ad coelos. » Respondit ille: « Si voces carminis audisti, et coelestes supervenire coetus cognovisti, praecipio tibi in nomine Domini, ne hoc cuiquam ante meum obitum dicas. Revera autem angelorum spiritus qui me ad coelestia quae semper amabam ac desiderabam, praemia vocare venerunt, et post dies septem se redituros, ac me secum adducturos esse promiserunt. » Quod quidem ita, ut ei praedictum erat, opere completum est. Nam confestim languore corporis tactus est, et hoc per dies ingravescente, septimo, ut promissum ei fuerat, die, postquam obitum suam Dominici corporis et sanguinis perceptione munivit, soluta ab ergastulo corporis anima sancta, ducentibus, ut credi fas est, angelis comitibus, aeterna gaudia petivit. Non autem mirum, si idem mortis, vel potius diem Domini laetus aspexit, quem semper, usque dum viveret, solicitus expectare curavit.

§ 8. Namque inter plura continentiae, humilitatis, doctrinae, orationis, voluntariae paupertatis, et caeterarum virtutum merita,

Digitized by Google

intantum erat timori Domini subditus, intantum novissimorum suorum in omnibus operibus suis memor, ut sicut mihi quidam frater de his qui me in scripturis erudiebant, et erat in monasterio ac magisterio illius educatus, vocabulo Trumbrecht, referre solebat, si forte legente eo, vel aliud quid agente, repente flatus venti major assurgeret, continuo misericordiam Domini invocaret, et eam generi humano propitiari rogaret. Si autem violentior aura insisteret, jam clauso codice procideret in faciem, atque obnixius orationi incumberet. At si procella fortior aut nimbus perurgèret, vel esset coruscatio, ac tonitrua terras et aëra terrerent, tunc veniens ad ecclesiam solicitus orationibus ac psalmis, donec serenitas aëris rediret, fixa mente vacaret.

§ **9**. Cumque interrogaretur a suis, quare hoc faceret, respondebat: «Non legistis, *quia intonuit de coèlo Dominus, et altissimus dedit vocem suam: Misit sagittas suas, et dissipavit eos, fulgura multiplicavit, et conturbavit eos?* (*Psal.* 17). Movet enim aëra Dominus, ventos excitat, jaculatur fulgura, de coelo intonat ut terrìgenas ad timendum se suscitet, ut corda eorum in memoriam futuri judicii rèvocet, ut superbiam eorum dissipet, et conturbet audaciam, reducto ad mentem tremendo illo tempore, quando ipse, coelis ac terris ardentibus, venturus est in nubibus cum potestate magna ac majestate ad judicandos vivos ac mortuos. Propter quod, inquit, oportet nos admonitioni ejus coelesti debito cum timore et amore respondere: ut quoties aëre commoto, manum quasi ad feriendum mìnitans erexit, nec adhuc tamen percutit, mox ejus imploremus misericordiam, et discussis penetralibus cordis nostri, atque expurgatis vitiorum ruderibus, soliciti, ne unquam percuti mereamur, agamus.»

§ **10**. Convenit autem revelationi et relationi praefati fratris de obitu hujus antistitis, etiam sermo reverendissimi patris Egberti, de quo supra diximus qui dudum cum eodem Ceadda adolescente, et ipse adolescens in Hybernia monachicâm in orationibus et continentia ac meditatione divinarum scripturarum vitam sèdulus agebat. Sed illo postmodum in patriam reverso, ipse peregrinus pro Domino usque ad finem vitae permansit. Cum ergo veniret ad eum longo post tempore gratiâ visitationis de Britannia vir sanctissimus et continentissimus vocabulo Higbald, qui erat Abbas in provincia Lindissi, et, ut sanctos decebat, de vita patrum priorum sermonem facerent, atque hanc aemulari gauderent, intervenit mentio reverendissimi antistitis Ceadda, dixitque Egbert: «Scio hominem in hac insula adhuc in carne manentem, qui, cum vir ille de mundo transiret, vidit animam Ceaddi, fratris ipsius, cum agmine angelorum descendere de coelo, et assumptâ secum animâ ejus, ad coelestia regna redire. Quod utrum de se, an de alio aliquo diceret, nobis remanet incertum.»

Digitized by Google

§ 11. Obiit autem Ceadda sexto die Nonarum Martiarum, et sepultus est quidem primo juxta ecclesiam sanctae Mariae: sed postmodum ibidem constructa ecclesia beatissimi principis Apostolorum Petri, in eamdem sunt ejus ossa translata: in quo utroque loco, ad indicium virtutis illius, solent crebra sanitatum miracula operari. Denique nuper phreneticus quidam, dum per cuncta errando discurreret, devenit ibi vespere, nescientibus sive non curantibus loci custodibus: et ibi tota nocte requiescens, mane sanato sensu egressus, mirantibus et gaudentibus cunctis, quod ibi sanitatem, Domino largiente, consecutus esset, ostendit. Est autem locus sepulcri tumba lignea, in modum domunculae facta, coopertus, habens foràmen in pariete, per quod solent hi, qui causâ devotionis illo adveniunt, manum suam immittere, ac partem pulveris inde assumere: quam cum in aquas miserint, atque has infirmantibus jumentis sive hominibus gustandas dederint, mox infirmitatis ablatâ molestiâ, ad cupìtae sospitatis gaudia redeunt. In cujus locum ordinavit Theodorus Winfridum, virum bonum et modestum, qui, sicut praedecessores ejus, provinciis Merciorum et mediterraneorum Anglorum et Lindisfarorum episcopatus officio praeesset: in quibus cunctis Vulfhere qui adhuc supererat, sceptrum regni tenebat. Erat autem Winfridus de clero ejus, cui ipse successerat, antistitis, et diaconatus officio sub eo non pauco tempore fungebatur.

MARTYRIUM SS. MARINI ET ASTERII

EX HISTORIAE ECCLÈSIASTICAE EUSEBII LIBRO 7, CAP. 14.
INTERPRETE JO. CHRISTOPHORSONO ANGLIAE EP.

Circa 262 — De prioris patria non constat; Romanus alter.

§ 1. Iisdem temporibus, cum pax in ecclesiis ubique vigèret, Marinus, unus ex his qui in exercitu Romano magnum decus et honorem fuissent consecuti, vir et genere illustris, et divitiis lòcuples, propter testimonium Christi Caesareae Palaestinae tali de causa capite damnatus fuit. Honor quidem est vitis (*a*) apud Romanos, quem qui adipiscuntur, eos Centuriones fieri ajunt. Cum locus vacaret, ordo postulabat, ut Marinus eo dignitatis gradu potiretur. Marinum igitur ad hunc honorem elatum, alius pro tribunali comparens, in crimen vocat, tum quod erat Christianus, tum quod Imperatoribus non immolasset: «Ac propterea, inquit, ex veterum legum institutis illi non licet eum dignitatis gradum

(*a*) *Vitis* insigne fuit in Romana militia, quo qui decorati essent, proximum locum vacantem Centurionatus essent adepturi.

Digitized by Google

apud Romanos adipisci: sed illud quicquid est muneris, mihi jure impertiri debet.» Unde judex commotus (Achivus hic erat genere) primo sciscitatus est, cujusnam sententiae et religionis esset Marinus. Quem ut animadvertit constanter se Christianum esse confitentem, trium horarum spatium ei ad deliberandum dat. Hunc e judicio egressum Theotecnus qui illic erat episcopus, ad se colloquendi causâ invìtat: et prehensa manu, recta dedùcit in ecclesiam. Quem cum interius ad ipsum sanctuarium collocavisset, laevâ paululum in alteram partem dimotâ, gladium, quo cingebatur, ostendit: simulque divinorum Evangeliorum librum adferens, ex adverso proponit, praecipitque, ut ex illis duobus, quod magis esset ex animi sententia, deligeret. Ubi vero absque cunctatione por recta manu dextrâ sacrum librum accepit, Theotecnus sic illum affatur: «Tene et adhaeresce Deo, sic enim ab eo roboratus, quod in optatis est, pro certo assequere. Abi in pace.» Illum statim inde redeuntem praeco pro tribunali advocat, jam enim tempus illi praestitutum ad deliberandum, erat completum. Sistit se pro tribunali: qui cum majorem jam, quam antea, fidei ardorem ac studium declarasset, ad mortem recta abductus, martyrio excessit e vita.

§ 2. Asterius etiam, vir e senatorum Romanorum numero, cum Imperatoribus in primis charus, tum omnibus et nobilitatis et facultatum gratiâ conspicuus, in eadem civitate, propter animi propensionem, quam libere erga veram pietatem declaraverat celebrabatur. Qui cum martyri praesto adesset, simulatque e vita migrarat, cadaver tollit, splendida et pretiosa obtegit veste, atque humeris impositum, inde deportat, quod cum magnifico et sumptuoso linteo involvisset, decenti sepulcro condidit. Hujus viri familiares qui hucusque vitam produxerunt, cum alia infinita praeclara ejus facta memorant, tum istud in primis, quod sequitur, quodque plenum est admirationis. Caesareae Philippi, quam Phoenices Paneada vocant, fertur victimam quamdam in fontes qui illic ex radicibus montis Panei prorumpunt, ex quibus Jordanem profluere dicitur, in quadam diei festi gentilium celebritate mactatam, conjici: atque eam daemonis vi ac potestate mirandum in modum ab eorum aspectu evanescere, miraculumque videri praesentibus valde memorabile. Quibus, dum gerebantur, Asterium quodam tempore forte interfuisse: ac cum videret tam multos illius rei admiratione obstupefactos, eorum erroris admodum misertum esse. Deinde sublatis in coelum oculis, Deum omnium rerum moderatorem per Christum supplicem precatum, ut daemonium illud, quod populum tanto errore caecavisset, comprimeret, ipsum a fraude ac fallaciis, quas hominibus solet intendere, coërcèret. Hoc modo cum Deum oravisset, repentino victimam fontibus supernatasse: atque ita rem illam, quam tantopere mirari consueverant, in nihilum

Digitized by Google

interiisse, usqueadeo ut nullum in posterum in eo loco ex ea omnino ederetur miraculum. Hactenus ex versione doctissimi viri Joannis Christophorsoni, Angliae Episcopi, ex qua quidem animadverti non potest Asterium pro fide Christi martyrium obiisse: sed id ex Ruffini versione habent vetustissima Martyrologia Bedae, Usuardi, Adonis etc. Ibi enim sic legitur: Inter caeteros cunctis clarior, et meritis fidei supra caeteros insignis memoratur Asterius, vir Romanae urbis Senator, patritius, nobilitate, facultatibus, propinquitate etiam regia et omni bonorum famâ satis clarus. Qui cum supradicti martyris extremis interesset exequiis, et capite caesum cadaver subjectis humeris suis, et substrata veste, qua induebatur, exciperet, honorem, quem martyri detulit, continuo ipse martyr assequitur. Sub Martyris titulo celebratur a Graecis Die VII Aug.

VITA S. CALUPPANI RECLUSI

AUCTORE D. GREGORIO TURONEN. EPISCOPO

Floruit saec. VI. — Nat. Gallus.

§ 1. Semper paupertas seculi regna rèserat coeli, atque utentes se non modo praeparat polo, verumetiam glorificatos miraculis, illustres esse declarat in mundo. Quo fit, ut dum illa ergastularis contritionis revinctio paradisi januam patèfacit, anima angelicis choris inserta, in requie sempiterna persultet: sicut nunc de beato Caluppano recluso quod verum cognovimus, prorsus silere nequimus.

§ 2. Hic autem ab ineunte aetate semper religionis Ecclesiasticae bonum quaesivit et reperit, et apud monasterium Meletense termini Arverni conversatus, in magna humilitate se fratribus praebuit. Erat etenim summae abstinentiae, ita ut ab inedia nimium attritus, quotidianam cum reliquis fratribus operam explere nequiret. Unde, ut mos est monachorum, magnum improperium inferebant, dicente sibi praesertim Praeposito: Qui non deliberat laborare, indigne postulat manducare.

§ 3. Dum autem ille assidue uteretur his exprobrationum verbis, vallem haud procul a monasterio conspicatur, de cujus medio lapis, natura praebente, consurgens, provèhitur in excelsum, quasi quingentis, aut eo amplius pedibus, nullam penitus habens cum reliquis montibus circumpositis conjunctionem. Cujus vallis medium fluvius alluit qui hunc montem placide contingens dilabitur. In hujus ergo lapidis scissuram quod priscis quondam propter transitum hostium receptaculum fuit, eremita

Digitized by Google

monasterium in loco qui dicitur Etbearut, id est, ad nemus, in provincia Lindissi: in quo usque hodie instituta ab ipso regularis vitae vestigia permanent. Habuit autem sedem episcopalem in loco qui vocatur Liecidfelth *, in quo et defunctus ac sepultus est: ubi usque hodie sequentium quoque provinciae illius episcoporum sedes est. Fecerat vero sibi mansionem non longe ab ecclesia remotiorem, in qua secretius cum paucis, id est, septem sive octo fratribus, quoties a labore et ministerio verbi vacabat, orare, ac legere solebat.

§ **5**. Qui cum in illa provincia duobus annis ac dimidio ecclesiam gloriosissime rexisset, affuit superno dispensante judicio tempus, de quo loquitur Ecclesiastes, *Quia tempus mittendi lapides, et tempus colligendi* (*Eccles.* III). Supervenit namque clades divinitus missa, quae per mortem carnis vivos Ecclesiae lapides de terrenis sedibus ad aedificium coeleste transferret. Cumque plurimis de ecclesia ejusdem reverendissimi Antistitis de carne subtractis, veniret hora ipsius, ut transiret de hoc mundo ad Dominum, contigit die quadam, ut in praefata mansione forte ipse cum uno tantum fratre, cui vocabulum erat Owinus, commoraretur, caeteris ejus sociis pro causa opportuna ad ecclesiam reversis. Erat autem idem Owinus magni meriti monachus, et pura intentione supernae retributionis mundum derelinquens, dignusque per omnia, cui Dominus specialiter sua revelaret arcana, dignus, cui fidem narranti audientes accommodarent. Venerat enim cum Regina Edildride de provincia Orientalium Anglorum eratque primus ministrorum, et princeps domus ejus. Qui cum crescente fidei fervore, seculo abrenunciare disponeret, non hoc segniter fecit: sed adeo se mundi rebus exuit, ut relictis omnibus quae habebat, simplici tantum habitu indutus, et secùrim et asciam in manu ferens, veniret ad monasterium ejusdem reverendissimi patris, quod vocatur Lestingen. Non enim ad otium, ut quidam, sed ad laborem se monasterium intrare signabat, quod ipsum etiam facto monstravit. Nam quo minus sufficiebat meditationi Scripturarum, eo amplius operi manuum studium impendebat. Denique cum episcopo in praefata mansione pro suae reverentia devotionis inter fratres habitus, cum illi intus lectioni vacabant, ipse foris quae opus esse videbat, operabatur.

§ **6**. Qui cum die quadam tale aliquid foris ageret, digressis ad ecclesiam sociis, ut dicere coeperam, et episcopus solus in oratorio loci lectioni vel orationi operam daret, audivit repente, ut postea referebat, vocem suavissimam cantantium atque laetantium, de coelo ad terras usque descendere. Quam videlicet vocem ab Euroaustro, id est, ab alto brumalis exortus primo se audisse dicebat, ac deinde paulatim eam sibi appropinquare, donec ad

* In Comitatu Staffordiensi; *Lichfeldia* autem est quasi *Cadaverum campus*, quod plurimi illic Christiani, sub Diocletiano mactati sunt.

Digitized by Google

tectum usque oratorii, in quo erat episcopus, perveniret: quod ingressa, totum implevit, atque in gyro circumdedit. At ille dum solicitus in ea quae audiebat, animum intenderet, audivit denuo, transacto quasi dimidio horae spatio, ascendere de tecto ejusdem oratorii idem laetitiae canticum, et ipsâ, qua venerat, viâ ad coelos cum ineffabili dulcedine reverti. Qui cum aliquantulum horae quasi attonitus maneret, et quid haec essent, solerti animo scrutaretur, aperuit episcopus fenestram oratorii, et sonitum manu faciens, ut saepius consuevit, si quis foris esset, ad se intrare praecepit. Introivit ille concitus. Cui dixit Antistes: «Vade cito ad ecclesiam, et hos septem fratres huc venire fàcito, tu quoque simul adesto.» Qui cum venissent, primo admonuit eos, ut virtutem dilectionis et pacis ad invicem et ad omnes fideles servarent. Instituta quoque disciplinae regularis quae vel ab ipso didicissent, et in ipso vidissent, vel in patrum praecedentium factis sive dictis invenissent, indefessâ instantiâ sequerentur. Deinde subjunxit die sui obitus jam proxime instare. Namque hospes, inquit, ille amabilis qui fratres nostros visitare solebat, ad me quoque hodie venire, hocque de seculo evocare dignatus est, propter quod revertentes ad ecclesiam, dicite fratribus, ut meum exitum Domino precibus commendent, et suum quoque exitum, cujus hora incerta est, vigiliis, orationibus, bonis operibus praevenire meminerint.

§ 7. Cumque haec et hujusmodi plura loqueretur, atque illi, percepta ejus benedictione, jam multum tristes existerent, rediit ipse solus qui carmen coeleste audierat, et prosternens se in terram, ait: « Obsecro pater, licetne aliquid interrogare? » — « Interroga, inquit, quae vis. » At ille: « Obsecro, inquit, dicas, quod erat canticum illud laetantium, quod audivi, venientium de coelis super oratorium hoc, et post tempus redeuntium ad coelos. » Respondit ille: « Si voces carminis audisti, et coelestes supervenire coetus cognovisti, praecipio tibi in nomine Domini, ne hoc cuiquam ante meum obitum dicas. Revera autem angelorum spiritus qui me ad coelestia quae semper amabam ac desiderabam, praemia vocare venerunt, et post dies septem se redituros, ac me secum adducturos esse promiserunt. » Quod quidem ita, ut ei praedictum erat, opere completum est. Nam confestim languore corporis tactus est, et hoc per dies ingravescente, septimo, ut promissum ei fuerat, die, postquam obitum suam Dominici corporis et sanguinis perceptione munivit, soluta ab ergastulo corporis anima sancta, ducentibus, ut credi fas est, angelis comitibus, aeterna gaudia petivit. Non autem mirum, si idem mortis, vel potius diem Domini laetus aspexit, quem semper, usque dum viveret, solicitus expectare curavit.

§ 8. Namque inter plura continentiae, humilitatis, doctrinae, orationis, voluntariae paupertatis, et caeterarum virtutum merita,

Digitized by Google

intantum erat timori Domini subditus, intantum novissimorum suorum in omnibus operibus suis memor, ut sicut mihi quidam frater de his qui me in scripturis erudiebant, et erat in monasterio ac magisterio illius educatus, vocabulo Trumbrecht, referre solebat, si forte legente eo, vel aliud quid agente, repente flatus venti major assurgeret, continuo misericordiam Domini invocaret, et eam generi humano propitiari rogaret. Si autem violentior aura insisteret, jam clauso codice procideret in faciem, atque obnixius orationi incumberet. At si procella fortior aut nimbus perurgèret, vel esset coruscatio, ac tonitrua terras et aëra terrerent, tunc veniens ad ecclesiam solicitus orationibus ac psalmis, donec serenitas aëris rediret, fixa mente vacaret.

§ **9**. Cumque interrogaretur a suis, quare hoc faceret, respondebat: «Non legistis, *quia intonuit de coëlo Dominus, et altissimus dedit vocem suam: Misit sagittas suas, et dissipavit eos, fulgura multiplicavit, et conturbavit eos?* (*Psal.* 17). Movet enim aëra Dominus, ventos excitat, jaculatur fulgura, de coelo intonat ut terrìgenas ad timendum se suscitet, ut corda eorum in memoriam futuri judicii rèvocet, ut superbiam eorum dissipet, et conturbet audaciam, reducto ad mentem tremendo illo tempore, quando ipse, coelis ac terris ardentibus, venturus est in nubibus cum potestate magna ac majestate ad judicandos vivos ac mortuos. Propter quod, inquit, oportet nos admonitioni ejus coelesti debito cum timore et amore respondere: ut quoties aëre commoto, manum quasi ad feriendum mìnitans erexit, nec adhuc tamen percutit, mox ejus imploremus misericordiam, et discussis penetralibus cordis nostri, atque expurgatis vitiorum ruderibus, soliciti, ne unquam percuti mereamur, agamus.»

§ **10**. Convenit autem revelationi et relationi praefati fratris de obitu hujus antistitis, etiam sermo reverendissimi patris Egberti, de quo supra diximus qui dudum cum eodem Ceadda adolescente, et ipse adolescens in Hybernia monachicâm in orationibus et continentia ac meditatione divinarum scripturarum vitam sèdulus agebat. Sed illo postmodum in patriam reverso, ipse peregrinus pro Domino usque ad finem vitae permansit. Cum ergo veniret ad eum longo post tempore gratiâ visitationis de Britannia vir sanctissimus et continentissimus vocabulo Higbald, qui erat Abbas in provincia Lindissi, et, ut sanctos decebat, de vita patrum priorum sermonem facerent, atque hanc aemulari gauderent, intervenit mentio reverendissimi antistitis Ceadda, dixitque Egbert: «Scio hominem in hac insula adhuc in carne manentem, qui, cum vir ille de mundo transiret, vidit animam Ceaddi, fratris ipsius, cum agmine angelorum descendere de coelo, et assumptâ secum animâ ejus, ad coelestia regna redire. Quod utrum de se, an de alio aliquo diceret, nobis remanet incertum.»

Digitized by Google

§ 11. Obiit autem Ceadda sexto die Nonarum Martiarum, et sepultus est quidem primo juxta ecclesiam sanctae Mariae: sed postmodum ibidem constructa ecclesia beatissimi principis Apostolorum Petri, in eamdem sunt ejus ossa translata: in quo utroque loco, ad indicium virtutis illius, solent crebra sanitatum miracula operari. Denique nuper phreneticus quidam, dum per cuncta errando discurreret, devenit ibi vespere, nescientibus sive non curantibus loci custodibus: et ibi tota nocte requiescens, mane sanato sensu egressus, mirantibus et gaudentibus cunctis, quod ibi sanitatem, Domino largiente, consecutus esset, ostendit. Est autem locus sepulcri tumba lignea, in modum domunculae facta, coopertus, habens foràmen in pariete, per quod solent hi, qui causâ devotionis illo adveniunt, manum suam immittere, ac partem pulveris inde assumere: quam cum in aquas miserint, atque has infirmantibus jumentis sive hominibus gustandas dederint, mox infirmitatis ablatâ molestiâ, ad cupìtae sospitatis gaudia redeunt. In cujus locum ordinavit Theodorus Winfridum, virum bonum et modestum, qui, sicut praedecessores ejus, provinciis Merciorum et mediterraneorum Anglorum et Lindisfarorum episcopatus officio praeesset: in quibus cunctis Vulfhere qui adhuc supererat, sceptrum regni tenebat. Erat autem Winfridus de clero ejus, cui ipse successerat, antistitis, et diaconatus officio sub eo non pauco tempore fungebatur.

MARTYRIUM SS. MARINI ET ASTERII

EX HISTORIAE ECCLÈSIASTICAE EUSEBII LIBRO 7, CAP. 14.
INTERPRETE JO. CHRISTOPHORSONO ANGLIAE EP.

Circa 262 — De prioris patria non constat; Romanus alter.

§ 1. Iisdem temporibus, cum pax in ecclesiis ubique vigèret, Marinus, unus ex his qui in exercitu Romano magnum decus et honorem fuissent consecuti, vir et genere illustris, et divitiis lòcuples, propter testimonium Christi Caesareae Palaestinae tali de causa capite damnatus fuit. Honor quidem est vitis (*a*) apud Romanos, quem qui adipiscuntur, eos Centuriones fieri ajunt. Cum locus vacaret, ordo postulabat, ut Marinus eo dignitatis gradu potiretur. Marinum igitur ad hunc honorem elatum, alius pro tribunali comparens, in crimen vocat, tum quod erat Christianus, tum quod Imperatoribus non immolasset: «Ac propterea, inquit, ex veterum legum institutis illi non licet eum dignitatis gradum

(*a*) *Vitis* insigne fuit in Romana militia, quo qui decorati essent, proximum locum vacantem Centurionatus essent adepturi.

Digitized by Google

apud Romanos adipisci: sed illud quicquid est muneris, mihi jure impertiri debet.» Unde judex commotus (Achivus hic erat genere) primo sciscitatus est, cujusnam sententiae et religionis esset Marinus. Quem ut animadvertit constanter se Christianum esse confitentem, trium horarum spatium ei ad deliberandum dat. Hunc e judicio egressum Theotecnus qui illic erat episcopus, ad se colloquendi causâ invìtat: et prehensa manu, recta dedùcit in ecclesiam. Quem cum interius ad ipsum sanctuarium collocavisset, laevâ paululum in alteram partem dimotâ, gladium, quo cingebatur, ostendit: simulque divinorum Evangeliorum librum adferens, ex adverso proponit, praecipitque, ut ex illis duobus, quod magis esset ex animi sententia, deligeret. Ubi vero absque cunctatione por recta manu dextrâ sacrum librum accepit, Theotecnus sic illum affatur: «Tene et adhaeresce Deo, sic enim ab eo roboratus, quod in optatis est, pro certo assequere. Abi in pace.» Illum statim inde redeuntem praeco pro tribunali advocat, jam enim tempus illi praestitutum ad deliberandum, erat completum. Sistit se pro tribunali: qui cum majorem jam, quam antea, fidei ardorem ac studium declarasset, ad mortem recta abductus, martyrio excessit e vita.

§ 2. Asterius etiam, vir e senatorum Romanorum numero, cum Imperatoribus in primis charus, tum omnibus et nobilitatis et facultatum gratiâ conspicuus, in eadem civitate, propter animi propensionem, quam libere erga veram pietatem declaraverat celebrabatur. Qui cum martyri praesto adesset, simulatque e vita migrarat, cadaver tollit, splendida et pretiosa obtegit veste, atque humeris impositum, inde deportat, quod cum magnifico et sumptuoso linteo involvisset, decenti sepulcro condidit. Hujus viri familiares qui hucusque vitam produxerunt, cum alia infinita praeclara ejus facta memorant, tum istud in primis, quod sequitur, quodque plenum est admirationis. Caesareae Philippi, quam Phoenices Paneada vocant, fertur victimam quamdam in fontes qui illic ex radicibus montis Panei prorumpunt, ex quibus Jordanem profluere dicitur, in quadam diei festi gentilium celebritate mactatam, conjici: atque eam daemonis vi ac potestate mirandum in modum ab eorum aspectu evanescere, miraculumque videri praesentibus valde memorabile. Quibus, dum gerebantur, Asterium quodam tempore forte interfuisse: ac cum videret tam multos illius rei admiratione obstupefactos, eorum erroris admodum misertum esse. Deinde sublatis in coelum oculis, Deum omnium rerum moderatorem per Christum supplicem precatum, ut daemonium illud, quod populum tanto errore caecavisset, comprimeret, ipsum a fraude ac fallaciis, quas hominibus solet intendere, coërcèret. Hoc modo cum Deum oravisset, repentino victimam fontibus supernatasse: atque ita rem illam, quam tantopere mirari consueverant, in nihilum

interiisse, usqueadeo ut nullum in posterum in eo loco ex ea omnino ederetur miraculum. Hactenus ex versione doctissimi viri Joannis Christophorsoni, Angliae Episcopi, ex qua quidem animadverti non potest Asterium pro fide Christi martyrium obiisse: sed id ex Ruffini versione habent vetustissima Martyrologia Bedae, Usuardi, Adonis etc. Ibi enim sic legitur: Inter caeteros cunctis clarior, et meritis fidei supra caeteros insignis memoratur Asterius, vir Romanae urbis Senator, patritius, nobilitate, facultatibus, propinquitate etiam regia et omni bonorum famâ satis clarus. Qui cum supradicti martyris extremis interesset exequiis, et capite caesum cadaver subjectis humeris suis, et substrata veste, qua induebatur, exciperet, honorem, quem martyri detulit, continuo ipse martyr assequitur. Sub Martyris titulo celebratur a Graecis Die VII Aug.

VITA S. CALUPPANI RECLUSI

AUCTORE D. GREGORIO TURONEN. EPISCOPO

Floruit saec. VI. — Nat. Gallus.

§ 1. Semper paupertas seculi regna rèserat coeli, atque utentes se non modo praeparat polo, verumetiam glorificatos miraculis, illustres esse declarat in mundo. Quo fit, ut dum illa ergastularis contritionis revinctio paradisi januam patèfacit, anima angelicis choris inserta, in requie sempiterna persultet: sicut nunc de beato Caluppano recluso quod verum cognovimus, prorsus silere nequimus.

§ 2. Hic autem ab ineunte aetate semper religionis Ecclesiasticae bonum quaesivit et reperit, et apud monasterium Meletense termini Arverni conversatus, in magna humilitate se fratribus praebuit. Erat etenim summae abstinentiae, ita ut ab inedia nimium attritus, quotidianam cum reliquis fratribus operam explere nequiret. Unde, ut mos est monachorum, magnum improperium inferebant, dicente sibi praesertim Praeposito: Qui non deliberat laborare, indigne postulat manducare.

§ 3. Dum autem ille assidue uteretur his exprobrationum verbis, vallem haud procul a monasterio conspicatur, de cujus medio lapis, natura praebente, consurgens, provèhitur in excelsum, quasi quingentis, aut eo amplius pedibus, nullam penitus habens cum reliquis montibus circumpositis conjunctionem. Cujus vallis medium fluvius alluit qui hunc montem placide contingens dilabitur. In hujus ergo lapidis scissuram quod priscis quondam propter transitum hostium receptaculum fuit, eremita

Digitized by Google

sanctus ingreditur et exciso lapide, habitacula statuit, in quae nunc per scalam valde difficilem scanditur. Locus etenim ille tam difficilis est ad incedendum, ut etiam feris bestiis illuc accedere sit labor. In hoc loco oratorium parvulum fecit: cui oranti, ut ipse nobis cum lacrymis referre erat solitus, serpentes super caput ejus saepius decidebant et involventes se circa collum ejus, non minimum ei inferebant horrorem. Sed quia diabolus ad speciem callidi serpentis habetur, non ambigitur ejus has fuisse immissionis insidias.

§ 4. Nam cum ille ad haec perstaret immobilis, nec moveretur minorum anguium ictibus, quodam die duo dracones immensae magnitudinis ad eum ingressi, adstiterunt prope: quorum unus (ut arbitror) ipse dux tentationis validior altero erat, qui recto pectore os suum contra os beati quasi aliquid mussitaturus erexit. At ille timore perterritus, tamquam aeneus valde diriguit, nullumque penitus membrum movere poterat, neque manum elevare, ut signum beatae Crucis opponeret. Cumque ambo diutissime in silentio constitissent, venit in mentem sancto per spiritum, ut orationem Dominicam, etsi labia movere non poterat, vel corde clamaret. Quam dum tacitus pronunciat, coeperunt paulatim membra ejus quae inimici fuerant arte revincta, dissolvi: et sentiens se manum dexteram habere jam liberam, ori signum beatae Crucis imponit, rursumque conversus ad hydram. pingit iterum Crucem Christi adversus eam, dicens: «Tu ne ille es qui protoplastum de paradisi habitaculo projecisti, qui germani dexteram parricidio cruentasti, qui Pharaonem, ut populum Dei persequeretur, armasti, qui ad extremum ipsum Hebraeum populum, ut invidia succendente persequeretur Dominum, excitasti? Discede a servis Dei, a quibus saepius superatus, discessisti confusus. Tu es enim in Cain projectus, in Esau supplantatus, in Golia prostratus, in Juda traditore suspensus, et in ipsa illa Dominicae virtutis Cruce cum potestatibus et dominationibus tuis triumphatus atque contritus es. Abde nunc, inimice, caput et humiliare sub signaculo Crucis divinae: quia non est tibi portio cum servis Dei, quorum est haereditas regnum Christi.» Haec et hujusmodi sancto dicente, Crucemque per singula faciente, Draco hujus vexilli virtute confusus, vicissim se humilians terrae subditur. Sed dum haec agerentur, ille alius circa pedes et tibias sancti in insidiis volvebatur. Cumque hunc pedibus suis circumfusum sanctus Eremita videret, orationem faciens, eum abire jussit, dicens: «Vade retro, satana: nihil mihi in nomine Christi mei poteris ultra nocere.» At ille usque ad limen cellulae egressus, sonum validum per inferiorem partem emisit et tanto cellulam foetore replevit, ut nihil aliud quam diabolus credi posset: nec ultra coram sancto aut serpens, aut draco comparuit.

§ 5. Erat autem assiduus in opere Dei, nec vacabat ad aliud,

Digitized by Google

nisi aut legeret, aut aliquid oraret. Etiam cum parumper cibi caperet, semper orabat. Sumebat interdum piscem de flumine, raro quidem: sed cum voluisset, opitulante Domino, confestim aderat. Cibum panis non aliunde sumebat, nisi qui de monasterio mittebatur. Si quis vero devotorum panes detulisset, aut vinum, id in cibos deputabatur egentium: illorum tamen qui ab eo aut signum salutare susciperent, aut refectione foveri soliti essent, illud Domini rècolens quod in Evangelio de turbis, quas a diversorum morborum contagio sanaverat, dixit: Dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.

§ 6. Sed nec illud beneficium occuli debere arbitror, quod ei in loco illo divina pietas est largita. Nam cum a profundo vallis illius, quasi stadia decem aqua deferretur, oravit Dominum, ut ei in ipso cellulae suae habitaculo fontis venam ostenderet. Et non defuit virtus illa coelestis, quae quondam sitientibus populis aquas produxit e silice. Statim igitur ad hujus orationem gutta làticis a caute prorumpens, coepit solum stillis frequentibus irrigare. At ille munere coelesti congaudens, concavum in lapide parvulum in modum cisternae faciens quod tenebat quasi condia duo, lymphas divinitus sibi indultas suscipiebat: de quibus tantum ei ministrabatur per dies singulos, quantum ipsi pueroque sufficeret qui ei minister fuerat datus. Accessimus autem et nos ad locum cum beato Avito Episcopo, et ex omnibus, quae narravimus quaedam ab ipso relata cognovimus, quaedam oculis propriis inspeximus. A memorato autem Pontifice diaconatus ac presbyterii sortitus est gradum et multa populo, diversis vexato morbis, remedia contulit. Nulli tamen cellulam egressus se praebuit contemplandum, sed tantum per fenestellam extendens manum, salutare signaculum imponebat. Et si a quoquam visitatus fuisset, ad hanc accedens speculam, orationem colloquiumque praebebat. Denique in hac religione cursum vitae consummans, quinquagesimo, ut opìnor, aevi anno migravit ad Dominum.

VITA S. CHUNEGUNDIS IMPERATR. VIRG.

GRAVITER ET FIDELITER CONSCRIPTA

TAMETSI AUCTOR NOMEN SUPPRESSIT SUUM,

AUT FORTASSIS LIBRARIORUM INCURIA ILLUD INTERCIDIT

Obiit anno 1040. — Ex Germania.

§ 1. Ex nobilissimo parentum Augustorum, magnorum quoque sanguine, duo immarcescibilis gloriae flores emicuerunt: Secundus videlicet Henricus * Romani Imperii gloriosissimum

* De hoc Henrico vide in Surii Vol. I, p. 48.

Digitized by Google

decus, ejusque dignissima conjux, piae memoriae Chunegundis Imperatrix. Eadem vero beata et Deo dilecta Chunegundis terreno Imperatori corporaliter, non carnaliter, conjuncta, coelesti regi virginitatem suam consecravit, quam usque in finem, casti conjugis consensu, Deo teste, conservavit. Quod postmodum divinitatis testimonium, ne lumen in tenebris lateret, ostendit, dum eam ad confundendum virginitatis hostem et obstruendum os mendacia, contra virginem Christi loquentium, super ignitos vòmeres incedere et illaesam procedere dedit. In fascibus itaque Imperii constituta, continentiae suae gloriam sub terreni chlamyde imperii satagebat abscondere, ut tanto propensius, quanto efficacius poterat, promoveret quae Deo instigante, illo quoque adjuvante, ad laudem ipsius cogitabat perficere. Denique post novellam foecundissimae plantationis suae ecclesiam, quam cum illo suo studiosissimo cooperatore Henrico in loco Bambergensi venustissime, sicut hactenus cernitur, fabricavit sub patrocinio principis Apostolorum beati Petri et sancti Georgii martyris: monasterium sub regula beati Benedicti ad Aquilonarem plagam in honore sancti Michaëlis archangeli extruxit, non minori studio, praediorum quoque ac diversorum donariis ornamentorum. Tertiam demum versus meridiem sub ordine canonicorum sub titulo beati protomartyris Stephani, parvo quidem schemate, sed majori operâ de suo patrimonio ecclesiam dedicavit, ad quam dedicandam Benedictum Papam, quem praefatus Deo dignus Imperator Henricus ad confirmandum Bambergensem pontificatum advocaverat, venire rogavit: Ipsa quoque illud Psalmògraphi secum decantans: *Domine, dilexi decorem domus tuae,* diversa eidem ecclesiae juxta imperialem magnificentiam munera contulit, in diversis ecclesiae ornamentis: quae omnia idem Romanus Pontifex, ut semper memoria fundatricis ipsius illic floreat, ne quando per fraudem aut violentiam vel furto subtraherentur inde, dira anathematis sui innodatione, septuaginta quoque duorum episcoporum, qui illic aderant, auctoritate, ipso die confirmavit.

2. Item monasterium ad honorem sancti Salvatoris nostri Jesu Christi et ejus victoriosissimae Crucis, in loco qui Confugia dicitur, magnifice construxit, et ancillarum Dei, ibidem Deo secundum regulam beati Benedicti servientium, congregationem decentissime declinavit. Porro, cooperante ei omnibus imperiali majestate, idem monasterium omni ornatu decoravit: ante principale altare imaginem ex auro et lapidibus pretiosissimis statuit, calices aureos et argenteos, catinos aureos, aureos urceos, pallas et casulas, vela et cortinas, cappas auro et gemmis pretiosis intextas et caetera utensilia sive vasa ad ministeria tanto studio et tam sumptuosis expensis eidem ecclesiae contulit, ut quicumque ea intuentur, regiam munificentiam et miram utriusque, Imperatoris videlicet et Imperatricis, devotionem in Deum,

Digitized by Google

magnopere admirari non cessent. Praeter has principales suae operationis primarias ecclesias quae conventualis ecclesia quae monasteria illorum donativo nōn gloriantur, se aut in praediis dilatata, aut decorata ornamentis? Alias enim antiquitate collapsas reaedificaverunt: quasdam etiam destructas et ad nihilum redactas, in pristinum vel etiam in meliorem statum instauraverunt, et sicuti prudentes virgines, oleum suae misericordiae in diversos effuderunt, ut merito dicere possint: Christi bonus odor sumus in omni loco.

§ 3. O conjugium, non voluptate, sed bona voluntate copulatum. O sanctum matrimonium, ubi una fides inviolatae castitatis, ubi unus spiritus misericordiae et veritatis, ubi idem velle in virtutibus et idem nolle in vitiis: ubi nec primus, nec alter discerni potuit, dum alter quod primus voluit: ubi par animus, in multifariis operum effectibus, pares in duobus ostendit affectus. Quales has nuptias dixerim, nescio. Unum scio quia nostra nescit modo regio tales, dum propter regnum coelorum se castrantes, nec prolem terrenae foecunditatis expectantes, caelibem a Deo generationem reciperent, a quorum ore laus Dei numquam deficiet. Haec est generatio quaerentium Dominum, qui viventes in Christo et membra sua mortificantes propter Christum super terram morientium, modo regnantes cum Christo, bona Domini sui vident in regione viventium. Quoniam de vita et miraculis pii Henrici, Imperatoris Christianissimi et de miserationibus variis quas fecit in domo Domini, de signis quoque et miraculis, quae post transitum ejus per eum fecit Deus, satis ac digne scripta, sancta recepit Ecclesia: nunc animum pupùgit ac in mentem venit vitam memorandae virginis nostrae breviter explicare et memoriae scripto commendare, ut ad exemplum hujus se intuentes quaecumque virgines quaecumque verae viduae, perfectae vitae normam arbitrentur conversationem illius. Indignum enim nobis et magis operae pretium digne duximus, ne illi officium subtrahamus oris, cujus providentiâ quotidie alimenta percipimus corporis.

§ 4. Henrico itaque suo, suae castitatis patientissimo semper custode, ubi eam suis virginem, uti transduxerat, in Christo resignavit, ad coelestia quae jugiter suspirabat, gaudia translato, illa se ad Deum, ut semper, totam contulit, ipsum suae castitati, necessitati ac saluti, illum suis ecclesiis, illum filiis quos ei in Christo aggregaverat, praesentem advocare, vigiliis orationibusque instare, die practicam cum Martha, noctu contemplativam cum Maria vitam agere non cessabat. Quanta vero eleemosynarum largitate, quanta orationis instantiâ pro beati conjugis anima desudaverit, in subscripta pagina quam ipsa per se (nam literarum et artium aliarum distinguere auro gemmisque sacras vestes paratissima fuit) composuit et scripsit, quicumque voluerit,

Digitized by Google

agnoscere poterit. « Chunegundis, divina dispensatione solo nomine Imperatrix, specialiter dilectae congregationi in Confugia, quicquid justae convenit dilectioni: Propriae adversitatis sarcinam (veluti aestimo) facilius tolerarem, si vestras res salvas incolumesque existere viderem. Quamvis enim mens procellosis curarum fluctibus undique quatiatur, vestrae tamen recordationis ancora a cordis profunditate non avellitur. Et licet longe remotae ab oculis sitis, ab animo tamen nusquam recedetis. Quis nos separabit a charitate Christi? Casus doloris, an longinquitas remotionis? Quinetiam si amissae facultatis usus concederetur, voluntas haec operis exhibitione comprobaretur. Ipsum tamen modicum quod adhuc Deo volente reliquum tenemus, vestrae commonitioni alienum esse nolumus, ut participatione parvitatis reveletur magnitudo devotionis. Mater namque, si parum habuerit, parum filiis tribuit. Ecce haec modici sumptus munuscula ad refectionem vobis mittuntur carnis, ut animam senioris patris vestri continua orationis alimoniâ reficiatis: quoniam tot justorum preces unanimiter continuatae, apud Deum multum possunt proficere, Jacobo attestante: Multum valet deprecatio justi assidua. Ille etiam atque etiam justus Dominus qui justitias dilexit, aequitatem supplicationis exaudire non respuit: sed vobis indefessis intercessoribus, supradicti chari memoriam facientibus, salutis dabit praemium quod ipse promittit, dicens: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Atque bonum opus in conspectu etiam Dei placitum esse cernitis, si non solum pro illis qui in hac vita positi, multa vobis bona: sed pro illis etiam qui nulla fecerunt, oraveritis. Obsecro ergo, ut eum a cordibus vestris numquam abjiciatis qui vos tamquam proprias amavit, atque hunc locum vestra servitute florere voluit. Estote quoque meae necessitatis memores, semper in hilaritate cordis misericordes, secundum illud Apostoli: *Dilectio sine simulatione* (*Rom.* XII). Necnon vestrae mentes in quamdam mutuae charitatis soliditatem magis ac magis concrescant, quatenus in die tribulationis clamorem vestrum ipsius aures exaudiant qui dicit: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum* (*Matth.* XVIII). Quod vos omni modo promereri hortor, eodem praestante qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum, Amen.»

§ 5. Denique Conrado sibi succedente in regno, ipsa curis secularibus, sicut jamdiu desideraverat, exonerata, jam in ipso anniversario die transitus S. Henrici, archiepiscopos ad dedicationem Confugiensis ecclesiae convocavit: ubi inter Missarum solemnia imperiali decentissime omni ornatu culta, ante principale altare virgo Deo devota processit, ibique thesaurum incomparabilem, ligni videlicet Dominici crucem, parvam quidem in materia, sed maximam in virtute Domini obtulit. At ubi lectio

Digitized by Google

evangelii, in qua super arborem crucis ascendens, conspicientem se Jesum suscipere et ab eo benedictionem pusillus meruit accipere, lecta fuit: regalem purpuram exuens, tunicam fusciorem quam ipsa sibi manibus suis operata fuerat, sacerdotali benedictione data, vestem religionis induit, et multis quidem pro se flentibus, pro illa autem gaudentibus quae jam seculum damnasset in vestibus, capillis qui hucusque in eodem monasterio pro veneratione servantur, praecisis, imposito sibi ab episcopo velo, annulo fidei subarrhata, gratulabunda concinuit: Posuit signum in faciem meam et annulo suo subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus. Ita sponso Christo consecrata, dum filiarum suarum se sanctissimo contubernio applicuisset, non ut mater filiabus se praeferebat, sed omnibus inserviens, servilem personam se ostendebat: ita tamen, ut cum omnia faceret, ostentationem fugeret singulorum, ne reciperet in praesenti seculo mercedem suam. Operabatur manibus suis, sciens scriptum esse: Qui non operatur, non manducet. Sponso suo aut orans loquebatur, aut psallens. Ad ecclesiae limina pene invisa properabat. Nihil severitate illius jucundius, nihil jucunditate severius: tristis in risu, in tristitia suavis: breve vitae spatium aeterna memoria compensabat. Idem illi orationis locus fuit et quietis, idem semper habitus, incultum corpus, dum sciret rejiciendas delicias corporis quod paulo post vermibus exarandum fuit. Semper eam legere aut legentem audire vidisses. Multa illi circa contubernales devotio, frequens decubantium visitatio, solicita pauperum consolatio.

§ 6. Praeterea eam fecisse plura miracula credimus, sed quod gloriam humanam et oleum adulationis semper fugeret, illa voluit esse suppressa: aut certe incuriae hominum, seu revolutioni temporum, non virtutum defectui, deputandum. Unde etiam tanta majestate indigna, scribendi minor materia fuit: pauca tamen quae in scriptis reperimus, vel veridica sanctimonialium, ubi illa pro Christo militabat, relatione cognovimus, hic inserere dignum duximus. Cum post orationis frequentiam, inter lectionis lassitudinem, ancilla Christi in lecto, non plumis extructo, sed cilicio strato, membra sopore gravata remisisset, puella sacra quae de more illi assidebat, sacros codices legens, cum fere ad medium noctis lectionem extenderet, caligantes oculos clausit, lumenque e manibus elapsum, paleas corripiens, suo fragore circumjacentes sorores excitavit. Clamore ex concussu facto, virgo Christi de somno excussa, dum colluctantes inter se flammas circa se adspexit, ad orationis arma se convertit et signo crucis adustionem illam absque omni suarum laesione vestium avertit. Tua haec, Christe, opera qui Babyloniae regem in suo furore confudisti et Babylonios temperasti ignes, ut pueri liberarentur illaesi.

§ 7. Aliud miraculum, tam timendum quam mirandum, huic

Digitized by Google

placuit subjungere, ex quo animi illius constantiam et rigoris severitatem discere poteris. Habuit secum sororis suae filiam, Juttam nomine quam a primis annis educatam, omni disciplinâ, secularium quoque literarum scientiâ instruxerat. Haec materteram, non minus religionis quam dilectionis amore, in monasterio secuta et consecrata fuit. Hanc in omnibus plene instructam, ut ejus in orationibus, vigiliis ac jejuniis perseverantiam et ad omnia patientiam perspexit, omnium assensu et rogatu primam in ipso coenobio eam abbatissam praefecit. Tum virgo mater filiam suscipiens, juxta commonitionem sanctam, jamdudum habitam, praecedentium patrum repetens alloquia, monet ob salutis affectum utilia ac Deo placita saepe dicere, frequenter audire, solitas religiosi itineris vias non deserere, magis magisque errorum dèvia ac diaboli calcare figmenta, nullam luci ac tenebris, veritati atque mendacio, turpitudini atque honestati apud Dei servos docet esse communionem: solicite cavere, ne vana sectando desineret esse templum Dei, ne fieret habitatio tenebrarum, ne fieret daemonis monumentum, lumina sua figere in Dei aspectum: primum quoque docet facere, ut fructum doctrinae suae ipsa in illis, Deo adjuvante, possit invenire. Haec et hujusmodi iterum atque iterum materno studio ei inculcans, quasi in omnibus jam perfectam et ipsa magistram venerari coepit. Illa ubi in immatura libertate posita est, paulatim a rigore suo deficere, meliorem cultum, lautiorem cibum, vitiorum alimenta desiderare: ultima in choro, prima in convivio, puellarum fabulis interesse et in omnibus laxius se gerere coepit. Pro hujusmodi levitatibus dum eam sancta Dei privatim inter se, publice coram omnibus argueret, saepius obsecraret, increparet, nec illa, velut materterae patrocinio aut familiaritate vane confisa, emendaretur quadam die, cum ipsa cum conventu crucem (nam dies Dominicus erat) sequitur, Abbatissa defuit. Quam illa inquirens et epulantem cum coaevis in conclavi reperiens, zelo pietatis armata, cum verbo correptionis dextram maxillam ejus percussit: quae quasi sigillum quoddam formam digitorum accepit qua omni tempore vitae suae non caruit. De quo nimirum facto constat quod non tantum pro se, sed pro aliorum quoque emendatione hoc pertulit, ut hujus rei visio aliis proficeret et ad melioris vitae studium a vitiis suis revocaret.

§ 8. Forte et illud detractoribus fabulosum, et infidelibus ridiculum videbitur, quod sanctitatem illius, quam gratiâ humilitatis ipsa homines latère voluit, elementa loquuntur. Denique cum post lectionem evangelii suo solemni more ad altare quippiam oblatura accederet, dexterae manus suae chirothecam detrahens, cum nullus, qui reciperet, adesset, a se rejecit: quam radius solis per fenestrae rimulas intrans suscepit, et tamdiu quasi famulando sustinuit, donec illa facta oblatione rediens, eam

Digitized by Google

reciperet. Tale etiam quiddam in veste beati Goaris aliquando divina virtute ostensum fuisse legitur: qui dum a sede Rustici Treverensis pontificis despicitur, a summa majestate per majoris luminaris famulatum honoratur. Omnium itaque capax erat meritorum, quae judicem cunctarum meruit habere virtutum. Quindecim in sancto proposito supervixit annos, tam humilitatis gratiâ quam pro religionis reverentia, omnibus admiranda.

§ **9**. Tandem pro nimia ciborum abstinentia, orationis et vigiliarum incredibili perseverantia coepit corpore languescere, et ingravescendo, morbo paulatim deficere: sed dum membra dolore contraherentur exterius, tamen spiritu (quia laus Dei semper in ore ejus) confortabatur interius. Vocabat sanctos angelos, quorum hic vitâ, illic nunc consortio fruitur. Apostolos et confessores, quorum fidem semper et confessionem tenuit, interpellabat. Virginum Christi in suo exitu invitabat chorum, quarum aemulatione in carne dum praeter carnem viveret, immaculatum Christo consecraverat torum: omnium Deo famulantium sibi adesse, sibi occurrere orabat auxilium. Vere, quod scriptum est, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: in obitu tantae virginis vidimus comprobatum. Necdum spiritum exhalaverat, necdum Christo debitam reddiderat vitam, et jam fama volans tanti praenuntia luctus, non tantum sacratas virgines aut diversi ordinis viros, sed et totius urbis populos ad exequias congregabat. Sonabant psalmi, et totam domum, ubi sacrum corpusculum in medio super illo nobili suo cilicio compositum fuerat, in sublime rèsonans litania pro exeunte anima quatiebat. Interim ex more regales tamquam Imperatrici, non ut pauperculae debentur sorori, parantur exequiae: aurea feretro obtendenda proferuntur velamina: cum illa pallentes vultus, quos ante, ut sponso veniente, laetos videres, ad hos retorquere, manu abnuere: « Amictus iste, ait, non est meus: auferte hinc. Ornatus hic, alienus est: istis terreno sponso, et his coelesti sum copulata: nuda de utero matris meae egressa sum, nuda revertar illuc: his miserae carnis vilem materiam involvite, et corpus meum juxta tumulum fratris mei ac domini Henrici Imperatoris, quem me vocantem video, in proprio locello reponite. » His jam dictis, in manum Domini spiritum commendans, carnis sarcinâ abjectâ, ad suum anima revolavit auctorem, et in antiquam possessionem diu peregrinata conscendit, terris matrem communem se amisisse flentibus, coelis autem concivem in suum consortium se suscepisse gaudentibus.

§ **10**. Ita demum sacro illo corpore, feretro supposito, nobilium ordine praeeunte, multis hinc inde confluentibus turmis, cum illo sibi semper familiarissimo pauperum contubernio ad locum praedestinatum sepulturae felices reliquiae usque delatae sunt. Tum vero relictas urbes, vacua rura, desolatas civitates,

Digitized by Google

undique concurrere populos videres, matres parvulos suos in brachiis gestantes, infirmos in grabatis jacentes, sanitatis gratiam sperare, felicem se credere, si cui aut feretro jungi, aut ab ipso contigisset obumbrari. Tandem in ecclesiam B. Petri corpus non sine labore deportatum, triduanas ibi, meritis suis ac beneficiis condignas, habuit exequias: filii, quos ipsa illuc in Christo aggregaverat, de matris pace jam securi, pro se autem soliciti, incessanter psallebant, dum eam sibi ad horam subtractam, sine timore amissionis in spe perpetuae orationis recepisse plaudebant, mater de coelo filiorum prospectans affectum gaudebat. Ita velatum corpus sacrum sacris vestibus, diademate Christi supposito, suo loculo in dextro latere, sicut hactenus veneratur, repositum est.

§ **11**. O felix Bambergensis ecclesia, recepisti thesaurum, quem amiseras: procax et maledica lingua detractorum, occultorum testimonio confutata est: virginitas ejus, rebus approbata: sanctitas clarescentibus signis testata videtur per Christum Dominum nostrum, Christianae religioni proficiens Ecclesia fidelis, quae in Evangelio, voce Domini testante, Dei mater et filia per gratiam nominatur: mater, quia sanctae operationis exemplo filios Domino generat: filia, quia virginis filio, pro salute mundi incarnato, eruditione sanctorum patrum quotidie generatur: salutem missam a Domino, coelestis archiatri effectibus medicinae plenam, jam corporis auribus animadvertat. Mundanae machinae conditor humano generi, per inobedientiam lapso, condolens, ut aeternae vitae fructus facientem novam plantationem, scilicet primitivam Ecclesiam, insereret, patriarchas et prophetas in mundum mittere dignatus est. Qui creditum sibi officium, quinque corporis sensibus, sextoque qui est spiritus prophetiae, mysterium incarnationis Christi, et omnia, quae de ipso annuncianda erant, praedicantes, alii asperitate vitae, alii diversis poenarum mortibus, ipsi quem prophetabant, famulatum suum fideliter impleverunt. Horum limes Christus, aeterni Patris consilio pro liberandis hominibus de intemeratae Virginis utero processit: ut jam inchoatae plantationi, missis per orbem Apostolis, atque de suo corpore fuso cruore fabricatam, novellam superaedificaret Ecclesiam, quae sanctae Trinitatis fide imbuta, et mundata baptismi gratiâ, martyres, confessores et infirmi sexus virgines, animo tamen constantes primitias obtulit. Inter quas B. Chunegundis, flos Bambergensis ecclesiae, cum S. Henrico, qui Romanorum imperium tenuit, sub conjugii specie immortali sponso castae virginitatis honore deservivit. Unde jam ejus sanctitatis merita per orbem manifesta declaratione apparent: quia in loco ubi sanctum ejus corpus quiescit, infirmi, quacumque laborantes aegritudine, sanitatem recipiunt.

Digitized by Google

DE S. PHOCA MARTYRE

EX S. GREGORIO TURONEN. DE GLORIA MARTYRUM CAP. 99

Aetate incertâ. — Nat. Syrus.

Phocas (quoque) martyr, et ipse his martyribus regione conjunctus, apud Syriam requiescit: qui post multas, quas pro nomine Redemptoris est passus injurias, qualiter de antiquo illo serpente triumphaverit, hodieque populis declaratur. Denique si in quempiam in his locis còluber morsum stringens venena diffuderit, extemplo qui percussus est, ut januam atrii, quo martyr quiescit, attigerit, compresso tumore, evacuata virtute veneni, salvatur. Ex quibus nonnulli, ut celebre vulgatum est, jam tumidi malae bestiae ictu, jam toto corpore incrassante veneno, in hoc perflati ut spiritum exhalarent, inter manus delati, et in atrio positi, sunt sanati: nec unquam ob hoc virus obire hominem fas est, si sacrum limen fide plenus attigerit *.

VITA S. COLETAE VIRGINIS

AUCTORE STEPHANO JULIACO, EJUS CONTEMPORANEO. EAM VERO OB NIMIAM PROLIXITATEM LAUR. SURIUS MUTATO STYLO IN COMPENDIUM REDEGIT, SED ABSQUE HISTORIAE DETRIMENTO **.

Vixit a 1380 ad 1447.

§ 1. Mirabilem divinae cognitionis gratiam contulit Spiritus Sanctus, fideli ancillae suae Colètae ***, apud Corbejam in Picardia, patre Roberto et matre Margareta, foemina valde religiosa, editae: idque etiam in aetate tenerrima. Cum enim quadrìma esset, praeter communem naturae usum, coepit ita mentem habere ad cognoscendum Deum perpetim elevatam, ut nullus vir prudens aliqua ratione posset ambìgere, divinitus id illi esse inspiratum. Sicut autem de beatissimo Joanne Domini praecursore legimus, eum teneris sub annis, civium fugisse turmas, et antra petiisse deserti: ita etiam ex ancilla Christi divinae cognitionis multiplici perceptâ gratiâ in annis puerilibus, fugere coepti

* Inspice, Lector, narratiunculam et Notam in MARTYROL. ILLUSTR.
** Adhuc attamen, quam par videretur, prolixiorem et nos denuo contraximus, parvi aut nullius momenti rebus e medio sublatis.
*** Ex *Nicoletta*, apocope adhibitâ cum diminutivo nominis S. Nicolai, foeminae aptato vocabulo.

Digitized by Google

ludos omnes et levitates atque curiositates puellarum, contemnere mundi vanitates et applausus. Etsi autem, sexus infirmitate prohibente non sese abdidit in erèmum, at tamen in paternis aedibus, quoad ejus fieri potuit, plane se gessit solitariam: quemdam sibi parvum dèligens locum, ab aliis separatum, ubi tamque in oratorio accurate sese exercebat in piis meditationibus, in timore et amore Dei, ejusque cultu ac famulatu, crebris quoque orationibus devotis: nec unquam ab illo nisi raro, idque compulsa et invita egrediebatur. Porro coram seculi hominibus mirum in modum verecunda fuit, eisque plane extranea toto vitae suae tempore. Unde quoties aliqua religionis necessitas, vel alia quaevis causa extra monasterium, vel sua privata oratoria eam coëgit exire, coram quibuslibet etiam privatis personis adeo erubescebat, adeo sibi contemptibilis et reprehensione digna videbatur, ut suoipsius judicio nunquam vel dicendo vel faciendo publice quippiam boni, tantum se profectum fecisse existimaret, quantum fecisset, si secum permansisset domi apud Deum et Dominum suum. Solebant interdum puellae coaetaneae eam invisere, et in eam curam diligentissime incumbere, ut secum eam educerent: sed nihil efficere poterant: immo vero sentiens illa plerumque in spiritu illas venturas, studiosissime sese occultabat vel sub lecto, vel alibi, donec cognovisset eas abiisse.

§ 2. Erat quidem corpore parva, aetate juvenis, sed grandaeva ingenti desiderio perfecte diligendi Deum creatorem suum, illumque timendi, illi serviendi fideliter, et sedulo obsequendi, efficiendi ut ab omnibus similiter et cognosceretur, et timeretur, et super omnia amaretur. Erat vitâ et conversatione honesta, matura bonis moribus, sensuum perfecta domitrix, ita ut sensus plane clausos haberet ad omnia, quae conscientiae purissimae aliquam possent adferre labem. Conversatio ejus non tam terrena, quam coelestis videbatur, et angelica potius quam humana, optime morata et religiose composita, nec ulla poterat in ea vel vanitas, vel levitas deprehendi. Omnes ejus cogitationes, dicta et facta omnia, purâ et fideli conscientiâ eo plane intenta erant, ut pro viribus exequeretur, quod gratum esset Deo, et proximos aedificaret et ad pietatem invitaret. Ita fiebat, ut plerique admodum religiosi homines non temere colligerent, pretiosum virtutis et gratiae thesaurum in ea latère, quem Deus mitteret in mundum, ob exhortandos et excitandos miseros peccatores, ut vitae in melius commutandae sèdulam navarent operam. In eo enim, quem diximus, loco solitario, continue macerabat et mortificabat tenerrimum corpusculum suum, sobrie et parce ac duriter illud habendo, in duris cubando asseribus: unico contenta eoque vili operimento, et carnem nudam nodosis stringens chordulis. Fuit vero eleganti corporis formâ, venusta facie, et imprimis grata atque amabilis, tametsi illa semper, dum fuit in corpore, et

Digitized by Google

intus et foris turpissimam et vilissimam se existimavit. Apparebat in ejus facie albèdo rubore permixta, sed multo tempore id illa ignoravit. Ubi autem id ei indicatum est, valde doluit, oravitque Deum, ut eam pulcritudinem tolleret. Exaudita est a Domino, et rubèdo abscessit: at tamen cunctorum oculis grata fuit, et quam omnes videre et audire cuperent. Mirabantur autem multi insignes homines tantum corporis decorem cum tam excellenti virtute in tantilla puella apparere.

§ 3. Parentes quidem ejus, valde studiosis pietatis et operum misericordiae, cum filiam suam unicam didicère tam sanctam ducere vitam, atque in ea perseverare, non mediocriter obstupuere, et pro tanto ejus beneficio laudes ei et gratias egerunt: atque illius crebris exhortationibus incitati, uno animo constituerunt diligenter vitare quicquid offenderet Deum, animaeque conservare puritatem, ac de virtute in virtutem prògredi. Ambo autem isti comiter permittebant parvulae filiae Coletae ut faceret, quicquid coelitus ipsi esset inspiratum. Sed cum multi, satanâ eos instigante, carperent hoc nomine parentes virginis, dicerentque tantillae puellae id permittendum non esse, pater ejus non semel constanter respondit: « Plane mihi persuadeo, filiam meam nihil facturam, nisi quod bonum sit. » Coleta vero dolebat tam multam patri suo ob staturae suae parvitatem exhiberi molestiam. Itaque in peregrinatione quadam orans in templo, inter alia sic dixit: «Vis ne Domine Deus, semper me tam manere corpore pusillam? » Finitis precibus, confestim sensit aliquid sibi ad magnitudinem accessisse, majoremque rediisse domum, quam fuisset ante susceptam peregrinationem. Facta vero est inde etiam animo robustior, ita ut plane statueret gratiam divinitus sibi collatam etiam ad aliorum utilitatem conferre. Permisit igitur liberum ad se accessum permultis bonae indolis puellis et virginibus atque etiam spectatis mulieribus, cum quibus loquebatur de rebus salutaribus, de perfectissimo erga nos Dei amore, de profundissima benignissimi Salvatoris humilitate, de ineffabili passionis et mortis ejus acerbitate: hortabaturque eas accurate et efficaciter, servire Deo animis promptis atque devotis, ejus praecepta servare, mortiferas culpas omnes prorsus vitare, fugere vana mundi gaudia, a carnalibus oblectamentis abhorrère, èaque execrari. Quantus autem ejusmodi sermonibus consecutus sit fructus, vel inde satis liquet, quod multae virgines et viduae, contemptis facultatibus, monasticam vitam complexae sunt. Pleraeque etiam junctae matrimonio, ad meliorem sese frugem receperunt, in eo statu fideliter et salubriter sese deinceps gerentes.

§ 4. Virtutes absque humilitate nomen suum tuèri non possunt: nec aliquam animae coram Deo afferunt dignitatem, si sint humilitate destitutae. Hanc igitur virtutem et altissime habuit in suo corde defixam Coleta virgo, et in ejus dictis atque factis per

Digitized by Google

omnem vitam eâ reluxit. Nam tametsi ab infantia mirabili fuit conscientiae puritate, at tamen semper, dum vixit, se coram Deo et hominibus vilem, sordidam et abominabilem, etiam quibusvis peccatoribus deteriorem et sensit et affirmavit. Sentiebatque propter ejusmodi culpas et defectus suos indignam se esse vitae monasticae professione. Interim vero pro Christi amore, qui ineffabili humilitate voluit esse minister noster, valde cupiebat inservire quibusdam religiosis foeminis, Deo pure et fideliter famulantibus. Atque eâ causâ, cum adhuc saeculari uteretur habitu, ad quoddam abiit monasterium ejusmodi foeminarum, eisque suam obtulit operam et officia. Sed Dominus, qui ad sublimius vitae genus eam elegerat, non permisit eam in ea servitute diu permanere. Nec tamen illud serviendi desiderium hac ratione in ea extinctum est, sed auctum potius: adeo ut cum non ignoraret divinitus se destinatam esse, beatissimo patre Francisco id impetrante, reformandis monasteriis illius, plane constituerit ob suam, ut putabat indignitatem et inhabilitatem, ipsum adire summum Pontificem, eumque rogare, ut monasteriorum S. Francisci reformandorum curam susciperet, sibique suo diplomate potestatem faceret inserviendi religiosis atque reformatis virginibus Clarissis. Et impetravit illa quidem diploma Pontificis, sed longe diversum, quam putarat. In eo namque appellata et instituta fuit domina mater et Abbatissa totius hujus Reformationis, tametsi id ipsa ignoraret. At nihilo minus illa toto vitae suae spatio se subditam et ancillam totius Ordinis illius nominavit.

§ 5. In literis quidem suis ita subscribere solebat: Inutilis sèrvitrix, et indigna oratrix. In constitutionibus vero ab ipsa, pro accuratiori observatione monastici canonis, collectis, semper se dicit sororem Coletam parvam, et ancillam, et indignam servitricem Domini nostri, pauperem et inutilem religiosam Ordinis S. Clarae: nec unquam permisit quicquam vel dici vel scribi, quod in ipsius laudem vel commendationem cederet. In principio enim reformationis monasteriorum sive Ordinum beatissimi Francisci, in quibusdam precibus, quas pro illa fundebant ad Dominum, tum fratres, tum sorores eam, ut par erat, Matrem appellabant. Quod ubi illa percepit, nullo pacto tolerare voluit, sed ut simpliciter sororis nomine appellaretur edixit. Inter alios adjutores, virtute conspicuos, quos Dominus in reformationis hujus initio ei adjunxit, fuit etiam pater venerabilis Henricus de Balma, vir magnae religionis et integerrimae vitae. Is cum multa sciret prae caeteris de occultis ejus donis et charismatibus specialibus, clam ea in scripta redègit, ne oblivione perirent. Sed id ea Spiritu Dei revelante non ignorans, nec se laudari sustinens, accitum illum acriter reprehendit, asserens se plane et esse et existimari debere magnam peccatricem, quovis etiam opprobrio et ignominiâ dignam. Itaque libellum sibi exhiberi jubet, totumque

Digitized by Google

flammis exürit. Immo vero etiam ipsi Deo, multa ei secreta revelare volenti, sic ipsa respondit: «Domine Deus, sufficit mihi te solum cognoscere, et peccata mea, eorumque abs te venian obtinere.» Porro totius instituti Franciscani generalis Minister ab ea admonitus, quasdam pro toto illo Ordine constitutiones praeclaras et utiles composuit, utque accuratius servarentur, quasdam Coletae laudes admiscuit. Quae licet non modo utiliter, sed etiam necessario adjunctae essent pro totius Ordinis salute, at illa tamen, quoties eas ipsa praesente recitari oportebat pro communi omnium fratrum et sororum salute, non potuit sine animi multo dolore eas audire.

§ 6. Sicut autem ille humanum et familiarem se praebuit miseris peccatoribus: ita et Coleta, quamvis summe abominaretur peccata omnia in Deum admissa, numquam tamen abominata est peccatores, cujuscumque illi vel sexus, vel professionis essent, commemorans propter illorum salutem Christum descendisse de coelis, seque in eorum numero repònens. Itaque semper illos in Domino confortabat, humanissime adjuvabat, ingenti benevolentiâ prosequebatur. Quo fiebat, ut multi peccatis implicati ad eam fidenter accederent, eique permulta sua immania flagitia referrent quae nulli unquam exposuerant. Illa vero tam comiter eos audiebat, tam efficaciter admonebat, ut et Deum et peccata sua agnoscerent, et ex animo vellent agere poenitentiam.

§ 7. Ubi vero comperit summum Pontificem velle, ut Abbatissae obiret munus, tametsi initio non habuit coenobia, et postquam ea habuit, non tamen ita ut par erat, clausa fuere, et multa in eis visebantur offendicula quae labendi occasionem praebèrent: his tamen non absterrita, eâ sedulitate et industriâ illud coluit Abbatissae munus, ut ad Dei gloriam, et Ordinis sui profectum omnia prospere succederent absque confusione et perturbatione. Interim semper illa ajebat se nihil umquam boni fecisse. Porro ubicumque eam praesidere oportuit, sive in Capitulo, ut vocant, sive in refectorio, vel alibi, tanto corripiebatur timore ac tremore, acsi summus ille coram adesset judex, cujus et praesentiâ se judicabat indignam, et absente illo prorsus non dignam quae quovis modo aliis praesidèret. Semper igitur tam publice quam privatim ultimum sibi delègit locum, et cum sola esset, non fere nisi aut flexis genibus, aut humi residere visa est, tanto perfusa lacrymarum imbre, ut et cibus et ipsa lacrymis madère viderentur. Aliquoties ob incidentem morbum solebat uti cujusdam sanctimonialis operâ ad dicendas preces horarias, et alia quaedam pietatis exercitia absolvenda: sed tum omnibus se inferiorem censens, potius novitiam quadam sibi adhibebat et simplicem, quam professam et doctam: eamque voluit et inchoare divina officia, et etiam concludere, se indignam arbitrans quae id faceret.

§ 8. Prius autem, quam monasticum indueret habitum, cum

Digitized by Google

multa humilitate conferebat subsidia in pauperes, variasque suis manibus praestabat egènis eleemosynas. Sedens in paterna domo ad mensam, si audivisset mendìcos, surgebat a mensa, porrigebat eis ex optimis cibis perquam familiariter et benigne, edebatque libenter et bibebat cum eis, omni horrore contempto et proculcato. Si adesset opportunitas, alacriter etiam pedes illi abluebat, tergebat et purgabat ulcera, maxime si esset sola cum eis, non dubitans se Christo facere, quicquid illis fecisset.

§ **9**. Fuit vero etiam obedientiae virtus eximia in ea. Nam quemadmodum Apostoli Christum vocantem prompte secuti fuere, ita et illa ad primum Sancti Spiritus instinctum libenti animo se obtulit ad complectendam vitam monasticam. Et primo quidem assumpsit tertium beati Francisci Ordinem, inclùdens seipsam ultro in quodam angusto habitaculo, quod inclusorium vocant, conjuncto cuidam aedi sacrae, ita ut posset audire Missas, et percipere sacratissimum Eucharistiae sacramentum. Utque commodius his potìri posset, quidam Franciscanus ad eam a Deo missus est, vir sane bonus et praeclare eruditus, regulae monasticae strenuus cultor. Ille ergo introduxit eam solemni ritu in illud inclusorium, cum prius bene et diligenter instruxisset eam de omnibus agendis, multasque ei adhibuisset consolationes et consilia saluberrima, optimasque institutiones quae numquam deinceps ab ejus memoria exciderunt. Huic venerabili viro Dominus revelavit immanes dolores et labores, quos Coleta pro ejus amore et animarum salute ferebat, maxime pro reformando statu monastico, cui tota vita sua continuis exercitiis valde intenta fuit. Illa vero praedixit in inclusorio obitum hujus viri qui postea ei quotannis semel apparere solebat specie elegantissima, et in multa gloria. In illo inclusorio mansit ea annis quatuor, vixitque in eo sobrie, valde duriter et aspere se habens, horrido utens cilicio, tribus catenis ferreis stringens corpus tenerum quae mire cruciabant carnem ejus, humi cubans, capiti suppònens pro pulvinàri truncum ligneum. Id genus exercitiis adeo edomuit corpus suum, ut ad omnia promptissime spiritui obedire videretur, pravis cupiditatibus plane extinctis et mortificatis. Praeter haec autem certis horis in preces et meditationes incumbebat, officiaque charitatis, miseros peccatores exhortando, et e teterrimo vitiorum carcere satanaeque laquei educendo, atque ad Deum reducendo. In omnibus autem exhortationibus suis primo agebat de Dei et sanctae Ecclesiae praeceptis accurate observandis. Porro etiam ante susceptum monasticum habitum superiorum jussa et dictis et factis exequenda declaravit.

§ **10**. Quid vero post monasticae vitae professionem senserit, ex his, quas subjicimus, ejus constitutionibus facile poterit animadverti: * « Sorores meae, inquit, multum diligenter advertere

* **Haec ad verbum sunt ut a sancta Coleta conscripta.**

Digitized by Google

debetis, quàtenus quandocumque per superiores aliquid mandatum sive prohibitum fuerit, nullatenus utamini vestro proprio sensu, seu propria voluntate, nec propriis consiliis: sed magis prompte et voluntarie pro amore Domini nostri Jesu Christi (qui permanens inter nos inferius in terra, cuncta fecit conformiter ad voluntatem Patris coelestis), debetis obedire, vosque submittere voluntati et determinationi vestrae praesidentis. Nam melius est, proprios sensus, et propriam voluntatem, ac propria consilia pro Dei amore relinquere, quam omnes mundi divitias acquirere, sensu proprio cum sua voluntate retentis. Nec credo aliquam viam fore latiorem, nec quae facilius ducat in aeternam damnationem, quam sit propria voluntas: nec aliquam ex opposito breviorem ad vitam sempiternam, quam sponte renunciare illi. Quapropter exhortor et moneo vos ob reverentiam Domini nostri Jesu Christi qui in hac valle miseriae a principio vitae suae, usque ad finem suae amarissimae, dolorosae seu acerbissimae passionis obedire voluit indesinenter Patri suo, quatenus vestris superioribus prompte et libere velitis obedire, praetermissa qualibet ostensione rebellionis, contradictionis seu excusationis cujuscumque.» Haec illa.

§ **II**. Oblata ei quandoque fuit visio terribilis, in qua omnium cujuscumque generis hominum peccata, et quas propter ea et lùerent, et luituri essent, poenae, itemque multa alia ei perspicue revelata fuere. Ex earum autem sane horribilium poenarum contemplatione tantus eam invasit tremor et horror, ut continuis octo diebus semper sibi videretur praeceps ruitura in illas immanissimas poenas et cruciamenta. Tandem post visionem illam sibi restituta, in media fenestella habitationis suae conspexit ferrum transversum, idque tantâ vi manu comprehendit ut aegre post longum spatium inde eam amovere potuerit, usqueadeo eam pervaserat ille cadendi timor. Mansit autem haec visio animo ejus penitus impressa usque ad supremum vitae diem. Quod autem viderat tam multa in divinae majestatis injuriam admitti peccata, inde longo tempore dolorem concepit vehementissimum et pene intolerabilem, fundebatque nocte ac die preces ferventes atque speciales omnipotenti Deo, ut miseros peccatores ad se converteret: nec est fraudata desiderio suo, Domino ei revelante, quod tandem fieret id quod petebat. Vidit enim in visu beatissimum Franciscum ipsam exhibere Christo coram ejus sanctissima matre et beatissimis Angelicis spiritibus, rogareque ut ipsam donaret sibi reformatricem Ordinis sui, et cujus operâ potissimum converterentur miseri peccatores, quos jam ante in visione conspexerat. Porro Christum libentissime annuere S. Francisco. Ex ea autem visione etsi mirifice laetata est ob peccatorum conversionem, at tamen valde doluit, se primariam a Deo et beata Virgine ad id negotii designatam. Putabat enim se prorsus indignam et inidoneam, nec facile potuit suum ad hoc accommodare

Digitized by Google

assensum, Domino autem suam ei voluntatem indicanti objiciebat suam ruditatem et ignorantiam, tum quod vovisset se non exituram de inclusorio suo, tum etiam quod vereretur daemonis illusionem ejusmodi visionibus sese admiscère. Cumque perplexa foret hac in parte, statuit ad preces se conferre et consilia sanctorum hominum, quos noverat et vitae sanctimoniâ et multâ doctrinâ pollentes. Quod cum fecisset, ii omnes uno ore hortati sunt eam, ut intrepide consentiret. Ut autem certior esset Deum prorsus velle ipsâ tanquam instrumento in hac reformatione Ordinis et peccatorum conversione uti, primum omni loquendi facultate triduo privata est, et rursus triduo oculorum lumine orbata, donec divinae consentiret voluntati. Quod ubi fecit, et loqui et videre potuit. Coepit igitur verèri, ne Deum offenderet, si pergeret esse difficilis ad consensum. Quamobrem totam se in suis precibus divinae permisit voluntati, attamen id orans, ne primae partes ipsi attribuerentur. Simul autem atque assensit, coelitus ei infusa est perfecta cognitio eorum omnium quae illi reformationi essent necessaria quae illa breviter in chartula quadam annotavit. Adjunxerunt autem se illi paulo post non pauci strenui adjutores, in quibus fuit etiam is, quem supra diximus, Henricus de Balma, professione Franciscanus qui ejus fuit confessarius, vir magnae perfectionis, a teneris annis timens et amans Deum, rudis quidem et imperitus rerum temporalium, sed in divinis et spiritalibus bene versatus, erga peccatores humanus et misericors. Saepe de illo testari solebat Coleta, numquam ad eum accessisse quantumvis impium peccatorem qui non esset consolatione affectus. Quam multos autem utriusque sexus peccatores ille ad Deum et monasticae religionis professionem adduxerit, soli Deo notum putamus. Os illius pene semper divinis affluebat sermonibus. Permultos aegros, variis affectos morbis, solo crucis signo curavit. Et ut paucis multa complectar, vita ejus coelestis potius, quam terrena videbatur, ita ut posset dicere et ipse cum Apostolo: *Nostra conversatio in coelis est (Philip.* III).

§ **12**. Cum hoc autem venerabili viro decrevit Coleta conferre se ad Benedictum (*a*) qui tum in Galliis pro summo Pontifice se gerebat. Ut vero id fieret expeditius, quaedam illustris matrona divinitus permota venit ad Coletam, Corbejae in suo inclusorio degentem: ejusque sermonibus adeo incensa et animata est, ut promptissimam offerret operam suam ad impetranda ea quae Coleta petebat. Itaque brevi id effecit, ut licèret ei ex inclusorio egredi, quod tam multis modis diabolus conatus erat impedire. Deinde obtulit se ad deducendam eam ad Benedictum Pontificem, atque inde reducendam. Quam ejus insignem liberalitatem et

(*a*) Benedictus XIII hic fuit, Antipapa, cui, in longo schismate saeculi XIV, Galliarum, Castellae et Siciliae Regna, mortuo pseudopontifici Clemente VII, Avenione suffecto adhaeserunt, caeteris Pontificem salutantibus, Romae legitime renunciatum, Bonifacium IX.

Digitized by Google

benevolentiam Coleta gratissimam habuit. Duxit ergo eam ad Pontificem non sine multis eximiae humanitatis officiis. Qui autem ex familia illius comites se itineri adjunxerant, multum delectabantur praesentiâ Coletae virginis, sentiebantque se divinitus et vires et consolationes accipere. Erat enim inter illos Coleta tanquam totius sanctitatis exemplar, sacrisque institutionibus suis inflammabat animos eorum, incitabatque ad ferventer amandum et pie timendum Deum, ad illi humiliter serviendum, ad vitanda peccata, ad observanda praecepta Dei. Quibus verbis magnam vim addebant gestus ejus honestissimi et conversatio coelestis: qua fiebat, ut non tam hominis, quam angeli speciem referre videretur. Cogebant autem illam interdum, miserati ejus teneram juventutem, equo insidere *. Sed illa simulatque insedit jumento, adeo se dabat sanctis meditationibus, ut mentis ecstasim pateretur, nec quicquam adverteret ex his quae vel dicerent vel fierent ab aliis. Nec tamen corpore vacillabat, sed ita sedebat erecta et immota, acsi ab angelis, quod nos non ambigimus, sustentaretur.

§ **13**. Postquam autem Niceam venit Coleta, ubi tum Pontifex morabatur, eam ut vidit Pontifex, clementer eam intùitus, accessit propius et crumenulam ab ejus zona pendentem sua manu abstulit, in qua erat chartula, cui inscripserat Pontifici proponenda. Eam ille legit, cognovitque totum ejus negotium. At nihilo minus illa quoque ore suo exposuit ei causam itineris sui et quid expeteret. Duo autem potissimum ab illo petebat, ut licèret ei S. Clarae amplecti institutum et ut reformaretur Ordo S. Francisci. Visa sunt ea Pontifici rationi consentanea, sed quod non deessent qui contradicerent, distulit assensum in aliud tempus. Et ecce pestis saevissima invadit eam urbem, moriunturque subito inter alios quidam ex iis qui vel maxime negotium illud differendum censuerant. Quae res apud homines non stupidos id effecit, ut existimarent id accidisse propter injectas ancillae Dei moras, ejusque preces in longum tempus rejectas. Et Pontifex sane iis quae quotidie fiebant permòtus, noluit eam protrahere diutius: sed ad se accìtam, coram multis et ecclesiasticis et laicis, cum prius prolixe commendasset vitam Evangelicam quam illa profiteri volebat, eam recepit ad professionem instituti S. Clarae, ejusque capiti suis manibus velum imposuit et eam fune cingens, atque etiam consecrans, Abbatissamque constituens earum omnium sanctimonialium quas ipsa reformatura esset, vel quae sub ea se darent vitae monasticae quam Clarissarum vocant. Ad extremum hortatus est eam, ut prudenter ageret, vota Deo nuncupata fideliter praestaret, atque semper seipsa melior fieri conaretur. Obtulit quoque ei liberaliter ad omnia opem suam et confessario ejus eam commendans, jussit ne unquam illam desereret: denique suam ei et omnibus itineris sociis benedictionem

* Niceae ad Varum degebat tunc Benedictus. Agebat Coleta annum 28.

Digitized by Google

impertiit. Major deinceps a plerisque ei reverentia praestita est, maxime quod a multis Mater appellaretur. Illa vero scire volens quid hoc sibi vellet, ut audivit Pontificem eam Abbatissam creasse, mire doluit, nec aliud sibi persuadere potuit quam se nihil differre a caeteris monialibus, nec Abbatissae munus habere. Sed tamen tandem ea de re certior facta, humiliter et instanter petiit a Pontifice, ut ab eo officio ipsam absolveret. Ille vero respondit: « Quod factum est, factum sit, et factum erit, et factum remanebit. »

§ **14**. Postquam autem a Pontifice recessit, coepit diligenter in eam curam et cogitationem incumbere, ut quod ab eo jussa erat, executioni mandaret. Sed teterrimus daemon tam praeclaros conatus ferre non sustinens, unde colligebat copiosissimos animarum prodituros fructus, molestissimas et prope intolerabiles tum per se, tum per administros suos ei persecutiones intulit, ita ut omnis generis mortales, etiam illi qui prius ei faverant, eam totis viribus oppugnarent, vocarentque eam veneficam et daemonum cultricem : eoque rem perducerent teterrimis obtrectationibus suis, ut nemo eam auderet hospitio recipere : atque ita cogeretur illa, relicto natali solo, alio commigrare. Sed non deerat ancillae suae Christus. Humanissime enim excepta est a Blancha Comitissa Gebennensi quae ut ejus adventu impense laetabatur, ita exhortationibus illius multum profecit in cognitione Dei et propriae conscientiae expurgatione : nec facile deinceps cum suis ab ea voluit separari. Utque eam posset sibi conjunctiorem habere, permisit ei et comitibus ejus dimidiam castri sui Balmensis partem, in quo ipsa morabatur. Ubi tum humilis ancilla Christi primum coepit exercere munus suum, diligenter observans et ab aliis curans observandum S. Clarae institutum. Mansit autem ibi, donec monasterium Bisontinum * collatum est ei a Pontifice. Ad quod quidem monasterium honorifice deduxit eam Blancha Comitissa cum nepte sua quae postea nupsit Comiti Palatino et Bavariae duci. Erat tum ibi vir quidam nobilis, timens et amans Deum qui constanter affirmabat, se circa Coletam vidisse mirificum quemdam splendorem, quoties eam intùitus esset. Porro Comitissa Blancha etsi corpore tum recessit a Coleta, ut tamen ostenderet suum erga eam studium et amorem, voluit ut postquam e vivis excessisset, in aliquo Coletano monasterio corpus suum humaretur; quod etiam factum est; condita est enim in sacello, a fundamentis extructo ab ejus supra dicta nepte, Bavariae ducissa, in monasterio S. Clarae Poliniacensi.

§ **15**. Coleta vero post illius discessum strenue perrexit in Evangelica observanda regula, uti jam in ejus castro inchoaverat. Erant tum adhuc paucae sorores cum ea, sed agente spiritu Dei, brevi permultae nobiles, perfectae et Deo devotae

* Coenobium, *Urbanistarum* dictum, Vesontione, Burgundiae oppido, gallice *Besançon*.

Digitized by Google

foeminae undique ad eam confluxerunt, sanctae religionis habitum ab ea petentes. Quas illa examinans, admisit quas putavit idoneas. Ita parvo spatio multae se illi adjunxerunt, coactaque est propter ingentem multitudinem augère coenobia tum fratrum, tum sororum. Ut enim in supra memorata visione terribili ostensum ei erat, ex omni fere hominum genere, a quibus gravissime offensus erat Deus, ad S. Francisci Ordines tres seu tria instituta se multi contulerunt, acturi poenitentiam et Deum sibi conciliaturi. Quod utique fiebat operâ Coletae virginis, quemadmodum satis testantur monasteria in diversis regionibus, in Germania, Francia, Burgundia, Sabaudia et alibi eâ agente extructa, vel reformata. Si qui vero essent qui justis rationibus impediti, tale vivendi genus suscipere non possent, animo tamen valde conjuncti fuere Coletae, atque ejus reformationi non solum egregium favorem, sed etiam non mediocre studium et opem attulerunt. Complures sane spectata nobilitate foeminae, divitiis, honoribus et stemmatibus contemptis, S. Clarae institutum ultro amplexae sunt. Et quod his majus est, multi sexus utriusque ex omnibus monasticis ordinibus, permissu superiorum suorum, ad Coletana monasteria sub perfectioris vitae praetextu se transtulerunt.

§ **16**. Quam autem grata fuerit Deo Coletana reformatio, quamque ejus sectatoribus salutaris, quodam ille signo evidenti ostendit Coletae ancillae suae. Cum enim aliquando conferret cum quodam e confessariis suis de iis rebus quae huic reformationi, opportunae et necessariae videbantur, cernente patre illo, caelitus in ejus brachia delapsus est funiculus quidam, miro confectus artificio, instar nivis candidus. Quem illa reverenter accipiens, explicavit, nihil tamen neque verbo, neque signo cuiquam indicans. Potest autem per eum funiculum accipi status ille Reformatorum, funiculis se cingentium: per candorem, munditia corporis et animae atque conscientiae qua debent esse praediti: per id quod coelitus lapsus est, gratum esse Deo hunc statum, ejusque professores, imprimis vero ipsius reformatricem.

§ **17**. Sanctae paupertatis virtus quam chara fuerit Filio Dei, propter nos incarnato, ex Evangelio potest animadverti. Eam etiam sui instituti fundamentum esse voluit beatissimus pater Franciscus, Christi et Apostolorum ejus sectator ardentissimus. Coleta quoque virgo prudentissima ab initio usque ad finem impense eam amavit, ejus studio facultates omnes pauperibus elargita est, tantoque zelo eam semper coluit, ut ab eo tempore quo ad Evangelica consilia sectanda vocata fuit, numquam deinceps, quantumvis magnum urgèret gelu, alias habere vestes voluerit, praeter habitum vilem, eumque refectum, tunicam unam non suffultam, sed simplicem, palliumque simplex. Atque hoc habitu uti voluit non prorsus novo, sed vel partim, vel ex toto e panno

Digitized by Google

veteri consùto et crebro ab aliis usurpato, partim consumpto vel lacero. Accidit quandoque, ut propter frìgoris nimiam acerbitatem, sorores prae commiseratione tunicae ejus manicas ipsa ignorante duplicarent. Id ea sentiens, abhorruit, nec eâ tunicâ porro uti voluit, donec esset ablatum id quo suffulta erat. Calceis neque sana, neque aegra, neque vel domi vel foris unquam usa est, semper et ubique nudis gradiens pedibus: immo nec igni eos admovit unquam, quantumvis saeviret hyemis asperitas, nec ignem, praeterquam candelam, ferre potuit, vel aspicere. Vela et capitis tegumenta ei erant humilia, simplicia et abjecta: plusque delectabatur iis quae essent pluribus locis resarcita. Modico stramine pro lecto utebatur, simplici quodam tecto operimento, ad caput posito sacculo paleis pleno. Et tamen in his ipsis aut parum, aut nihil quiescere videbatur. Quantumvis autem vel necessitas, vel adversa valetudo urgèret, numquam in lecto cubare voluit, nec uti pulvinàri: immo vero cum in extrema decumbenti aegritudine qua Domino spiritum reddidit, pro aliquo laboris intolerabilis levamento appositum fuisset ad caput pulvìnar exiguum et illa id sensisset in spiritu (oculos enim penitus clausos habebat), innuit evidenter, ut id amovèrent. In plerisque autem monasteriis ejusmodi erant extructa oratoria, ut in iis vix se posset erigere, atque in iis illa libentius morabatur et majoribus fruebatur consolationibus. Hortabatur autem sorores, ut instar Domini Jesu qui non habuit ubi caput reclinaret suum, simplicibus essent contentae habitationibus quae necessitati sufficerent, curiositatem nullam prae se ferrent. Et ipsa quoque libentius manebat in parvis monasteriis et in pagis quam in amplis coenobiis et urbibus. Si esset in itinere, molestum ei erat rècipi in cubiculo sublimi et lato: immo prae terrore vix ausa erat sustollere oculos. Ad novum veniens monasterium si quid vidisset paupertati contrarium, ferre non potuit, donec destrueretur.

§ **18**. Ab ipsa infantia misericors et benigna fuit erga pauperes et ea crevit cum illa, donec abiret e vita. In pueritia scholas visitans, jentaculum a parentibus ipsi datum, caeteris parvulis distribuebat. In paterna domo si qua esculenta clam reperisset, quoad licuit, pauperibus erogabat. Postquam patrimonium suum satis lautum et copiosum distribuit, nihil unquam inde sibi usurpare voluit, nisi quantum plane necessarium esset vel tegendo simpliciter corpori, vel divino officio devote persolvendo. Si vidisset fratres aut sorores re necessaria indigère, ex iis, quae ei donata erant, libentissime eis impertiebat, puta, vestes, libros et id genus alia: ita ut crebro etiam manicas a suis vestibus resectas, aliis daret: reponens illarum loco alias alterius coloris. Adeo autem solis necessariis volebat contentos esse et fratres et sorores, ut quoad fieri posset, ipsa interesse vellet, cum scinderentur panni, e quibus vestes illorum conficiendae erant.

Digitized by Google

ne vel longitudine vel latitudine a paupertate discreparent. Et exiguas etiam panni particulas quae supererant, diligenter colligebat et ab aliis colligi volebat, ut ubi necessitas posceret, adhiberi possent. Videre sane licuit in ejus vestibus interdum vel centum ejusmodi particulas insùtas. Etsi autem vel maxime cuperet habere libros, cultui divino necessarios, eosque etiam ex diversis regionibus conquireret, ut divina officia perfectius persolverentur: at tamen cum ei crebro a potentibus et opulentis hominibus pro ipsius usu dati essent, quamvis necessarii ei essent, libenter eos et liberaliter aliis impertiebat, atque etiam donabat, ita ut ipsa cogeretur ab aliis libros accommodato accipere, unde preces Canonicas persolveret. Compertum est id in extremo vitae ejus tempore. Hujus enim pretiosissimae margaritae, nempe sanctae paupertatis, longe illa fuit appetentior quam quivis avarus opum terrenarum : quod etiam de beatissimo Francisco legitur.

§ **19**. Nec vero unquam vel extrema paupertate eo potuit àdigi, ut vel tantillum divinae benignitati diffideret. Nihil enim haesitabat illam abunde tum sibi tum suis res necessarias suppeditaturam, si fideliter starent promissis monasticis; id quod etiam mirà saepe experientià probatum est. Accidit quandoque, ut quibusdam locis ingens hominum armatorum copia sic omnia terrore compleret, intolerabili illatà vi, ut nullus vel e castris, vel ex urbibus, vel e pagis aut posset aut auderet ègredi. Itaque fratres qui curam gerebant pauperum Clarissarum, ut vocant, in iis locis degentium, tametsi summe indigebant rebus necessariis, non tamen propter illos milites ausi erant egredi ad petendas eleemosynas. At nihilo minus confidebant tum fratres tum sorores, quemadmodum Coleta docebat, non defutura necessaria iis qui pro viribus solverent vota sua. Et ecce adest confestim vir albis indutus, ignotus omnibus, afferens saccum panibus candidissimis et elegantissimis refertum, quorum erat sapor gratissimus, quique toti sufficerent monasterio, donec aliter Dominus eis provìdit. Vir autem qui eos attulit, mox ab eorum oculis evanuit.

§ **20**. Contigit quandoque dispensatricem monasterii, quibusdam indigentibus vinum haurire. Interim vocatur signo tintinnabuli a Coleta matre. Currit igitur celeriter, non clauso epistomio. Interim vinum omne e vase effluit. Illa sentiens se non clausisse os epistomii, postquam locuta est Coletae, redit pròpere ad dolium, illudque plane vacuum comperit. Magno igitur moerore affècta, cum nihil jam superesset vini, adit Coletam, edicitque culpam suam. Coleta cernens eam summe afflictam, « Vade, inquit, filia et nihil haesitans hauri mihi vinum. » Illa dicente, nihil relictum vini in vase, rursus ait: « Abi in nomine Jesu Christi, abi fidenter: » Paret illa et ecce vas rèperit vino praestantissimi saporis redundans. Jubere aliquando Coleta voluit pro

Digitized by Google

fratre quodam satis indigo scindi pannum, unde ei vestis pararetur. Sed cum eâ causâ accersiisset fratrem Andream, bonum sartorem, ostendissetque illi pannum, respondit ille, pannum non posse sufficere vesti conficiendae, etiamsi ei integra ulna addatur. At illa subridens, fidenter ait: « Abi, frater, et ora Deum. Inde redibis ad me et utrinque extrahemus pannum, si forte possit fieri longior.» Orat frater, redit ad Coletam, ea praesente scinditur pannus et nedum satis multus est, sed et intantum excèdit, ut oportùerit de veste inde confecta aliquid auferre quod et longior et latior esset quam ferret sancta paupertas.

§ **21**. Castitas virtus gratissima est, mire animum exhilarans, eumque Deo proximum efficiens. Eâ non mediocriter ornata fuit Christi ancilla Coleta toto vitae suae tempore. Nam etsi valde òderat omne vitiorum genus, speciatim tamen abominabatur peccata carnalia: utque ea facilius vitaret, arctissime servabat sensus corporis, tamquam januas vel fenestras, per quas facile irrèpit mors: nec unquam totâ vitâ suâ vel vanae delectationi, vel carnali concupiscentiae assensum praebuit, sed ab ipsa infantia cor suum omnino castitatis studio addixit et dedicavit, adeo ut numquam quisquam in ea percipere potuerit signum aliquod impurae cogitationis: nec unquam verbum aliquod leve aut inhonestum pròtulit ore suo, sed semper verba plane honesta et sancta quae coelestem ejus declararent conversationem et proximis sàlubrem afferrent aedificationem. Potest sane illa numerari inter purissimas virgines. Nam et corpus ejus tam erat formosum et omnis maculae expers quoad supervixit, ut integerrima virginitas cum puerili innocentia et simplicitate ex illo mirifice relucèret. Etsi enim in iis quae ad Dei honorem et animarum salutem pertinebant, esset prudentissima, at tamen in carnalibus et mundanis rebus instar parvuli simplex et innocens fuit. Quo fiebat, ut libenter adesset parvulis, eisque se blandam et affabilem exhibèret. Delectabatur autem mirum in modum agnellis, turturibus et id genus aliis castis animalibus. Solebant etiam crebro ad eam advolare castae aviculae, suaviter cantillare coram illa, comedere et bibere absque ulla formidine apud eam. Mittebantur illae aviculae a Domino pro illius consolatione: erant enim ei gratissimae propter puritatem et castitatem qua ipsa praeclare pollebat. Oblatus ei quandoque ex devotione fuit agnellus quidam, quem illa tam ob munditiam, quam ob agnum illum sine macula, libenter accepit. Erat vero is illi multis modis non parvo solatio, maxime quod solèret, a nullo prorsus vel edoctus vel compulsus, cum Christi corpus in Missa elevabatur, se submittere in genua, nec surgere, donec elevatio illa peracta esset.

§ **22**. Duo vero specialia Dei dona, quibus ejus puritas astruebatur, in ea extitère: Primum est, quod numquam ullus foetor ab ejus corpore sentiri potuit: sed nec ex loco, in quo erat:

Digitized by Google

sentiebatur vero jugiter et ex corpore, et ex loco, ubi erat, odor gratissimus, confortans eos omnes qui se illi adjunxissent. Lavit aliquando manus suas, ministrante illi sorore Margareta Bolhonensi. Eam aquam, qua se laverat, servavit illa soror annis septem in vasculo quodam, mansitque purissima: atque etiam crebro illam bibens eadem soror, multa inde remedia accepit adversus corporis et animae infirmitates. Quaedam novitia monialis, misere e stomacho laborans, cum timeret eâ causâ se a professione optata impeditum iri, bibit clam ex aqua, qua suas manus, ipsa ministrante, Coleta abluerat, perfecteque curata est. Alterum demum est, quod, ut fertur, licet a permultis visitaretur, bonis et malis, essetque formosa valde, sicut ipsa nullum inhoneste concupivit, ita nec sciri potuit quemquam illam inhoneste concupivisse: immo vero si qui libidine inflammati ad eam accessissent, eos, illâ conspectâ, castos abiisse.

§ **23**. Sentiebat autem illa, virginitatem, et ea tempora, quibus illa culta esset, speciali reverentiâ prosequenda: eosque qui virginitatem vovèrent et conservarent, non vulgari amore complectendos, honoreque afficiendos. Itaque tempora novi testamenti hoc nomine praetulit illis quae sub veteri fuere, quod in iis viguisset castitatis studium, eamque Christus ipse, et ejus sanctissima Mater, permultique praecipui amici ejus complexi essent et extulissent: in quibus beatissimum Joannem Evangelistam impensius amabat prae multis, eumque sibi singularem adhibuit intercessorem apud Deum, ut posset totius pretiosum virginitatis conservare thesaurum. Cujus etiam servandi causâ, cum adhuc juvencula esset, statuit vitam degere apud virgines puras et innocentes, ut solatia omnia, nedum turpia et inhonesta, sed etiam quae a matrimonio offeruntur, evitaret. Obtinuit vero etiam a Pontifice diploma quo prohibitum fuit, ne qua foemina quae virgo non esset, admitteretur in coenobia, ab ipsa Coleta reformanda. Et id sane etiam executioni mandatum est, rejectis omnibus viduis, aut sinistrâ famâ laborantibus. Etsi vero dispensatum fuit cum quibusdam nobilibus et virtutum studiosis viduis, ut possent admitti nunquam tamen illas Coleta tam familiares habere voluit, atque virgines: nec tam propenso eas ad monasticam professionem recipiebat animo, ut virgines. Et ut Deus purissimae virginitati ejus singulare perhibèret testimonium, misit beatum Joannem Evangelistam qui ei annulum aureum attulit nomine summi Regis, quo digito illius infixo, eam sibi despondit sponsam charissimam. Quem annulum cum multo timore et humilitate illa accepit, accurateque custodivit et venerata est. Multi sane patres et fratres confessarii, aliique plurimi hunc annulum viderunt, manibusque suis contrectaverunt, non mediocri inde consolatione affecti. Cum autem fratres illos ad expedienda celeriter negotia procul ablegare voluit, ut itinerum vitarent pericula, fidenter,

Digitized by Google

clam tamen. dabat illis secum ferendum hunc annulum, sicque citra periculum totum illud conficiebant iter. Porro novi testamenti sanctos illos chariores habebat, qui virgines permansissent: in matrimonio junctis illi magis placebant qui unico conjugio contenti fuissent. Ipsi quoque matri suae quae ad secundas nuptias accesserat, quandoque sic fertur dixisse: «Mallem te semel tantum, mea mater, nupsisse.» Illa blanditer respondente, «Si ego ad alteras me nuptias non transtulissem, tu hodie in mundo non esses: » isthaec subjunxisse: « Tum vero Deus ex aliquo e propinquis nostris me fecisset nasci. »

§ **24**. Praecipua quidem occupatio beatae Coletae per omnem ejus vitam maxime versabatur in ferventer laudando, honorando et obsecrando Deo. Semper enim, ubicumque esset, aut mente, aut ore precabatur Dominum, animum suum ad illum èrigens: aut certe quippiam boni operis efficiebat. Inter alia Dei charismata etiam illud animo ejus penitus impressum erat, ut ferventi desiderio cuperet accurate persolvi ea quae ad Dei cultum pertinent, divinaque officia puro corde, et cum tremore et reverentiâ pèragi. Nec sinebat ullam sanctimonialem a divinis abesse officiis, immo etiam prius quam illa inchoarentur, adesse volebat omnes, ut suas praepararent animas, quo possent Deo gratum exhibere ministerium. Quod si aliqua ex illis animo in aliam infenso aut commoto esset, volebat eam prius illi reconciliari, humiliter ab ea petendo veniam. Quamvis autem ipsa supra modum gravata esset doloribus perpetuis qui eam facile excusarent, si nollet divinis interesse laudibus, at nihilo minus voluit die ac nocte semper et prima adesse, et postrema recedere, donec coacta est divinitus aliter se comparare, propter dolores pene intolerabiles: qui tamen si remissiores fierent, rursus hilariter et alacriter properabat ad communem Dei cultum, acsi numquam eos sensisset cruciatus. In ipsis autem divinis officiis studebat corde, corpore totisque viribus gratum Deo offerre servitium, vocem cum cordis jubilo exaltans, ita ut prae aliis suaviter et mirabiliter concinens audiretur.

§ **25**. In reformationis initio non parum perplexa, fuit quemadmodum divinum persolvendum esset officium. Continebat enim Regula, a sororibus non cantando, sed legendo id persolvi debere. Consuluit igitur ea de re confessarium suum Henricum de Balma, et cum multum inter se contulissent, ambo statuerunt ad preces recurrendum. Illis igitur orantibus, subito audita est in medio illorum vox quaedam valde grata, modulata et musica, et quasi prorsus angelica. Ex ea igitur modulatione quae suaviter et tractim fiebat, constituerunt modum, quo sorores Dei cultum peragerent. Accidit quandoque manente illa in quodam monasterio, grassari illic pestem, et multas auferre sorores, plerasque diu manere male affecta valetudine. Cum autem etiam ipsa non

Digitized by Google

mediocriter laboraret ex morbo, non tamen a divinis voluit se laudibus sub ducere, nec propter sororum paucitatem aliquid de illis diminui: sed cum duabus aut tribus sororibus preces omnes Canonicas ipsa persolvebat integre, solemniter et devote. Ubi sane verisimilis non deerat conjectura, angelicos spiritus ei venisse subsidio, ut audientium devotio et admiratio augeretur. Numquam illa, quod sane admirabile est, in divinis persolvendis officiis ullum vel taedium, vel laborem sensit: immo quanto ea prolixiora essent, tanto gratiora quoque erant. Quod si interdum aliquam sentiret desolationem, mox inchoato officio confortabatur et tranquillabatur, psallens suaviter in fervore spiritus, perinde acsi faciem summi regis coram intueretur. Visa est tum plerumque facies ejus luculenta et splendida, ita ut non raro sororum oculi sic perstringerentur eo splendore, ut in eam intendere non possent. Cum autem immodicis doloribus adeo occuparetur, ut divinis non posset adesse ministeriis, suspirans suaviter exclamabat: «O beatas illas quae possunt jugiter divinis interesse laudibus: plusque dolebat, quod ab illis cogeretur abesse, quam quod gravissimos sentiret dolores.»

§ **26**. Cum aliquando visitaret monasterium quoddam, offendit *illic* sanctimonialem quae propter gravem morbum annis octo a divinis officiis abfuerat non absque multo animi dolore. Ei ad se accitae, comiter ait: «Quid est, dulcissima filia, quod tam longo tempore abes a laudibus Dei?» Respondit illa: «Nihil, mea mater, illic vel dicere vel facere possum, morbo impedita.» Tum Coleta, «Abi, inquit, hac nocte in Christi nomine ad preces nocturnas, et fac ibi pro viribus.» Fecit ea sic, et ecce vocem sentit sibi restitutam longe meliorem, quam unquam habuisset antea, cecinitque non minus bene, vel etiam melius, quam aliae incòlumes. Porro praeter preces Canonicas, quotidie legebat omnes orationes Dominicas, quibus laicae sorores divinum persolvunt officium: tum quoque preces horarias S. Crucis, et duplices defunctorum, ut vocant, Vigilias, ut plurimum novem lectionum, interdum trium. Signa illa Dominicae orationis habebat charissima, èaque nocte ac die circumferens, absque numero preces ad illa recitabat. Inter eas autem preces quae tum ore, tum mente funduntur, singulariter eam afficiebant Psalterium et septem Psalmi cum Litaniis quae a juventute usque in senectam numquám, ob quascumque etiam occupationes, dicere praetermisit. Absoluto autem Psalterio, flexis genibus, humiliter et reverenter munus illud exiguum Deo offerebat, orans instanter, ut gratum illud haberet.

§ **27**. Valde autem infestus ei erat daemon, dicenti Psalterium. Nam saepe noctibus extinguebat candelam, effundebat oleum. Accidit quodam tempore, ut et identidem daemon extingueret lampadem, et illa rursus eam accenderet. Tandem igitur, ut eam perturbaret, importunissimus satan effùdit oleum totum

Digitized by Google

in codicem, unde legebat Psalterium quae res non parum eam afflixit, tum quod codex esset perditus, tum quod necdum complesset preces. Altera luce tradidit codicem confessario suo, conquesta ei quid accidisset, sciscitansque num qua posset ratione reparari. At confessarius acceptum librum comperit ex Dei munere penitus illaesum: quae res maximam Coletae consolationem attulit. Alio tempore cum absolutum Psalterium vellet suo more offerre Deo, duo teterrimi et immanissimi daemones horrenda specie apparuerunt ei, suis terriculamentis impedire eam volentes, ne offerret munus suum Domino. Illa vero fidenter se communiens Crucis signo, obtulit Deo Psalterium: et vilissimi daemones confestim evanuerunt.

§ **28**. In omnibus rebus duris et adversis, in negotiis arduis semper confugiendum censebat ad preces humiles, dicebatque tum per seipsam, tum per sorores, litanias, quibus fidebat plurimum, et singulari devotione afficiebatur. Ea enim tempestate, qua in Franciae regno tot saeviebant bellorum tumultus, ut vix quisquam auderet extra loca munita prògredi, tametsi illa pro conditione sexus multum meticulosa fuit, at tamen constituit, pro Dei amore et animarum salute per longinquas proficisci regiones: utque id tutius posset, quotidie audire Missam de Epiphania Domini. Itaque simul atque ingressa est iter, litanias dicere coepit, et Dei benignitate, sanctorumque qui illic invocantur, meritis, evàsit pericula omnia, in quibus multa fuere sane horrenda. Proficiscens enim aliquando cum multis sororibus per regionem, cujus idioma ignorabat, ubi pervenit ad nemus quoddam latrociniis infestissimum, obviam ei venerunt homines truculenti, arcubus et sagittis instructi qui ei et comitibus ejus insidias comparabant, easque spoliare volebant. Curribus enim propter itineris prolixitatem et viarum asperitatem vehebantur quae res quaedam non vulgarem apparatum prae se ferre videbatur. Illi ergo crudeles homines in verba prorsus barbara et inhonesta coepere prorumpere, ad mala omnia parati. Coleta tum compleverat litanias, et ex Dei gratia intellexit quid dicerent (Poterat enim cum Apostolis quaevis capere idiomata) locùtaque est ad illos blande, placide atque prudenter. Illi mox ejus audita voce mutati mirabiliter, non solum ei et comitibus pepercerunt, sed etiam promptos se obtulerunt ad secure deducendas eas, quocumque vellent iter intendere. Coleta vero gratias eis egit, et illi sine ullo maleficio recesserunt.

§ **29**. Alio tempore cum duceret moniales aliquot ad novum monasterium, et ad locum quemdam periculosum venisset, sentiens in spiritu se in discrimine versari, monuit sorores, ut litanias pròmerent. Quidam vero nobilis, saevus et immanis, sancta Coletae opera et conatus magnis viribus impedire cupiens, per ministros suos iter ejus diu explorari jussit. Ille vero Coletam et comites ejus curaverunt illic detinendas, donec nobilis

Digitized by Google

ille cum suis eo adveniret. Is ubi venit, evomuit confestim e coenoso pectore lutulenta et turpia verba. Ei autem humiliter et religiose Coleta respondit: et ecce equi malignorum hominum manserunt immoti, nec ad currum propius accedere potuerunt, quamvis possent facile retrocedere. Visitatura quandoque monasteria sua, per eas regiones proficisci cogebatur, in quibus tum ingens erat armatorum militum strepitus. Sentiens se non sine multo discrimine id facturam, jubet dici litanias. Paulopost venit obviam procacissimis militibus qui petulantissime minabantur se quosdam ex comitibus ejus jugulaturos, aliis aures praecisuros, ab aliis equos et caeteras res ablaturos. At Coleta plane confidens Deo et sanctis quos invocabat, jussit comites suos praecedere: mansit autem sola cum sororibus, libenter oppetitura mortem, ut alii evaderent. Et ecce tantam ei Dominus contulit animi fortitudinem et constantiam, tantamque oris facundiam, ut non solum nihil mali ei vel sororibus illi nequam homines inferrent, sed etiam veniam ab ea peterent, ablatosque equos et alia integre restituerent. At tamen Deus justus judex qui non sinit impune abire si quis vexet fideles amicos ejus, ita in eos animadvertit, ut intra octo dies ob quaedam perpetrata maleficia in patibulo suspenderentur, palam confitentes, se vel maxime angi animis, praecipueque dolere, quod molestiam illam ancillae Christi attulissent: seque existimare illâ causâ se sic divinitus puniri.

§ **30**. Solebat autem illa post oris preces etiam ad eas quae mente fiunt, se conferre: atque ita ex precibus magnam capiebat consolationem: ajebatque sine precibus neminem posse proficere: atque eâ causâ hortabatur sorores ad perpetuae orationis studium. Porro in mentalibus orationibus, quibus crebro utebatur, curas omnes supervacaneas abigebat, omnesque sensus et vires corporis ac naturae colligebat, ut perfecte cogitaret de Deo, et affectu ardentissimo preces illi offerret, ita ut tota raperetur in illum, nihil corpore sentiens, perinde ut mortua, nec percipiens quicquam eorum, quae tum extrinsecus circa illam gerebantur. Et sic nonnunquam permansit sex horis, interdum decem vel duodecim. Tandem ad se reversa, brevi spatio se sic fuisse putabat, tametsi interdum tota die sic perdurarit, saepissime etiam majori noctis parte. Somnus autem ejus incredibilis parcitatis fuit, sic ut aliquoties octo diebus vix una dormierit hora. Postquam enim Psalterium et preces Canonicas absolverat, reliquum tempus in preces mentales conferebat. In itinere ad hospitia veniens, caeteris corpora quieti dantibus, vigilabat plorans et gemens, Deumque ferventer orans, somno contempto.

§ **31**. Quantae autem efficaciae fuerint preces ejus, Deus quibusdam sororibus evidentibus signis declaravit. Nonnumquam illa ferventissime orante, videbatur eis oratorium illius ceu flammis incensum ardere. Si quis autem propius accessisset ignem

Digitized by Google

illum extincturus, repente disparebat: quamquam semel repertum est velum ejus exustum, licet nullus ibi fuisset ignis. Quaedam ex illis soror aliquando imprùdens intravit in ejus oratorium, illa Dominum ardenter orante, viditque tantâ eam nitère pulchritudine et splendore, ut velut exanimis statim humi collaberetur. Eam videns Coleta in eo versari discrimine, accessit ad illam, et cum objurgasset quod ausa fuisset eo ingredi, mox consolatione refòvit et recreavit eam, ita ut vires recuperaret suas. Saepe etiam in precibus ferventissimis, spiritu in Deum sublevato, visa est a sororibus etiam corpore tam sublimiter evecta in aëra, ut penitus videre eam non possent. Sed et ipsa, certas ob causas compulsa a Deo, fatebatur se non raro sub precibus intantum fuisse corpore sublatam, ut sibi videretur coelum posse tangere, si manus extendere voluisset.

§ **32**. Praecipue vero Deum deprecari solebat pro miseris peccatoribus, ut illos ad se converteret. Porro inter multas revelationes, quas divinitus habuit pater celeberrimus, professione Dominicanus, magister Vincentius *, etiam illa fuit, qua Coletam vidit in spiritu, genua flectentem humiliter, et ferventer rogantem Deum pro peccatis miserrimae plebis suae. Cui ille sic respondere videbatur: « Quid me vis facere, filia? Ego quotidianis illorum injuriis et contumeliis afficior. Quotidie illi me lacerant et discerpunt, contemnentes praecepta mea, meque blasphemantes et abnegantes. » Propter hanc visionem idem egregius Doctor, ex Hispaniis venit in Gallias, ut ipsam Coletam inviseret. Cumque inter se colloquerentur, multis sunt affecti divinis consolationibus. Alio tempore orante ferventer Coleta beatissimam Dei Genitricem, ut apud filium suum pro miserrimo populo Christiano intercederet: oblatus ei fuit discus quidam, plenus particulis carnis, tamquam infantis in frusta concisi: dictumque est illi: « Quo pacto ego deprecabor filium meum pro his, qui quotidie peccatis et horrendis sceleribus suis, quantum quidem in eis est, etiam in minores eum discindunt et dilaniant particulas, quam sint hae, quas cernis? »

§ **33**. Quantum vero preces ejus permultis profuerint, ex iis quae dicturi sumus, licebit intelligi. In pago quodam Avernensi vir cum uxore fuit vitae execrabilis. Uterque igitur ob flagitia sua suspendi jussus est. Etsi vero plerique omnes dicerent dignos esse, qui sic perirent, at nihilo minus multi illorum dolebat vicem, maxime quod viderentur recta proficisci in tartarum, quod satis ostenderent, se neque Deum, neque peccata sua agnoscere, nec ullis adhortationibus eo posse adduci, ut agnoscerent. Vomebant enim ex impiis pectoribus verba detestanda, prorsusque satanica, quae nihil aliud, quam aeternas gehennae flammas mererentur. Vidit hoc horrendum spectaculum quidam sanctus eremita,

* Celeberrimus S. Vincentius Ferrerius. Vide v Apr.

Digitized by Google

qui ex devotione Coletam inviserat, hominumque miserrimorum ex animo misertus, flexis genibus rogabat carnifices, ut differrent suspendium, donec ipse rediret. Annuerunt illi, abiit ille ad Coletam, commendavit ei deploratos illos et perditos homines: mox ea sublatis in coelum manibus, cum lacrymis dicere coepit Psalmum, Miserere mei Deus. Nec dum vero finiebat Psalmum, et ecce concipiunt illi caeci mirabilem Dei notitiam, agnoscunt immania maleficia sua, valde se peccasse dolent, fatentur illo se supplicio dignos, patientissimeque morte se affici sustinent, ita ut illi, qui aderant, plurimum inde aedificationis, magnamque salutis suae spem conciperent. Foemina quaedam religiosa, bonae vitae et sanctae conversationis, enormia quaedam peccata commiserat, quae summopere quidem cupiebat dicere in confessione, sed cum ventum esset ad sacerdotem, impurissimus satan tantam ei ingerebat verecundiam, ut dicere ea non auderet. Duravit hoc annos sex, et interim illa vivebat in summo animi dolore et afflictione. Tandem ferventer petiit commendari se precibus Coletae virginis. Quod cum fecisset, mox abiit ad confessarium, calcatoque rubòre, integre confessa est peccata sua, multumque inde percepit conscientiae suae levàmen et consolationem.

§ **34**. In monasterio ejus Poliniacensi * initio quidem sanctimoniales magnâ premebantur aquae penuriâ, cogebanturque eam aliunde inferre, quod nullus esset in monasterio locus, fodiendo puteo opportunus. Itaque sextâ feriâ post Dominicam Laetare, qua recitatur Evangelium de muliere Samaritana, a qua Christus apud puteum sedens aquam petiit, Coleta post fusas ad Dominum preces, jussit humum certo quodam loco fodi. Id cum factum esset, prodiit mox aqua pulcherrima, et qua non esset alia melior in tota regione illa. In quodam Albigensi pago juvencula juncta viro, vitâ erat satis honestâ et integrâ, pepereratque marito filium: at permittente Deo, adeo fuit mente capta, ut neque Deum, nec creaturas ullas, nec proprium filiolum suum agnosceret: citràque ullam verecundiam nuda incederet, et non nisi satanica verba proferret. Eam sacerdos quidam venerabilis commiseratione permòtus, commendavit precibus Coletae, ac deinde reversus ab ea, denuo hanc miseram studio humanitatis invisit, ejusque caput quodam Coletae velo tètigit. Tum illa loqui coepit verba rationi consentanea, ante omnia petens sibi copiam fieri confitendi peccata sua, celerrimeque plene restituta est. Mercator quidam celebris iter suscepturus valde periculosum, obnixe commendavit se Coletae precibus. Deinde dans se itineri, per densissimas nives, aquasque agros operientes ingrediebatur, pènitus ignorans, ubinam esset. Nocte autem incidit in locum, ubi si paululum processisset, haud dubie in praesentissimum mortis discrìmen se conjecisset. Ibi recordatus piissimae matris Coletae, iterum se

* Urbis Polinii in Burgundia, vulgo *Poligny*.

Digitized by Google

commendavit precibus ejus. Erat enim illic abyssus profundissima. Et ecce statim videt Coletam adesse, manuque indicare, ut retrocèdat. Quod cum fecisset, cognovit se Coletae meritis et precibus mortem evasisse.

§ **35**. Vir quidam magni nominis, Coletae familiariter notus, filiam habuit unice charam, quam volebat monasticae vitae tradere, Deo illic servituram. Obtulit ergo eam Coletae, quae libenter eam accepit, utpote bene constitutam et aptam ad eam vitam confectandam. Sed paulo post dolens vir ille se filiam suam tradidisse, eamque perditam existimans, acriter et severe eam repetiit. Doluit ea res non mediocriter Coletae, quod sic ablatam sibi videret puellam: sed ad preces confugiens, Deo gemitus et lacrymas obtulit. Jam vero pater puellae, ut ab ejus animo omnem monasticae vitae memoriam abolèret, in longinquam eam regionem ducebat: sed cum jam forte medium absolvisset iter, ter equus corruit, cui puella insidebat: et in ipso tertio casu utroque orbatus est oculo. Id cernens puellae pater, ad se rediit, agnoscensque culpam suam, venit ad Coletam matrem, veniam petiit, puellam ut ad se reciperet obsecravit. Id vero Coleta libenter praestitit.

§ **36**. Dicturi jam sumus, quam ferventi devotione et amore, Christi passionem Coleta prosecuta sit. Coepit id aetate adhuc tenerâ, a matre sua sic instituta, quae profecto et timebat et amabat Deum: quotidieque cum lacrymis et gemitibus dicebat precem de Salvatoris passione, multum condolens injuriis et poenis, quae ille pro humani generis redemptione libentissime toleravit. Eam autem precem Coleta puella diligenter attendens, adeo totam memoriae commendavit, ut deinceps nunquam ejus potuerit oblivisci. Itaque quotidie horâ meridianâ, qua Christus cruci affixus est, angores cordis sentiebat vehementissimos cum Christo acerbissime patiente: utque eos secretius et devotius perferret, libenter eâ horâ ab aliis se subducebat hominibus, atque ita sola manens, omnes animi vires intendebat ad cogitandas injurias, persecutiones, convicia, opprobria, horrendam et ignominiosam mortem, quae Christus, desiderio salutis nostrae, patienter et cupide perpessus est. Porro in ejusmodi meditationibus saepissime extra se rapiebatur, et in Deum transformabatur ardentissimo desiderio et amore: at praecipue tamen sextis feriis ab hora sexta matutina, usque ad horam sextam vespertinam, mane auditâ Missâ, nihil interim mandùcans aut bibens, tam erat ferventer et efficaciter Dominicae commemorandae passioni intenta, ut saepenumero prae doloris vehementia in manibus, pedibus et làtere suo sibi reverâ videretur clavis et lanceâ confixa. Ecquis vero pro dignitate possit explicare imbres lacrymarum, anxios gemitus, quibus occupabatur illâ totâ hebdomadâ, quam sanctam vocamus? quis satis commemoret dolores acerbissimos atque

Digitized by Google

vehementissimos, quos tunc illa perferebat? In ipsa enim ejus virtutum studiosa juventute specialis quaedam ei collata erat gratia circa Domini passionem. Cum enim aliquando ferventer et profunde eam meditata fuisset, Christus ei apparuit, indicavitque familiariter modum, quo passus esset, et ut in singulis membris suis singulares pertulerit cruciatus humanae salutis amore. Inde vero Coleta vehementissimum quemdam concepit cordis dolorem et angustiam: ac nihilo minus ardore quodam amoris et devotionis erga Christi passionem intantum incensa fuit, ut saepius reminiscens hujus visionis et crudelium poenarum, quibus affectum viderat corpus innocentissimum Salvatoris, plane destitueretur viribus, nihilque prorsus exterius sentiret, in statum alium transformata. Atque ita in sancta hebdomada multa ei divinitus praestabantur sane memorabilia. Cum enim recitabantur passiones Christi in Missis coram ipsa, uti fieri solet, dolores, quos passus est Dominus in corpore suo, adeo renovabantur in corde et corpore illius, ut nunquam sic visa fuerit mulier laborare parturiendo, quantum ipsa videbatur condolendo. Cujus rei id èvidens documentum fuit, quod horis illis incredibili animi angore lamentabatur, fundebatque lacrymas et gemitus ineffabiles, ut quamvis ferreo pectore, si id vidisset, pietate et commiseratione potuerit non permovèri et emolliri.

§ **37**. Loca sancta, quae Christus sua praesentiâ, olim in terris degens, mirifice sacravit et ornavit, cum multa reverentia et devotione habebat impressa cordi suo; speciatim vero locum et urbem, in qua passus est. Et quamvis corpore debilis et tenera esset, mùltaque in mari occurrerent pericula, at tamen summo ardebat desiderio arripiendi iter illud, lòcaque illa devote visitandi, atque illic moriendi propter Deum: et certe eo profecta fuisset, si id ei permissum esset. Inter alias autem reliquias, quae sancta Ecclesia ita ut par est veneratur, singulari reverentiâ prosequebatur lignum sanctae Crucis, ad quam Christus affigi voluit. Sicut autem veram Christi Crucem piissime venerabatur et colebat, ita etiam erga ejus signum peculiari animi devotione afficiebatur. Cujus etiam virtute signi meritis ejus plurima Dominus patravit miracula, e quibus nonnulla hic subjiciemus. In exordio enim ejus, quam saepe diximus, reformationis, permulti parvuli ei oblati fuere, diversis afflicti morbis: conabanturque parentes vel amici eorum obscuris quibusdam et Coletae ignotis modis eam permovere, ut manibus illos tangeret, et signum crucis in eos exprimeret: quod cum illa fecisset, curabantur.

§ **38**. In monasterio quodam Coletano quaedam soror tanto vexabatur capitis dolore, ut se putaret morituram. Adiit ergo Coletam matrem, explicavit ei molestiam suam, petiit suo capiti imprimis signum Crucis. Illa valde dolens vicem ejus, fecit ut petiit soror: et ecce fugit morbus, soror fit omnino sana et

Digitized by Google

incolumis. Abiit quandoque Coleta ad expedienda quaedam negotia religionis suae. Venit cum paucis comitibus ad ripam cujusdam profundi fluminis: ubi cum nulla esset navis, nautae nulli, confidens illa divinae bonitati, signum Crucis edidit, confessarium suum rogans, ut idem faceret. Deinde secure tentavit periculosum iter ingredi, idque cum omnibus suis partim peditibus, partim equitibus sine periculo confecit. Paulo post multi equites, robustis freti equis, eodem loco flumen transmittere volentes, petulanter dicebant: « Si *Begardi* (*a*) et hypocritae illi transiere securi, quid nos transire dubitamus ? » Ingressi igitur flumen confidenter, misere submersi perierunt.

§ **39**. Erat in quodam monasterio soror quaedam vitâ honestâ, famâ laudabili. Ea, Deo permittente, quinquennio laboravit morbo comitiali, quotidie ut minimum semel humi corruens, multamque ab ore spumam instar apri venatione exagitati ègerens: deinde instar daemoniacae rabie quadam insaniens. Ligabant illam quidem et fortiter detinebant homines fortes, at illa invitis iis exiliebat turpiter usque ad trabes, ab ore vomens calorem teterrimum, fornacis instar: sicque diu permanebat, non sine multa aliarum sororum molestia, ignorantium quid remedii adhibèrent. Tandem recordatae virtutum Coletae matris, ejus precibus obnixe illam commendarunt. Illa misit ad eam quemdam confessarium suum, qui fidens Coletae meritis, signo crucis munivit eam, illaque repente omnino convaluit. Soror Joanna de Lasarre diras patiebatur in manu dolores. Nesciens vero quid ageret, tandem constituit se ad Coletam matrem conferre, eamque rogare, ut tam male affectae manui signum Crucis imprimeret. Venit igitur ad eam, Coleta id fert indigne, dolens et moerens tale quippiam a se exigi, repellit manum aegrotam, eam extrinsecus tantum sua tangens manu. Et tamen tali contactu, quasi ab indignante exhibito, aegra illa incolumis subito evasit. Alia quaedam soror triduo nihil fere neque cibi neque potus sumpsit, graviter laborans morbo quodam. Ejus recordata Coleta, quaerebat quinam valeret. Respondentibus illis, misere eam vexari, et existimari propèdiem morituram, Coleta sumpto pane rudi, signo Crucis eum communiit, mittensque aegrotae, jussit ut eum quamprimum ederet. Fecit illa sic, et postridie sana exiit e valetudinario. Morabatur quandoque Coleta in monasterio quodam, quod erat in regione, vini et frumenti inopiâ laborante. Cumque non

(*a*) ***Begardorum*** **vocabulo occasionem arripimus etymon proferendi contumeliosi cognomenti quo pietatis derisores devotas foeminas religiososque viros appellitant. *Beguardi* mares, *Beguinae* foeminae dicebantur, praesertim in Hollandia, qui juxta regulam Tertii Ordinis S. Francisci, religiosam vitam extra coenobiorum claustra profiterentur. Num a S. Begga (V. xvii Dec.) inditum nomen, alii disquirant. At haec nomina in Germania, in Gallias et apud Italos usuvenerunt ad designandas fanaticorum sectas, qui pharisaico more, perfectionis specie, superbiâ et hypòcrisi ducti, foedis se tandem, in ostentatione sanctitatis, erroribus contaminarunt. Viennense Concilium, anno MCCCXI, eos anathemate perculit. Saeculo tamen XV adhuc serpebant. Horum praetextu impiorum mundus in maligno positus, veram pietatem, modestiam, devotionem, sive sub religioso habitu, sive non, Bizzoccorum, Bigottorum, Beghinarum et similium titulis, tamquam perfidiae telis, lacessere consueverunt.**

Digitized by Google

nisi parum in monasterio esset vini, ejusque valde mali, ita ut nauseam afferret gustantibus, jussit Coleta parum aliquid ejus vini in vasculo sibi apportari: et cum signum Crucis pinxisset manu, foetor omnis et corruptio abiit non solum e vase ipsi oblato, sed etiam ex dolio, unde illud impletum fuerat: ita ut quotiescumque vinum inde promeretur ad sorores reficiendas, ante mensae benedictionem male olèret et insipidum esset, post eam vero vi signi sanctae Crucis et gratum odorem, et suavem bibentibus gustum exhibèret.

§ **10**. Mirâ sane devotione et ingenti reverentiâ afficiebatur Coleta virgo erga praestantissimum Eucharistiae sacramentum; neque id mirum. Inde enim hauritur omnis contemplatio, in illo reperitur spiritualis consolatio, ibi suaviter sapit fervens meditatio, per illud donatur aeterna beatitudo. Itaque ubicumque esset, quotidie Missam in qua Christi corpus consecratur, cum multis lacrymis devotissime audiebat: et ut eam majori animi devotione audiret, saepenumero conscientiam suam humili confessione expurgabat. Cum autem ob res necessarias conficiendas extra monasterium dègeret, cum caeteris quidem publice eam audiebat: alias privatim et secrete, neminem tum admittens praeter sacrificantis ministrum, ne divinitus ei collata dona specialia, aliis forte innotescerent. De ipsius autem Sacramenti excellentia, virtute, sublimitate et magnitudine, de Christi in eo praesentia, et de mysteriis ejus, tam perspicuam habuit notionem, ut qui àderant, certo existimarent Christum ei re vera apparère formâ aliquâ ipsi soli notâ. Post hanc autem adorationem Eucharistiae, saepissime permansit divini amoris accensa flammis, sublata sublimius in spiritu, Deoque perfecte conjuncta, ita ut sibi videretur tota transformata in Deum, et supra naturam rapta, sensibus corporeis plane cessantibus ab officiis suis.

§ **11**. Non raro autem sub hac Eucharistiae elevatione perspicue cernebat ejus, qui faciebat sacrificium, conscientiam, et quo in statu ille esset. At tamen ne proderentur aliis dona Dei, ipsi specialiter collata, clam et prudenter indicabat sacrificanti vitia ejus, ut ea corrigeret, prorsus rèticens modum, quo ea ipsi innotuerant. Habuit autem hoc ex speciali Dei gratia, ut quantumvis brevi spatio Eucharistia ei ostenderetur, numquam esitare potuerit, quin illic verum esset corpus Christi, planeque cognosceret ejus magnitudinem, praestantiam et veram praesentiam: statimque illud cum multis lacrymis et gemitibus adoraret. Fuit aliquando in monasterio, sito in ea regione, qua solent usitatius album quam rubrum vinum sacrificio adhibere. Ibi tum sacrificanti sacerdoti obtulit minister aquam, putans esse vinum. Quando autem ventum est ad elevationem, Corpus quidem Christi adoravit Coleta, eâ, qua solebat, reverentiâ, lacrymarum et suspiriorum copiâ. Cum autem calix elevaretur,

Digitized by Google

noluit adorare, sentiens in spiritu, non esse ibi verum Christi sanguinem. Porro complures tum religiosi, tum seculares summopere conati sunt, aut saltem expetierunt esse juxta vel intra oratorium, ubi Missam illa audiebat, ut reipsa comperirent ferventem ejus et humilimam Eucharistiae adorationem, audirentque suspiria et clamores, quos Christo illic praesente edebat. Sed illa id permittere haudquaquam voluit, nisi vel admodum religiosi essent, vel ipsi valde familiares. Quod si aliqui clam latitassent in locis occultis oratorio propinquis, non latebat spiritum ejus, Christo id ei revelante. Itaque de talibus moerenti animo conquerebatur patribus et fratribus suis, quod non permitteretur pro sui consolatione adorare Dominum Deum suum, propter homines, insidiose ipsius arcana scrutari volentes. Interrogata vero, cur tam alta ederet suspiria et ejulatus sub elevatione, blanditer respondebat, se plerumque aliter facere non posse, etiamsi totus adesset mundus. Sentiebat enim immensam majestatem et potentiam Regis regum, cujus comparatione nihil est mundus universus.

§ **42**. Qua autem animi devotione Eucharistiam sumpserit, neminem arbitror vel satis admirari posse: sed et illi, qui ministrare ei solebant, pro dignitate id explicare vix possent. Nam tametsi multa ei inerat conscientiae puritas, gratiae exhuberans copia. et virtutes plurimae, at nihilo minus coram hoc sanctissimo Sacramento, alta voce clamans, seipsam supra quam dici queat dejiciebat, vilem, immundam, abominabilem, indignam dictitans. Postquam autem Eucharistiam sumpserat, mox rapiebatur in Deum, manebatque immota et mortuae non absimilis ad horas plures, nihil interea sentiens extrinsecus. Ad se autem reversa, vultu erat prorsus angelico, amabili, coelesti, sermones vero erant suaves, profundi, coelestes, perfectissimum Dei commendantes amorem. Porro quoties ardua, difficilia et obscura negotia (id quod saepe accidit) occurrerent, ad hoc sanctissimum Sacramentum tota confugiebat.

§ **43**. Si quid arduum et insigne Dominus per eam conficere vellet, et ipsa prae multa animi humilitate non auderet assentiri, timens ne praeclare propterea de ea homines sentirent, putarentque in ea aliquid latère virtutis et gratiae, Dominus per hoc praestantissimum Sacramentum compellebat eam facere vel invitam. Neque enim prius deglutire potuit sacram hostiam, quam divinae inspirationi parèret. Ea res nonnunquam eo adègit illam, ut cum assentire formidaret, nec tamen sacram hostiam deglutire posset, consilii capiendi causâ suum adiret confessarium. Illo vero consulente, ut Domino suam permitteret voluntatem, et illa id faciente, confestim hostia se deglutiendam permisit. Voluit quandoque solemni quodam die sacrosanctam Eucharistiam cum magna devotione percipere. Itaque dixit confessario, ut pro ipsa hostiam consecraret. At ille vel non intelligens, vel non satis advertens,

Digitized by Google

quid diceret, non fecit sic. Etsi autem dubitaret de ejus voluntate, non tamen fuit ausus accedere eam, ne forte ejus sanctas preces interturbaret. Cum igitur ventum est ad horam sumendae Eucharistiae, sensit confessarius eam more suo in fletus et gemitus erumpere, ut solebat communicatura. Quamobrem non parum admirans, cum se sciret non consecrasse pro ea hostiam, sentiebat magno id mysterio non vacare. Postea absolutis precibus percunctatus est ex ea, quid sibi vellent lacrymae et suspiria, quae ipse audiisset. Respondit illa humiliter, Dominum Jesum suis manibus ipsi pretiosissimum Corpus suum obtulisse.

§ 11. Fuit quidem Coleta rerum mundanarum parum perita, sed sagax valde et admodum prudens et gnara coelestium ac divinorum. Prope nulla ei inerat doctrina humanitus acquisita, sed abundabat scientiâ divinitus infusâ, quae est praecellens Dei gratia, quâ freta clarissime cognoscebat et praeterita, et praesentia, licet occulta, itemque futura. Quod ut certius eluceat, exemplis declarabimus. Fuit quidam insignis sacrae Theologiae Doctor Parisiensis, professione Franciscanus. Is ab exordio reformationis, cujus saepe meminimus, multum Coletae deditus fuit. Accidit autem, ut in letalem incideret morbum. Visitabat tum quaedam monasteria sua Coleta, et cum in spiritu didicisset Doctorem hunc non solum corpore, sed etiam animo periculosissime laborare, ut in tanto discrimine ei succurreret, accessit monasterium, in quo ille decubuit, invenitque illum jam animam agentem, et ut ipse postea retulit, recta euntem in tartarum. Itaque proprio eum compellans nomine, signo crucis humiliter et reverenter edito, ait: « Esto bono animo, et firmiter spera in Dei infinita bonitate, adjunctisque brevibus quibusdam exhortationibus, statim recessit. » Aeger autem ille attente percepit quid diceret, eamque probe cognovit, et multum confirmatus, brevi surrexit sanus et incolumis corpore. Deinde contulit se ad Coletam, obtulitque se serviturum ei toto vitae suae spatio, quam per illam se fatebatur retinere. Libenter illa annuit, non quod ullum ejus expeteret servitium, sed ut ejus animae consuleret, cujus salutem ardenter desiderabat, quaque ille non mediocriter indigebat. Comiter igitur hortabatur eum, ut omnia peccata sua integre confiteretur, nec celaret quicquam: idoneumque ei confessarium designavit. Cui ille utcumque confitens, vel oblivione, vel verecundiâ, peccata quaedam graviora reticuit. Tandem revertens ad Coletam, ait se plene confessum. Illa vero id pernegans, multa ei grandia commemoravit peccata, ab illo perpetrata quidem, sed non dicta in confessione. Stupebat ille, sentiens non nisi vera ab illa dici, quae tamen mortalium nullus sciret. Redit ad confessarium, denuo confitetur: facta confessione, rursus se ad Coletam confert, asserens se jam omnia edixisse. Illa negat, iterumque quaedam enormia facinora ei enumerat, quae necdum esset confessus.

Digitized by Google

Atque sic tertio ab illa remissus est ad confessarium, donec integre omnia explicaret. Quamobrem palam ille deinceps testabatur, se per eam et corporis et animae vitâ potiri: multumque ejus erga illam amor auctus est, adeoque eam verebatur, ut nihil neque cogitaret, neque diceret, neque faceret, quin illam semper omnia coram intuèri existimaret.

§ **45**. Venerunt quandoque ad Coletam duo praepotentes principes, piâ erga illam animi affectione ducti. Quibus illa post multas salutares institutiones, a Confessario suo quasdam scripturas memorabiles curavit praelegendas. Sed alter eorum eas non attendens, volvebat animo turpes cogitationes, nihil interim foris quovis modo indicans, unde id posset animadverti. Cumque jam etiam iis perniciosissime delectari inciperet, Coleta id sentiens spiritu, vertit se ad illum, clamorem edens vehementissimum et vocem admirandam contra illum. Isque clamor adeo penetravit cor illius, ut et tum videretur et etiamnum videatur ei, perspicue nosse et intuèri Coletam cordis sui cogitationes turpes: quas etiam illico a se rejècit, et animum advertit ad sacra verba, quae illic recitabantur.

§ **46**. Quidam etiam Episcopus, vir prudens et spectabilis, in urbe sua invisit Coletam, ibi tum manentem, cum illa conferens de multis rebus bonis, ad Dei honorem et animarum salutem pertinentibus. At illa de duobus eum admonuit: « Primo cavèret sibi, ne propter dignitates terrenas aeterna se dignitate et honore privaret. Cognoverat enim, Domino eam docente, Episcopum illum non contentum honore suo, sed ad majorem aspirare. Secundo, ut cogitaret vitae hujus brevitatem, studeretque semper esse paratus, quandocumque Domino visum esset eum ex hac vita evocare. » His Episcopus auditis, valde mirabatur. Clam enim dabat operam, ut posset effici Cardinalis, nemine id sciente. At tamen paulo post Romam profectus est, ut posset voto potiri suo: brevi autem, ut Coleta praeviderat, e vita decessit.

§ **47**. Visontii civis nobilis fuit, Joannes a Colonia, mercator celebris, Deum ferventer amans. Putabat is se valentem viribus, et in magna victurum prosperitate. Accersitus autem a Coleta, audivit vitae finem sibi propèdiem impendere: itaque debere se componere res suas, et Domino venienti conscientiam mundam exhibere. Assensit ille prompto animo, nec quicquam omnino procrastinans, fecit ut erat admonitus, moxque correptus morbo, morte suâ docuit vera praedixisse Coletam. Alius quidam in Burgundia fuit vir nobilis, potens et eruditus, justitiâ quoque conspicuus. Ei et cognatis ejus notae erant res gestae Coletae, eamque non mediocriter amabat cum suis, et permultum fidebat ei in rebus et negotiis suis, multisque eam beneficiis afficiebat. Existimante autem illo quoque se firma esse valetudine, et simul tamen de animae suae salute cogitante, Coleta tum in longinquis

Digitized by Google

agens regionibus, Domino revelante didicit eum non diu supervicturum, et in ejus conscientia latère quaedam, animae illius periculosa impedimenta allatura. Misit igitur ad illum quosdam sui instituti fratres, qui ei secreto haec impedimenta indicarent. Quibus ille fidem adhibens, ea diligenter amovit, sanoque munitus Coletae consilio, diem clausit extremum. Civis quaedam Cabilonensis haud vulgaris, Coletae nota familiariter, prae devotione se contulit ad eam visendam in monasterio Poliniacensi. Illa vero sciens propinquum esse vitae ejus terminum, admonuit eam, ut sua peccata integre confiteretur. Fecit sic, et inde ab ea recèdens, commendavit se obnixe precibus ejus tam vivam, quam vitâ functam. Reversa Cabilonem, incidit in morbum, et Christo spiritum reddidit.

§ **48**. Sorores occulto quodam animi moerore vel afflictione laborantes, crebro ad se vocabat, blanditer exponebat causam moeroris vel afflictionis, earumque animos erigebat. Non potuit igitur ambiguum esse apud illas, Coletam matrem certo nosse arcanas ipsarum cogitationes. Novitia quaedam aliquando tentata fuit a teterrimo satana, ut exiret e monasterio, nec id tamen cuiquam aperire ausa erat. Eam Coleta accivit ad se, dixit ei quid cogitasset: illa vero mox agnovit culpam suam, magnàque animi concepta devotione, statuit plane professionem facere. Alia quaedam soror, cum Coleta in eodem degens monasterio, adeo premebatur quodam conscientiae pondere, ut in desperationem ruitura videretur. Sensit id Coleta in spiritu, vocatamque ad se tam suaviter et amanter allocuta est, tamque aperte et perspicue ei demonstravit periculum tentationis suae, adeoque ejus animum adversus eam tentationem confirmavit, ut numquam deinceps eam perpessa sit. Excitavit quandoque malus daemon inter duas sanctimoniales discordiam quandam, quam tamen neutra prodebat foris. Eas singulatim Coleta ad se venire jussit, et tam egregie exhortata est, ut omni posita simultate, integre sibi conciliarentur, et reipsâ perciperent, Coletam non ignorasse, quid animo versassent. Inde vero non parum perterritae, eam deinceps valde timuerunt. Soror quaedam, Coleta in templo cum aliis divinum officium peragente, vagis occupabatur cogitationibus. Advertit hoc in spiritu Coleta, mandavit ei per aliam quandam, ut cessaret, donec essent preces absolutae. Illa ad se rediens, statuit nullo pacto ejusmodi cogitationibus assentiri. Alia quaedam soror itidem sub divino officio, manu libro tenens, res vanas et perniciosas animo volvebat. Id clare intelligens Coleta, saepe innuebat ei, ut eas a se repelleret. Sed cum non adverteret, abstulit ei librum non sine asperitate quadam. Sentiens illa Coletae patère cogitationes suas, transtulit se ad cogitanda divina. Mox Coleta humaniter ad eam se convertens, subridensque librum ei restituit. Interdum quidam e Clero, doctoresque Theologi, et alii mundi hujus

Digitized by Google

sapientes difficiles ei de rebus subtilibus proponebant quaestiones. Etsi autem studio humilitatis invita admodum responderet, quando tamen in spiritu sentiebat absque curiositatis vitio id fieri, tam profunde respondebat, tamque dilucide explanabat, ut omnes admirarentur, multumque inde aedificati, dicerent secreta divina divinitus ei revelari.

§ **49**. Ea tempestate, qua in Galliis cruentissimum inter duas partes imminebat praelium, Coleta praevidit non solum humanum sanguinem crudeliter fusum iri, sed etiam multas animas misere perituras. Multo igitur animi concepto dolore, cum profusis lacrymis contulit se ad deprecandum Dominum, scripsitque literas ad utriusque factionis capita, hortabaturque ne praelium committerent: misit etiam ad eos quosdam e fratribus suis, per eos significans corporum et animorum certam perniciem, ex eo conflictu secuturam, effecitque ut utrinque discederetur ab armis. Cognovit etiam qnandoque futurum quoddam perniciosum incendium in pago quodam, in quo erat Clarissarum monasterium. Itaque mandavit illis, ut diligentem adhiberent operam rebus suis ab igni servandis. Mox erùpit exitiosum illud incendium, adeoque prope ad monasterium illud accessit, ut sorores valde sibi metuerent: quae tamen Coletae meritis servatae sunt. Praepotens quidam dominus pie afficiebatur erga Coletam, cupiebatque ei condere monasterium in ditione sua. Eâ causâ misit ad eam quemdam e Clero, qui indicaret ei votum ipsius, et ejus assensum expeteret. Assensit illa, sed postridie praevidit magnam illi pago, in qua construendum erat monasterium, cladem imminere. Rogavit ergo dominum illum per nuncios, ut aliquandiu eam monasterii structuram differret. Non diu post tota illa regio hominibus armatis plena fuit, a quibus innumera fuere mala perpetrata, atque etiam pagus, in quo monasterium dominus ille extruere voluit, penitus destructus.

§ **50**. Nobilis quaedam et potens domina, multum in ea erat curâ et cogitatione, ut neptem suam homini locuplèti et honorato collocaret: videbatur autem ei, quod nimium animae suae salutem negligeret. Itaque dixit ei Coleta: « Multa quidem solicitudine in id incumbis domina, ut generosa neptis tua jungatur viro: sed praestaret hanc solicitudinem adhibere te saluti tuae, non enim videbis unquam eam marito copulatam, et id res ipsa comprobavit, mortua est enim ante nuptias neptis suae. » Saepius quoque perspectum habuit Coleta, quo in statu e vita plerique tum religiosi, tum seculares abituri essent. Aderat quandoque cuidam religiosae morienti, sed mortis cruciatus valde extimescenti, dixit autem ad eam: « Abi fidenter ad Dominum, nec quicquam timeas. » Dixit illa, et anima confestim exiit e corpore. Ait autem ad astantes Coleta: « Multa quidem patietur, sed tandem non privabitur vita sempiterna. » Puella quaedam

Digitized by Google

comprimis formosa, et optime morata extrinsecus, petiit a Coleta recipi in monasterium. Sed quod secreto nosset quaedam in illa, noluit assentire. Rogante autem pro illa instantissime patre puellae, itemque Coletae confessario et aliis, illa respondit: « Vos quidem cogitis me admittere illam: sed tamen noveritis numquam eam ad professionem perventuram. » Fuit hoc verissimum, Primo enim exacto anno, ob divini ignorationem officii, nec potuit nec debuit admitti. Altero anno tot ei occurrerunt infestissimae tentationes, praesertim de deserendo monastico instituto, ut quadam laborans amentiâ, diceret se nulla ratione posse illud profiteri. Ejecta igitur e monasterio, ad professionem admissa non est. Alia quaedam novitia, sub Missae sacrificio dicebat preces suas prope Coletam, ut illa cogitaret piam et religiosam ipsam esse. Sacrificio peracto, Coleta accivit novitiae illius magistram, aitque ei: « Equidem putavi novitiam hanc piam et Deo devotam esse, sed nihil in ea devotionis comperio. » Audiens id novitia, multum erubuit, sentiens non latère Coletam cogitationes suas. Alia soror magno tenebatur desiderio petendi imaginem quandam a Coleta. Itaque accessit eam, sed non fuit tamen ausa indicare ei votum suum. At Coleta non ignorans quid vellet, subridens ait illi: « Vade, vade. » Illa abeunte, statim misit ei Coleta pulcherrimam imaginem, mandans ut eam mitteret matri suae, quod illa summopere desiderabat. Eadem soror aliquando magnâ animi desolatione afflicta, ita ut se putaret Deo prorsum invisam, nec ullo pacto posse salvam fieri: statuit adire Coletam, et si illa placidum ipsi exhiberet vultum, existimare se non esse alienam a gratia Dei. Cumque haec animo agitaret, Coleta mater vocavit eam ad se. eamque blande et peramanter appellans, ait se non minus eam amare, quam ullam caeterarum quae sint ejus instituti. Denique commendavit eam monasterii Abbatissae, praesente illa, asserens eam esse filiam suam inprimis charam. Unde illa magnam accepit consolationem, certoque sibi persuasit, Coletam perspicue nosse arcanas pectorum cogitationes.

§ **51**. Impurissimorum daemonum ea est malignitas, ut quanto magis sentiunt quempiam appropinquare Deo, tanto eum acrius infestent, et multis affligant modis qui enim eis obsecundant, illis non magnam molestiam exhibent. Cernens igitur invidus daemon Coletam perfectissimâ charitate Deo conjunctissimam, modis omnibus conabatur impedire illam, et divexare atque persequi toto vitae ejus spatio. Cum enim in ipsa juventute statuisset Deum medullitus amare, eique studiose servire, multis annis, singulis noctibus, cum inchoaret preces suas, quidam malignus satan ei se adjungebat, et miras quasdam voces et quasi pias querimonias edens, conabatur ejus interturbare preces. At licet illa annis esset juvenis, animo tamen jam perfecta erat, et fide provecta. Adeo enim confidebat Domino, ut nihil externum reformidaret.

Digitized by Google

Itaque daemoni illi nec signo, nec verbo quicquam respondit, unde miser victus taedio, se subduxit. Porro ubi ad mediocrem pervenit aetatem, et jam monasticam sectabatur vitam, saepe in eam incurrerunt daemones, fustibus eam diu et atrociter caedentes, ut membra ejus tenerrima et imbecilla prorsus fracta viderentur, et atri livores in ejus corpore remanerent non brevi tempore.

§ **52**. Omni quidem tempore misit omnipotens Deus quosdam qui miseros peccatores ad ipsum reducerent. Sed hisce nostris diebus foeminam misit, sibi praecipue charam, Coletam virginem quae illuminaret et perfecte dirigeret ambulantes in vitiorum tenebris et umbra mortis, revocaretque illos in viam mandatorum suorum, atque omnibus, cujuscumque illi vel status vel conditionis sint, lumen et exemplum de se praeberet totius perfectionis, sanctitatis, devotionis, mortificationis et virtutum omnium. Et ut id praestaret efficacius, ornavit eam eximiis gratiae suae donis et vitae excellenti sanctimonia, quibus olim speciales amicos et sanctos suos illustrarat. Vixit enim solitaria et in multa abstinentia cum priscis illis Eremitis, claram autem cognitionem cum Prophetis, paupertatem voluntariam aliasque eximias virtutes sectata est cum Apostolis, non ei defuit Martyrum tolerantia, non fervens Confessorum charitas, non Virginum nitida puritas. Quod ad solitariam vitam attinet, in ea colenda vix pauci antiqui patres ei possent comparari. Totis enim quinquaginta annis pene semper vixit inclusa. In singulis enim monasteriis suis singulas habuit cellulas valde arctas quae carceres verius vel sepulcra dicerentur, cum se vix posset intra illas erigere, aut alio vertere: quemadmodum in multis licet videre coenobiis illius, maxime Viviacensi, ubi Cellam habuit sex pedes longam, quatuor latam. Et illi quidem veteres eremitae poterant expatiari per solitudines et relaxare animum post preces, labores et dolores, idque eos fecisse constat: at Coleta numquam de suo prodiit oratorio animi remittendi causâ, quantumcumque horrendis esset affecta poenis et doloribus: idque adeo, ut etiamsi non nisi passus unus interesset inter oratorium et propinquum hortum, vel sylvam, eo se conferre recusaret. Quando autem cogebatur exire ad visitanda monasteria, aut alias ob causas, postquam ad hospitia pervènit, in angustam se recipiebat angulum, pannis appensis conclusum, nec inde prodibat, donec esset recedendum.

§ **53**. Magna quoque legimus sanctorum patrum jejunia, prolixas vigilias, diuturnas preces. Sed Coleta cum Christo jejunavit perpetuis quadraginta diebus et noctibus, nihil prorsus cibi aut potus accipiens: quod tamen humanae infirmitati esset impossibile, nisi quod apud Deum nihil est impossibile. De vigiliis ejus constat, eam toto anno ex singulari Dei gratia omni prorsus

Digitized by Google

somno abstinuisse. De Josue legimus, ad ejus jussum stetisse solem spatio unius diei: sed fortassis non minus admirandum est, ad preces Coletae solem quandoque praecipitasse cursum suum, et ante tempus ortum esse. Saepe illa vitam suam in mortis discrimen conjecit, et existimationem ignominiae objecit pro honore Dei et animarum salute. Cum enim saevissima in Galliis bella fervèrent, de quibus supra dictum est, ita ut nemo ex oppidis aut castris egredi auderet, illa intrepida per utriusque partis regiones proficiscebatur visitatum monasteria sua, cum interim, malo instigante daemone, ab utràque parte suspicarentur eam stare ab hostibus suis: tametsi illa pro utrisque multas lacrymas et innumeras Deo preces offerret, et in suis monasteriis offerendas curaret.

§ **54**. Quam autem multa prophetice cognoverit Coleta, jam superius copiose dictum est. Obitum Martini, ejus nominis V Pontificis Maximi, exacte praedixit, etiam mortis horam exprimens: schisma quoque in Ecclesia futurum, finemque Concilii Basileensis longe ante pronunciavit. Supra diximus eam multum amasse parvulos propter puritatem et innocentiam, qua ipsa nitebat. Oblatus ei quandoque fuit parvulus, ex nobilibus parentibus ortus. Illa autem praesenties, si diu viveret, eum condemnatum iri, rogavit Dominum, ut brevi eum tolleret e medio. Reportatus puer domum, non diu post mala affectus valetudine, desiit esse in humanis. Ea res summo dolore affecit parentes ejus qui etiam ad monasterium venere, perquirentes quid puero accidisset. Ut autem cognoverunt quid dixisset Coleta suam voluntatem libenter divinae conformarunt. Vidua quaedam nobilis et potens, parvulos habens filios, aliquot Coletae monasteria fundarat. Ejus vero totum patrimonium vastabant praedònes et raptores: neque illam formidantes, quod esset mulier: neque filios quod essent parvuli. Petìta autem a quodam in conjugem, statuit consentire: sed tamen voluit prius consulere Coletam. Ea vero sic fertur ei respondisse: «Fac quod tibi visum est, sed nòveris tamen te ex novo marito, nullam habituram prolem.» Nupsit illa, sed mors brevi consecuta, vetuit ne prolem relinqueret. Quaedam ex sororibus ejus angebatur ob confessionem peccatorum integre faciendam. Eam Coleta jussit venire ad se, dixitque ei peramanter: «Debes, filia, secure confiteri, nec dubitare quicquam: Deus enim misericors et benignus est. Dices autem hunc in modum peccata tua.» Illa hoc audiens, erubuit, sentiens Coletam matrem nosse cogitationes ejus et peccata.

§ **55**. Apostolis quoque ut in multis similis fuerit, satis perspicuum est. Fuerunt illi a Deo electi et missi, ut mundum converterent: fuit et ipsa electa et missa, ut miseros peccatores reduceret ad Deum. Apostoli quoque in diversas dispersi regiones, Christi fidem propagarunt: et Coleta annis quadraginta longe

Digitized by Google

lateque non sine magnis periculis discurrendo, construenda curavit monasteria Ordinis sui, ut Dei nomen celebraretur, animarum augeretur salus, peccatores e daemonum potestate eriperentur, et Salvatori sui restituerentur. In paupertate Apostolos quam sit imitata, potest ex eo liquère sermone quem ipsa quandoque habuit ad sorores suas in multo fervore spiritus, loquens de summa humilitate et paupertate Domini Jesu et sanctissimae matris ejus Mariae et Apostolorum: ubi tum manifeste apparuère duodecim Apostoli, humi residentes prope Coletam, multa in eis relucente humilitate, simplicitate, paupertate: omnes induti vestibus albis, et illic permanentes, donec illa cessaret loqui. Sermone finito, multis visi sunt ascendere in coelum, et una cum illis Coleta in tantam altitudinem sublevari visa est, ut amplius conspici non posset. Habuit et alia Apostolorum charismata. Sanabant illi daemoniacos: curabat et Coleta, atque etiam rabiosos sanabat, virtute nominis Christi. Loquebantur Apostoli variis linguis, et idiomata omnia callebant: nec haec gratia Coletae defuit. Apostolis non nocebant hausta venena: et Coleta bis sumpsit potionem mortiferam, diro infectam toxico, nec quicquam laesa fuit: immo etiam libenter ignovit illis qui ei illam obtulerant.

§ **56**. At vero si de Martyrum velîmus agere tolerantia, ea quoque Coletam non caruisse videbimus. Nam si vel centies illa immissa fuisset in dolium ferventis aquae vel olei aut toties ignibus inflammata esset, aut tosta, aut excoriata, vel capite punita, non possent eae poenae comparari cum illis, quas illa annis quinquaginta toleravit. Et certe libenter illa corpusculum suum pro amore Domini Jesu morti obtulisset: atque fuit re ipsa martyr, quando pro honore Dei promovendo non parum fudit sanguinis, fracto brachio non sine magno dolore, ita ut illo tota vita sua uti non posset: capite etiam adeo contrito et quassato, ut cum se verteret, sentiret ossium collisionem.

§ **57**. Solebant Christi Confessores fide sincerâ, perspicua cognitione et ferventi charitate ferri in Deum, prorsus subducentes sese ab hoc mundo, atque a rebus mundanis, totosque se occupantes, iis quae ad Dei perfectissimum amorem pertinent. Et Coleta quoque ardentissima Dei charitate usqueadeo accensa fuit, ut per aliquod tempus, quoties ejus divinum mellitissimumque audivisset nomen, mox tota a se deficeret, et raperetur in Deum. Itaque si qui ei loqui vellent, summopere cavère debebant, ne quid dicerent ex iis quae ad Dei summam dilectionem pertinèrent, mox enim sic, auditis illis, extra se discedebat, ut longo temporis intervallo nemo posset ei loqui. Interim tamen etiam mire diligebat proximos, adeoque promovère cupiebat cujuslibet bona spiritalia, ut quiete potiri non posset in spiritu, nisi ei pro sua vocatione et facultate subveniret. Et libenter illa etiam seipsam obligasset, ut posset opitulari proximis, sicut et re ipsa

Digitized by Google

fecit. Cum enim nobilis quidam in eam ignominiam incidisset, ut sine magno discrimine non posset satisfacere creditoribus suis, illa charitate ferventi effecit per bona quaedam ipsi commendata, ut absque detrimento evaderet. Etsi vero ingens ejus erat charitas erga viventes, at tamen sine ulla comparatione magis cupiebat pia benignitate succurrere vitâ functis. Miro quippe tenebatur desiderio allevandi cruciatus gravissimos animarum, in locis purgatoriis degentium, quibus adeo condolebat, ut diceret se libenter illarum loco poenas illas perpeti velle. Itaque volebat, ut demtis tribus ante Pascha diebus, sorores quotidie dicerent officium defunctorum.

§ **58**. De puritate Virginum in Coleta praeclare relucente, hoc dicere possumus, eam tam excellentem fuisse in Coleta, ut numquam verbum ullum leve aut inhonestum vel dicere vel audire potuerit quovis modo absque animi dolore et afflictione. Quamobrem etiam Christus Dei Filius eam sibi sponsam et amicam charissimam elegit. Accidit autem aliquando, cum adhuc secularis esset Coleta, ut vir quidam lascivus et impurus eam in quodam monasterio cerneret precibus vacantem, foedisque et spurcis sermonibus eam appellaret. Cui illa dolenter respondit : « Utinam praestet tibi Deus notitiam eorum quae dicis. » Mox ille coepit videre scelus suum: cumque vellet e monasterio egredi per portam quae omnibus patebat, nullo modo potuit: sed quoties conabatur exire, toties se retro repelli sentiebat. Non immerito igitur terrefactus, nesciebat quid ageret, multumque formidabat se mente captum iri. Tandem rècolens quid dixisset Coletae purissimae virgini, et existimans eâ causâ se tam misere affligi, et ocyus ad eam accessit, culpam coram illa edixit suam, veniam petiit humiliter et devote. Tum Coleta, Deus, inquit, per sanctam misericordiam suam ignoscat tibi, et quamprimum ille sine difficultate foras egressus est. Tanta erat Coletae puritas, ut multi eam invisentes, antea leves et ad turpia valde propensi, ex ejus praesentia prorsus liberarentur, animisque corroborarentur ad constanter sectandam corporis castitatem. In iis quidam religiosi familiariter ei indicarunt quasdam tentationes suas valde periculosas, moxque se senserunt plane impotentes ad eas exequendas: atque ita et facultate et voluntate peccandi liberabantur.

§ **59**. De patientia Coletae multa jam ante dicta sunt. Quas illa et quantas aegritudines corporis, quos cruciatus et angores internos et externos non solum patienter, sed et hilariter pro Dei nomine perpessa sit, commemorari vix queat. A principio devotionis suae afflictiones, si deessent, appetiit: si adessent, amanter sustinuit. Quae res eam Christo sponso effecit similem , qui in hac valle miseriae nunquam poenarum et afflictionum expers fuit. Si quis interdum miseratus ejus dolores internos et externos, diceret ei : « Heu mater, quam dire passa es : » illa

Digitized by Google

respondebat: «Ego facile soleo etiam de parvis conqueri.» Omnibus ei persecutionem, damnum, afflictionem inferentibus, pro malis libenter voluit bona reddere, ita ut nonnumquam diceret se provisuram illis de rebus necessariis, quoad essent in vita. Ab ipsis quoque familiaribus amicis non parum vexata fuit: quos ut ab ingratitudine revocaret, eos ad se accitos, in suis collocavit monasteriis, et tum corporalia, tum spiritalia eis adhibuit solatia, tantamque salutis eorum curam gessit, ut multi ejus precibus ab animae et corporis periculis extracti sint. Illi autem plus dolebat Dei injuria et perditio animarum ipsam persequentium, quam mala omnia, quae ei undecumque accidere potuissent. Ad extremum tamen tales redibant ad sanitatem, et dolebant se tam malitiosos in eam fuisse.

§ **60**. Multa etiam tulit ab extraneis non paucis, praesertim a quodam magni nominis viro, cujus facta cum nomine non consentiebant, qui et clam et palam obtrectabat ei, mirabiliter eam impediens, multisque vexans modis, et plane affirmans se et illam et omnes conatus et opera ejus prorsus eversurum. Illa vero sic ei respondit: « Spero fidenter in bonitate Dei conservaturum eum, quae per eum facta sunt. » Duo e Clero praecipui ejus persecutores fuere in ea urbe, in qua permulti non mediocriter eam infestarunt et impediverunt. Ii multos confinxere articulos incredibili malitia, asserentes eam Hussitarum haeresi (*a*) laborare, et multa alia sane abominanda, ab illis scelerate conficta, quae tamen non dubitabant palam omnibus proponere et evulgare, ut efficacius sancta ejus opera retardarent. Sed illa his omnibus et quibuscumque aliis injuriis opponebat silentium, ferens omnia sedato et tranquillo animo. Quamvis autem sancti homines sileant, dum ferunt persecutiones, non minus tamen formidanda sunt judicia Dei. Ecce enim alter horum ut se vidit frustratum conatu suo, elato animo alio commigravit, sed paulo post extinctus est: alter mansit quidem, sed gravi correptus morbo, valde cruciabatur, crebro appellans Coletam, tanquam indicaturus eâ causâ se sic torqueri, quod injuste eam esset persecutus: atque in iis doloribus clausit diem extremum. Quidam etiam laici opulenti sanctitatem ejus et vim sanctae paupertatis ignorantes, non parum ejus detraxere existimationi et famae, dicentes eam esse foeminam cumprimis opulentam, quae mutuas daret pecunias propter usuras, et quae cambia vel collybos Parisiis, Brugis et Gandâvi manuteneret. Sed haec illi ineptissime, quando cor ejus adeo fervebat sanctae paupertatis amore, ut multo libentius passura fuerit se vivam excoriari, quam quicquam ejusmodi admitteret.

(*a*) HUSSITAE a Joanne *Huss* sive *Hussiret* haeresiarchâ appellati, *Pragenses* etiam dicti sunt a Praga Bohemiae urbe in qua studiis ille vacaverat, et Theologico Doctoratu insignitus fuerat. Wiclephi et Valdi in *Transubstantiationis* Eucharisticae mysterium et Romanae Sedis Primatum, Ecclesiaeque docentis auctoritatem errores hac haeresi complectebantur et propugnabantur. Huss in Constantiensi Concilio anni MCCCCXVII, Sacerdotio dejectus ac solemniter damnatus est.

Digitized by Google

Multi etiam nobiles et potentes intolerabili quadam vexatione illam appetere conati sunt propter aedes quasdam, quas ipsi volebant ad alios, quam oportèret, usus applicari: sed Dominus Jesus praecipuos ejus vexationis auctores brevi abstulit e vita. Illa vero et has et alias prope innumeras persecutiones instar agni suaviter et patienter tulit amore illius Agni innocentis, qui uno die plus nostrâ causâ perpessus est, quam nos pro illo ferre possemus cunctis diebus vitae nostrae.

§ 61. Cum jam sexagesimumsextum aetatis complesset annum, ut perfectissimae perseverantiae coronam posset adipisci, tametsi corpore valde esset debilis et exhausta, tum propter senium et incommodam valetudinem, tum propter graves dolores, quos tulerat, et quotidie patiebatur pro voluntate Dei: at tamen ita se comparabat, tanquam jam ab integro vellet inchoare bene agendi studium, perinde acsi robusto esset corpore, nec quicquam unquam recte et praeclare gessisset. Itaque nunquam recusavit laborem, nec desiit se promptam offerre ad colligendas vires, quantumvis esset et laboribus et variis defessa poenis, et ad totam se impendendam, ubi id Dei amor et salus animarum poscere videretur. Saepenumero ab aliquo profectura monasterio ad exequenda opera pietatis, tam cernebatur imbecillis, ut vix sustinere se posset, nec breve spatium viva confectura putaretur: at nihilo minus suscipiebat illa labores et dolores propter amorem Dei, ajebatque se paratam esse mori, prout Domino visum esset, sive in agris, sive in pagis. Cumque ejus comites plerumque adeo delassarentur ob nimios labores, ut aegre respirare possent, illa sola permansit àlacris, vivax, constans et infatigabilis, non aliter laborans Christi causâ, quam si esset plane recens et firma valetudine, nec quoad vixit, vineam Domini colere cessavit, graviterque et perseveranter multos exantlavit labores, donec ad optatum eumque clarissimum pervenit finem.

§ 62. Eum autem vitae suae finem illa praedixit, dicens se biennio non supervicturam, quod etiam sic accidit. Tandem tribus fere ante obitum suum septimanis expresse ait se migraturam ad Dominum, et cum ad se accersivisset sorores, hortabatur eas singulari animi affectione et studio, ut essent verae et perfectae monastici instituti cultrices, Deum timerènt et amarent prae omnibus, Canonem sive regulam observarent, itemque declarationes illius, redderentque fideliter Domino, quicquid ei vovissent. Cumque haec et multa alia salutaria dixisset, subjunxit: « Non est quod putetis me in decessu meo quicquam dicturam vobis: nihil enim tum ex me audietis. » Deinde ait confessario suo: « Pater, quicquid ego in reformando S. Francisci instituto feci, Dei nomine id feci: et licet magna ego sim peccatrix, et tota vitiis obnoxia, attamen si denuo mihi facienda essent ea quae feci, non video, quemadmodum ea aliter facerem, atque feci. Inde

Digitized by Google

mensis Februarii die vigesimo sexto, qui fuit Dominicus, mane confessione facta, sub sacrificio Corpus Christi summa devotione percepit. Sequenti nocte venit ad eam singulari quadam benevolentia Dominus Jesus: post quam apparitionem illa instar infantis nihil jam ullas curabat res mundanas, soli Deo vacans, ore vel mente illum deprecans. Post accidit ei insolita quaedam debilitas, quae confessarium ejus, timentem moreretur, eo permòvit, ut extremam unctionem ei adhiberet. Deinde legit apud illam Christi passiones, quibus absolutis advertit nondum adesse supremum vitae tempus: itaque recessit ab ea. Altera die ad ejus venit oratorium, sacrificium pro more coram illa facturus, reperitque illam optimae constitutam, perinde ac si esset incolumis. Mirabatur autem, unde tam cito esset restituta, sciens absque speciali gratia Dei id fieri non potuisse. Tum vero sacrificium illa cumprimis reverenter audivit, et Christi Corpus cum multis lacrymis adoravit: idem faciens etiam reliquis ejus hebdomadae diebus.

§ **63**. Confessarius cum socio, nolens eam se absente reddere spiritum, venit ad monasterium, quod illa nemine indicante ilico cognovit. Ad vesperam sextae feriae comiter et consolatorie loquebatur ad fratres. Sabbato post sacrificium, petita ab eis copiâ, et peractis precibus, celeriter abiit ad cubile, Crucis signo se consignans, aitque: « En extremum cubile: deinde in illo se reposuit, vestita more suo, sibiipsi imponens nigrum velamen quod a Pontifice acceperat, cum primum professionem fecit. Mox clausit os et oculos, deinceps non aperiendos, licet interim omnia nosset, quae foris agerentur. Pro quodam enim levamento attulerunt ei pulvìnar, quod illa rejecit. Quadragintaoctó horis sic mansit in lectulo, nihil neque loquens neque videns, neque ullum vel gestum vel signum ullâ corporis parte edens, sed summam prae se ferens honestatem et sanctitatem, nihil mutato colore in illo dolore, quo tunc cruciabatur. Inde sexta Martii die, cunctis Gandavensis monasterii sororibus praesentibus, itemque ejus confessario et socio fratre, clausit extremum vitae tempus, animâ sanctissimâ a corpore suaviter recedente, et recta ad Deum creatorem suum proficiscente. Color autem, qui fuit in ea decedente, perduravit horis aliquot: inde subito corpus ejus mutatum est in pulchritudinem admirandam. Erat enim instar nivis candidissimum, venis colore caeruleo elegantissimo passim apparentibus: membra omnia formosissima visebantur, et quae possent facile inflecti, odorem mirificum ex se diffundentia, ita ut plane in eis innocentiae status et omnimoda puritas relucèret. Iis adeo permoti fuere plurimi, ut supra triginta hominum millia ad eam visendam confluxerint. Tertio ab obitu suo die humatum est virgineum illud corpusculum, sed, ut ipsa jusserat, in summa

Digitized by Google

paupertate, et absque ullo operimento, sicuti Christus nudus in cruce pependit *(a)*.

§ 64. Eâ horâ, qua migravit, in quibusdam monasteriis, auditae sunt voces longe suavissimae cantantium Angelorum, e quibus una sic a nonnullis dicere audita est: Venerabilis religiosa soror Coleta migravit ad Dominum. In quodam monasterio ejus, soror quaedam prae caeteris amabat Coletam. Ei illa moriens ante mediam noctem apparuit in regione longinqua moranti in forma pulcherrima et splendidissima, sed ob nimiam claritatem faciem ejus videre non potuit. In alio monasterio procul remoto soror quaedam summopere cupiebat videre eam, multasque fundebat ad beatissimam Mariam preces, ut per eam posset compos fieri voti sui. Putabat enim, si vel unâ horâ vidisset eam, id sibi semper profuturum. Ea igitur nocte, post quam obiit Coleta, vidit speciosissimam quandam et venerabilem dominam, cujus pulchritudo nullis posset verbis explicari. Ejus facies prorsus luculenta fuit, instar crystalli soli oppositae. Porro ter per oratorium deambulabat, sequebaturque eam puer elegantissimus, facie aeque lucida, semel atque iterum sic dicens: « Ecce soror Coleta, ecce soror Coleta. » Tum vero soror haec videns et audiens, miro fuit perfusa gaudio, quod cerneret eam, cujus visendae summo flagrasset desiderio: cumque vellet caeteras inclamare sorores, non potuit vocem exprimere. Putabat autem velle eam visitare monasterium: dictum enim erat ei adhuc novitiae, quod etiam in spiritu visitaret monasteria. Postquam vero ad dormitorii fores venit, illa evanuit. Eodem die, eoipso tempore, quo Coleta decessit, soror haec sola ingressa est in oratorium, Domino preces oblatura: cumque se submisisset in genua, mox audivit voces altas et claras grandis multitudinis, quibus suaviores in hoc mundo percipi non possent; sublatisque in coelum oculis, vidit faciem luculentam, quam nocte viderat, in medio tam dulciter canentium. Etsi autem nihil horum tum intelligeret, pie tamen credidit esse eam Coletae lucidissimam animam, quam Angeli in coelos deducerent. Aliis quoque duabus per visum ostensa est anima Coletae cum multa gloria et reverentia a sanctis et Angelis frequentissimis duci in coelum, multis eam sequentibus animabus, quas, ut altera ex iis vidit, illa suis meritis et precibus e purgatoriis poenis liberarat, hactenus ibi detentas.

(a) Coletae (non per *Apocopen* ut sopra in exordio hujus historiae e quadam nota leviter acceptum deprehendimus, sed per *Apheresim* ex Nicoleta) fuit paternum cognomen *Boilet*. Ejus corpus Gandàvo Poliniacum in Gallias translatum a migrantibus ipsis Collectinis Sanctimonialibus anno MDCCLXXXIII. Gallicana grassante rerum eversione, reliquiarum S. Coletae incolumitati feliciter provisum. S. Virginem miraculis et veneratione celeberrimam officio proprio coli jam concesserant quatuor Summi Pontifices; ejus Canonizatio celebrata est anno saeculi nostri septimo.

Digitized by Google

S. THOMAE AQUINATIS
CONF. ET ECCL. DOCTORIS
COGNOMENTO ANGELICI

VITA PER LAUR. SURIUM EX SCRIPTIS FIDE DIGNIS COLLECTA ET CONFECTA

Anno natus 1226, obiit 1274. — Italus.

§ 1. Praestantissimus vir D. Thomas Aquinas * tot fuit divinitus auctus et naturae et gratiae donis, ut inter praecipuas Ecclesiae Dei columnas non immerito numeretur. Vita ejus a diversis conscripta habetur, sed a plerisque nimis breviter, a nonnullis vero prolixe satis, sed stylo, quod ad quosdam attinet rudi et impolito, ut lectorem emunctioris naris facile possit offendere. Quae igitur ad tanti viri laudem et gloriam facere videbantur, aliquanto fusius, servatâ tamen mediocritate colligere studui, idque paullo latinius quam ii ex quibus ea descripsi, ut laudetur praepotens Deus in Sancto suo, et vir beatissimus eo quo par est ab omnibus honore afficiatur. Quod igitur ad genus ejus et patriam attinet, patrem habuit ex illustri familia Comitum Aquinatum, eumque Landulphum nomine; matrem vero Theodoram, et generis et morum nobilitate insignem, patriâ Neapolitanam. Porro cum adhuc mater ejus eum utero gestaret, vir quidam sanctus in Campaniae monte quodam cum pluribus aliis vitam ducens eremiticam, re et nomine Bonus, ob vitae sanctitatem jam famâ celebris, ad eam in castro suo Rochâ Siccâ morantem accessit, eique dixit spiritu prophetico: « Laetare, Domina Theodora; paries enim filium Thomam, qui toto orbe ob vitae et eruditionis praestantiam celebrabitur; porro S. Dominici institutum idem ipse complectetur.» Cui illa respondit: «Fiat Domini voluntas. » Natus deinde puer est et Thomas vocatus, nutricique tràditus; quae cum eum aliquando in balneo vellet abluere, manum extendens infantulus chartulam e terra sustulit nullo innuente, eamque compressa manu coepit retinere. Nutrix autem eum lavare cupiens, conata est chartulam e manu ejus extrahere; at ille id non ferens, acriter flere coepit. Itaque nutrix pietate commota noluit ei molesta esse; illàque cessante, ille quoque lacrymari desiit. Relictâ igitur in manu ejus chartulâ, nutrix eum abluit, ablutumque extersit et induit. Rem autem totam matri ejus indicavit, quae egre tandem infantis manum aperuit, ex eàque chartulam evulsit, in qua scipta visebatur Angelica Salutatio. Infans vero chartulam instanter repetiit, atque demum

* *Aquinum* veteris Latii oppidum est, Neapolitanae ditioni addictum.

Digitized by Google

ploranti redditam, ille mox deglutivit. Visa est ea res multis non vacare et miraculo et mysterio, quod eximius olim Ecclesiae Doctor futurus, in eam chartulam ante omnes incidisset, quae nostrae salutis jucundissima initia contineret. Solebant postea illi lacrymanti libellum aliquem offerre, eoque apprehenso lacrymas remittebat, non sine multorum admiratione, qui inde colligerent magnos illum in litteris progressus habiturum. Quoties etiam librum aliquem conspexisset in tenera aetate, ad illum accurrebat, et volvendo chartas, ejusmodi se ludo instar puerorum oblectabat.

§ 2. Jam vero ubi ad quintum pervenit aetatis annum, a parentibus ad amplissimum illud Cassinense * monasterium missus est, et pietate et litteris imbuendus. Ejus monasterii fratres militant Christo sum regula S. Benedicti. Factum hoc est magno divinae providentiae consilio, ne tantilla aetas, si in pravos et mundo huic deditos magistros incidisset, aliquam ab iis labem contraheret. Adhibitus autem illi est in eo monasterio praeceptor qui eum et optimis moribus et egregiis instrueret disciplinis. Ab hoc vero sanctus puer saepe importunis precibus extorquere solebat, ut ipsi diceret quid sit Deus. Quae autem ab illo magistro dicebantur, manebant apud puerum alta mente reposta. Erant in illo monasterio etiam aliorum nobilium virorum pueri: in quibus si quos vidisset aut arrogantes, aut dissolutis et incompositis moribus, eorum consortia devitabat. Gestare solebat manu chartulam, prima puerorum rudimenta continentem. Multa in illo visebatur morum maturitas, nulla puerilibus annis familiaris lèvitas, nulla loquendi futilitas aut garrulitas; incipiebat enim jam tum in silentio secum ipse utilia meditari et certe in illa tam tenera aetate duabus amplius horis in precibus et Dei laudibus versabatur. Movebant haec ejus coenobii Abbatem, quippe cui haud obscure indicarent, nihil vulgare aut mediocre ab illo ingenio quandoque expectandum: tandemque eo permoverunt, ut puerum tam praeclarae indolis parentibus remitteret, simul hortans, ut Neapolim eum disciplinis liberalibus accuratius instituendum ablegarent. Et ita factum est. Venit Thomas annos natus plus minus decem Neapolim, et pro admirabili ingenii vivacitate ita profecit in litteris, ut commilitones suos omnes antecelleret. In Grammatica, Dialectica et Rhetorica fertur quodam Martino peritissimo praeceptore usus, in Physicis vero Petri Hybernici fontes esse sectatus. Jam fama increbrescebat, Neapoli esse adolescentem qui eximiis virtutibus aetatem vinceret. Verum ille, licet valde adhuc puer, jam alia animo volvebat, nec quid de ipso praedicarent homines, sed quomodo posset ipse gratam Deo offerre servitutem, sibi cogitandum existimabat. Per id tempus frater quidam Dominicani Instituti, ingenium ejus vehementer

* Vide Surium mense Januario p. 303.

Digitized by Google

admirans, videre sibi visus est radios quosdam luculentos de ejus vultu vibrari qui longe lateque diffusi, cernentium oculos illustrarent.

§ 3. Contigit autem F. Joannem de S. Juliano, cujus erat admodum celebris opinio, in colloquium sancti Thomae tunc fortassis incidere, Dei utique spiritu id agente. Is eum hortari coepit, ut contempta mundi vanitate, ad Dominicani Instituti, cujus ipse quoque ex professo erat monachus, complexum se conferret. Erat hoc nihil aliud, nisi jam currenti calcar addere. Jam enim ille venerabilis puer secum statuerat ad illud se vitae genus transferre. Itaque quod mente deliberarat, confert in opus, et annos natus tredecim, contempta tam illustri generis dignitate, posthabitis amplissimis opibus, omnique fastu et pompâ mundi hujus proculcatâ, induit habitum S. Dominici, magis èligens abjectus videri in domo Dei, quam habitare in tabernaculis peccatorum et omnibus mundi hujus falsis et commentitiis bonis circumfluere. Permovit autem animos omnium quod nobilissimus puer rem tantam esset aggressus et ex opulento sponte elegisset fieri inops et pauper, nihilque hujus mundi possidere. Solent enim in hominibus piis et Deo devotis id summopere admirari, nonnumquam etiam irridere et contemnere illi qui in magna felicitate ponunt, honoribus et divitiis, atque aliis id genus vitae hujus vanitatibus affluere. Et tamen de ipso filio Dei dicit Apostolus, *Qui cum esset dives, propter vos egènus factus est* (2 *Cor.* VIII). Immo vero ipse dicit de seipso: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet* (*Matth.* VIII).

§ 4. Exemplum igitur dedit nobis, ut si velìmus ad perfectionem aspirare, rebus omnibus nuncium remittamus. Fecerunt hoc innumeri sexus utriusque sanctissimi homines, atque in iis etiam Imperatores, Reges et principes: fecit etiam S. Thomas: sed mater ejus, ut est matronarum in filios vehemens affectus, valde id acerbe tulit, nolens privari filio suo. Itaque multis stipata matronis, venit Neapolim. Et in hac quidem re commemoranda nonnihil variant scriptores. Alii enim dicunt gavisam fuisse matrem, cum recordata esset olim id praedictum fuisse, fore ut Thomas se conferret ad monasticum vitae genus: atque eâ causâ ivisse Neapolim, ut filium in eo proposito confirmaret: at tandem tamen animo fuisse commotam, cum non daretur ei facultas filium alloquendi. Verebantur enim patres Dominicani, ne mater filium suis blandis colloquiis ab instituto revocaret: dederuntque operam, ut primum Romam, inde in Tusciam, mox Parisios Thomas perduceretur. Nec cessabat mater abeuntem Romam usque insequi, sed ibi eum non inveniens, perturbari coepit, maxime quod non crederetur ipsi affirmanti, se non nisi confirmandi filii causâ ejus colloquium expetere. Eo tempore

Digitized by Google

fratres sancti Thomae Landulphus et Arnoldus, viri strenui et prudentes, in castris Friderici II Imperatoris militabant. Ad illos scribit mater, dent operam, ne Thomas possit ex Italia transire in Gallias. Illi lectis literis, non mediocriter commoti, assentiente Imperatore, locis opportunis fortissimos collocant viros qui eum intercipiant. Nec defuit illorum conatibus prosper successus. Cum enim Thomas sanctus puer cum quatuor sociis ejusdem professionis iter capesseret, et labore fessus, ad puteum sederet, a militibus comprehensus est; qui eum habitu monastico vi spoliare volentes, cum eum cernerent modis omnibus obnìti, ne quid incommodi acciperet, eum ad fratres illius adduxerunt. Ii porro ad matrem eum ducendum curarunt. Dolebant interea fratres Dominicani quod ea vi conspicerent abdùci tantae spei puerum. Porro mater viso Thoma, ingenti gaudio affecta est, sed vincente muliebri affectu, persuadere illi conatur, ut religionis habitum deponat. Sed frustra jàcitur rete ante oculos pennatorum. Erat ejus optimi pueri mens longe firmior et robustior in Christo, quam quae maternis posset blandimentis everti. Cumque nihil proficeret, custodiendum illum tradit militibus in castro quodam, donec ejus propinqui et cognati adventarent. Nec sibi tamen ferendam putabant Patres Dominicani illam vim allatam suae professionis fratri, querelasque deferebant ad Innocentium IV Romanae sedis Pontificem. Pontifex non immerito rei indignitate permotus, ad Fridericum Imperatorem nuncios cum literis misit, adhortans eum, ut ejus injuriae administros inquiri juberet. Fridericus Imperator non id negligendum ratus quod Pontifex admonuisset, milites comprehendi jussit et duci in custodiam: nec diu post fratres Dominicanos hortàtus est, ut suas preces ipsi offerrent. Illi vero cum in spem bonam venissent recuperandi Thomae, per vim et injuriam ablati, nolebant querelas apud Imperatorem deponere, ne si quid ille in milites gravius statuisset, scandalum inde nasceretur et scrupulus quidam conscientiis injiceretur.

§ 3. Jam fratres S. Thomae Landulphus et Arnoldus ad matrem proficiscebantur: sed omittendum hoc loco non est quod cum illi ad Thomam venissent, ejusque insuperabilem constantiam cognovissent, sorores suas hortati sunt, ut ad eum se conferrent, eumque a sententia deducerent. Non recusarunt illae quod jussae erant: sed ubi in ejus congressum colloquiumque venerunt, ita ab illo, jam divinitus valde illustrato, puero institutae sunt, ut altera earum, posthabitis mundi pompis, sacris virginibus in monasterio se conjunxerit, ac demum iis praefecta, in sancta professione sancte obierit. Ea res magis etiam fratrum iracundiam concitavit, ita ut ad carcerem quo Thomas continebatur, accederent, et injuriis atque conviciis eum exagitarent, denique habitum monasticum discerperent, ut ille pudore

Digitized by Google

affectus, ipsis assentiret. Sed sanctus puer cedens furori et fragmenta vestium colligens, iis se, ut potuit, rursus induit, ex injuriis, conviciis et contumeliis pulcras sibi contexens patientiae coronas. Non potuit autem iritatus furor quiescere: ad atrociora se ejus fratres arma convertunt. Revera inimici hominis, domestici ejus. Erat mulier venusta specie quae non ita pridem nupta, jam corpus suum omnibus prostituebat. Hanc invitant, ut quibus possit blanditiis et lenociniis pudicissimum adolescentem ad turpitudinem impellat. Ingreditur illa cultu et animo meretricio ad S. Thomam in carcerem, verbisque lascivis et tactibus coepit ejus animum solicitare de re nefaria. Vt autem sensit castissimus adolescens se illius impuris illecebris et pestiferis suggestionibus nonnihil moveri, «Ne quaeso sinas, inquit, Domine Jesu et tu, sanctissima Christi mater et virgo Maria, ut tam immani me scelere obstringam :» moxque a foco arrepto titione, illam procacem et impudentem foeminam procul a se abègit. Deinde clauso ostio, in quodam custodiae angulo crucis figuram illo titione pinxit in pariete, seque prosternens in orationem, cum lacrymis Dominum rogavit, ut ipsi largiretur perpetuae continentiae et integritatis donum. Inter orandum autem cum esset somno correptus, duo ei dormienti apparuère angeli qui ei dixerunt, preces ipsius a Domino exauditas: simulque cingulo ejus strinxerunt renes, ita dicentes: Nos a Domino jussi, zonâ castitatis te cingimus, nulla posthac ratione dissolvendâ. Interim vero ille ex ea constrictione dolorem sentiens, exclamavit. Accurebant autem custodes, volentes scire qua ex causa eos clamores edidisset. At ille prorsus indicare noluit quoad supervixit: ubi autem se sensit moriturum, indicavit fratri Reginaldo socio suo, quem etiam aliorum secretorum suorum conscium esse voluit. Fertur vir sanctus ab eo tempore quo haec illi accidit tentatio, usque adeo vitasse foeminarum colloquia, praeterquam ubi vel utilitas vel necessitas aliud postularet, ut solent homines sibi a serpentibus et scorpionibus cavere.

§ 6. Tandem vero mater ejus Theodora, cum jam biennio fere in custodia illum detinuisset, verita ne Dei in se iram concitaret, fratribus Dominicanis copiam fecit eum ad se revocandi. Eo autem tempore, quo sic asservabatur velut in carcere quodam crebro illum invisebat F. Joannes de S. Juliano, cujus supra meminimus, quippe qui eum non mediocriter in Domino amaret: afferebatque illi vestes necessarias, idque tam occulte, ut iis sese quidem indueret, sed rursus apud eum exuens, illi eas relinqueret. Et multa sane admiratione dignum est, quod quidam annotarunt, S. Thomam in eo carcere multa in litteris tam egregie calluisse, acsi ea ab eximiis praeceptoribus didicisset. Porro autem matre connivente, subtractisque custodibus, per fenestram e castro Thomas deponitur, et a fratribus Dominicanis, qui jam eo

advenerant, excipitur, et cum multo gaudio Neapolim reducitur. Inde vero Romam missus est. Id temporis Joannes Teutonicus, Ordinis S. Dominici Magister, ut vocant, doctrinâ et pietate clarus habebatur. Is Thomam secum Parisios abduxit: ibi cum aliquot menses fecisset, missus est Coloniam Agrippinam, ut Alberti Magni, multiplici doctrinâ et vitae sanctitate celeberrimi, praelectionibus interesset. Quem sane ut audivit, mirifice laetatus est, tantum se invenisse praeceptorem. Jam ante enim crebro Dominum precatus erat, ut quandoque liceret ipsi ad tantum virum pervenire. Ubi sane obiter illorum reprehendenda est temeritas, inscitia et impudentia, qui sanctum virum necromantiae insimulant, et ei nescio quae alia imperite, ne dicam scelerate, attribuunt, sed haec fortassis alibi fusius dicentur. Fuit ille sane incomparabili rerum plurimarum cognitione, et egregiâ quoque vitae sanctimoniâ praeditus, ut non immerito S. Thomas illo praeceptore gloriaretur. Multam sibi eruditionis materiam sub illo collegit Thomas, qui jam quasi Pythagoricum quoddam sibi silentium indixisse videbatur, ut posset ad studia literarum majorem animi attentionem adferre. Adeo vero perpetuo fere ea taciturnitate utebatur, ut condiscipulis eo nomine propèmodum in contemptum veniret, qui eum bovem mutum appellabant. Forte per id tempus *Albertus* Dionysii de divinis Nominibus librum praelegit, et Thomas non segniter auscultabat. Aderat ibi inter alios quidam bene literatus, qui cum Thomam adeo silentii studiosum cerneret, eum obtuso ingenio et hèbeti existimans. Percurramus, inquit, sive repetamus, quae ab Alberto praelecta sunt. Thomas pro sua modestia libenter annuit. Inter repetendum autem cum ille nonnihil erraret, a Thoma admonitus est, aliter Albertum sentire, quam ab ipso putaretur. Cumque ille rogaret, ut Alberti sententiam explicaret, Thomas ita Dionysium interpretatus est, ut Albertum etiam vincere videretur. Perlatum hoc fuit ad illum, quem studiosorum magistrum vocant, qui postera die ad locum clam accessit, ubi Thomas praelectionem Alberti repetebat, diligenterque auscultans, ejus ingenium et doctrinam valde admirabatur, moxque rem totam Alberto aperuit.

§ 7. Non diu post Albertus in publica disputatione quaestionem difficilem tractandam suscepit. Aderat Thomas, et dicta Alberti tenaci memoriâ asservans, deinde scripto comprehendit: sed cum e cubiculo festinus exiret, chartula, in qua ea descripserat, ei excidit nescienti, invèntaque ab alio quodam, ad Albertum allata est. Qui cum legisset, divinam in eo gratiam, eamque singularem, animadvertit. Itaque jussit, ut in proxima disputatione ad quaestionem non cuivis obviam Thomas responderet. Ille principio recusavit prae verecundia et humilitate, sed cum Albertus instaret, cessit humiliter. Cum autem non tamen suo ingenio, quam divinâ gratiâ niteretur, ad obsecrandum Dominum Jesum

Digitized by Google

se contulit. Ubi ad disputationem ventum est, tantâ in respondendo dexteritate usus est, ut Albertus ei palam diceret: « Thoma, tu mihi non tam respondentis, quam doctoris locum obtinere vidèris: » conversusque ad alios, « Vos, inquit, hunc bovem mutum vocatis: sed ille certe tales quandoque docendo mugìtus dabit, ut totus possit orbis audire. » Nihil vero sancti juvenis animum haec efferebant, sed in multa se animi humilitate et sinceritate continens, licet alios ingenio et eruditione superaret, neminem tamen vel leviter prae se contempsit, neque sibi aliquid arroganter attribuit. Ita factum est, ut et Alberto magistro et condiscipulis admirabilis haberetur, quippe qui non obscure intelligerènt, plenum illum esse spiritu Dei. Cum jam vero aliquandiu Coloniae haesisset, et sub Alberto non mediocriter in litteris et moribus profecisset, idem Albertus praeclarum ejus doctrinae et sanctitati testimonium reddens, persuasit Magistro Ordinis, ut eum Lutetiam revocaret, in S. Theologiae Baccalaureum illic promovendum. Datis igitur ad eum literis, jussit Ordinis Magister, ut Parisios rediret, et se ad Sententiarum libros praelegendos compararet. Itaque Lutetiam profectus, Baccalaurei titulo, licet invitus, quod se ex multa humilitate indignum putaret, ornatus est. Inde se contulit ad Sententias Petri Lombardi praelegendas. In qua praelectione cum tanta gratia et dexteritate versatus est, ut omnibus longe antecellere putaretur, omnesque ejus doctrinam et sapientiam suspicerent ac stupèrent. Utebatur enim peculiari quadam methodo, et singulares quasdam suis dictis rationes adhibebat, ut auditores ejus minime ambigerent, a Patre luminum coelesti illum lumine perfusum et egregie illustratum.

§ 8. Postquam autem sententias cum omnium admiratione absolvit, et jam tempus adveniebat, ut Doctoris quoque nomine et titulo insigniretur, Parisiensis Academìae Cancellarius, ut vocant, ejus rei admonuit Priorem fratrum Dominicanorum, qui Lutetiae morabantur. Prior itaque mandat Thomae, ut ad eam capessendam dignitatem se praepararet. Sed hic vir sanctus et humilis, ad solita modestiae praesidia confugiens, coepit multa praetexere, se nec scientiâ nec aetate tanto honori parem asserere. Neque enim id temporis annum aetatis trigesimum compleverat. At vicit tandem obedientia, et cum majorum suorum non posset declinare imperium, cum magna humilitate illorum sese voluntati accomodavit: rursusque ad orationis studium se conferens, petiit ab omnipotente Deo opem et auxilium. Postea illi dormienti quidam venerandus senex apparuit, eique dixit: «Quid habes, frater Thoma, quod sic Deum lacrymabundus oras? » Cui ille respondit: « Cogor magisterii et nomen et munus in me recipere, cui me scio imparem esse: nec video, quid thèmatis loco sumere debeam, quemadmodum in scholis more receptum est. » Tum ille senex: « Noli, inquit, pusillo esse animo: vult Deus, ut Majoribus tuis

Digitized by Google

hac in re obtemperes. Thèmatis autem loco habebis illud ex Psalmo: *Rigans montes de superioribus suis, etc.* (*Psal.* 103) *. » His dictis, visio ablata est, et Thomas expergefactus Deo gratias egit, quod tam clementer ipsius preces admisisset.

§ **9**. Promotus inde in S. Theologiae Doctorem, nihil de studio remisit, sed multas reliquit Ecclesiae doctissimas et utilissimas lucubrationes, quas norunt studiosi. In iis sunt illi eruditissimi libri, quos inscripsit, Summam contra Gentiles: in quibus, sicut et in caeteris sancti viri scriptis, non debemus dictionem spectare, quae pro illius seculi more simplex est et scholastica: sed res et sententias, quae doctissimorum virorum judicio sunt in illis admirabiles. Fuit vero etiam in sermone familiari ad persuadendum valde efficax, quemadmodum res subjecta docebit. Venit quandoque ad Christi natalem diem Mollariam, quod est oppidum non longe ab urbe Roma, ubi tum morabatur Cardinalis Richardus: venerunt autem eo etiam duo praedivites Judaei, in rebus Judaicis egregie instructi. Voluit igitur Cardinalis, ut cum illis Thomas sermonem conferret, et ad Christi religionem eos traducere niteretur. Suscepta est cum illis disputatio, multisque ultro citroque allatis rationibus, tandem scripturae divinae testimoniis Thomas evicit, jam Christum et Messiam advenisse, quem infelices Judaei adhuc venturum somniant. Et illi quidem tunc a Thoma ea conditione dimissi sunt, ut in crastinum secum deliberarent, et si quas baberent, rationes contrarias adferrent: interim vero ille ferventi spiritu rogabat pro illis Dominum, ut eos ad se convertere dignaretur, qui pro peccatoribus nasci voluerit. Altero illucescente die, verus Lucifer in eorum cordibus ortus est, reversique ad S. Thomam, posita Judaicae perfidiae obstinatione, Christo nomen dedere, et sacro ablùti baptismate, Christum induerunt.

§ **10**. Admiranda fuit sancti viri inter orandum animi pietas et devotio, et cum se daret rerum divinarum contemplationi, adeo persaepe visus est mente in Deum sublimiter excessisse, ut corpus pariter in aëre suspensum videretur. Praecipua autem devotione afficiebatur erga illud praestantissimum Eucharistiae Sacramentum, solebatque quotidie Missae offerre sacrificium, nisi adversa valetudine esset impeditus: nec hoc contentus, etiam alterius fratris Missam auscultabat, cui etiam utplurimum ipse inserviebat. Sub ipso autem sacrificio, tanti sacramenti amore ebrius, non raro in Deum rapiebatur, totus lacrymis infusus. Horis nocturnis, post brevem somnum, multum vacabat precibus, ut a Domino posset obtinere gratiam scribendi et docendi, quae

* *Rigans montes..... de fructu operum tuorum satiabitur terra.* **Quam mirabiliter jussus est Thomas angelicae suae doctrinae copiam, fructus et gloriam vaticinari! Ex his profecto quae de montibus divinae speculationis accepit, totam Ecclesiam, quasi agrum coelesti ingesto semine, sapientiae recreavit rore: pluviisque satiavit. Inter Catholicos enim universi orbis in Philosophica et Theologica re, quid solemnius legitur quam quod de Aquinatis scriptis hauritur?**

Digitized by Google

expediret. Quicquid illi a necessaria corporis in somno ciboque ac potu parce capiendo refectione otii superfuit, id totum orationi, lectioni, meditationi, scriptioni impendebat, ita ut nullum temporis spatium absque fructu transmitteret. Cum hominum colloquiis interesse cogebatur, ne illud quidem, licet exiguum, tempus absque animi profectu transigebat, semper aliquid ejusmodi proponens, quod audientium saluti proficeret. Ubi autem licebat ad amica cellulae silentio redire, omissis omnibus, cum quibus erat locutus, qualescumque etiam illi fuissent, mox ad rerum divinarum meditationem sese recipiebat, idque animo tam libero et ad rogandum Dominum expedito, acsi interea secum versatus fuisset. Quod utique argumento erat, caeteris quidem rebus interesse et occupari eum potuisse, sed non nisi Deo et rerum divinarum studio et contemplatione fuisse delectatum. Et est sane hoc in sancto viro accurate observandum, quod quoties vel ad disputationem, vel ad lectionem sive studium, vel scriptionem se conferre vellet, prius ad ferventer rogandum Dominum se contulit, idque cum profusis lacrymis, sciens scriptum omnem sapientiam esse a Domino Deo. Inde factum est, ut illa etiam, de quibus antea dubitarat, post ejusmodi preces tam dilucide perspecta haberet, acsi ea lectione didicisset. Et huc facit, quod ipse socio suo fratri Reginaldo secreto aperuit, et usque ad obitum suum tacitum haberi voluit, ipsum scientiam et eruditionem suam, non tam ingenio et studio, tametsi illa quoque ei non defuère, quam fusis ad Dominum precibus acquisivisse. Quod quidem ille Reginaldus post ejus decessum crebro in scholis et alibi referre solebat, dignum profecto, quod studiosi imitentur. Nam qui posthabito Dei timore, sui ingenii viribus suàque industriâ nituntur, illi cum in literis nonnihil proficiunt, animis intumescunt, et quemadmodum a Leone Pontifice dictum est, causa illuminationis fit eis materia caecitatis, et tum seipsos, tum alios saepe in absurdos praecipitant errores. Sed de hoc satis.

§ **11**. Est autem hoc quoque in sancto viro memorabile, quod cum ei esset integrum, libenter solitus fuerit aliquid in Patrum Collationibus lectitare, ne ex rerum subtilium speculatione affectus ejus nonnihil tepesceret, possetque se rursus facilius ad divina contemplanda colligere et erigere. Et in hoc quidem S. Dominicum sectatus est, quem ejus libri lectione constat magnopere fuisse delectatum, et ad magnam vitae perfectionem incitatum atque promotum. Occurrit quandoque S. Thomae locus difficilis in Isaia propheta, quem tum interpretabatur: cumque ad ejus sensum et mentem penetrare non posset, multis diebus in jejunia et orationes incubuit, donec a Domino aperiretur, quod clausum et abditum videbatur. Ita nocte quadam, cum precibus vacaret, socius ejus Reginaldus audivit quosdam cum illo miscere sermones, licet percipere non posset, quinam illi essent, vel quibus

de rebus colloquerentur. Illis autem abeuntibus, Thomas ad se Reginaldum vocat, eumque jubet scribere commentaria quaedam in Isaiam, perinde illi ea dictans, ac si ex libro recitaret. Deinde jussus Reginaldus quieti membra reddere, ad Thomae pedes corruit, eum obnixae rogans, et per Christi nomen obtestans, ut diceret, cum quibus tam prolixe fuisset locutus. Recusante diu Thoma, et rem secretam pandere nolente, Reginaldus in prece perstitit. Tandem igitur, ne Christi nomen, per quod adjuratus erat, negligere videretur, cum lacrymis ei dixit: « Scis fili Reginalde, quam me hisce diebus afflixerim, ob loci hujus obscuritatem, cujus jam expositionem ex ore meo scripsisti. Misit autem pius Dominus ad me Apostolos Petrum et Paulum, quos mihi apud illum intercessores adhibueram, et cum illis jam dulcia habui colloquia, iique hunc mihi locum valde luculenter explicarunt. Sed ego omnipotentis Dei verbis tibi praecipio, ne hoc, quod ex me adjurato cognovisti, donec ero in hac vita, cuiquam omnino revèles.

§ **12**. Idem Reginaldus incidit quandoque in febrem valde molestam et continuam. Eum Thomas accessit, et optimis sermonibus hortabatur ad patientiam. Ferebat autem vir sanctus ad collum suum suspensas reliquias quasdam S. Agnetis virginis et martyris, quam singulari amore et devotione prosequebatur: monebatque Reginaldum, ut ipse quoque in illam sanctissimam virginem animi devotionem conciperet: simulque ejus pectori sacras reliquias imponens, Dominum pro fratris salute precabatur, et ille mox e lecto surrexit incolumis. Oranti quodam tèmpore S. Thomae Neapoli in templo Dominicanorum apparuit frater Romanus S. Theologiae Doctor, Ordinis S. Dominici, quem ille sibi Parisiis in praelectionibus reliquerat successorem: qui non ita pridem obierat, Thomâ ignorante. Ut ergo illum vidit juxta se stantem, « Gratulor, inquit, te adhuc advenisse; sed quando, oro, venisti? » Respondit ille: « Ego jam excessi e corpore: permissum autem mihi est pro tuo merito tibi apparère. » Territus eo responso nonnihil sanctus vir, cum se collegisset, ait: « Adjuro te per Dominum, ut indices mihi, num placeant Deo opera mea. » Respondit Romanus: « Persevera in hoc statu, nec dubites grata esse Deo quae facis. » Et Thomas, « Tecum vero, inquit, ut agitur? » Respondit: « Ego vitâ fruor sempiternâ. Attamen ob negligentius curatum testamentum, a Parisiensi Episcopo mihi tràditum, poenas lui in locis Purgatoriis ad dies quindecim. » Et Thomas: « Scis, inquit, crebro nos in disputationem illam adduxisse quaestionem, an permaneant in animo scientiae, in hac vita acquisitae: quaeso, ut eam mihi expedias. » Respondit Romanus: « Ego Deum intueor: noli hac re ex me sciscitari. » Et Thomas: « Vides ne, inquit, Deum sine medio, aut aliqua re interposita? » Tum ille: « Sicut audivimus, ait, sic videmus in

Digitized by Google

civitate Domini virtutum: » moxque disparuit, et S. Thomam multâ reliquit consolatione perfusum. Alio tempore idem sancto viro in preces incumbenti Parisiis soror ejus apparuit, seque in Purgatoriis locis cruciari dixit, orans, ut sacrificia et preces pro ipsa Domino offerret. Curavit vir sanctus, ut fratres pro ea facerent ut petierat. Interjecto inde aliquanto temporis spatio, Romæ illi rursus se visendam obtulit, indicans se a poenis liberatam, vivere in beata vita. Interroganti autem S. Thomae de duobus fratribus suis, respondit illa, Landulphum quidem teneri adhuc in locis Purgatoriis, Arnoldum vero habitare in coelis: addiditque: « Tu quoque frater brevi nobis jungèris, sed major te gloria expectat, quam nos, ob susceptos pro Ecclesia labores. »

§ **13**. Invitavit quandoque S. Thomam ad sumendum cum ipso cibum Divus Ludovicus Galliae Rex. Excusabat se Thomas, quod propter studiorum occupationes non esset sibi integrum venire ad mensam regis. At compulsus tamen est jussu Prioris Parisiensis. Acriter id temporis animo incumbebat in Manichaeorum oppugnationem: cumque sederet ad regis mensam iis cogitationibus intentus, manu percutiens mensam, definitum est, inquit, contra haeresim Manichaeorum: vocansque ex nomine socium suum, perinde acsi esset in suo cubiculo, « Surge, ait, et scribe. » Prior vero illi assidens, eumque manu tangens, « Domine Doctor, inquit, ad mensam regis hic sedes, non ad mensam Cellulae tuae. » Tum ille ad se reversus, verecunde ait ad regem: « Ignosce mihi Domine mi Rex, quia putabam me domi versari in cubiculo meo. » At sanctus Rex valde admirans eum inter epulas usqueadeo extra se positum, prudenter accivit librarium, jussitque ut quamprimum annotaret, quae sancto viro erant divinitus inspirata. Similiter contigisse fertur, cum sanctus vir ad Cardinalis Legati Tusciae mensam sederet, qui ejus visendi cumprimis erat cupidus: quo tempore scribebat illud opus insigne adversus Gentiles.

§ **14**. Crebros patiebatur ejusmodi mentis excessus: sed tum praecipue diuturnum, cum esset in castro sororis suae Theodorae, non longe ante obitum suum, ubi sane per triduum fere permansit a corporeis sensibus abstractus, adeo ut soror ejus, talium rerum imperita, non minimum turbaretur, quaereretque ex socio sancti viri, quidnam ita subito fratri suo accidisset. Cui ille respondit, « Saepe quidem illum extra se rapi, cum se daret arcanorum contemplationi: at nunquam tamen antea tam prolixe eum se vidisse in eo mentis excessu. » Tandem vero idem frater sanctum virum fortiter traxit, ejus apprehenso cucullo, sicque ad se rediit, et suspirans ait: « Tibi fili Reginalde secretum aperio, prohibeoque ne id me vivente cuiquam revèles. Ego jam scribendi finem facio: sunt enim mihi talia divinitus ostensa, ut illorum comparatione, ea quae hactenus scripsi et docui, mihi

Digitized by Google

exigua sane videantur. Spero autem in Deo meo, quod sicut scribendi, ita et vivendi mihi propèdiem finis àderit. » Solebat vero sancti viri mens in ejusmodi raptibus nonnumquam usqueadeo abalienari a corpore, ut etiam magnos ei illatos dolores minime sentiret. Erat illi ex medicorum consilio in tibia adhibendum cauterium. Ait itaque ad socium fratrem : « Ubi venerit is, qui tibiam usturus est, me fac quaeso certiorem. » Factum est ita: cumque urendus esset, extendit quidem tibiam, sed adeo fuit mente abstractus, et in Deum sublevatus, ut ustionem illam nèutiquam perciperet. Itidem alio quodam tempore in cubiculo scriptitans, et manu ardentem candelam tenens, extra se raptus est, ita ut candelam, ejus manum diu adurentem, prorsus non adverteret. Id genus alia saepius illi Parisiis accidisse compertum est.

§ **15**. Fuit vero etiam multa illi gratia in habendis ad populum sacris concionibus: in quibus tamen vitare solebat ea quae ad curiositatem potius quam ab auditorum utilitatem pertinere videbantur, ad hominum illorum quibus loquebatur, captum se accommodans , et acutas subtilesque quaestiones ad scholas amandas. Tanta autem cum reverentiâ auscultabat eum populus, acsi e coelo ejus verba manarent. Et erat sermo ejus ad persuadendum efficax, cum nihil verbis doceret, quod factis ipse non praestaret. Ardebant verba ejus instar facularum, et auditorum animos ad Dei amorem et animi compunctionem inflammabant Domino cooperante et sermonem ejus confirmante sequentibus signis. Concionabatur quandoque Romae sacratissimo Paschatis die, et absoluta concione cum e suggestu descendisset, mulier quaedam, quae multo tempore sanguinis fluxum patiebatur, nec ullius medici operâ curari poterat, fimbriam cuculli ejus attigit, credens se sancti viri meritis posse sanari: nec est spe frustrata sua, ilico a tactu restituta sanitati. Sequebatur autem eum usque ad monasterium S. Sabinae, fratrique Reginaldo, quid ipsi contigisset, indicavit.

§ **16**. Praeter alias animi virtutes, ingens quoque in sancto viro humilitas relucebat quae est custos virtutum caeterarum, de qua dicit Dominus Jesus: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* xi). Cum enim Bononiae in coenobio ambularet contemplationi intentus, frater quidam alterius coenobii qui sanctum virum non noverat, a Priore petiit, ut liceret ipsi cum fratre qui primus ei venisset obviam, ad quaedam expedienda negotia egredi in urbem. Priore annuente, ante omnes incidit in S. Thomam , edixitque ei : «Dilecte frater, Prior te jussit mecum ire.» Mox praeeuntem fratrem vir sanctus sequitur; sed cum ille iret festinantius, non potuit eum assequi. Itaque non raro ab illo arguebatur, sed vir sanctus humiliter se excusabat. Ut autem cives viderunt tantum virum parvi momenti fratrem sequi, existimabant id errore fieri. Accedunt igitur ad illum fratrem, indicant quem virum

Digitized by Google

post se ducat. Tum ille ad S. Thomam conversus, obnixe rogavit, ut veniam daret suae ignorantiae. Cives autem cum multa reverentia virum Dei compellantes, sciscitabantur cur adeo se abjicere voluisset. Quibus ille respondit: « Monastica omnis religio sanctae obedientiae studio perficitur qua homo homini se subjicit propter Deum, quemadmodum Deus ipse se hominibus causâ salutis humanae submisit.»

§ **17**. Praeclaro imprimis ingenio eum fuisse, praeter erudita, quae extant, ejus scripta, etiam illud confirmat quod aliquando in colloquio familiari ipse dixisse fertur, se numquam legisse librum quem non etiam intellexisset: quod certe paucissimorum est. Memorià vero usqueadeo tenaci fuit, ut quod semel legisset, facile animo retineret. Referre de illo solebat frater Reginaldus, itemque alii quod de diversis rebus dictarit quandoque tribus, interdum vero etiam quatuor amanuensibus sive librariis scribenda. Erga pauperes et in peccata lapsos ex infirmitate, multâ commiseratione movebatur. Divitias, licet vir admodum nobilis genere, plane fastidivit. Iverat aliquando ad sanctum Dionysium, cum Parisiis degeret, ad visendas sacras reliquias: jamque revertenti ostendebant socii civitatem Parisiensem, eamque laudibus efferebant. Tum vero ille ait: « At ego mallem mihi dono dari Chrysostomi Homilias in Matthaeum, quam Lutetiam Parisiorum. Honores etiam amplissimos, ultro ipsi oblatos, respuit.» Clemens ejus nominis IV Romanus Pontifex qui sanctum virum amabat, Archiepiscopatum Neapolitanum ei tradidit; sed ille non modo recusavit, verumetiam cum multa humilitate petiit, ne deinceps id genus dignitates in ipsum conferret.

§ **18**. Quantum quidem ad corporis ejus habitudinem attinet, fuit staturâ pròcerus et rectus, colore tritìceo, magno capite, eoque quadam asperso calvitie, viribus robustus. Cum tempestates et tonitrua aërem concuterent, signo crucis se muniebat, ita dicens: «Deus carnem suscipere dignatus est. Deus nostrâ causâ mortuus est et resurrexit.» Eo autem anno quo vitâ functus est, cum decumberet Neapoli, Joannes Copa Neapolitanus et ejus germanus frater Conus, professione Dominicanus, eum inviserunt, amboque viderunt per fenestram sese inserentem stellam lucidissimam quae cum aliquamdiu haesisset super caput sancti viri, deinde rursus abscessit. Jam vero tempus erat, quo Concilium generale Lugduni habebatur, ad quod eum proficisci voluit Gregorius Romanus Pontifex ejus nominis Decimus. Annus tum agebatur a Christo nato MCCLXXIV. Igitur Neapoli discedens vir sanctus, in ipso itinere ad castrum quoddam Franciscae neptis suae pervènit, ubi eum morbus corripuit qui ejus appetitum omnem fere dejecit. Sciscitanti vero medico Joanni de Guidone, num quem cibum omnino appeteret, ille respondit: «Si aleces possent obtineri, quales habentur Parisiis, fortassis liberet iis vesci. Sed

bi pisces hic non extant.» Abeunti autem medico, obviam venit quidam pisces ferens quos sardas vocant. Illos medicus emit et ubi attulit domum, in alèca mutati sunt. Ubi vero ad sanctum Thomam recentes alèces quae numquam iis in locis feruntur haberi, allatae sunt, ille divinam admiratus benignitatem, noluit eas in cibum sumere, imitatus S. Davidem regem qui cupitam aquam, ex cisterna Bethlehemitica haustam, noluit bibere, sed libavit eam Domino. Porro miraculum illud passim divulgatum est, et multi ex iis alecibus comederunt. Tandem tamen alio se cibo et potu nonnihil refocillavit vir Dei, divinae se providentiae committens. Coepto autem pergens itinere, cum praeteriret coenobium Fossae Novae Cisterciensis Ordinis, ab Abbate et fratribus humanissime invitatus est, ut ad ipsos diverteret, donec esset redditus sanitati. Quorum ille preces contemnere noluit, sed fusâ prius ante aram oratione, ad illos ingressus est. Sentiens autem ex divina revelatione non longe abesse supremum vitae suae diem, clarâ voce multis audientibus dixit ad socium suum: «Fili Reginalde, *Haec requies mea in seculum seculi: Hic habitabo quoniam elègi eam* (*Psal.* 131).» Abbas autem jussit eum honesto loco recipi, ubi se quieti daret. Interea vero morbo ingravescente, vir sanctus lecto decubuit dies non paucos: at fratres ejus monasterii cum tanta reverentia et humilitate ei ministrabant, ut etiam humeris suis e sylva ligna comportarent; erat enim hyems. Quorum officiis vir pius et humilis non sine commiseratione utens, ita dixit: «Qui ego sum, ut servi Christi meâ causâ tantos suscipiant labores?» Sed morbus in dies capiebat augmenta, nec tamen vir sanctus a salutari doctrina se potuit continere. Rogatus enim a quibusdam ejus loci capacioribus fratribus, ut doctrinae suae aliquod apud ipsos monimentum deponeret, breviter eis exposuit Cantica Canticorum Salomonis, tamquam migraturus ad sempiterna cantica spirituum beatorum.

§ **19**. Cum autem sentiret paulatim se viribus destitui, cum multa devotione petiit sibi sacrosanctam Eucharistiam exhiberi. Id vero ab Abbate et fratribus admodum reverenter praestitum est. Ut autem allata fuit Eucharistia, tametsi fractis esset viribus, humi se prostravit, cum lacrymis et admirabili pietate orans Dominum. Interrogatus autem, ut habet consuetudo Ecclesiastica, num crederet in sacra illa hostia verum esse Dei Filium qui nostrae causâ salutis ex Virgine natus et in cruce mortuus est et resurrexit: libera voce et cum multa devotione lacrymans dixit: «Ego plane credo, immo pro certo novi hunc esse verum Deum et hominem Jesum Christum, aeterni Patris et Virginis matris filium: et quod puro corde credo, etiam labiis sincere confiteor.» Deinde illud vivificum accepit Sacramentum. Postero autem die etiam extremam sibi voluit Unctionem adhiberi: ubi cum ad singulas verborum formas sana mente respondisset, junctis et

Digitized by Google

sursum ad Deum erectis manibus, spiritum suum piissimo commendans Creatori, felicissime obdormivit in Domino, horâ quidem matutinâ, ipsis Nonis Martii, vitae autem suae quinquagesimo. Illo decedente, e diversis monasteriis Dominicanorum multi àderant fratres qui ad eum visendum confluxerant: aderant etiam non pauci Franciscani. Porro Abbas cum suis fratribus aliisque permultis religiosis et nobilibus viris sancto Doctori honorificas celebravere exequias. Aderat inter alios etiam Episcopus Taracinensis. Neptis etiam sancti viri, domina Francisca eo advolavit: sed cum Canon monasticus non admittat, ut foeminis pateat aditus in monasterium, ipsa multum deprecante, sacrum corpus ad fores monasterii exportatum est, ut posset ab illa videri. Ibi vero luctus ingens obortus est, dolentium tanti viri obitu. Fertur eodem tempore mulus quo sanctus vir sedere solebat, ruptis loris e stabulo accurrisse ad funus, visoque feretro, repente corruisse exanimis, ut etiam brutum animal extinctum illud Ecclesiae lumen plorare videretur. Ad extremum illatum est sacrum corpus in templum et ante altare cum multa veneratione tumulatum.

§ **20**. Porro frater Reginaldus, cujus jam crebro mentio habita est, ad eorum qui aderant, aedificationem, sancti viri innocentiae et puritati insigne tum reddidit testimonium, ita dicens: «Ego sancti Doctoris hujus et vitam et conscientiam optime novi: quippe qui et saepe antehac et jam etiam sub vitae finem ejus confessionem generalem recepi: testorque Dominum Jesum, me eam semper in illo puritatem comperisse qua solent esse quinque annorum pueri; nec enim unquam sensit carnis suae corruptelam, nec ullius mortiferi peccati habuit in voluntate consensum.» Is Reginaldus fuit individuus S. Thomae socius, eique officiose et sedule in omnibus, haud secus ac patri filius, inservivit. Cum enim ad coelestia vir angelicus saepe raperetur, socio fideli opus habebat qui ejus curam gereret, ne quid ei accideret adversi. Paucis diebus ante quam e corpore vir beatus emigraret, visus est Comètes qui quid portenderet, re ipsa satis indicavit quando spiritum reddente viro Dei, ipse pariter defecit. Eâ ipsâ autem horâ qua mortuus est vir sanctus, Frater Paulus Aquilinus, insigni probitate et existimatione, in coenobio Neapolitano in visione imaginaria vidit illum Neapoli in frequenti auditorio praelegentem et Apostolum Paulum cum multa sanctorum frequentia ingredientem in scholas. Cum autem sanctus Thomas e cathedra descenderet, honoris causâ in ejus occursum processurus, Apostolus jussit eum pergere in praelectione suscepta. Sciscitabatur vero ex illo Thomas, cum probe assecutus esset mentem Epistolarum ejus. Cui Apostolus respondit: «Quantum quidem assequi potest quispiam in mortali corpore;» et subdidit: « At nunc tamen eo te perducturus sum, ubi longe majori instruèris cognitione et

intelligentiâ.» Atque haec dicens, videbatur illum, apprehensa ejus, veste, secum e scholis educere. Tum vero Frater Paulus Aquilinus, coepit clamare fortiter: «Succurrite, fratres, succurrite: en frater Thomas aufertur a nobis.» Ad quos clamores excitati fratres, quaerebant ex eo, ecquidnam vidisset ita clàmitans. Illo autem visionem omnem ordine referente, hora annotatur: et facta diligenti inquisitione, animadversum est, eâ ipsâ Doctorem sanctum excessisse e vivis.

§ **21**. In coenobio Fossae Novae monachus erat Joannes Ferentinus, utroque pene orbatus lumine. Is priusquam sancti viri corpus humaretur, ad illud se duci curavit: cumque ejus faciem esset deosculatus, oravit Dominum, ut tanti viri meritis amissum sibi lumen restitueretur, eoque recuperato, in has voces erùpit in praesentia Fratrum caeterorum: « Benedictus Deus. Ecce S. Thomae meritis clarissime video. »

§ **22**. Postquam autem sepulturae mandatum fuit sacrum corpus, Abbas et fratres ejus coenobii non immerito verèri coeperunt, ne tantus thesaurus ipsis quandoque eriperetur. Erat enim eis instar depositi illud corpus commendatum, et Frater Reginaldus ejus socius ad eam rem notarium et testes adhibuit, jusseratque vir sanctus corpus suum opportuno tempore Neapolim deferri. Itaque intempesta nocte Abbas cum fratribus suis id ad sancti Stephani sacellum transtulit: verum sanctus Doctor Jacobo Florentino qui ejus monasterii Prior erat, appàrens in somnis, dire eum objurgavit, minasque intentavit, ni ad pristinum locum corpus reduceretur. Vèritus autem ille divinae ultionis censuram, cum aliquot monachis et fratribus illis Laicis, quos Donatos vocant, ad sacellum sancti Stephani accèdens, sepulcrum aperuit: unde tanta erùpit odoris suavitas, ut per monasterium diffusa, mox fratres omnes ad se invitaret: quibus praesentibus detectum sacrum corpus, omnibus membris repertum est integerrimum, et ipse quoque habitus prorsus incorruptus. Quae res tanto magis visa est admirabilis, quod vir sanctus magno et amplo ex naturali habitudine fuisset corpore, et locus sepulturae humidus esset, quae solent celeriorem adferre putrefactionem. Ubi igitur Fratres illi tam insigne miraculum viderunt, majori erga sanctum virum devotione concepta, corpus sacrum reverenter et honorifice ad pristinum locum reportarunt. Altera vero die, indignum arbitrati Missam defunctorum pro illo cantare, in quo tam mira Dei opera conspexissent, Missae officium celebrarunt, quod solet de Confessore non Pontifice dici. Haec autem prima sancti viri translatio septimo plus minus mense ab ejus obitu facta est.

§ **23**. Cum autem jam anni septem evolùti essent a prima hac translatione, Petrus Abbas monasterii Fossae Novae, sancti viri corpus denuo exhumatum, jussit in sepulcro marmoreo

Digitized by Google

supra terram repòni: et tunc ìtidem odor suavissimus inde manavit, corpusque et vestes illaesa fuere, nisi quod parum deerat extremi pollicis dextrae manus: atque hujus sane rei idem Abbas testis juratus fuit. Rursus autem, ut ad omnes celebrior et certior de sancti viri gloria et meritis fama perferretur, ejusdem monasterii Abbas anno quartodecimo ab obitu illius, rogatus a sorore ejus Theodora, ut manum ejus dextram inter sacras reliquias asservandam ipsi daret, monumentum aperuit, et tanta inde est odoris fragrantia effusa, ut monachi omnes accurrerent, rei novitate obstupefacti: et tunc quoque nihil neque in sacro corpore, neque in vestibus corruptionis inventum est, praeterquam quod extrema sui parte nasus nonnihil imminutus cernebatur. Existimans autem Abbas levi tractu se posse manum a brachio avellere, cum id frustra tentasset, coactus est ferro eam detruncare: quam quidem sancti Doctoris piissima soror Theodora cum lacrymis admodum reverenter ad sacellum castri sui detulit, et inter alias reliquias collocavit.

§ 24. Porro anno a morte S. Thomae quadragesimo secundo. Canonicus quidam Salernitanus, sacras reliquias inquirens, quas reponeret in sacello S. Crucis ab ipso constructo, ad castrum ubi manus S. Doctoris servabatur, advenit, multasque ipsi ostensas sanctorum reliquias reverenter, ut par erat venerabatur. Cum autem diceret sacellanus castri, se adhuc majoris pretii habere reliquias, nempe manum integram fratris Thomae Aquinatis, ille sprevit et irrisit, dicens, illum sanctum non esse, sed unum e familia sancti Dominici. Mox vero contemptum secuta est vindicta coelestis. Nam tremor illum ingens apprehendit totius corporis, et caput ejus mire intumuit. Tum ille ad se rediens, seseque temeritatis arguens, veniam humiliter petiit a sacerdote, manumque sancti Thomae reverenter exosculans, et tremore et tumore se sensit liberatum. Percepit autem odorem mirificum ex sacrae manus attactu qui etiam illius vesti diu postea inhaesit, adeo ut valde admirati illi, inter quos versabatur, sciscitarentur ex eo, unde esset odor tam eximius. Quibus ille crebro exponebat totius gestae rei seriem. Multa alia sancti Doctoris meritis sunt divinitus edita miracula, quorum etiam quaedam recitat summus Pontifex Joannes XXII in Bulla, qua sancti viri in Divos relationem explicat: quae evidentissime declarant, quantum possit apud praepotentem Deum. Nos brevitati studentes, ea omisimus, quoniam multa sunt, et habentur apud alios diversos *. Est autem vir beatissimus Sanctorum catalogo ascriptus ab eo, quem jam diximus, Romano Pontifice Joanne, Anno Christi MCCCXXIII.

* **Eam praedictae Bullae partem huc, lectori nostro pergratum facturi, addidimus; quae ita se habet:**

§ 1. .....quia dignum erat et consonum, ut quem Deus viventem

in hoc saeculo tantis suis donis gratiisque perfecerat, assumptum in coelis sanctificatum fore hominibus declararet, multis eumdem virum Dei post ipsius de hac vita transitum (licet et antea nonnulla fecisse memoretur), magnisque signis gloriosius coruscare, ut illud psalmi merito de ipso dicamus: Scitote, quia mirificavit Dominus sanctum suum: sicque vita ejus attestaretur miraculis, ut illius miracula vitae testimonium perhibèrent. De quibus pauca de multis in Dei laudem et Sancti hujus commendationem, et aedificationem fidelium, idoneis approbata testibus, praesentibus subnectemus. Post septimum namque mensem, vel circa, a die obitus, ipsius S. Thomae de Aquino, cum corpus ejus quod in capella S. Stephani dicti monasterii per idem tempus sepultum extiterat, ad sepulcrum ejusdem primum, scilicet juxta altare majus Ecclesiae monasterii antedicti, unde ad tempus per monachos ejusdem monasterii timoris causâ sublatum fuerat, ne corpus ipsum omnino de dicto monasterio tolleretur, per translationem denuo exhumatum, deferri exinde decrevissent, in apertura ipsius sepulchri ejusdem capellae S. Stephani tanta fragrantis odoris suavitas emanavit, quod totam ipsam capellam, claustrumque ipsius monasterii, quod diffusum est, mira eàdem suavitate replevit, quae de ipsius corpore (prout ex solicita, curiosaque monachorum indagine est repertum) mirifice fundebatur. Propter quod majore per monachos concepta ad ipsum devotione, totus conventus processionaliter (priore tamen dicti monasterii, cum quibusdam ex monachis paramentis indutis) corpus ipsum ad praefatum primum ejus sepulcrum honorifice detulerunt. Hanc similem fragrantiam post septem annorum spatium, quidam ex testibus, quidam vero post quatuordecim annorum spatium sensisse se referunt, dum corpus ipsum diversis ex causis per temporum vices sedulo inspexissent. Quippe odor, carnis ejus munditiam Deo acceptam exprimebat, orationum ejus adoramenta repraesentabat, famam quoque ejus claram diffusione virtutum et illarum aròmatum non celabat (*a*).

§ 2. Quidam arte chirurgicus, sed per decennium infirmitate podagricus, ita quod ire per se vel ambulare nequaquam absque baculorum sustentatione aut aliorum suffragio poterat, se Deo et B. Thomae dèvovens, juxta eum tumulum incumbens (oratione facta), sanus prosiliit, et currens, ac Deum laudans, quod meritis ejus esset tam longae infirmitatis languore curatus. Alter quidam ex horribili quadam visione phantasmatis timiditate percussus, pedibus manibusque contractus fuit et ore ac facie distortus, sensibus carens et omni virtute destitutus, ita quod loqui non

(*a*) Annuente Urbano Pp. V, anno MCCCLXVIII S. Aquinatis corpus Tolosam (*Toulouse* in Gallia merid.) translatum est. Sacrilegis impiorum manibus in efferatissima Francorum regni subversione, superiore labente saeculo, pretiosissimum pignus Deus immune servavit. Brachiorum autem S. Doctoris partem non exiguam quae Parisiis eousque venerabatur in S. Jacobi vetustissima Dominicalium sede, scelestissimis illis direptionibus, Prior ejus Coenobii in Italiam revehens feliciter subripuit.

Digitized by Google

poterat, sed mortuo similis videbatur, adeo ut ignem ejus membris admòtum nullâtenus sentiret, portatus ad tumulum illius, post mòrulam, liber et sanus omnino a dicto sepulcro surrexit.

§ 3. Alius dum non devote de Sancto sentiret, virtutem Dei in Sancto. in se duplicem est expertus, infirmitatis, dum contemnit, sanitatis, dum a contemptus culpa discessit. Nam cum sibi devotionis causâ a quodam capellano plures venerandae reliquiae monstrarentur, ipse quoque ostensor pretiosiores adhuc se habere reliquias, videlicet manum F. Thomae de Aquino fateretur, illico hunc derisorie de his sufflantem, cum eas videre non curaret, dicens sanctus non est, sed quidam ordinis Praedicatorum frater, tremor apprehendit: et caput ejus ad modum magnae cistae grossum et valde ponderosum sibi esse videbatur; sed infirmitate correptus et poenitens, simulque de sua incredulitate dictisque deplorans, dum veniam a sacerdote petitam obtinuit, reverenter manum ejusdem Sancti deosculans, confestim a tremore et inflatione capitis liberatus evasit, sensitque progredientem, ut retulit, maximum ex dicta manu suavitatis odorem: qui odor cum ipsius curati capitio, personaeque ex tactu manus ejusdem per magnum tempus inhaerèret, multis eumdem postmodum percipientibus, sciscitantibusque, quid esset, hoc signo narrare, quod acciderat (etsi nolens) miraculum cogebatur.

§ 4. Notarius quidam, dum ad mensam sanus accederet, surgens ab illa gravi squinantiae infirmitate correptus est. Duobus diebus propterea linguam movere non potuit et loquelam amisit. Cumque multa medicorum remedia, ei adhibita, quin eadem infirmitas in augmentum procederet, non prodessent, immo de illo desperarent, ad Sanctum conceptam devotionem, ut ad tumulum ejus deferretur, quam lingua non valebat, manus suae scriptura deprompsit. Verum, cum illuc, repugnante uxore sua (quia mulieribus praefati monasterii Ecclesiam ingredi non liceret) nequaquam duceretur, ipse sic infirmus advertens infra se ipsum, eidem beato viro, se ut liberaret, affectuosius commendavit. Coepit ex tunc linguam ducere, meliorari et convalere, ac brevi temporis intervallo curatus perfecte fuit.

§ 5. Dum alius quidam per septem hèbdomadas et ultra febre quotidiana, malo hèpatis et stomachi affligeretur, quadam die Veneris, cum pejus haberet, auditis quibusdam miraculis, quae per virum Dei facta esse dicebantur, cum se ad ipsum devotius sequenti die sabbati de sero, uxoris suae suasibus, eàque praesente, devovisset, die dominica proximo in mane se a praefatis infirmitatibus plene reperit liberatum. Puella gutturis sui fauces squinantiae * habens infirmitate constrictas in tantum, ut nec quid sumere solidum aut liquidum valeret, et anhelitus sibi meatus, ut vix respirare posset, includeretur: dum devote se beato

* Squinantia (ital. *angina*).

Digitized by Google

viro a matre persuasa commendaret, dùctaque foret in crastinum ad dictum monasterium Fossae Novae, superpositis gutturi suo dicti viri sancti ex reliquiis in quadam capsâ delatis, confestim melioratam se sensit, panem comèdit, perfecteque sanata rediit. Quidam praefati monasterii Fossae Novae conversus, adeo gravem in brachio dextro et spatula dolorem patiebatur, ut ipsum brachium quod per trium mensium cum dimidio spatium detulerat suspensum ad collum, ei esset inutile, dolore praesertim vehementer afflictum. Quod cum requisìtum medicorum remedium non haberet, et amplius dolore gravaretur, dum dicto Sancto pro sua liberatione, se quodam emisso voto, commendasset, seque supra ejus tumulum posuisset, ibìdem obdormivit, ac excitatus deinde a quodam dicti monasterii monacho, brachio, quod linteo prius habebat incumbens, collo adhuc dependenti, extractum ab eo rèperit, excitatorumque a somno more, dum ambas manus capiti suo, ut ipsum scalperet, apposuisset, se liberatum intellexit, ac astantibus, quod notum fuerat, miraculum revelavit. Infans quidam quatuor annorum tumorem et ruborem in costis et crure usque ad pedem patiebatur, adeo afflictivum, ut nec a matre sua vel alio sine laesione et clamore suo aliquàtenus tangi potuisset. Movere se non poterat; per mensem in tanto dolore et in anxietate fuit; a medicis spes curationis ejus sine incisione pueruli non inveniebatur, illaque (si fieret) perpetuo eum in persona futurum impeditum moestis amaritudine mentibus nunciabat. Deficiente naturâ, artisque suffragio non invento, recursum est ad Deum, qui gloriosus est in Sanctis suis, faciens prodigia. Nam mater infantuli, eum B. Thomae devotius commendavit, ut a dicta infirmitate sine incisione suis meritis liberaret. Delatus est puer ad monasterium, positus super tumulum Sancti, post aliquantulam moram sanus inde surrexit.

§ **6**. Haec sunt igitur testimonia tua, Deus, quae de hoc viro justo nobis credibilia facta sunt nimis. Nam si testimonium hominis accipimus, testimonium Dei majus est, quo animam enim coelum possidere jam credimus, intercessorem ipsum expectamus, ac inter Sanctorum agmina, quasi stellam matutinam, eum fidimus esse locatum. Unde fidem tuam in nobis, bone Jesu, nutris, spem èrigis, dilectionis charitatem accendis. Laetetur itaque mater Ecclesia, exultet Italia, parens Campania jucundetur, Praedicatorum sacer Ordo jam jubilet, religiosorum devotio concrepet, doctorum turba complaudat, animentur ad studia juvenes, provecti non torpeant, senes delectentur in illis, omnes in humilitate proficiant, provecti contemplationem non desèrant, mandata Dei sèduli exequantur. Nam dedit illi Deus cor ad praecepta et legem vitae et disciplinae; et sapientia humiliati exaltabit caput illius. In medio Ecclesiae aperuit os ejus: et implevit eum

Digitized by Google

Dominus spiritu sapientiae et intellectus *; stolam gloriae induit enim. Nam veritas (quae est Christus) ipsa veris, non fictis, doctoribus pollicetur: Qui elùcidant me, vitam aeternam habebunt. Quamvis ipse verus justitiae Sol stellarum illustratione non egeat nec illarum irradiatione, cum illuminentur ab ipso, clarescat. Habitat enim lucem inaccessibilem. Qui est splendor gloriae et figura substantiae ejus, idcirco tenebris non obscuratur, ut deficiat, aut nebulis offuscatur, ut suae claritatis radios non diffundat.

DE SS. MM. ADRIANO ET EUBULO

EX LIB. 8, HISTOR. ECCLESIAST. EUSEBII, *Cap. 21.*
INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO.

Circa 308.

Porro dum saevitia adversum istos usurpata in omnium ore et sermone versabatur, Adrianus et Eubùlus ex regione, quae Manganaea dicitur, ad reliquos confessores Caesaream versus accedentes, ad portas urbis causam sui itineris eo suscepti rogantur. Deinde rei veritatem ingenue confessi, deducuntur ad Firmilianum. Iste, nulla dilatione aut morâ interpositâ, post multa tormenta quae in eorum latera impegerat, bestiis dilaniandos condemnat. Biduo autem interjecto, Adrianus quinto die mensis Dystri, hoc est, ad tertium Nonas Martii, die festo quo natalitia Fortunae Caesareensium (sic enim putabatur) celebrari solent, leoni primum ad discerpendum projectus fuit: deinde gladio jugulatus obiit mortem. Eubùlus autem perendino die ad meridiem ipsis Nonis Martii cum judex illum admodum rogaret, ut hostias immolaret idòlis, quo libertate eorum legibus decretâ potiretur, gloriosam mortem pro pietate susceptam, huic vitae brevi et caducae praeposuit: et post bestiarum laniatus, gladio ut socius ante illum, trucidatus fuit, omniaque martyrum certamina Caesareae confecta, suo sanguine postremus obsignavit.

* Quatuor maximis (SS. Gregorio, Augustino, Ambrosio et Hieronymo) Latinae Ecclesiae Doctoribus additus a S. Pio Pp. V est S. Thomas Aquinas, eos juxta, ob miram eruditionem, scriptorum copiam et excellentiam, incredibilem et prope divinam sacrarum scientiarum peritiam cum summa sanctitatis laude et miraculorum gloria venerandus.

Digitized by Google

S. JOANNIS DE DEO

FRATRUM HOSPITALITATIS FUNDATORIS HISTORIA
EX BULLA INNOCENTII PP. XII PRO EJUSD. SERVI DEI CANONIZATIONE.

Vixit a 1495 ad 1550 — Nat. Lusitanus.

§ 1. Dudum felicis recordationis Alexander Pp. VIII * praedecessor noster piâ securâ meditatione perpendit, quod Romana catholica Ecclesia, quae supra fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu aedificata a Deo Patre misericordiarum perennibus gratiae coelestis benedictionibus cumulatur, sicut tot documentorum est munita praesidiis, ite sanctorum virorum in dies confirmatur exemplis, quae cum ad pietatem magnopere moveant, divinae mos est providentiae, juxta locorum et temporum opportunitates, suos electos servos ad eximium sanctitatis gradum sublimare, ut fideles, exemplaria haec intuentes, habeant simul quid venerentur et imitentur, ac veneratione obsequiose demissi, strenue ad imitationem erecti. Cumque heroicarum virtutum praesertim vero ignitae charitatis exemplar insigne prodiderit B. Joannes de Deo nuncupatus, qui eamdem Ecclesiam novâ etiam prole fecundavit Fratrum Hospitalitatis et infirmis inservientium longe lateque per orbem diffusorum, et eximia pietatis opera erga infirmos in eorum hospitalibus degentes, praeclaro animarum corporumque profectu, exercentium; aequum idem Alexander praedecessor existimans ut sancti hujus viri memoriam veneraretur Ecclesia, cujus vita et mors in conspectu Domini et hominum fuit virtutibus et miraculis pretiosa, ad ejus solemnem canonizationem processit; utque christifidelium studia excitaret ad imitationem, sic ejus virtutes et miracula summatim exponere suoque comprobare testimonio secum ipse decreverat; id quod cum morte praeventus praestare nequiverit, idcirco nos praesentibus litteris declarare statuimus.

§ 2. Natus est itaque beatus Joannes ex catholicis piisque parentibus anno reparatae salutis MCDXCV in oppido Montis Majoris Junioris (*vulgo Monte Mor ô novo*), nuncupati regni Lusitaniae. Paulo quidem laxiorem vivendi rationem a principio inierat; at, cum primum divinâ operante virtute aggressus est revocare se et compescere, magnae profecto sanctitatis exhibere specimen coepit, ac jam ab ipso sanctioris vitae rudimento consummatum aliquid perfectumque visus est attigisse. Ob auditam praedicationem verbi Dei sic fuit ad meliora conversus, ut potius veterem in se hominem deponere decreverit, seque penitus ad apostolicae

* Beatus declaratus fuit ab Urbano VIII die XXI septembris MDCXXX; Sanctus vero ab Alexandro VIII, die XVI oct. MDCXC.

Digitized by Google

vitae praescriptum normamque formare. Totus igitur ad Deum conversus, et in Patre misericordiarum vehementer confidens, non dubitavit erecto ac àlacri corde ingredi vias Domini, et quascumque difficultates ex ejusdem Dei amore feliciter superare. Quod ut expeditius perageret, et perfectionem a veritate ipsâ promissam opere assequeretur, ejusdem consilium illud sequutus: *Vade, vende quae habes, et da pauperibus,* cuncta, quae possidebat, divendidit, pecuniamque exinde redactam pauperibus, qui carcerum paedore misere tenebantur, distribuit. Tum salutaris poenitentiae sacramento veteribus animae maculis extersis, illustre sanctioris propositi documentum non sine praeclarâ sui victoriâ in apertum prodidit. Ut enim in renovatione sui spiritus prioris vitae labes abolere cupiebat, publico in foro, in magnâ populi frequentiâ, in virum alterum mutatus, horrido prorsus capillo squallens et hirtus comparuit, atque ibi coeno involutus, os humi dejiciens, ac dolens, et lacrymis ubertim diffluens, nudatumque pectus saxo identidem tundens, misericordiam et peccatorum veniam a Deo toto mentis affectu et cordis contritione deprecabatur.

§ **3**. Tantae spectaculum pietatis multis in diversa trahentibus, maxima demum (ut fieri solet) pars in deterius excepit, et qui tanto christianae poenitentiae tyrocinio celebrandus fuisset, ceu demens ostentui habetur, congeminatisque clamoribus, probris, lapidibus, verberibus, variisque injuriis ibidem, et in carcere quo amentium turba conjicitur, graviter afficitur. At vir Dei in Domino sperans non infirmatus, sed istis opprobriis et tribulationibus spectaculum factus, divinâ charitate magis exarsit, internoque exultans gaudio, non timuit quid faceret sibi homo, et omnia aequo animo ferens cum Apostolo gloriabatur in tribulationibus, sciens quod tribulatio patientiam operatur, et patientia probationem, praeclareque intelligens haudquaquam esse mirandum, si, quae judice Deo sapientia fuerit, ea stultitia reputetur apud homines, ex quibus, qui spiritum mundi hujus habent, vere insensati vitam quidem justorum aestimant insaniam, sed hi computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est.

§ **4**. Tamquam aurum igitur Joannes in camino tribulationis probatus, cum firmus ac constans in Dei pietate perstitisset, mox purior accingitur ad currendam viam Domini; et, postquam variis pietatis operibus se exercuerat, illam prae ceteris vivendi rationem assumpsit, qua animarum simul et corporum saluti prospiceret. Aegritudinibus itaque et morbis pauperum christifidelium curandis totus intentus, domum supellectili piorum eleemosynis instructam in civitate Granatensi conduxit, quo pauperes infirmos, quotquot obvios sibi inveniebat vel in viâ languentes vel fame frigoreve pereuntes, propriis humeris deferebat, stipem vicatim et ostiatim die noctuque non intermisso labore emendicabat, ac quae duabus sportis et ollis recollecta propriis itidem humeris

Digitized by Google

gestaverat, inter pauperes et infirmos, prout cujusque exigebat necessitas, distribuebat. Cūm primum domum perveniebat, invisebat omnes, nec prius in privatam se recipiebat quietem, quam publice aegrotantium commoditati abunde consuluisset, si quid deesset diligenter exquirens, et, quidquid opus erat, pie et provide subministrans: aegrotis ipse medebatur, illisque assistebat, cibum propriis manibus inferens, sordes purgans, lectulos versans ac sternens, frigescentes igne, famelicos cibo, nudos vestibus refocillans, moerentes confortans, nauseantes exquisitis condimentis reficiens, omnes denique proprio sinu amplexuque confovens, quasi optaret omnes intra sua viscera recondere.

§ **5**. Aucto aegrotantium hospitum ingenti numero, opus inceptum, in Domino confidens, non intermisit, quinimo majus valetudinarium instituere non dubitavit, illudque omni pharmacorum opumque apparatu instructum voluit. Illuc ipse per se et alios, quos interim ejusdem instituti socios admiserat, pauperum et miserorum agmina, et quotquot commiseranda paupertas necessaria febribus reliquisque morbis medicamenta adhibere non sineret, colligere, eosque iisdem pietatis operibus recreare charitate in dies ferventiori continuavit. At quia eximia haec proximorum dilectio non eo solum tendebat ut a languoribus corporis sanarentur, sed potissimum ut animarum saluti proficerent, eos salutaribus Ecclesiae sacramentis muniri et refocillari, piisque hortamentis et opportunis sermonibus disponere et confirmare satagebat, avide animarum corporumque incolumitatem anhèlans. Nec fervens Joannis charitas intra limites nosocomii coarctatur, sed ad externos etiam pauperes, honestos praesertim et verecundos, quos secretis eleemosynis sublevabat, et mulieres summâ egestate pressas, quibus, ne propterea in peccandi discrimen traherentur, provide et opportune succurrebat, abunde diffunditur.

§ **6**. Quantâ autem effundebatur beneficientiâ et misericordiâ erga pauperes, tantâ saeviebat abstinentiâ et asperitate contra se ipsum. Semel in die cibo et quidem parcissimo utebatur, quem sibi eo libentius detrahebat, quo affluentius distribueret in egenos, impendens virtuti quod subtrahebat voluptati, ut fieret refectio pauperis abstinentia jejunantis. Erat ei vestis vix ad genu demissa, villosa et apprime rudis, quae simul corpus tegeret et affligeret, et ipsâ etiam subuculâ carens; capite, pedibus, tibiisque denudatis diu noctuque, licet temporum injuriis semper expositus extremo frigore algeret seu ardenti calore aestuaret, huc illuc, quo pietatis opera eum impellebant, incedebat. Brevis ei lectulus erat, et qui vel nudo solo vix asperitate concederet, brevior adhuc quem in eo carpebat somnus, diuturnis vigiliis multoque interpellatus dolore, carnemque, ut spiritui magis magisque obsequentem redderet, cilicio, ferreâ cuspide rigisque seris contextâ, necnon funiculis, vepribus, flagris, aliisque durae

Digitized by Google

verberationis instrumentis domabat. Sic itaque castigans corpus suum et in servitutem redigens, meruit illud integrum et a noxiis delectationibus eo usque custodire, ut castitatis ipsius candor ne suspicionis quidem maculam merito admittere possit.

§ 7. Nec propriâ virtute contentus, sed imitatus Salvatorem qui venerat vocare peccatores, enixam et indefessam curam adhibuit ut omni conatu carnis concupiscentiam a proximis hujusmodi vitio apprime inquinatis exterminaret. Statis diebus quasi venabundus lupanaria ingrediebatur, ut meretrices a daemonis servitute vindicaret, illas hortationibus, precibus, lacrymisque detrahere studebat ab impudicitiis, ac pro ipsarum conversione Deo enixas preces fundebat; ubi vero ista non proficiebant, aequalem futuro meretricis lucro pecuniam offerebat, ut a flagitiis perpetrandis vel ita se coërcèrent. Cumque confideret in Domino, vacua non fuit spes ejus, nec labor sine fructu, pluribus ex illis perditis et dèviis animabus ad bonam frugem et viam salutis reductis. Nec dissimiles fuerunt ejus curae, ut indigentibus mulieribus, honestis viduis praesertim et virginibus, clam alimenta subministraret, oblato ad laborem exercitio, ne otium in pudicitiam honestatemque peccandi ansam injiceret.

§ 8. Ad obediendi obsequium experrectus semper et paratissimus extitit; non solum enim abnegavit semetipsum ut evangelicae legis praecepta servaret, sed hominum etiam voci obedivit ut acciperet benedictionem a Domino. Quare cum ad certam disciplinae normam suum institutum conformasset, ei, qui ex omnibus erat moderator electus, omnia voluntatis arbitria, omnia mentis suae sensa submiserat, nihil, quod ei non probaretur, amplectens, nihil, quod demandatum ab eo foret, detrectans. Cum in lethalem morbum incidisset, a nobili piàque matronâ enixe rogatus, ut pateretur se in ejus domum, ubi commodius curari posset, transferri, plane restitit, se ritu pauperum atque ad sanctae normam paupertatis èmori omnino velle respondens; interea rei conscius factus archiepiscopus Granatensis, illi in obedientiae legem praecipit ut matronae votis extemplo obsequatur; nihil cunctatus Joannes, uti obedientiae filius, archiepiscopi mandato venerabundus statim obtemperavit. Quam quidem obedientiae virtutem adeo est amplexus ut non modo superioribus suis obsequenter obediret, verum etiam, si quid pueri ipsi ob Dei amorem jussissent, exequi non detrectaret.

§ 9. Orandi studium divinarumque rerum contemplatio in Joanne mirifice excelluit. Cum brevissimum esset tempus quod quieti appendebat, provolutus in genua, profusis suavissime lacrymis, modo ore supplicans, modo mente contemplans, noctes pene traducebat insomnes. Rosarii exercitium àliaque in B. Virginem pietatis obsequia erant illi in deliciis, ita ut, inter ipsa quae ad pauperum subsidium vel solatium obibat ministeria, non

Digitized by Google

raro totus in preces effusus ac in Dei contemplatione defixus videretur. Hinc placuit Altissimo, qui inquirentibus se remunerator est ac mirabilis in sanctis suis, Joannis ortum, vitam, obitum et quae ipsum obitum subsequuta sunt tempora variis indiciis illustrare.

§ **10**. Ortum quippe fuisse puerum in sortem Domini sublimiter electum, insuetus splendor super ejus domo refulgens, sonitusque aeris campani suâ sponte emissus, ab ipso ejus nativitatis instanti non obscure praenunciarunt. Inter divinae charitatis flammas vivere assuetus, terreno absùmi non valuit incendio, e quo dexterâ Omnipotentis illaesus exivit. Cum enim maximum in regio Granatensi valetudinario excitatum fuisset incendium et universa civitas accurrisset, ut non tam aedificii quam infirmorum consuleret praeservationi, advolavit etiam Joannes, ad officia charitatis semper paratus, ceterisque incendii voracitatis detentis, impavidus prosiliit in ignem, huc illuc discurrens, quousque tum infirmos humeris exportatos, tum lectulos e fenestris projectos, ab igne vendicavit: sed jam in immensum succrescentibus et corpus undequaque ambientibus flammis circumventus, cum per dimidiam horam ab omnium oculis ereptus communi moerore deploraretur, e medio igne redux incòlumis, omnes gaudio simul et admiratione complevit, in scholâ charitatis èdocens segniorem in eum fuisse ignem qui foris usserat, quam qui intus accenderat.

§ **11**. Jam vero humanae vitae spatium feliciter emensum, et tempus resolutionis suae instans, non minus pius et felix obitus die VIII martii anno salutis MDL terminavit. Lecto enim infirmatus decumbens, omnibus Ecclesiae sacramentis ab ipsòmet Granatensi praesule rite sancteque refectus, assistentes omnes dimisit, viribusque in extremâ vitae periodo licet destitutus, propriis indutus vestibus, interim e lectulo prosiliens, ac provolutus in genua, manu et corde imaginem Salvatoris crucifixi, quem fervide vivens dilexerat, perstringens, inclinato ad ejus pedes capite, obiit in osculo Domini, quem etiam mortuus tenuit nec dimisit, ac in eadem corporis constitutione ab iisdem assistentibus ad eum paulo post redeuntibus repertus, sex circiter horas quousque inde motus fuisset, mirabiliter permansit, odorem mire fragrantem diffundens. Illuc universa civitas Granatensis, rei novitate vulgatâ, ut eum sic consistentem et suaveolentem admiraretur, confluxit; eademque et finitimi etiam populi eminentem de sanctitate Joannis conceptam opinionem eximio funere propalarunt. Optimates subivere feretrum, quod religiosi omnes, confraternitates, totus clerus longâ serie praecedebant; universa vero civitas, etiam cum togatis armatisque rectoribus, aliisque qui advenerant, devoto moerore et luctuosis laudibus sequebantur. Corpus ad ecclesiam Victoriae nuncupatam delatum, ut a confluentis

Digitized by Google

undique multitudinis manibus eriperetur, statim fuit sepulcro reconditum, aliis adhuc precarios globulos feretro admoventibus, aliis frusta arcae, ut tamquam Sancti reliquias asservarent, subripientibus.

§ **12**. Cum Joannis tamen funere sanctitatis fama non interiit, sed in dies mirabiliter excrevit gratiis, signis et miraculis, quibus omnipotens Deus venerationem populorum erga suum fidelem servum dignatus est promovere. Mulier ob inversum penitus foetum uteri doloribus premebatur gravissimis, sed baculo, quo vir Dei vivens utebatur, contacto, expeditam illico prolem emisit, omni prorsus levata dolore. Eumdem proinde baculum, parturientium laboribus futurum levamen, consulens in posterum fidelium pietas, non sine similium gratiarum impetratione, in ecclesiâ Corporis Christi asservavit. Febres itidem et vermium affectiones exigua terrae portio a patriâ domo desumpta haud raro disjecit. Sebastiana Gomez cruris ulcere putrido, magno, corrosivo et calloso ad octo menses indoluerat, nihilque proficientibus quae applicabantur medicamentis, et prorsus destituta a chirurgo affirmante illud esse insanabile et indigere validioribus diuturnisque medicaminibus, quibus etiam difficillime curari posset, ad Joannis opes confùgit, cui cum voto se devinxisset, nullo adhibito medicamento evasit incolumis. Savina Baptista quatuor annorum puella oculorum e nimio maligni humoris illapsu usum plane perdiderat: haec, cum primum ejus genitrix illam, si ad pristinum visum restitueretur, religiosis beati Joannis insignibus induere spopondit, statim oculorum usum omnino sanum recuperavit. Philippa Araiz quatuor pariter annorum puella ex febri et immoderatâ per os et nares sanguinis effusione pene animam agebat, sed statim ut exiguum pulveris e domo Joannis acceptum naribus Philippae admotum fuit, sanguis et vita stetit.

IN QUADRAGINTA MARTYRES SEBASTENOS

QUI APUD CAESAREAM CAPPADOCIAE PASSI SUNT

SERMO S. BASILII MAGNI *(T. 1, Homil. 20)*.

Anno 320.

§ **1**. Quis modus aut quae satietas martyrum memoriam prosequendi erit, illi praesertim qui eorum amore ac charitate magnopere tenetur? Nam honor in bonos a conservis collàtus, benevolentiae significationem apud communem Dominum habet. Palam est enim, quemadmodum is qui generosos homines ac fortes cum honore exceperit, in simili, si forte contingat, occasione imitari

non dedignabitur. Venerare igitur legitime martyres, ut egregiae tuae voluntatis te testem addùcas, ac demum sine persecutione, sine igne, sine verberibus ac plagis, eodem cum illis praemio dignus habearis. Nobis hodierna die non unum propositum est celebrare, neque duos, neque decem; sed viros quadraginta *, qui unam in diversis corporibus animam retinentes, in una conspiratione et concordia fidei, eamdem erga res arduas constantiam et pro veritate stabile propositum ostenderunt. Omnes inter se similes, pares sententiâ, pares certamine. Quamobrem et parem coronae gloriam sunt promeriti **.

§ 2. Quae digna laus, quae sermonis copia his poterit adhiberi? Non enim linguae quadraginta ad prosequendam talium virorum virtutem sat fuerint. Nec solum multitudo tanta, phalanx militaris, cuneus insuperabilis aeque et in bellis inexpugnabilis, ac in laudibus inenarrabilis: sed horum unus tantum, si legitime fuerit oratione commendandus, nostram facile vim ingenii sermonisque facundiam superabit. Igitur in medium eos per commemorationem adducentes, ad communem omnium hic astantium utilitatem constituere, palamque omnibus quemadmodum in pictura, fortia illorum facta reddere conabimur. Nam magnifica in bellis gesta et oratores saepenumero et pictores pulcherrime demonstrant. Hi oratione, illi tabulis describentes atque ornantes, amboque plures ad fortitudinem imitandam inducentes. Quae enim sermo historiae per inductionem praebet, èadem et pictura tacens per imitationem ostendit. Sic et nos martyrum virtutem commemorantes, vos astantes excitabimus, ac vobis sub aspectum ipsorum facta reducentes, eos qui sunt animo aliquantulum generoso, ac ipsis voluntate propinquiores, facile ad imitandum accendemus. Haec est enim martyrum vera laus, alios ad eorum virtutem aemulandam invitare. Non enim encomiorum legibus, aut eorum quae in genere demonstrativo reperiuntur, sermones de sanctis ullo modo serviunt. Quoniam qui laudant caeteros, ex mundi hujus rebus materiam usurpare solent: quibus autem mundus crucifixus est, quomodo ex eo quicquam quod ad laudem faciat, mutuari poterit? Non erat his sanctis una patria: alius aliunde venerat. Quid igitur? sine patria dicemus eos, aut orbis cives? Sicut enim in symbolorum collationibus quae oblata sunt, communia existunt omnium conferentium: sic et in his beatis, cujuslibet patria communis omnium erat: et omnes e diversis terrarum locis, tamquam ex uno, duxerant omnia communia. Sed quid opus terrestres memorare patrias, cum liceat quae jam illis vera patria sit, nosse? Patria igitur horum martyrum,

* Cappàdoces natione creduntur. Eorum nomina recitant Bollandiani; varie autem a variis sunt tràdita.

** Horum laudes dixerunt pereleganter alii plurimi ex antiquioribus, in hisque S. Gregorius Nyssenus ac S. Gaudentius Brixiensis; ac praeclare admodum S. Ephraem Syrus (*vide ejus Op. T. 2, Edit. Vatic. anni 1743*, ubi Melitonis generosam matrem, suavissimâ prosopopoeja filium alloquentem inducit.

Dei civitas est, cujus auctor atque conditor ipse Deus. Haec est superna Jerusalem quae libera est, quae est mater Pauli et omnium ei similium. Genus autem humanum, aliud alii: genus vero spirituale, unum omnibus omnino. Communis namque eis pater Deus et fratres omnes, non ab uno et una descendentes, sed ex adoptione spiritus in unam concordiam inter se per charitatem convenientes; Chorus paratus: conventus maximus eorum qui ab initio Deum laudant: non singulatim congregati, sed cumulatim dispositi.

§ 3. Quis autem dispositionis modus? Hi magnitudine corporis et aetatis flore, ac virtute, caeteris omnibus praecellentes, ad militares ordines regendos promoti sunt. In tantam quoque Imperatoris dignationem venerunt, ut ob bellorum experientiam et animi fortitudinem primas apud eum obtinerent. Ubi vero iniquum praeconium edictumque omnibus denunciavit, ne quis Christum profiteretur, propòsitaque omnia poenarum genera confitentibus: multa quoque a judicibus injustis ira et feritas prodit, multae tendebantur ubique insidiae, doli, delationes: ignis insuper paratus, ensis in promptu, crux affixa, botrus, rota, flagella. In tanta igitur fidelium turbatione, nonnulli fugiebant, alii succumbebant, alii fluctuabant, quidam ante certamen solis minis absterrebantur: alii ubi coram videbant intentatos cruciatus, consternabantur: alii certamen ineuntes, deinde usque ad finem laborum durare nequeuntes, pugnam ac periculum detrectabant et velut in pelago naufragantes quae virtute patientiae parta multorum annorum secum in navi vehebant, per impatientiam amiserunt. Tunc igitur hi quadraginta invicti et generosi Christi milites, cum praefectus Imperatoris literas ostendisset et obedientiam requireret, libera voce, audacter ac fortiter, nihil ex iis quae viderant, exemplis expavescendo, sed minas omnes contemnendo, in medium procedentes, sese Christianos esse fassi sunt. O beatas linguas quae sacram illam vocem emiserunt quam aër quidem excipiens, sacer est factus, angeli audientes plauserunt: diabolus vero cum daemonibus magnam accepit plagam, Dominus postremo in coelo descripsit.

§ 4. Igitur horum quilibet in medium procèdens: «En, ait, Christianus sum.» Et velut in stadiis qui ad certamen pròdeunt, dicunt sua nomina et in locum pugnae describuntur: sic et hi tunc nobilitatis generisque ac dignitatis propriae obliti, tantum Servatoris sui professi sunt nomen: quod omnes ordine fecerunt. Ex quo facta est omnium una appellatio. Non enim talem ac talem, sed Christianos omnes se clamantes. Hoc itaque cernens praefectus, anxius ac dubius erat, an blandis verbis vel potius minis eos ad obtemperandum deduceret. Primum quidem ipsos, si quo modo a pietate obstinata posset avertere, dulci aggreditur sermone: «Nolite, inquit, juvenes, aetatem perdere vestram, neque

Digitized by Google

intempestivam mortem cum dulci hac et amoena vita commutare. Absurdum namque eos qui in bellis sunt assueti fortia gerere facta, morte pravorum hominum perire.» Post haec pecuniam pollicebatur, honores ex Imperatore, dignitatesque ac ordines militiae primos offerebat. Cum his rebus nihil proficeret, aliud genus aliumque modum tentavit: plagas, mortes, poenas intolerabiles ostendit. Et hic quidem talia: Martyres vero qualia?

§ 5. «Quid, inquiunt, muneribus tuis nos demulcēre studes Dei hostis, ut discedamus a Deo vivente, ac daemonibus perniciosis serviamus? Putasne tantum te daturum, quantum eripere contendis? Tua respuo dona quae nocumentum mihi conciliant: non accipio honorem, unde mihi nascetur ignominia. Pecuniam da quae permaneat ac continuo duret: gloriam quae semper floreat. Me Imperatori vis facere familiarem, sed me a vero rege alienare quaeris? Quid enim haec minima quae tu vocas magna, ex mundo polliceris, cum mundus universus a nobis despiciatur? Non sunt omnia quae videri possunt, spei paria, quam continuo retinemus. Vides hoc coelum, ut aspectu pulchrum, ut magnum, et terram, quanta est, quotve in ipsa mirabilia? Nihil horum justorum felicitati ac beatitudini aequiparari poterit. Illa namque velociter transeunt, haec continuo durant. Unam tantum justitiae palmam expecto, circa unam gloriam quae in regno est coelorum, solicitor. Honoris superni cupidus sum, poenas varias gehennae metuo. Illius ignis mihi formidolosus. Nam ignem eum quem vos nobis intentatis, conservus est. Novit et ipse vereri eos qui idola contemnunt. Sagittas infantium, vestras plagas existimamus. Corpus enim caedis quod eo clariorem assequetur coronam quo magis tibi resistet. Si vero defecerit, eo citius a judicibus violentis solutum abscedet: qui quoniam corporum dominium accepistis, etiam animabus dominari contenditis: et nisi Deo nostro praeferamini, non secus indignamini quam si ad extremum usque a nobis vituperemini: et hac ratione horrenda haec supplicia intentatis, ut pietatem nostram culpabilem reddatis. At nacti estis non meticulosos neque hujus vitae cupidos, nec qui facile consternentur. Pro charitate, proque fide in Deum et in rota poni et cruci affigi et flammis uri, ac omnibus demum modis torqueri parati sumus.»

§ 6. Ubi vero haec audiit barbarus ille ac superbiâ tumidus, audaciam ac loquendi libertatem minime ferens, furore percitus, modum considerare coepit quo mortem eis acerbissimam prolixamque pararet: invenit tandem. Audite itaque, rem quam duram sit commentus. Animadverso ille regionis naturam salebrosam et collibus praeruptam esse, ac brumae tempus instare: observavit, in qua maxime parte frigus vehemens, ac boreae flatus horridior esset. Jussit omnes nudos sub dio in media civitate congelandos mori. Nostis autem, fratres dilectissimi omnes

Digitized by Google

qui hyemis horrores estis experti, quod sit genus hoc poenae. Non enim nosse licet, nisi iis qui exemplis similibus periculum fecerunt. Corpus imprimis frigore prostratum, primum in pallorem concreto sanguine vertitur: deinde turbatur et fremit, dentes frendunt, venae contrahuntur, adeoque et totum corpus constringitur. Dolor insuper quidam acutus et labor inenarrabilis per medullas penetrans, intolerabilem facit sic frigore concretis dolorem. Deinde in acutum tendit, ut ab igne cum summa cremantur. Ab extremis namque corporis partibus consequens vapor et ad interiora ac penitiora confugiens, quaedam unde absistit, mortua relinquit: nonnulla vero ad quae tendit, doloribus afficit morte paulatim procedente. Igitur sancti Dei sub dio pernoctare in stagno * quodam jussi sunt quod pro moenibus civitatis erat: ac per brumam ita glacie concretum apparebat, ut equis pervium et accolarum pedibus tritum esset: aquae vero solitum non retinerent cursum, earumque natura mollior in lapidis duritiem concresceret. Boreae namque mordentis spiritus, animantia omnia juxta versantia interimebat.

§ 7. Hic itaque, audito damnationis jussu, martyres considerate quanta fuere constantiâ: qui loco cum summa laetitia conspecto, ultimum nuditatis amictum alacriter rejicientes, per frigus ad mortem properarunt: non tamquam ad supplicium, sed ad gloriosissima spolia rapienda, se invicem hortando descendentes. «Non enim, inquiunt, amictum exuimus, sed veterem hominem, concupiscentiae deceptione corruptum, deponimus. Gratias agimus tibi, Domine, quod cum isto amictu simul et peccatum exuere licet: quoniam ob serpentem, eum induimus: ob Christum vero, exuimus. Relinquamus hunc amictum propter paradisum quem perdideramus. Quas Domino qui pro nobis est spoliatus, dignas gratias reddemus? Quid magnum servo, si ea quae passus est Dominus, subeat? Nos causae sumus, ut illi vestis detraheretur: longe magis quam militum audacia qui eam diripuère ac sortiti sunt. Durum profecto frigus, sed dulcis paradisus. Affligens glacies, sed delectabilis requies. Brevi tempore durantes, sinus Abraham nos perpetuo fovebit. Unam noctem cum aevo sempiterno commutabimus. Incendatur frigore pes, ut cum angelis continuo saltet. Torpescat frigore manus, ut facultatem habeat in Deum attollendi. Quot enim nostri commilitones ceciderunt, fidem mortali regi servantes? Nos pro fide in verum Deum servanda hanc vitam non projiciemus? Quot item malefici homines mortem tulerunt in scelere deprehensi? Nos vero pro justitia mortem non subeamus? Ne obsecro commilitones emolliamur, neu terga diabolo demus. Quando semel mori oportet, moriamur ut vivamus. Fiat sacrificium nostrum coram te

* Non aquis immersi (ut in Metaphraste legitur), sed super stagnum gelu validissimo constrictum, ut notat hic Ruinartius.

Digitized by Google

Domine: et velut hostiae viventes tibi placentes, nosmet hoc saevo gelu immolantes abs te recipiamur. Pulchrum quidem sacrificium, pulchra oblatio, pulchrum holocaustum: non quidem per ignem, sed per frigus absumptum.» Haec igitur et his similia credibile est inter se dixisse, ac communem laborem in Domino solatos esse. Veluti quamdam in bello custodiam instruentes, eam noctem saevos cruciatus sustinendo atque algendo praeterierunt, tantum spe certa gaudentes et hostem continuo deridentes. Unum erat omnium votum: Quadraginta in stadium intravimus, totidem Domine coronas tribue. Non desit numero nec unus quidem. Pretiosum est tempus quod quadraginta dierum jejunio ornasti, per quod divina lex in orbem transivit. Quadraginta item dierum jejunio Elias Dominum exquirens, videre meruit. Et oratio quidem eorum talis.

§ 8. Unus ex eorum numero, inde per animi inconstantiam subterfugiens, moerorem sociis maximum reliquit: nec propterea Dominus eorum vota inania permisit esse. Nam prope aderat quidam, cui eorum custodia credita est, in gymnasio quodam e vicino a frigore servatus, et exitum rei expectans, paratusque martyres, si qui fugerent, ut eis clare pollicitus fuerat, in lavacro quodam aquae calidae, quod juxta situm erat, excipere ac servare. Res a Praefecto astute excogitata, talem videlicet invenire certaminis locum, in quo paratum damnati haberent refugium, ut omnem coepti propositi constantiam amitterent. Sed hoc martyrum patientiam clariorem reddidit. Non enim qui cogitur, est constans, sed qui liber et in oblectationis copiâ dura pati potest, is demum constans ac patiens est. Custos itaque dum hos observaret, quosdam e coelo descendentes angelos, ac coronas singulis martyribus, uno excepto, distribuentes aspexit. Is autem, quem indonatum illi reliquerunt, ac honoribus coelestibus indignum judicaverunt, ea repertus est animi mollitie atque inconstantiâ, ut statim laboris tolerantiam despèrans, ad hostes transfugeret, miserabile prorsus spectaculum, miles transfuga, vir fortissimus captus, Christi ovis a lupo direpta: et quod miserabilius, a vita perpetua coelestique excidens, neque hac postremo diu gaudens. Nam ubi calidam attigit aquam, corpore, quod glacie torpebat, dissoluto, statim interiit *. Custos vero, qui prodigium hoc viderat, ubi illum fugientem conspexit, relictis omnibus, sese in ejus demisit locum, ac unam cum sanctis illis vocem emisit: « Christianus et ego sum. » Itaque cum ejus subita mutatione stuporem illis incuteret, et numerum implevit, et moestos ob socium amissum sanctos consolatus est: eos imitando, qui in acie prima, ubi forte aliquis ceciderit, statim ordini alium restituunt ac surrogant, ne proximi incommodum patiantur. Talem igitur ipse se gessit. Vidit miracula coelestia,

* De hoc miserrimo apostata verba facit S. Nilus in Epist. 388.

Digitized by Google

agnovit veritatem, ad Dominum confugit, cum martyribus annumeratus est. Exemplum est Apostolorum imitatus. Abiit Judas, Matthias est surrogatus. Imitatus et Paulum, qui heri persecutor, hodie factus est evangelizator. Superne et ipse vocatus, non ab hominibus neque per homines, credidit in nomine Domini Jesu Christi. Baptismum suscepit, non ab ullo, sed a propria fide: non in aqua, sed in proprio sanguine. Cum vero primum illuxit, adhuc spirantes, igni traditi sunt, ac cineres in fluvium projecti, ut per omnem creaturam eorum transiret certamen. In terra primum exerciti, deinde in aëre sub dio duravere: postremo igne crematos aqua excepit. Horum est ergo vera vox illa: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* (*Ps.* 65).

§ **9**. Hi sunt, qui nostram obtinentes regionem, quasi quaedam turres contra adversariorum incursum refugium exhibent. Nec uno in loco sese clauserunt, sed in multis locis hospitio recepti, multorum patrias ornaverunt: nec tamen separati, sed inter se commixti: si in singulos ipsos diviseris, proprium numerum non excedunt: si vero in unum congregaveris, quadraginta nihilominus erunt, ac ita ut ignis natura permanent. Nam ille et ad progredientem transit, et totus est apud habentem: sic hi quadraginta sunt unum, et omnes apud singulos. Beneficium igitur hoc, fratres dilectissimi, gratiam hanc minime deficientem, ex Deo obtinemus. Paratum est hic Christianis auxilium, Ecclesia videlicet martyrum, exercitum triumphantium, chorus laudantium Deum. Saepe operam dedistis, saepe laborastis, ut unum pro vobis orantem inveniretis: quadraginta sunt hi unam orationis emittentes vocem. *Ubi* enim *sunt duo vel tres in nomine Domini congregati, ibi Deus est* (*Matth.* XVIII). Ubi vero quadraginta fuerint, quis dubitet Deum esse praesentem? Qui aliqua premitur angustiâ, ad hos confugiat: qui rursus laetatur, hos oret. Hic ut a malis liberetur, ille ut duret in rebus laetis. Hic mulier orans pro filiis auditur: peregrinanti viro reditum incolumem aegrotanti vero salutem implorat. Cum his ergo martyribus nostras effundamus preces. Adolescentes, suos coaevos imitentur: patres, talium esse filiorum parentes exoptent: matres, exemplum matris optimae spectent.

§ **10**. Nam unius illorum mater alios jam pene frìgore consumptos aspiciens, suum vero filium ob vires aliquantulum validiores, et adversus dura constantiam, adhuc vivum et permittentibus lictoribus, vitae consulere valentem: ipsum propriis accepit manibus, ac currui, in quo rèliqui jacentes ad pyram ferebantur, apposuit martyris vera mater. Non enim lacrymam indecòram effundere, aut aliquid humile loqui, vel indignum agere visa est. Sed, o nate, inquit, perfice cum tuis contubernalibus iter beatum, ne a chorea deseraris, neve inferior aliis Domino appareas. O matrem felicem, o bonae radicis bonum

Digitized by Google

germen. Ostendit generosa parens, quemadmodum pietatis institutis eum magis quam lacte educaverat. Et hic quidem sic nutritus, sic elatus est a pia genitrice. Diabolus vero his visis, prae verecundia discessit. Frustra namque omnem prope creaturam moverat, et tamen omnia a virtute martyrum superata vidit. Nox horrida et ventosa, tempus anni frigidissimum, corporea nuditas, patria borealis.

§ **11**. O sanctum chorum, o sacrum ordinem, o cuneum inexpugnabilem, o communes generis humani custodes, optimi curarum socii, precum ac votorum invicem suffragatores, legati apud Deum potentissimi, astra mundi, flores ecclesiarum: vos non terra contexit, sed coelum excepit. Apertae sunt vobis paradisi portae, dignum profecto exercitibus angelorum, patriarchis, prophetis, et justis omnibus spectaculum. Viri aetate florentes ac pares, vitam alacriter despicientes, supra parentes ac filios Deum amantes, in ipso vitae flore existentes, temporariam hanc vitam contempserunt, ut in membris suis Deum reciperent, mundo simul et angelis et hominibus spectaculum facti, moestos erexerunt, dubios in fide confirmaverunt, piis desiderium auxere: unum omnino pro pietate trophaeum erigentes, una justitiae coronâ ornati fuere. In Christo Jesu Domino nostro (*a et b*).

DE INVENTIONE SACRARUM RELIQUIARUM

HORUM BEATORUM XL MARTYRUM

EX SOZOMENI HIST. ECCLESIAST. LIB. 9, CAP. 2.

§ **1**. Mulier quaedam Eusebia nomine, haerèseos Macedonianae ministra, domum et hortum habebat extra moenia civitatis Constantinopolitanae, et sanctas reliquias hic asservabat quadraginta militum, qui apud Sebasten Armeniae tempore Licinii

(*a*) Sebaste haec acta sunt, quo milites gloriosissimi e Mitilenensibus castris, ubi eorum Legio (probabiliter quae *Fulminea* ab bellicae virtutis praestantiam appellabatur, eratque Christianorum maxime frequens) hibernabat, et quo, utpote idolorum sacrificiis abhorrentes, ab Agricolao Praeside in Licinii (*vide* Martyrolog. Illustr. *mensis Jan. p.* 6*) persecutione ad quaestionem ducti fuerant. Sebastes *Armeniae* notatur, ad distinctionem aliarum trium omonymarum urbium, in Palaestina, in Phrygia et in Cilicia. Ne confundas dein cum *Sebastia*, Isauriae urbe, Seleuciae subjecta. Sebastes de qua hic agitur, Armeniae Minoris (Majoris antiquitus caput) perinsignis vetustaque civitas, hodierno barbarorum occupantium idiomate *Siwar*, apud indigenas *Sevasdià*) Pontum Euxinum prospicit ex Asiae latere boreali. Fide illustrata Apostolorum aetate, plurimorum purpurata est Martyrum sanguine. Conspicuos habuit Antistites S. Blasium (III *Febr.*) et S. Petrum cognomento Sebastenum, SS. Basilii et Gregorii Nysseni germanum (IX *Jan.*). Mahometanorum impio turpique opprimitur jugo ab anno MCCCXCIV. Celeberrima illic SS. XXXX Martyrum memoria viget. Supplicii locus ad orientem urbis, antiquae ecclesiae ruderibus et fonte signatur, ejusque ipsimet Turcae sanctitatem venerantur, deque illinc haustâ aquâ bibunt, morbis fugandis efficacissimâ.

(*b*) Brevi post horum martyrum necem, ecclesiae et basilicae multis in locis in eorum honorem constructae sunt: Caesareae et Nyssae in Cappadocia, Constantinopoli ac Romae et alibi. His aedificandis occasionem praebuerunt eorumdem Sanctorum reliquiae, quae, teste Greg. Nyss. " in orbem terrarum ita divisae sunt, ut ferme quaelibet provincia benedictionem inde participet. "

Fractis combustique fortissimorum militum corporibus, cineribusque et ossium frustis, tyrannorum jussu, in flumen projectis, at mire a confluente unda recollectis, Christiani sacratissimas exuvias summo studio sustulerunt. De iis S. Basilius senior, S. Episcopi et Doctoris cujus legimus Homiliam, pater, nonnihil adeptus est; S. Gaudentius autem Brixiensis in Italia Episcopus, Jerosolymam se conferens, cum Caesareae a nepte hujus S. Basilii aliquid harum Reliquiarum impetrasset, eas, in patriam rediens, partim Romae reliquit, partim secum detulit, et Brixiae in templo SS. MM. Sebastenorum nomini excitato, solemnissime collocavit.

Digitized by Google

martyrium fecerant. Ea cum esset moritura, locum hunc reliquit monachis, sibi in religione conformibus, et eos jurejurando adstrinxit, ut se ibidem sepelirent, atque ut supra caput in sublimi loculum suum privatim expolirent, et secum una martyrum reliquias reconderent, ac nemini rem indicarent. Ac monachi quidem fecerunt, sicuti mandatum fuerat. Ut autem debitum cultum martyres consequerentur, et externi tamen rem nescirent, secundum datum Eusebiae jusjurandum, oratorium sub terra construxerunt ad illius loculum: in aedificio autem conspicuo superne coctis lateribus vestitum pavimentum, et ex eo descensum clancularium ad martyres.

§ 2. Post haec Caesarius, vir ea tempestate cum primis potens, qui et ad consularem et ad praefectoriam dignitatem pervenerat, defunctam uxorem suam juxta loculum Eusebiae sepelivit: hoc enim illis ita decretum erat, dum adhuc in vivis essent, cum et miro amore inter sese mutuo tenerentur, et in religione ac doctrina concordes essent. Et hinc Caesario hujus loci emendi data occasio fuit, ut et ipse prope uxorem sepeliretur. Praedicti ergo isti monachi alio emigrarunt, neque tamen de martyribus quicquam indicarunt. Domo postea collapsa, terràque ac ruderibus ingestis, universus ille locus exaequatus fuit, quia templum inibi magnificum Deo Caesarius ipse in honorem Thyrsi martyris aedificarat. Deus autem, ut apparet, hunc locum ita obscurare, et tantum temporis èlabi de industria voluit, ut et martyrum inventionem, et inventricis pietatem admirabiliorem illustrioremque redderet: ea erat imperatrix Pulcheria, soror Imperatoris. Huic enim cum tertio apparuisset admirandus ille Thyrsus, eos qui sub terra absconditi latebant indicavit, et ad se transferri jussit, ut et ejusdem loci, et ejusdem quoque honoris secum participes essent: simul et ipsi quoque quadraginta martyres, militaribus vestimentis candidis induti, semetipsos illi conspicuos fecerunt.

§ 3. Haec vero res et supra fidem, et prorsus inextricabilis esse videbatur: neque enim aut Clerici, qui hoc in loco seniores erant, quamvis saepe rogati, aut alius quisquam indicare martyres poterat. Ad extremum cunctis jam desperantibus, Polychronio cuidam presbytero, qui olim ex familiaribus Caesarii fuerat, in mentem Deus redegit istos monachos, qui hunc locum quondam incoluerant: qui quidem ad Macedonianorum clericos veniens, sciscitatur de ipsis. Omnibus autem illis jam defunctis, cum unum duntaxat superstitem reperisset, qui in hoc ipsum videbatur in vita conservatus, ut quaesitos martyres indicaret: orabat ut diceret, cognovisset ne sanctas reliquias sub indicato loco reconditas. Sed cum eum propter datum Eusebiae jusjurandum subdetrectantem videret Polychronius, divinam illi apparitionem, et perturbationes Imperatricis, et ipsorum desperationem

Digitized by Google

commemorat. Tum ille vera confitetur esse ea, quae Deus Imperatrici revelarat: nam se, quia adolescentulus tum ibi sub senibus praeceptoribus ad monasticam institutus esset, certo scire martyres jacere circa loculum Eusebiae: ignorare tamen, utrumne sub delubro, an vero alibi defossi sint, propterea quod multum temporis effluxerit, et prior loci facies in eam sit mutata, quae nunc est. « Atqui, inquit Polychronius, mihi non idem accidit. Recordor enim me forte adfuisse sepeliendae conjugi Caesarii, et ex vicina via publica rationem ducens, conjicio eam jacere circa ambonem, quod est suggestum lectorum. Proinde, respondens monachus, etiam Eusebiae loculus, inquit, prope uxorem Caesarii quaerendus est: quandoquidem et vivae plerumque una erant, et post mortem se conjunctum sepulcrum habituras pactae sunt.

§ 4. Cum itaque secundum haec, quae dicta sunt, fòdere, et sanctas istas reliquias investigare oportèret, Imperatrix facta certior, opus urgeri jussit. Effosso igitur illo circa ambonem loco, repertus fuit loculus uxoris Caesarii, sicuti conjectarat Polychronius. Paululum autem hinc distans ex transverso stratum coctis lateribus pavimentum erat, et ad hujus ambitum aequali mensurâ respondens tabula marmorea, sub qua ipsius Eusebiae loculus ostendebatur, et huic imminens delubrum perquam scite marmoribus leucoporphyris incrustatum. Ipsum porro loculi tegmen, velut in mensam sacram fabrefactum erat. In summo autem, ubi martyres jacebant, exiguum foramen apparebat. Astans igitur quidam de familia Imperatoris, tenuem virgulam, quam forte habebat, per foràmen immisit, et extractam naribus admovit, et unguentum fragrantissimum olfecit: ex quo statim tum laborantibus, tum astantibus bona spes suborta fuit.

§ 5. Itaque cum loculum avide aperuissent, Eusebiam inveniunt. Illud vero quod ad caput ejus eminebat, in arcae formam celatum, proprio intus tegebatur operculo: et utrinque ei ad labra circumdatum, plumbo conglutinatum ferrum, ipsum continebat. In ejus medio rursus foramen istud apparens, etiamnum manifestius declarabat intus haberi martyres. Haec ubi annunciata essent, evestigio accurrunt Imperatrix et Episcopus ad martyrium. Tum solùtis per artifices ferreis istis vinculis, confestim sine negotio operculum extractum fuit, sub hoc autem multa unguenta, et in his pyxides argentae duae repertae sunt, in quibus sanctae reliquiae jacebant. Tunc igitur Imperatrix Deo preces gratulatorias fundebat, tum quod se tanta revelatione dignatus esset, tum quod sanctarum reliquiarum inventionem assecuta esset. Post haec pretiosissimâ thecâ martyres honoratos, juxta venerabilem Thyrsum composuit, publica festivitate, ut aequum erat, cum debito honore ac pompa ac psalmodiis celebrata: cui et ipse ego interfui. Atque haec sic esse gesta, testabuntur qui huic festivitati interfuerunt, omnes enim ferme adhuc supersunt.

Digitized by Google

SS. CODRATI, CYPRIANI, DIONYSII, ANECTI, PAULI ET CRESCENTIS

CORINTHI MARTYRIBUS

EX SIMEONE METAPHRASTE*

Circa 558.

§ 1. Omnes quidem Sanctorum celebritates, si verum fatendum est, laudibus pròsequi debemus, ut a nobis pro viribus exornentur: sed hanc tamen potissimum quae sanctorum Martyrum concursu peragitur. Deo enim ab initio consecrati, ad id, quod omnium pulcherrimum est, pervenerunt. Nam cum et temporis longitudine gravitatem essent assecuti, et exquisitâ vivendi ratione ad pietatis fastigium pervenissent, nihil tamen a se praeclare gestum, nihil laude dignum existimarunt, nisi prius sacra certamina subiissent. Itaque cum magnam magnis in rebus virtutem praestitissent, hac tamen victoriâ caeteras obscurarunt: immo vero apud eum qui praemia certaminibus proponit, hac reliquas etiam illustrarunt. Declarati sunt enim martyres generosi, et Dei maximi imitatores. Ad summum igitur virtutis culmen provecti, meritum a Deo praemium, melioremque finem, et quae potest in hominem cadere immortalitatem obtinuerunt. Qui enim apud Deum virtutis obtinet testimonium, is assequitur immortalitatem. Quamobrem Martyres ex operibus admiramur qui virtutes amplexi, voluptatibus renunciarunt, et animos suos fortitudine armantes, omnem ignaviam repulerunt, totique in spem victoriae erecti, atque alacriter adversa omnia perpetientes, in ea, quam sibi ab initio proposuerant, pietatis ac religionis lege immobiles persliterunt. Ubi enim praestat se fortiter gerere, quam cum se Deus ducem praebet? Ubi satius est dare virtutis spècimen, quam una cum Jesu Salvatore? Quae porro dulcior corona, quam illa quae nos cum praestantioribus conjungit? Ad hoc igitur signum Martyres respicientes, et ardentiori quodam sanctae gloriae desiderio inflammati, rerum turpium cupiditates rejecerunt, et in virtutis atque honestatis studium incumbentes, pulcherrimum posteris exemplum ad imitandum reliquerunt. Quae enim tempore atque usu sunt antiquiora, nos magis ad rerum honestarum studium incendunt.

* Etsi spatium annorum circiter novem intercesserit, ut infra in Notula (*a*), Decianam jure ac Valeriani persecutiones his assignat Romanum Martyrologium. (*Vide Append. huj. Volum. hac die*). Decio quippe regnante Codratus puer cum matre per horrida nèmorum et aspera montium, persecutionis caussâ, exulante, martyrium subiit famis, sitis, omnis aerumnarum generis; adolescentiam autem ingressus, in octavam a Valeriano motam persecutionem incidit, in qua fortissimae confessionis cum Sociis promeruit coronam.

Digitized by Google

§ 2. Virtutum igitur inimicus qui in multis saepe petulanter agens, et civitates evertit, et falsos rumores disseminavit, et mentes hominum immutavit, et gravitatis pulchritudinem infecit, et omnia in deterius traxit, admirandis Christi pugnatoribus inventus est imbecillior, cum nec ab honesto illos proposito posset abducere, nec rationem ipsorum subvertere, quos Christus armabat. Itaque impetus ejus adversus Sanctos nihil naturam illorum laesit. Quinetiam quemadmodum invidia, pulchritudinem corporis obtutu, tanquam morbo, frustra conatur inficere atque corrumpere, cum decor ipsius pristino in statu conservetur: sic etiam Martyribus accidit, quorum animi pulchritudini nec impetus inimici, nec res istae caducae quicquam obfuèrunt. Nihil igitur metuens sanctorum Martyrum coetus, pari consensu ad fortiter agendum se comparavit, et strenue ad sanctam gloriam, honoremque contendens, praemium est consecutus. Ubi primum enim ad virtutis specimen exhibendum vocati sunt (quod quidem fuit, cum militiae Christi fuerunt adscripti), videre licuit, Christi chorum antecedentem militem Codratum qui seipsum Deo primum dicare festinabat, illic velle educationis gratum animum ostendere, ubi Deo placuisset. Neque enim aequum est, ut rem admiratione dignam silentio praetereamus. Nam cum educationem praeter naturam habuisset, quantopere Deo esset charus, manifestum fuit.

§ 3. Hic enim jaminde ab ipsis incunabulis nutrimentum incertum habuit, quippe qui matrem adhuc infans amisit, et maternis uberibus caruit. Christus autem illi signis minime obscuris alimenta subministravit, cum ejus jussu nubium globus e coelo infantem amplecteretur, alimentumque suppeditaret, unde ipse quantum satis esset in futurum, percipiebat. Verum cum adolevisset, aetati congruentem disciplinam percepit, et in primis rudimentis didicit medendi facultatem. Vir autem effectus, pariter cum disciplina naturam diviniorem et perfectiorem assumpsit, continuoque declaravit, quisnam esset futurus. Omnes enim labores fortitudinemque complexus, factis gloriam confirmavit, cum a Christo, quo ipsi placebat, duceretur.

§ 4. Jason igitur Graeciae Praefectus, post immane Decii et Valeriani (*a*) Imperatorum mandatum, ad crudelitatem se instruens, insurrexit adversus Christianos, timoremque singulis injiciens, tormenta atque cruciatus minabatur, nisi eos dicto audientes reperisset. At primum quidem pulcherrimi coetus principem sic est aggressus: «Codrate quae te vesania ducit, ut tantam cruciatuum acerbitatem velis experiri? Aut quae te spes

(a) Consueta Metaphrasti temporum, virorum, factorumque confusio! Decio namque, anno CCLI, interemto, succedentibus, brevibus interstitiis, Gallo, Volusiano, Aemiliano, saevire quidem perstitit persecutio; at cum sceptro Valerianus anno CCLIV potitus est, pax Ecclesiae reddita, quae nonnisi quadriennio post, per eumdem Valerianum, Macriano instigante, denuo est acriterque turbata.

Digitized by Google

movet, ut intrepide carcerem ac vincula negligas, sponteque patriam amittas, et ab amicorum consuetudine divellaris? Cur non potius Imperatorum decretis obtemperans, et diis immolans, nobiscum eligis beatus esse, et amabili vitae praesentis jucunditate frui?» His ille conabatur sanctum virum a recta ratione deducere. Codratus vero blanda Praefecti oratione, qua nefarius animus tegebatur, neglecta, respondit: «Nemo, inquiens, cui naturae ratio cognita sit, jucundam esse vitae gratiam negabit. Sed tamen hanc Deus largitus est. Quamobrem necessarium est, ut tanti muneris largitorem virtutis studio commendemus, et ejus gloriam testimonio nostro propagemus. Neque vero tanti faciendum est hujus vitae tam breve curriculum, ut illius amittendae metu, adorationem quae Deo soli convenit, idòlis tribuamus. Quem porro deum meliorem possumus appellare illo qui summis nos ab initio, perpetuisque beneficiis cumulavit? Ex tot autem ac tantis beneficiis, quem nisi Christum possumus Salvatorem cognoscere? Aut quem Salvatorem praedicare fas est, nisi Jesum qui pro nobis cruciatus et mortem pertulit? Illud inprimis ad virtutem nobis propositum est, ut pro vera pietate ac religione tormenta superemus, nec ullis unquam difficultatibus ab ea deficiamus. Qui autem divinorum mysteriorum studiosos amantesque conantur corrumpere, eorum et animus impius est, et oratio detestanda. Praestat autem quae meliora sunt, imitari. Illud item cogitandum est, non eos protinus sequendos esse qui probitatis speciem prae se ferunt, sed res et facta esse perpendenda: quae si prava sint, major periculi timor est. Scito igitur, nos Majorum instituta complectentes, ad ea quae meliora sunt, tendere. Quare ne studeas nobis inimicissimis persuadere, ut ad partes tuas transfugiamus, neque ut Christum relinquentes, alio nos conferamus. Veritas enim nobis adest consiliaria, pietatisque leges ad persuadendum vim habent maximam. Hae nos genere moribusque similes Deo conjungunt. Illud praeterea consideremus, communi naturae lege omnibus esse moriendum, et ab ea quidem necessitate liberum esse neminem. Quae autem fortiter et ex virtute geruntur, ea viris bonis gloriam pàrere sempiternam. In hoc animi proposito permanentes, et in hac sententia confirmati, praeclarum imitari volentibus exemplum relinquemus. Nam qui recte sentiunt, nihil aliud student, nisi ut ad ea quae praestantiora sunt, habeant occasionem.»

§ **5**. Praefectus, etsi Codrati responsum admirabatur, tamen cum ad veritatis fidem venire non posset, De rebus, inquit, sublimibus Codrate mihi vidèris nugas confingere qui perturbationibus humanis Deum subjicias, eumque dicas mulierculae gremio potuisse comprehendi quae uterum gerens, Christum pepererit, atque ita Deum in terra visum esse, corporis formam gestantem, alibi autem esse verum Deum. « Pietatis arcana perscrutari

profanis non licet, inquit, Codratus: nec ejus cognitio parva est, aut facile comparatur: neque nos permittemus, ut homines impuri sacris perspiciendis admittantur. His se Filius Dei sponte subjecit, ut Deus idem atque homo esset, et ut nos e daemonum eriperet servitute. Tu autem istâ tuâ perversâ audaciâ impietatis indicium in te moves. Neque enim improbitate tua studium nostrum corrumpis. Natura enim ubique dominatur, et actiones serviunt voluntati. » Praefectus autem, ut a virtute alienus, et veritatis rationem non intelligens, egregium Christi servum virgis caedi jussit. Ministri vero homines ignavissimi, virgis admotis, cruciatuum immanitate saeviebant. At Codratus tormentorum victor, «Ignoras, inquit, Praefecte, quicquid a violentia proficiscitur, esse contrarium libertati, nec ullam ad persuadendum vim obtinere? Qui enim cogit, se injustum atque improbum esse significat: qui vero suadet et hortatur, is se mansuetum humanumque declarat. Quamobrem cum te virtutis expertem indices, indignum ostendis cui fides habeatur. Ne putes nos metu virtutem atque honestatem deserturos, aut morum abjecturos gravitatem. Cum enim Christi studiosi amantesque simus, eum solum confessionis habebimus adjutorem. Is nobis aerumnas omnes praemiorum spe leniet ac mitigabit, docebitque nos, non esse cedendum adversariis.» Tantum in periculis virtus valet, et viris constantibus praeclara proposita sunt praemia.

§ **6**. Tum Praefectus primi fortitudine territus, ad alterum sese convertit, et blandâ dulcique oratione in sententiam suam adducere conabatur. Cyprianus autem adolescens, quamvis primo pubesceret aetatis flore, tamen libertatis dignitatem considerans, sese ad perferendos cruciatus parabat. Et Codratus hic item animo ad Christum pròperans, sociis generosis, recteque secum ac pie sentientibus consilia tempori convenientia suggerebat: «Moneo, inquiens, vos, o rerum pulcherrimarum socii, ut memineritis, quam multa vobis bona proposita sint, tum gloriae propter religionem, tum honoris, quem a Deo consequimini, tum auxilii, quod vobis a Christo de coelis praesens aderit, in primisque quod Jesu misericordiâ digni existimemini. Nunc igitur virtus exploranda est: nunc tempus postulat, ut vos majore dignos admiratione praebeatis, ut alacri animo legem adimpleatis, ut morum vestrorum specimen detis, ut re ipsa atque factis professionem vestram comprobetis: nunc boni a malis discernentur: nunc in conservanda pietate custodia major adhibenda. Cavete, ne dispari morum ratione discrepetis: sed eamdem pietatis normam sequimini, ut qui a tali Deo judicandi sitis. Virtutis viam ne deseratis qui jamjam cum Christo perfecti estis futuri. Deum bonum bona mente comprobate. Nolite propter adolescentiam ignaviae succumbere. Cogitate in foribus esse certamen, et juventuti pro pietate, quae nos Deo conjungit, pericula jucunda esse debere, cui vires suppetunt,

Digitized by Google

et nervi vigent. Vos igitur mutuo cohortamini, certatim in hoc pietatis studium incumbite, idem sentite, tormentorum formidine nolite deficere: sed cruciatibus corpora tradentes, dolores aequo animo tolerate, ut victoriam adepti, gloriam consequamini, in martyrum ordine ac numero collocati. » Hac Codrati cohortatione juvenes alacriores et fortiores reddebantur.

§ 7. Praefectus autem hortatorem et consiliarium audiens, cruciabatur quod se ab eo quod sperabat, depulsum intelligebat. Iracundiâ autem saeviebat quod adolescentes decipere non posset. Quamvis enim singuli aetate essent juvenes, virtutis tamen proposito se viros praebebant. Itaque cum et Cyprianum multis verberibus tentasset, ab eo victus erubescebat. Primus igitur pugil ante alios confessionis coronam adeptus est. Alter autem aemulationis pulchritudine primum imitatus, magno tempestatis aestu superato, cum illo in Christo sese conjunxit. Nec tertius, nomine Dionysius, inferior fuit: sed illos spectans, socius eorum fieri festinavit, quamvis tortores eum a Christo studerent abalienare. Quartus vero, qui Anectus appellabatur, ductus est: qui cum torquentium crudelitate victoriam amissurus existimaretur, neglexit vim tormentorum, nec ullam cruciatuum acerbitatem recusavit. Quâ re perspectâ, Princeps fortitudinem hominis admiratus, atque impietate furens, quintum ad quaestionem adduci jubet, cujus praestantiam vel nomen ipsum declarabit: Paulus enim vocabatur. In hunc item crudelitatem suam tortores ut exercerent, Praefectus imperavit. At Martyr futura contemplans, propositi sui excellentiam ostendit. Neque enim Tyranni contumeliâ fractus, gravitatem abjecit: sed praecedentes socios assequendi studio incensus, libenti animo certamen subiit. Invidia vero recte factorum inimica, hunc frustra propositis cruciatuum doloribus territans sequebatur. At Crescens cum consideraret, semper esse difficile Principibus aliquid persuadere, in medio stans, virtutis specimen dedit. Cum enim ad majora tenderet, egregium se pugilem, et sacro sociorum coetu dignum praestitit, et firmam futuri praemii spem habens, victoriam reportavit.

§ 8. Caeterum dum carcere, tormentisque constantiam Martyrum exploraret Princeps insanus, et singulis periculorum terrorem incuteret, eos salutis cursum perfecturos non putabat. Verum ubi animos ipsorum intrepidos vidit, cruciatuumque victores, non dubitavit amplius, quin victoriae praemia apud Deum essent habituri. Itaque supra quam decet, irâ permotus, talem in viros innocentes sententiam tulit, ut capite plecterentur, et singuli singulos sequerentur carnifices. Sanctos igitur Martyres totidem numero fraudis ministri, ut facerènt impèrata, traxèrunt ad locum, ubi in homines sceleratos solet animadverti, ubi damnati bestiis objiciuntur et ubi gladiatores mutuis ictibus quos pedum celeritate et saltu declinare non possunt, sese trucidant,

Digitized by Google

ut spectantium oculi immani voluptate delectentur. At martyres, hoc etiam in loco difficultatibus superatis, hymnum victoriae signum Christo canere studuerunt, ut ei precibus initiarentur: et ministros, ut studio suo obsequi vellent, obsecrabant. Qui licet acerbi saevique essent, tamen eorum optatis acquieverunt. Precatione autem absolutâ, malorum operariis cervices obtulerunt. Qui gladiis dexteras manus armantes, singulis ictibus, magnâ spectantium commiseratione, capita sanctorum obtruncarunt. Madebat subjecta terra sanguine passim irrigata, et locum illum ingens occupabat moeror et tristes quaedam tenebrae civitatis oculis, civium suorum caedem indigne ferentis, offundebantur.

§ **9**. Rem nobis memoratu dignam divinorum Martyrum celebritas suggerit, quae rerum gestarum certissimum posteris testimonium afferet. Nam simulac a sacris pugnatoribus certamen peractum est, et corpora sunt exuta, Christus maximum illis remunerationis signum dedit: quod quidem omnes, qui ad spectandum accedunt, admirantur. Quemadmodum enim Deus incolis concessit, ut sancti Martyres apud eos certamen absolverent: sic etiam dignis magnam gloriam confirmavit. Duplici igitur spectaculo, qui praesentes erant, varie sunt affecti, tum misericordiâ, tum admiratione: misericordiâ, calamitatem humanam considerantes: admiratione, id, quod Christus incredibile ac novum effecerat, obstupentes. Praedicabant omnes divinum opus, quod sponte Deum cognoscentibus apparuerat. Nam ubi Martyres mirabile lucrum perceperunt, ibi Dei jussu clari fontis làtices emanarunt. Ibi declivis fluento aditus patuit, ubi sacrati Deo viri gloriam pertulerunt. Prope sacram aedem nimirum, quae servando sanctarum reliquiarum pignore digna fuit.

§ **10**. Ita Christus justum se judicem praebens, eos, qui mutuâ et piâ benevolentiâ conjuncti sunt, qui sacra nunc certamina sùbeunt, laetantes accipit: sacrisque coronis redimìtos, Martyrum laudibus exornat: ultores autem ac vindices inimicis suis in futurum parat. Sic illi, qui virtutem complexi, se viros fortes ac strenuos in rebus arduis praestiterunt, et cum Christo conjuncti sunt, non solum a praesentibus laudantur, sed ex ultimis terrarum finibus visuntur: et tanquam mundi stellae, coetu suo coronam conficiunt. Certatim igitur homines pii, et omnes qui recte factis dignam mercedem propositam esse conspiciebant, congredientes, corpora sanctorum sacris in loculis collocarunt, ubi sanctorum martyrum coetus celebratur.

§ **11**. Aequum est igitur, fratres, ut considerantes praesentia sic a Christo disponi et gubernari, ut perpetuo nobis afferant utilitatem, eos qui lege divina ipsi consecrati sunt, quique se caeteris hominibus praestantiores exhibuerunt et Christi aerumnas deliciis praetulerunt, meritis laudibus celebremus, eosque ad majora contendentes, studeamus imitari.

Digitized by Google

VITA S. ATTALAE ABBATIS

EDITA AB JONA SCOTO* EJUS DISCIPULO

Floruit ineunte VII Saec.

§ 1. Cum venerabilis pater Columbanus de hac luce migrasset, omni religione laudabilis Attala in locum ejus suffectus est, cujus post magistrum virtutes clare fulserunt. Qui Burgundiorum ortus genere, nobilis natione, sed nobilior sanctitate, perfecte magistri vestigia secutus est. Hujus autem beati viri rudimenta, qualiter inter ipsa primordia uberem a Domino profectum invenerint, praetermittendum non est. Igitur dum a patre nobili liberalibus literis imbutus fuisset, Arigio quondam pontifici ab ipso genitore commendatus est. Sed bonae indolis puer, nihil ibi utilitatis agi cernens, coepit mente ac spiritu ad potiora tendere et ad altiora anhelare. Dedit ergo operam, ut postpositis mundi phaleramentis, monachorum jungeretur cohorti. Clam itaque a sodalibus progressus, duobus pueris contentus, ad Lirinense coenobium venit. Quo in loco diu degens, cum cerneret monachos ejusdem coenobii nequaquam regularis disciplinae habènis colla submittere, coepit anxio animo trutinare qua potioris consilii aditus viam panderet. Progressus ergo inde, ad beatum Columbanum Luxovium venit. Quem vir sanctus cum ingenii sagacis solertem esse cerneret, suo monasterio junxit, atque omnibus divinis monitis erudire tentavit.

§ 2. Cumque beatus Attala egregie ac strenue post magistrum patremque suum Columbanum supradictum coenobium regeret et in omni disciplina regularis tenoris fratres erudiret, coepit contra eum antiqui hostis versutia letiferum discordiae virus noxiis ictibus laxare, excitans et instigans adversus eum aliquorum corda subditorum fratrum qui mussitando ac sacrae religioni derogando, dicebant se nimii fervoris auctoritatem ferre non posse et arduae disciplinae pondera portare non valere. At ille, sagaci ut erat animo, pia fomenta praebere et salutaris antidoti quo sanies putrefacta amputaretur, potum dare studens, tumentia corda mollire nitebatur. Sed cum diu castigatos secum retinere non posset, moerore animi turbatus, multis precibus cum pietatis officio prosequebatur eos, orans ut se non relinquerent, sed ardui itineris callem fortiter tenerent, reminiscentes quia sancti patres per mortificationem carnis et contemptum praesentis vitae, regna coelorum possiderent. Tandem cum nihil se proficere cerneret, nec alio nitentes animos suae societatis habenis continere posset,

* Non *Scotus* natione extitit Jonas hujus historiae scriptor, sed ut ex Bollandianis colligitur, *Italus* e Segusio (ital. *Susa*) ad Cenisii montis in Alpibus radices.

Digitized by Google

sinit eos pertinaces abire. Postquam ergo segregati sunt ab eo, alii eorum marinis sinibus recepti sunt, alii locum erèmi ob libertatem habendam petierunt: sed temeritatis et arrogantiae suae inibi positi mox damna senserunt. Nam cum in eisdem locis morarentur et virum Dei suis detractionibus laniarent, unus eorum qui Roccolenus dicebatur, qui et jurgiorum, ut credebatur, incrementa ministraverat, subito ictu febrium igneo accensus, inter poenarum incendia clamare coepit, se si valuisset, ad beatum Attalam venire velle et admissa criminis damna poenitentiae medicamento lenire. Nec mora, vix haec dicere licuit, statimque obmutuit, ac extremum halitum dimisit. Ast hi qui aderant, videntes viri Dei injurias divina ultione vindicari, plurimi eorum ad virum Dei remeant, suasque noxas confitentur, se in omnibus, si recipiantur, emendaturos pollicentur. Quos vir sanctus miro gaudio, ac si e luporum ore liberatas oves recepit et suis in locis singulos eorum restituit. At vero alii qui verecundiâ praeveniente, vel temeritate ac arrogantiae vitio maculati, redire noluerunt et datum poenitentiae locum contempserunt, diversis mortibus sunt direpti: ut manifeste daretur intelligi, socios eos fuisse ejus ad excitanda contumaciae incrementa quem ultio divina percusserit, ac propterea cum caeteris veniam non meruisse. Nam unus eorum, Theodomundus nomine, securi percussus interiit: alius dum parvi fluminis alveum transmearet, irretitis poplitibus, perparvulâ fluvii undâ necatus est. Tertius vero qui Theodarius dicebatur, cum se carinae credidisset, in mari demersus est. Videntes haec qui adhuc supererant, verecundiâ submota, ad beatum patrem Attalam rèpedant, a quo, ut alii supra memorati, benigne suscepti ac salvati sunt.

§ 3. Plura post haec ab eo patrata miracula, omnium in supradicto monasterio fratrum testimonio approbantur. Inter quos ego positus et beati viri ministerio deputatus tenebar. De quibus etiam nunc aliqua disserere tentabo. Quodam tempore fluviolus, Bobius nomine, turbidis aquarum molibus ac rapaci cursu violenter defluens, ut solent torrentes ex alpium cacuminibus dilapsi et imbrium effusionibus aucti, saxorum rupes et arborum congeries, nimia vi tumescens, coacervabat, molendinumque monasterii impetu valido suffodere et totam jam officinam quatiens, demergere nitebatur. Quo fragore audito, custos molendini, nomine Agibodus, ad molendinum velociter cucurrit, ut videret, si tanti fragoris moles inibi dispendii damna generaret. Quo cum venisset, vidit, nisi celeri auxilio subveniret, cuncta direptum iri. Festinus igitur patri Attalae nunciandum credidit, ut adjutores praebeat qui opportuna necessitati ex aquarum fluctibus liberarent. Ad quem vir Dei ait: «Vade, voca mihi Sinoaldum diaconum: tu vero stratu tuo receptus, somnum cape, nec metu aliquo detentus sis, aut moerori mentem subjicias.» Erat enim mane,

Digitized by Google

priusquam aurora funderet grata lumina terris. Vocatus ergo Sinoaldus, venit ad virum Dei. Cui beatus pater Attala ait: « Apprehenso baculo quo sustentor, vade ad Bobium, imperantisque voce dicito ei, signo Dominicae crucis praelato, ut istas dèsinat perfodere ripas, nec praesumptae audaciae modum suppleat: sed ad alia cedens litora, ista sinat illaesa, imperiisque Domini se agnoscat cessurum.» Tunc Sinoaldus diaconus, imperio patris obediens, cum fidei adminiculo pergit: impositoque ripae baculo, imperat fluvio ex viri Dei praeceptis, annuente divinâ potentiâ, ab illo loco citius promoveri, aliaque collis latera violento conatu petere. Mox obediens fluvius relicto alveo, collis ad latera cedens, fluendo per ardua velut strictis ripis làtices sustentabat, quousque concava alvei patèrent quo sustinente, liquido fluerent. Jamque prorumpens sol, mundo ut lumen panderet, surgebat, coepitque Sinoaldus intra semetipsum cogitans dicere: Vadam et videbo, si viro Dei violenti fluctus obediant; venitque ad ripam alvei, ubi stetit prius pleno tunc fluctu, et cernens jam subito vacuum litus, spectabat qualiter ad alterius collis latera ex imperio patris cederet, ut sibi alveum quo fluere posset, aperiret. Festinusque ad virum Dei venit, partae victoriae trophaeum nunciavit. Cui vir Dei, « Nullatenus, inquit, me in hoc seculo vivente ulli dicere praesùmas: proculdubio ne favor adulatorum corda plena virtutibus macularet.» Quod vitium, quamvis sint diversis virtutibus ditati, ab omnibus tamen sanctis est studiose vitandum atque fugiendum. Nam hoc callidus hostis malitiose studet, ut dum in majoribus ac certis culpis sanctos Dei maculare non valet, saltem vel in occultis quae minora videntur, polluat.

§ 4. Deinde cum in aliquo tempore unus monachorum, Fraimerus nomine, ad frumenta suscipienda vomere tellùrem excoleret, subito stivae firmitatem durae glebae asperitas confregit. Quam cum praedictus frater componere conaretur, inopinato ictu ferramenti pollicem de laeva amputavit, soloque conditum superposita gleba velut funus sepulturae tradidit. Relictoque vomere, ad monasterium pergit, patrique per confessionem humi prostratus prodit. Quod videns vir Dei, «Ubi est, inquit, pars abscissi pollicis?» At ille fatetur eam esse terra conditam, sulcoque sepultam.« Male, ille ait, fecisti. Cur eam ad me non detulisti? Concito ergo gradu, nulli causam indicans, perge, sumptamque eamdem pollicis partem huc deporta.» Egressus ille, pergit ad locum, effossamque portionem pollicis detulit ad virum Dei. Erat autem iter quasi unius milliaris, tum propter ardui montis, tum interfluentis fluminis flexuosos circuitus. Porro vir Dei suscipiens frusta pollicis, suisque salivis liniens, simul conjunxit: statimque pollex carnis glutino compactus, velut ante fuerat, sanus sibi adhaesit. Tunc pater sanctissimus, imperato silentio, ne alicui hoc proderet, ut abiret, opusque inceptum perficeret, jussit. O

Digitized by Google

mira virtus omnipotentis Dei, quae sic suos in terris glorificat, ut frigida abscissaque membra eorum interventu pristinae sanitati atque decori reddat.

§ 5. Idem etiam sanctissimus vir cum quodam tempore Mediolanum venisset, quidam ibi puerulus in extremis febrium anxietatibus positus, vitae tantum expectabat exitum. Cujus parentes, audito beati Attalae adventu, festino ad eum properant cursu, eumque precantur, ut illi subveniat. Quod vir Domini cum dissimulare voluisset, illi eum fletibus et terribilibus sacramentis compellebant, ut ante accedat ad puerum quam eum noxius ardor vitalibus privet auris. Anxius ergo et popularis favoris rumores fugiens, «Ite, inquit, ego ut potuero, vos pròsequar.» Pergens ergo, basilicas ac sanctorum loca circumit et pro infirmo puero precatur, ut protinus sospitati reddatur. Deinde ut promissae fidei impleret effectum, ad infirmum festinus venit: sed ne quis largitori salutis, praeco existeret laudis, latenter domum ingressus, infirmum attigit, moxque virtus divina, sanctis favens precibus, sanitati pristinae aegrum reddidit. Grates simul conditori parentes referunt qui sic ad suorum petitiones famulorum pietatis suae aures accommodat. Erat nimirum beatus pater Attala vir gratus omnibus, singularis cujusdam fervoris, singularis alacritatis, singularis charitatis erga pauperes et peregrinos. Noverat et superbis resistere et humilibus subditus esse, sapientibus condigna rependere, simplicibus mystica aperire: in solvendis ac componendis quaestionibus sagax, adversus haereticorum procellas vigens ac solidus, fortis in adversis, sobrius in prosperis, temperatus in omnibus, discretus in cunctis, redundans amore et timore in subditos. Redolebat ejus doctrina in discipulis, nullus juxta eum vel moerore dejiciebatur, vel nimia laetitia extollebatur.

§ 6. Cumque jam servum suum ab aerumnis seculi rerum conditor liberare vellet, monstrare ei per visionem voluit, ut de mundo egressurus, paratum in omnibus iter haberet, quinquaginta dierum spatio suspenso quo pararet iter venturum. Verum animus viri Dei non cognovit aperte, an istud esset exitus vitae ejus, an ad alium locum esset progressurus. Praeparat autem sese ad utrumque: densat septa monasterii, tegmenta rènovat, omnia ròborat, ut si abeundum sit, nihil imbecille dimittat. Vehicula ad iter agendum componit, libros ligaminibus firmat, supellectilia ablui, dissùta consui, corrupta renovari, calceamenta praeparari jubet, ut ad manus praesto sint omnia. Ipse vero corpus suum jejuniis, vigiliis et precibus afficit, ita ut numquam intentius antea in orationem visus sit incubuisse. Et ne cuiquam incredibile videatur quod refero, aperte narro, quid in me idem sanctissimus pater peregerit. Cum jam novem annorum per circulum in monasterio conversatus fuissem, et saepe parentes mei

Digitized by Google

postulassent, ut ipsos ejus permissu visitarem, nec impetrare valuissent: quadam postea die, nullo inde mentionem faciente, ait: « Vade fili festinus, et matrem fratremque visita, et nulla morâ praepediente, quantocyus revertere.» Cum autem ego differrem et temporis opportunitate evenire in proximo dicerem (erat enim tempus nimii frigoris, tempus videlicet Februarii mensis), ille respondit: «Accelera iter quod dixi. Nam ignoras, utrum in posterum liceat illud agere tibi.» Datis ergo comitibus, Blidulpho presbytero et Hermenoaldo diacono, viris religiosis, ad destinatum pervenimus locum, a monasterio distantem centum et quadraginta millibus. Quo cum venimus, gratuita pietate a genitrice post tantorum intervallum annorum susceptus sum: sed non diu genitrix optato fruitur dono. Nam eadem nocte febre correptus, inter incendia clamare coepi, me viri Dei precibus torqueri, ne inibi contra interdictum aliquantisper moram facerem: et si non me cito submovens, quocumque possem conamine ad monasterium repedarem, me cito morte praeveniendum. Mater ad haec: «Praestat me ibi sanum te scire, inquit, quam hic mortuum plangere. Fateor, longum fuit diei expectare adventum.» Vix erumpente aurora, ad monasterium repedare studuimus. Nequaquam ego cibi per triduum quicquam cepi, donec ad medii pene itineris loca pertingeremus. Festinantibus ergo et iter urgentibus nobis, sospitatem rursum recepi: venientesque ad monasterium, patrem nostrum Attalam jam febribus detentum reperimus ac morti proximum. Ipse vero visis nobis gratulatus est. Sicque aperte cognovimus, viri Dei in hoc praevaluisse preces, ut me vis febrium urgeret cito ad monasterium ante ejus exitum redire.

§ 7. Qui cum supremas vitae praesentis horas duceret et adhuc vigens halitus superesset, jussit se extra cellam perduci. Surgensque e strato quo valebat conamine, sustentantibus undique fratribus, extra cellulam est progressus: ibique aspiciens crucem quam ipse in eodem loco poni praeceperat, ut ingrediens egrediensque cellulam, ejus tactu frontem suam muniret, coepit moestus lacrymas fundere, ac trophaeum crucis commemorare: «Ave, inquit, alma crux, quae mundi pretium portasti, quae vexilla fers aeterna: tu nostrorum vulnerum medicinam attulisti: tu cruore ejus illata es qui ut humanum genus salvaret, de coelo in hanc lacrymarum vallem descendit: qui in te primi Adae rugam extendit dudum, jamjamque secundus Adam, lavacro maculam abluens.» Cum haec oraret sanctus Attala, precatur omnes, ut abeant, seseque cellulae reddant, sibique paulisper locum quietum praebeant. Abeuntibus ergo omnibus, unus tantum frater, nomine Blidemundus, post tergum viri Dei tacito anhelitu stetit, cogitans, si viri Dei poplites labefactari vidisset, se ad suscipiendum eum paratum fore. Cum ergo nullum superesse sanctus pater putaret, coepit conditoris clementiam cum lacrymarum ubertate

Digitized by Google

flagitare, ut largitatis suae sibi, etsi indigno, dona largiretur et veteres maculas delens, omnia saluti redintegraret, ac antiquam misericordiam exercens, se a coelesti munere non abdicaret.

§ 8. Inter haec moesta suspiria et fluentes lacrymas coelos intuens, vidit sibi eos apertos: quos multarum horarum spatio affectuose inspiciens, uberes cordis rugitus promebat. Gratias deinde referens omnipotenti Deo qui sibi januas coeli apertas demonstraret, quas post paululum corporis membris exuta anima penetratura esset, facto signo, ut fratres advenirent, praecepit, ut eum cellulae redderent. Haec nobis supradictus frater eadem die retulit. Hanc quippe consolationem famulo suo Christus ostendit, ut extremum halitum, securus de futura venia, immo gloriâ, ovans dimitteret. Quod vir Dei libenter occultare voluisset, si supradictus Blidemundus abdite post ejus dorsum non remansisset. Altera die valefaciens omnibus fratribus vir Domini sanctus Attala, exhortabatur eos, ut coeptum iter non relinquerent, sed ut mëlioribus actibus roborati, quotidie perseverando firmarent. Consolatis ergo cunctis, vitae praesentis nexibus absolutus, animam coelo feliciter reddidit. Merito itaque rerum conditor et humani generis reparator sanctos suos virtutum copia adornat, sicut scriptum est: Spiritus ejus ornavit coelos: quia illi ad coelestem vitam anhelantes, ejus praeceptis parère student, ut de labore obedientiae fructus recipiant vitae aeternae, Amen.

DE S. GREGORIO MAGNO PAPA

ET ECCLESIAE DOCTORE

AD PONTIFIC. EVECTUS EST ANNO 590

Obiit 604 annos natus 64. — Patriâ Romanus.

JOANNIS DIACONI* AD EJUS VITAM EPILOGUS**

Suscipe Romuleos pastor venerande triumphos:
  Gregorii sancti suscipe gesta tui.
Qui nituit factis, verbis, scriptisque beatis.
  Ut jubar auricomi solis in orbe fuit.
Norma, decus, speculum tibi sit, via, vita per aevum,
  Si cupis aeternum ferre sacerdotium.
Nam qui non hujus sequitur vestigia praesul,

* Claruit Joannes Diaconus Romanus circa 870.
** Ut Epilogum Bollandiani post *Vitam* collocant: *Vitae*, ut nuncupatorios Joanni Pp. VIII, versus, praemisit Surius.

Digitized by Google

Ante Deum praesul non erit, immo pecus.
Hinc Psalmista canit hominem similare caballis
Ignavum stultis, qui sub honore perit.
Nocturnum dedimus sancto, cantumque diurnum,
Carminibus clarum concinimusque virum.
Redde vicem scriptor, servans cola, commata, puncta,
Ne tua mendosum pagina servet opus.
Dissimilis cunctis vox, vultus, vita, voluntas,
Mens sociata bonis, dissociata malis.
Ludere me libuit variabilis ordine campi,
Postquam prosa fugit, Musa jocosa redit.
Haec mihi tu tribuis doctor pretiose Gregori,
Qui bona das famulis, sed mala nulla tuis.
Vestitus coepi, nudus tua munia dixi,
Indue me factis, velleribusque tuis.
Ut quia mortalis desunt commercia carnis,
Da mihi sub pedibus posse jacere tuis.

IN VITAM S. GREGORII

A SE EDITAM JOANNIS DIACONI ROMANI PROLOGUS EX BIBLIOTH. VATICANA ET VETUSTISS. MS. CODICE

Beatissimo ac felicissimo domino Joanni, sanctae Catholicae Apostolicae Romanae Ecclesiae Praesuli, Joannes ultimus Levitarum.

Nuper ad vigilias beati Gregorii Romani Pontificis, Anglorum scilicet gentis Apostoli, Lectione de Paulino civitatis Nolanae praesule consuetudinaliter personante, visus es a venerabilibus Episcopis divino quodam instinctu commotus requirere, cur tantus Pontifex qui multorum sanctorum vitas texuerat, gestis propriis in propria dumtaxat ecclesia caruisset: praesertim cum et apud Sàxones et apud Longobardorum sibi prorsus infensissimam gentem, gestis propriis ubique pollèret. Cumque venerabiles Episcopi has ab utrisque gentibus haberi quidem, sed compendiosissime, responderent, meam quoque parvitatem consciscens, praeceperas ut vitam ipsius de scrinio sanctae Sedis Apostolicae tanto plenius, quanto et certius carpere studuissem. Sed dum ego propriae inertiae conscius, me meis prioribus, ac per hoc sapientioribus qui vitam ejus, licet breviter, tamen pio conatu, pulcherrimoque stylo descripserant, conferre penitus dubitarem, identidem jubendo vehementer hortatus es, ut Romanae Sedis Pontificem, ejusdem sedis Praesulis auctoritate describerem: cui Deus omnipotens probandorum seu repellendorum scriptorum omnium specialem dederit proculdubio potestatem. Itaque tam imperiosis auctoritatibus tandem compulsus, vix primum librum Gregorianae vitae compleveram, quando hunc in ejusdem

Digitized by Google

vigiliis, annuâ vertigine revolutis, tua probavit pariter ac publicavit auctoritas. Ergo solicitior factus ad caetera, pauca de multis, te incentore, te praeceptore, te fautore, teque judice colligens, in libris quatuor, auxiliante Domino, coarctavi: et secundum distributionem ejusdem doctoris qua librum regulae pastoralis quadripartitâ ratione distinxerat, ego quoque illum, qualiter ad culmen regiminis venerit, in primo hujus operis libro perhibui. Et ad hoc rite perveniens, qualiter vixerit, in secundo disserui. Et bene vivens qualiter docuerit, in tertio designavi. Et recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoverit, in quarto conclusi.

Neque magnopere tempora temporibus contuli, sed rebus similibus similia coaptavi. Quoniam revera non tantum quando fecisset, sed quantum fecisset, solicitus deflorare curavi. In quibus quamquam multa et varia memoratu digna studio brevitatis omiserim, nihil posuisse me memini quae scriptorum veterum nequeant auctoritate defendi. Exceptis illis miraculis quae nostris temporibus facta, multorum adhuc superstitum vivis vocibus celebrantur. Si cui tamen aliter visum fuerit, ut assolet, ad plenitudinem scrinii vestri recurrens, tot cartaceos libros epistolarum ejusdem patris, quot annos probatur vixisse, resolvat. Et quia quaedam illarum vario tempore destinatae, varietatem sensuum retinent: eaedemque nonnullis integrae, quibusdam vero parte aliqua diminutae pro personarum, locorum sive temporum dispensatione videntur, finetenus relegendo conspiciat: sicque demum lucidam veritatem cognoscens, me aut cum amasiis defendat, aut cum osoribus arguat. Quamquam in eo quod tuo judicio placeo, cunctis veritatem tuentibus me perpetuo placiturum fore praesumam. Peto igitur, ut sicut tuis jussionibus humiliter parui, sic beati Gregorii precibus et in hoc seculo ab aemulorum insidiis et in futuro a peccatorum nexibus merear misericorditer liberari, per Dominum nostrum, etc.

LIBER I. § 1. Gregorius genere Romanus, arte philosophus, Gordiani viri clarissimi et beatae Sylviae filius, praefuit Romanae Sedi annis tredecim, mensibus sex, diebus decem, temporibus Mauritii et Phocae Augustorum. Iste senatoria stirpe * progenitus, tam nobilissimam quam etiam religiosissimam genealogiam duxit, ita ut quartus ** Felix Apostolicae sedis Pontifex, vir magnae in Christi Ecclesia reverentiae qui Basilicam sanctorum Cosmae et Damiani martyrum, viâ sacrâ juxta templum Romuli, sicut hactenus cernitur, venustissime fabricavit, ejus àtavus fuerit et beata Tarsilla virgo quae moritura, promissionis coelestis audivit harmoniam et Jesum Christum ad se recipiendam videre meruit, àmita nihilominus ejus extiterit ***. Quam Gregorius geminae

* Aniciorum.

** Non IV, sed III: vide Martyrol. xxv Febr., proinde non est qui eam Basilicam exstavit.

*** In Martyrol. v Jan. et xxiv Dec.

Digitized by Google

nobilitatis lineam piis moribus extulit, probis actibus exornavit: adeo ut praesagio quodam Graece γρεγορίοσ, quod Latine *Vigilantius* rèsonat, vocaretur. Nam recta quae docturus erat, dum vivis operibus adimplevit, sibimetipsi utique se vigilasse perdocuit. Dum vero recta quae faciebat, docendo quoque disseruit, vigilasse quoque dignoscitur, non solum sibi, sed et futuri temporis Christianis. Siquidem inerant ei in tenera aetate matura jam studia et auditurus incognita, religiosis senibus indagator solertissimus adhaerebat: sumptaque doctrinae semina, tenaci memoriâ ruminanda quae post in populos mellito declamaret gutture, congerebat. Denique docilis adolescens, cum transmisso communiter stylo surgentis infantiae, ad bivium Pythagoricae literae pervenisset, incunctanter sinistrum tramitem cum seculi voluptate relinquere et ad dextrum coepit cum coelesti desiderio totis viribus anhelare. Sed dum conversionis suae gratiam longius pròtrahens, tutius se Christo famulaturum putaret, si sub praetoris urbani habitu mundo specietenus deserviret, coeperunt multa contra eum ex ejusdem seculi curâ succrescere: ita ut non jam, sicut proposuerat, specie, sed in eo retineretur et mente.

§ 2. Tandem patre orbatus, ubi liberam disponendarum rerum suarum nactus est facultatem, sex monasteria in Sicilia fabricans, sufficientibus fratribus cumulavit. Quibus tantum praediorum contulit, quantum posset ad victum quotidianum Deo illic militantium sine indigentia suffragari. Septimum intra Romanae urbis moenia, sub honore sancti Andreae Apostoli juxta Basilicam sanctorum Joannis et Pauli ad clivum Scauri monasterium in proprio dòmate fabricavit. In quo, relictis sericis auro gemmisque radiantibus togis, simulque supellectilibus rèliquis in usum pauperum erogatis, ex hujus mundi naufragio nudus evasit: diuque desideratum monachicum capiens indumentum, primo sub Hylarionis, * deinde sub Maximiani venerabilium patrum regimine, multis sibi sociatis fratribus, regulari tramite militavit. Post vero, cum subesse mallet, fratrum votivâ concordiâ imminente, praeesse non renuit.

§ 3. Erat ei abstinentia tanta ciborum, sedulitas orationum et jejuniorum, studiositas tam desiderata sacrorum librorum, ut infirmato stomacho lassescens, vix subsistere proculdubio videretur. Nam cum quodam tempore incisionem vitalium quam Graeci dicunt συγκοπήν, pateretur, crebrisque angustiis per horarum momenta deficeret et ad exitum appropinquaret, ac nisi eum fratres frequenter cibo reficerent, vitalis ei spiritus funditus intercipi videretur, paschalis supervenit dies. Et dum sacratissimo sabbato, in quo omnes etiam parvuli pueri jejùnant, ipse jejunare non posset, coepit plus moerore quam infirmitate deficere. Mox accersito viro sanctissimo Eleutherio, dudum penes Spoletum

* Non sub Hylarione primum, sed Valentione, ut monet Baronius.

multis praeposito, tunc vero ejusdem sui monasterii monacho, a quo videlicet audierat fuisse mortuum suscitatum, oratorium petiit, seseque cum lacrymis, ut saltem die illo ad jejunandum sibi virtus daretur, in orationem dedit. Et post paululum completâ oratione digressus, tantam virtutem suum stomachum percepisse cognovit, ut ei cibus et morbus funditus de memoria tolleretur. Coepit secum mirari, quis esset, quis fuerit: et cum ad animum redibat infirmitas, nihil in se ex his quae meminerat, recognoscere praevalebat. Cumque in dispositione monasterii occupata mens esset, obliviscebatur funditus aegritudinis suae. Si vero rediret aegritudo ad memoriam, cum tam fortem se esse sentiret, mirabatur si non comedisset. Qui ad vesperum veniens, cognovit sibi tantam fortitudinem permanere, ut ad diem alterum transferre potuisset jejunium, si voluisset. Verum quamquam pene quotidiano languore tabesceret, nullam tamen corpori suo cupiebat quietem quo minus aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret.

§ 4. Hunc de more quaedam scribentem Angelus Dei quadam die reperiens, misereri sibi flebiliter sub habitu naufragi postulabat *. Cui Gregorius ex intimo corde compatiens, bis ternis numismatibus datis, abire praecepit. Nec multo post eadem die idem naufragus rediit, seque multa perdidisse, pauca vero recepisse perhibuit. A quo senis pari modo numismatibus sumptis, laetabundus abscessit. Sed die tertia rediens, identidem adjutorium naufragus importunis vocibus requirebat. Cui liberalissimus pater, accersito vestiario, alia sex numismata dari praecipiens, cognovit in vestiario nil numismatum, unde posset consolari naufragum, remansisse. Quid faceret, nesciebat. Aestuabat Deo devoti pectoris pietas, non sufferens vacuam proximi reliquisse miseriam. Rursus vestiarium suum, si forte vas quodlibet aut vestimentum haberet interrogans, audivit nil penitus remansisse, praeter matris Sylviae argenteam quae cum infusis leguminibus mitti solita erat, scutellam. Mox alacrior factus: «Ergo, inquit, frater hanc defer, ne tristis abeat qui consolari quaerit, pauper.» Itaque delatam scutellam Gregorio satis hilariter largiente, pauper qui putabatur, laetus amplectitur, non jam ad expetenda, sed ad conferenda suffragia rediturus. A quo videlicet Angelicae visitationis tempore, tantis miraculis, tantis est virtutibus publicatus, ut omnibus secum viventibus et exemplo fuerit et terrori. Quippe qui non solus, sed socialiter cum beato Andrea apostolo, suo monasterio signis evidentibus sit praefuisse putatus. Nam ut pauca de multis loquar, quadam die duos exinde fratres transmisit qui aliquid emere pro ejusdem monasterii utilitate debuissent. Unus junior qui prudentior videbatur: alter senior qui custos junioris esset. Perrexerunt utrique, et de pretio, quod acceperunt,

* Angelo, sub hominis specie, subsidium ter roganti, liberalissime impertitur.

Digitized by Google

ipse qui custos junioris missus fuerat, nesciente altero, furtum fecit. Qui mox ut in monasterium sunt reversi, atque ante oratorii limen venerunt, arreptus a daemonio is qui furtum fecerat, cecidit. Dimissus autem a daemonio, concurrentibus monachis, Abbatis jussu requisitus est, an forte de eo quod acceperat, furtum fecisset. Negavit, et iterum vexatus est: dimissus, atque iterum requisitus negavit, atque iterum vexatus est. Octo itaque vicibus negavit, octo vicibus vexatus est. Post octavam vero negationem, Gregorio interrogante, confessus est quod nummos furto abstulerat: eique prostratus, se peccasse testatus est: perceptàque poenitentiâ, ulterius ad eum daemonium non accessit.

§ 5. Alio quoque tempore, dum in die natalitio ejusdem Apostoli, jam meridianis horis fratres requiescerent, subito quidam frater apertis oculis caecatus coepit tremere, voces ingentes emittere: quibus vocibus testabatur ferre se non posse, quod patiebatur. Cucurrerunt fratres, viderunt caecum oculis apertis, trementem et clamantem, et a praesentibus alienum, nihilque, quod foris agi poterat, sentientem. Hunc in manibus levaverunt, ante altare sancti Andreae apostoli jussu Gregorii projecerunt, ipsique pro eo in orationem prostrati sunt. Qui statim ad se reversus, confessus est, quia senex quidam ei apparruit, et canem nigrum ad eum dilacerandum dimisit, dicens: « Quare fugere voluisti de monasterio isto? Cumque evadere de canis morsibus nullo modo potuissem, venerunt quidam monachi, et eumdem senem pro me rogaverunt. Qui statim jussit canem abscedere, et ipse ad me reversus sum. » Hic etiam saepe confessus est postea, dicens, quod eo die, quo ista pertulerat, consilium habuerit de monasterio fugiendi.

§ 6. Alii quoque duo fratres de ejusdem patris monasterio fugerunt: qui aliqua prius colloquendo fratribus signa dederant, quod per Appiam viam descendentes, Jerosolymam tenderent. Hi exeuntes, diverterunt de itinere, et ut a sequentibus inveniri minime possent, retrusas cryptas juxta flamineam portam invenientes, in eis se occultaverunt. Cum vero vespertinis horis jussu Gregorii requisiti, minime in congregatione inventi fuissent, ascensis caballis eos quidam fratres secuti sunt. Per Metrovii portam exeuntes, ut eos in Latinam vel Appiam viam sequerentur: subito eis consilium ortum est, ut eos in Salaria via extra civitatem requirere debuissent. Igitur pergentes deflexerunt iter, et in Salaria eos vètere non invenientes, per portam Flamineam decreverunt redire. Cumque reverterentur, mox ut equi ante cryptas illas venerunt, in quibus se monachi absconderant, fixerunt gradum. Pulsati et compulsi, passum movere noluerunt. Consideraverunt equites rem talem sine mysterio esse non posse. Attendentes ergo ad cryptas, viderunt earum aditus missa maceriâ praedamnatos: sed caballis suis nusquam ire volentibus descenderunt, et lapides,

Digitized by Google

qui ad ora cryptarum compositi fuerant, deponentes, ingressi sunt, eosque in eisdem tenebrosis latibulis consternatos terrae invenerunt. Qui ad monasterium reducti, tam stupore miraculi, quam exhortatione venerabilis patris Gregorii, sic meliorati sunt, ut eis multum profuerit ad parvum tempus de monasterio recessisse.

§ 7. Alio quoque tempore quidam monachus, Justus nomine, medicinali arte imbutus, beato Gregorio sedule obsequi atque in assiduis aegritudinibus ejus excubare consueverat. Hic itaque corporis languore praeventus, ad extrema deductus est. Cui in ipsa molestia frater germanus, Copiosus nomine, serviebat. Sed praedictus Justus cum jam se ad extrema pervenisse cognosceret eidem Copioso fratri suo quia occultòs tres aureos haberet aperuit *. Quod nimirum fratribus celari non potuit. Qui subtiliter indagantes, atque illius medicamenta omnia perscrutantes, eosdem tres aureos invenerunt in medicamine absconditos. Quod mox communiter ut Gregorio nunciatum est, tantum malum de fratre, qui secum vixerat, aequanimiter ferre non valuit. Quippe qui eidem monasterio jam dudum regulam constituerat, ut cuncti fratres ita communiter viverent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc Gregorius nimio moerore perculsus, cogitare coepit, vel quid ad purgationem morientis faceret, vel quid ad exemplum viventibus provideret. Specioso igitur ejusdem monasterii praeposito ad se accersito, dixit: « Vide ut nullus ex fratribus se ad eum morientem jungat, nec sermonem consolationis ex cujuslibet eorum ore percipiat: sed cum in morte constitutus fratres quaesierit, ei suus frater carnalis dicat, quia pro solidis, quos occulte habuit, a cunctis fratribus abominatus sit: ut saltem in morte de culpa sua mentem illius amaritudo transverberet, atque a peccato, quod perpetraverat, purget. » Cum vero mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur: sed quamlibet fossam in sterquilinio facite, ibique super eum tres aureos, quos reliquit, jactate simul omnes clamantes: « Pecunia tua tecum sit in perditione; et sic eum terrâ cooperite. » In quibus utrisque rebus solertissimus pater Gregorius unam morienti, alteram vero viventibus fratribus prodesse decrevit: ut et illum amaritudo mortis a culpa solubilem faceret, et istos avaritiae tanta damnatio misceri talibus prohiberet. Quod ita factum est. Nam cum idem monachus pervenisset ad mortem, atque anxie se quaereret fratribus commendare, nullusque fratrum ei applicare vel loqui tentaret, ei suus carnalis frater, cur ab omnibus esset abominatus, aperuit. Ille protinus, ut audivit, de reato suo vehementer ingemuit, atque in ipsa tristitia de corpore exivit. Qui ita est sepultus, ut Gregorius jusserat: sed fratres omnes eàdem ejus sententiâ perterriti, coeperunt singuli extrema quaeque

* Poena Monacho inflicta ob pecuniam occulte retentam.

Digitized by Google

et vilia, et quae eis habere regulariter semper licuerat, ad medium proferre, vehementerque formidare, ne quid apud se esset, unde reprehendi potuissent.

§ **8**. Cum vero post mortem fratris triginta jam essent dies evoluti, coepit animus Gregorii misericorditer ei compati, ejusque cum gravi moerore supplicia pensare, et si quod esset ereptionis ejus remedium, inquirere. Tunc evocato ad se eodem Specioso monasterii sui praeposito, tristis dixit: « Diu est, quod frater ille Justus, qui defunctus est, in igne cruciatur. Debemus ei aliquid charitatis impendere, et ei inquantum possumus, ut eripiatur, adjutorium nostrum accommodare. Vade itaque, et ab hodierna die continuis triginta diebus offerre pro eo sacrificium stude, ut nullus omnino praetermittatur dies, quo pro absolutione illius salutaris hostia non mactetur. Qui protinus abscessit et paruit. » Gregorio autem alia curante, atque evolutos dies minime numerante, isdem frater, qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo Copioso per visum apparuit. Quem ille cum vidisset, inquisivit, dicens: « Quid est frater? Quomodo est? » Cui ille respondit: « Nunc usque male fui, sed jam modo bene sum, quia hodie communionem recepi. » Quod idem Copiosus pergens, protinus indicavit in monasterio fratribus. Fratres vero solicite computaverunt dies, et ipsum diem invenerunt fuisse, quo pro eo tricesima oblatio fuerat impleta *: cum et Copiosus nesciret, qui pro eo fratres auctore Gregorio agerent: et fratres ignorarent, quid de eo Copiosus vidisset. Uno igitur eodemque tempore dum agnoscit ille oblationem, isti audiunt somnium, trigesimumque diem cognoscunt, concordante simul visione et sacrificio: res aperte claruit, quia frater, quem sub animadversionis sententia Gregorius mori permiserat, per salutarem hostiam a supplicio liberatus esset.

§ **9**. Sed quia idem venerabilis pater quemadmodum fratribus terrori fuerit, ex parte jam tetigi, qualiter ejus exemplis iidem profecerint, breviter indicandi putavi. Frater quidam in eodem monasterio, Antonius nomine, beato Gregorio sedulus adhaerebat: qui tanti patris verbis exemplisque commonitus, multis quotidianisque lacrymis ad gaudia patriae coelestis anhelabat. Cumque studiosissime et cum magno fervore desiderii sacra eloquia, duce Gregorio, scrutaretur, non in eis verba scientiae, sed fletum compunctionis quaerebat: quatenus per haec incitata mens ejus exardesceret, et ima deserens, ad contemplationem coelestis patriae pervolaret. Huic per nocturnam visionem dictum est: « Paratus esto, et quia Dominus jussit, migra. » Cumque ille non habere se sumptus ad migrandum diceret, responsum protinus audivit, dicens: « Si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt. » Quod dum semel audisset, et magno adhuc metu trepidaret, nocte quoque

* Saluberrimus animabus in Purgatorio degentibus ritus suffragiorum die ab obitu trigesimi.

Digitized by Google

alia in eisdem est verbis admonitus. Post quinque vero dies febre correptus, cunctis fratribus flentibus orantibusque defunctus est.

§ **10**. In eodem monasterio frater quidam Gerontius dicebatur: qui dum gravi molestiâ corporis fuisset depressus, in visione nocturna albatos viros et clari omnimodo habitus in hoc ipsum monasterium descendere de superioribus aspexit. Qui dum coram lecto jacentis assisterent, unus eorum dixit: « Ad hoc venimus, ut de monasterio Gregorii quosdam fratres in militiam mittamus. » Atque alteri praecipiens, dixit: « Scribe Marcellum, Valentinianum, Agnellum, atque alios, quorum ego cognitionem non habeo. » Quibus expletis, addidit dicens: « Scribe et huncipsum, qui nos aspicit. » Ex qua visione Gerontius certus effectus, facto mane innotuit fratribus, quot et qui essent ex eodem monasterio morituri, seque illos continuo secuturum. Cum die altero praedicti fratres mori coeperunt, atque sub eodèm ordine se in mortem secuti sunt, quo fuerant in descriptione nominati: ad extremum vero et ipse obiit, qui eosdem fratres morituros praevìdit *.

§ **11**. Quadam die cum advenientibus nuper negotiatoribus multa venalia in foro Romanae urbis fuissent proposita, multique ad emendum undique confluxissent, contigit et Gregorium virum Deo dignissimum praeterire. Qui cernens inter alia pueros corpore candidos, formâ pulcherrimos, vultu venustos, capillorum quoque nitore perspicuos, esse venales, interrogavit mercatorem, de qua patria illos attulisset. Ille respondit: «De Britannia insula, cujus incolarum omnium facies simili candore fulgescit.» Gregorius dixit: « Christiani sunt iisdem insulani, an adhuc paganis tenentur erroribus implicati? » Mercator respondit: « Non sunt Christiani, sed paganis tenentur laqueis irretiti.» Tunc Gregorius graviter ingemiscens: « Heu pro dolor, inquit, quam splendidas facies princeps tenebrarum nunc possidet, tantaque frontis species vacuam ab interna Dei gratia mentem gestat. » Rursus interrogavit, quod esset vocabulum gentis illius. Mercator respondit: « Angli vocantur. » At ille: « Bene, inquit, Angli quasi angeli, quia angelicos vultus habent, et tales in coelis angelorum decet esse concives. » Iterum ergo interrogat, quod nomen haberet ipsa provincia. Mercator respondit: « Provinciales illi, Deiri vocantur. » Et Gregorius: «Bene, inquit, Deiri quia de ira sunt eruendi, et ad gratiam Christi convocandi. Rex (ait) illius provinciae quomodo nuncupatur?» Mercator respondit: « Aelle vocatur. » Et Gregorius alludens ad nomen, dixit: « Bene, quia rex dicitur Aelle. Alleluja enim in laude creatoris oportet illis in partibus decantari. » Mox itaque accedens ad Benedictum ** Apostolicae

* Seq. de SS. Monachis Mèrulo et Joanne, quorum brevem historiam ex ipso S. Gregorio tradidimus in MARTYROL. ILLUSTR. die XVII Jan.

** S. Benedictum I qui sedit ab anno DLXXIV ad DLXXVIII.

Digitized by Google

sedis Pontificem, coepit vehementer expetere, ut in Britanniam aliquos verbi ministros emitteret. Quo cum neminem ire velle cognosceret, semetipsum quoque non dubitavit ingerere, dummodo Pontifex sibi licentiam commodaret. Qui, licet cum magna cunctatione totius cleri ac populi, Gregorium sponte proficisci cupientem abire permisit, imprecatus ei divinitus prospera ministrari.

§ **12**. De cujus absentia Romani plurimum perturbati, deliberato consilio, trifarie per loca viae contigua, unde Pontifex ad beati Petri profecturus erat basilicam, partiuntur, eumque turmatim taliter alloquuntur: Petrum offendisti, Romam destruxisti, quia Gregorium dimisisti. Quibus sententiis omnino Papa perterritus, misit continuo nuncios, qui virum Domini revocarent Gregorium, quod ipse sibi commeantibus jam praedixerat fore futurum. Jamque trium dierum itinere profligato, ad quemdam locum requieturi forte diverterant. Quo singulis quiescentibus, Gregorius lectitabat. Quem locusta superveniens, coëgit paululum a legendo quiescere, et ex consideratione sui nominis docuit eum in eodem loco restare debere. Tunc fertur dixisse: « Locusta, inquit, dici potest, quasi *loco sta.* » Statimque comites adhortatus, festinantius ire certabat: sed praevenientibus Apostolicis nunciis, licet magnopere tristaretur, redire ad proprii compulsus est monasterii curam. Denique cernens Benedictus venerabilis Pontifex virtutum gradibus Gregorium ad alta conscendere, violenter eum a quiete sui monasterii abstrahens, Ecclesiastici ordinis officio sublimavit, Levitamque septimum ad suum adjutorium consecravit. In quo venerabilis pater Gregorius tanta humilitate viguit, tantâ solertiâ ministravit, ut in Ecclesiasticae hierarchiae ministerio videretur divinis angelis non solum nitòre habitus, verum etiam claritate morum probabilium veraciter coaequari *.

§ **13**. Nec multo post pro responsis Ecclesiasticis ad urbem Constantinopolim a Pelagio Praesule destinatur. Ubi quamvis in terreno conversaretur palatio, vitae coelestis non intermisit propositum. Secuti namque sunt eum multi ex suo monasterio fratres, germana devincti charitate: quod divina factum dispensatione conspicitur, ut eorum videlicet exemplo ad orationis placidum litus, quasi ancorae fune stringeretur: et dum causarum secularium continuatis vertiginibus fluctuaret, ad illorum consortium, velut ad tutissimi portus sinum, refugeret. Et licet illud eum ministerium a monasterio abstractum, a pristinae quoque quietis vita, mucrone suae occupationis extingueret, inter eos tamen per studiosae lectionis alloquium, quotidianae aspiratio compunctionis animabat. Quorum consortio non solum a terrenis est munitus incursibus, verum etiam ad vitae coelestis exercitia magis magisque succensus. Nam ab eisdem fratribus

* Non a Benedicto, sed a succedente Pelagio II factus est Diaconus S. Gregorius.

Digitized by Google

enixe rogatus, maximeque a Leandro Hispalensi episcopo, qui pro causis Wisigothorum legatus eodem tempore Constantinopolim venerat, compulsus est, ut librum beati Job multis involùtum mysteriis enodaret. Neque ille negare potuit opus, quod sibi amor fraternus multis utile imponebat futurum. Sed eumdem librum quomodo juxta literam intelligendus, qualiter ad Christi et Ecclesiae sacramenta referendus, quo sensu unicuique fidelium sit aptandus, per trifarias intelligendi species, miranda ratione perdocuit. In quibus tamen ita de virtutibus vitiisque disseruit, ut non solum videatur eadem verbis exponere, sed formis quodammodo visibilibus seu palpabilibus demonstrare. Unde non est dubium, perfectionem ipsarum eum consecutum fuisse virtutum, quarum tam efficaciter valuit indicare profectus.

§ **11**. Praeterea venerabilis Levita Gregorius in eadem Urbe regia constitutus, nascentem novam haeresim de statu nostrae resurrectionis, cum ipso, quo orta est initio, juvante gratiâ nostri Redemptoris attrivit. Siquidem Eutychius (*a*), ejusdem civitatis episcopus, libro de resurrectione mortuorum confecto, dogmatizabat corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile, ventis aëreque subtilius esse futurum. Quod Gregorius audiens, et ratione veritatis, et exemplo Dominicae resurrectionis, probavit hoc dogma orthodoxae fidei omnìmodis esse contrarium. « Catholica etenim, inquit, fides habet, quod corpus nostrum in illa immortalitatis gloriâ sublimatum, subtile quidem erit per effectum spiritualis potentiae, sed palpabile per veritatem naturae *. Juxta exemplum Dominici corporis, de quo a mortuis resuscitato, dicit ipse discipulis suis: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Lucae* XXIV). » Cumque hoc evangelicae veritatis testimonium Gregorius protulisset, Eutychius ait: « Idcirco hoc Dominus fecit, ut dubitationem resurrectionis suae de discipulorum cordibus amovèret. » Cui Gregorius: « Mira est res valde, quam adstruis: ut inde nobis dubìetas surgat, unde discipulorum corda fuerunt a dubitatione sanata. Quid enim deterius dici potest, quam ut hoc nobis de ejus vera carne dubium fiat, per quod discipuli ejus ad fidem ab omni sunt dubietate reparati? Si enim hoc non habuisse adstruitur, quod ostendit, unde fides discipulorum ejus confirmata est, inde nostra destruitur. » Eutychius ait: « Corpus palpabile habuit, quod ostendit: sed post confirmata corda palpantium, omne illud in Domino, quod palpari potuit, in subtilitatem aliquam est redactum. » Ad haec Gregorius respondit:

(a) Eutychius hic est magnarum virtutum laude ac ingentium prodigiorum gloriâ celebrandus de quo in Surio nostro (*Vol. II, p.* 620) historiam habes ex Metaphraste satis fide dignam. At ubi illius *Vitae* scriptor S. Archiepiscopum excusare nititur (*ibid. p.* 654) circa falsam opinionem *de resurrectione corporum*, quam scripto vulgare non dubitaverat, notandum cum Lipomano et Baronio est, hac in re virum alioqui sanctissimum non leviter errasse, ut ex S. Gregorii testimonio liquet. Errati enim ergo poenituit, et in verae fidei confessione catholica, beate ad Dominum migravit.

* De vera *Corporum resurrectione.*

« Scriptum est: *Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Si quid ergo in ejus corpore post resurrectionem potuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam, Dominus rediit in mortem post resurrectionem. Quod quis dicere vel stultus praesumat, nisi qui veram carnis ejus resurrectionem negat?» Tunc Eutychius objecit, dicens: «Cum scriptum sit, Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem?» Cui Gregorius respondit: « In sacro eloquio aliter caro dicitur juxta naturam, atque aliter juxta culpam vel corruptionem. Caro quippe dicitur juxta naturam, sicut scriptum est: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (*Gen.* I). Et: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*. Caro vero juxta culpam, sicut scriptum est: *Non permanebit in hominibus istis spiritus meus, eo quod sunt caro* (*Gen.* VI). Et sicut Psalmista ait: *Memoratus est, quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens* (*Psal.* 77). Unde et discipulis Paulus dicebat: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu*. Neque enim in carne non erant, quibus epistolas transmittebat. Sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, jam liberi per virtutem spiritus, in carne non erant. Quod ergo Paulus Apostolus dicit, *Quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (I *Cor.* XV): carnem secundum culpam intelligi voluit, non carnem secundum naturam. Unde et mox, quia carnem secundum culpam diceret, ostendit subdens: *Neque corruptio incorruptelam possidebit*. In illa ergo coelestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum corruptionem vel etiam passionis desideria non erit. Quia devicto mortis aculeo, in aeterna incorruptione regnabit. » Quibus auditis, Eutychius consentire se pròtinus respondit, sed tamen adhuc corpus palpabile resurgere posse denegabat. Qui etiam in libello, quem scripserat, Pauli quoque testimonium indiderat, dicentis: « Tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quia non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum. » Hoc nimirum ostendere festinans, quia caro vel palpabilis, vel ipsa non erit. Dum sanctus Apostolus de resurrectionis agens gloriâ, non corpus quod futurum est, seminari dixerit, sed nudum granum. Sed ad haec citius Gregorius respondit: « Paulus Apostolus dicens, *Non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum,* hoc insinuat, quod videmus: quia videlicet granum cum culmo et foliis nascitur, quod sine culmo et foliis seminatur. Ille itaque in augmento gloriae resurrectionis non dixit grano seminis deesse quod erat, sed adesse quod non erat. Tu autem dum verum corpus resurgere dènegas, nequaquam dicis adesse quod deerat, sed deesse quod erat. »

§ **15**. Tunc itaque Gregorius et Eutychius, hac de re in longa contentione perducti, gravissimâ coeperunt ad invicem simultate

Digitized by Google

resilire. Tum piae memoriae Tiberius Constantinopolitanus Imperator, secreto utrumque suscipiens quid inter eos discordiae versaretur, agnovit. Et utriusque partis allegationem subtiliter pensans, eumdem librum, quem Eutychius de resurrectione conscripserat, suis quoque allegationibus destruens, deliberavit ut flammis cremari debuisset. A quo videlicet piissimo Imperatore ut simul egressi sunt, post longissimae disputationis conflictum pariter aegrotantes, in lectulum deciderunt. Dum ergo Gregorius validissimis febribus aestuaret, Eutychius cum morte confligens, pellem manus suae tenebat, coram omnibus dicens: *Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus.* Post quam catholicae fidei confessionem defunctus est. Quo mortuo, quia pene nullus erat qui ejus dicta sequeretur, Gregorius dissimulavit coepta persequi, ne in favillas videretur verba jaculari.

§ **16**. Quanta autem auctoritate ministerium sui apocrisariatus impleverit, quantae reverentiae apud Augustos extiterit, quantàque solicitudine afflictae Italiae succurri saepius fecerit, si quis plenius nosse desiderat, epistolas antecessoris sui Papae Pelagii, ad eum super multìmodis Ecclesiae Dei necessitatibus destinatas quae hactenus in scrinio sanctae sedis Apostolicae studiosissime conservantur, percurrat. Ex quarum multitudine hic unam intersero, quatenus et illius ministerii qualitas, et reliquarum quoque consequentia cognoscatur. Quae ita se habet: « Pelagius episcopus, dilecto filio Gregorio venerabili diacono. Omnia quidem quae necessaria fuerunt, per Honoratum notarium tibi curavimus indicare. Quem cum fratre et coepiscopo Sebastiano, ad dilectionem tuam dereximus: ut quia in illis partibus ad Ravennam usque nunc cum viro glorioso domino Decio patritio fuit, ipse sua relatione studeat te ex omnibus informare, vel si qua necessaria judicaveris, possit domino Imperatori suggerere: Quia tantae calamitates ac tribulationes nobis a perfidia Longobardorum illatae sunt, contra suum proprium jusjurandum, ut nullus possit ad referendum sufficere. Praedictum autem fratrem Sebastianum quomodo susceperimus, vel in quali apud nos te suggerente fuerit charitate, ipsius poteris relatione cognoscere. Qui etiam jam promisit nobis necessitates vel pericula totius Italiae piissimo domino Imperatori suggerere. Loquimini ergo et tractate pariter, quomodo nostris celeriter possitis subvenire periculis. Quia ita hic coangustata est respublica, ut nisi Deus piissimi in corde principis inspiraverit, ut insitam sibi misericordiam suis famulis largiatur, et super illam diacoposim vel unum magistrum militum et unum ducem dignetur concedere, in omni simus angustia destituti. Quia maximae partes Romanae omni praesidio vacuatae videntur, et Exarchus scribit nullum nobis posse remedium facere, quippe qui nec ad illas partes custodiendas se testatur posse sufficere. Imperet ergo illi Deus nostris velociter periculis subvenire,

Digitized by Google

antequam nefandissimae gentis exercitus loca quae adhuc a republica detinentur, Deo sibi contrario (quod absit) praevaleant occupare. Presbyterum autem ad nos transmittere Deo juvante festina, quia et in monasterio tuo, et in opere, cui eum praeposuimus, necessarius esse omnino cognoscitur. Data quarto Nonarum Octob. Indict. 3.»

§ **17**. Huic siquidem monasterio, cujus hic Papa Pelagius meminit, Siculus Maximianus qui post Syracusanus episcopus extitit eodem tempore praefuit. Qui ad venerabilem Levitam Gregorium in ejusdem regiae urbis palatio, pro responsis Ecclesiasticis desudantem, visitationis gratiâ cum fratribus venit, et dum ad monasterium ejus, sibi quoque commissum, Romam rediret, in mari Adriatico nimia tempestate deprehensus, inaestimabili ordine atque inusitato miraculo erga se cunctosque qui secum aderant, omnipotentis Dei et iram cognovit, et gratiam *. Nam cum in eorum morte ventorum nimietatibus fluctus elevati saevirent, ex navi clavi perditi, arbor abcissa est, vela in undis projecta, totumque vas navis nimiis quassatum fluctibus, ab omni fuerat sua compàge dissolutum. Rimis itaque patentibus intravit mare, atque usque ad superiores tabulas implevit, ita ut non magis navis inter undas, quam undae jam intra navim esse viderentur. Tunc in eàdem navi residentes, non jam ex mortis vicinia, sed ex ipsa ejus praesenti visione turbati, omnes sibimetipsis pacem dederunt, corpus et sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo se singuli commendantes, ut eorum animas benignus susciperet, quorum corpora ita pavendae morti tradidisset. Sed omnipotens Deus qui eorum mentem mirabiliter terruit, eorum quoque vitam per meritum famuli sui Gregorii, pro cujus speciali amore venerant, mirabilius reservavit. Nam diebus octo navis èadem, usque ad superiores tabulas aquis plena, iter proprium peragens enatavit. Nono autem die, ad Crotonensis castri ** portum deducta est. Ex qua exierunt omnes incolumes qui cum praedicto Maximiano viro venerabili navigabant. Cumque post eos ipse quoque fuisset egressus, mox in ejusdem portus profundum navis demersa est, ac si illis egredientibus, pro pondere sublevatione caruisset, et quae plena hominibus in pelago aquas portaverat atque nataverat, Maximiano cum fratribus recedente, aquas sine hominibus in portu, nec portare valuerit, nec natare. Ut hinc omnipotens Deus ostenderet, quia per metum Gregorii, quem fratres visitaverant, hanc onustam sua manu tenuerat quae ab hominibus vacua permanere non potuit super aquas.

§ **18**. Igitur postquam Romam Gregorius venerabilis Levita reversus est, aliquando interjecto tempore, tanta inundatione Tiberis fluvius alveum suum egressus est, tantumque excrevit, ut

* Tempestas maris describitur per S. Gregorii merita, sedata.
** In Calabria ulteriore, Italicae austro-orientalis provincia.

Digitized by Google

ejus undae super muros urbis influerent, atque in ea regiones maximas occuparent, et antiquarum aedium plurima monimenta dejicerent, ecclesiastica quoque horrea violenter subverterent, in quibus nonnulla modiorum tritici millia periere. Tunc etiam innumerabilis multitudo serpentium cum magno dracone in modum trabis validae, per Tiberini fluminis alveum in mare descendit. Sed suffocatae bestiae inter salsos maris turbidissimi fluctus, sine mora in litore desederunt, suaque putredine totum aërem corruperunt. Sequuta est e vestigio clades inguinaria quae Romanam urbem adeo vehementi pestilentiâ laniavit, ut etiam corporali visu sagittae coelitus venire, et singulos quosque percutere viderentur. Quae in mense undecimo veniens, primum omnium, juxta illud, quod in Ezechiel propheta legitur, a sanctuario meo incipite: Pelagium Papam perculit, et sine mora extinxit. Quo defuncto, ita in reliquum vulgus desaevit, ut subtractis habitatoribus, domos in Urbe plurimas vacuas omnino reliquerit.

§ **19**. Sed pestilentiâ supra modum saeviente, quia Ecclesia Dei sine rectore esse non poterat, Gregorium, licet totis viribus renitentem, Clerus, Senatus, populusque Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem totis viribus evitare decernens, sese indignum omnino tali honore clamitabat: videlicet metuens, ne mundi gloria, quam prius abjecerat, ei sub Ecclesiastici colore regiminis aliquo modo subrepere potuisset. At ubi decretum generalitatis evadere nequivit, consensurum se tandem aliquando simulavit, et Imperatori Mauritio, cujus filium ex lavacro sancto susceperat, latenter literas destinavit, adjùrans et multa prece deposcens, ne unquam assensum populis praeberet, ut se hujus honoris gloriâ sublimaret: sed praefectus urbis, Germanus nomine, ejus nuncium anticipavit, comprehensumque ac disruptis epistolis, consensum, quem populus fecerat, Imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amicitia diaconi, eo quod locum deferendi ei honoris, ut cupierat, reperisset, data praeceptione, ipsum ordinari praecepit. Interim dum ab urbe regia Imperatoris praestolaretur assensus, et lues ipsa populum vehementius devastaret, venerabilis Levita Gregorius verbum ad plebem exorsus est, dicens:

§ **20**. «Oportet, fratres dilectissimi, ut flagella Dei quae metuere ventura debuimus, saltem praesentia et experta timeamus. Conversionis nobis aditum dolor aperiat, e cordis nostri duritiam ipsa, quam pàtimur, poena dissolvat. Ut enim Propheta teste praedictum est, *Pervenit gladius usque ad animam* (*Jerem.* IV). Ecce etenim cuncta plebs coelestis irae mucrone percutitur, et repentinâ singuli caede vastantur. Nec languor mortem praevenit, sed languoris moras, ut cernitis, mors ipsa praecurrit. Percussus quisque ante rapitur, quam ad lamenta poenitentiae convertatur. Pensate ergo, qualis ante conspectum districti judicis pèrvenit,

Digitized by Google

cui non licet flere, quod fecit. Et habitatores quidem non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt. Domus vacuae relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, et sui eos ad interitum haeredes praecedunt. Unusquisque ergo nostrum ad poenitentiae lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Revocemus ante oculos mentis, quicquid errando commisimus: et quod nèquiter ègimus, flendo puniamus. *Praeveniamus faciem ejus in confessione*, et sicut propheta admonet, *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum*. Ad Dominum quippe corda cum manibus levare, est, orationis nostrae studium cum merito bonae operationis erigere. Dat profecto, dat tremori nostro fiduciam qui per prophetam clamat: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII). Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate despèret. Veternosas namque Ninivitarum culpas, triduanâ poenitentiâ abstersit, et conversus latro, vitae praemia etiam in ipsa sententia suae mortis emeruit. Mutemus igitur corda, et praesumamus nos jam percepisse quod pètimus: citius ad precem judex flectitur, si a pravitate sua petìtor corrigatur. Imminente ergo tantae animadversionis gladio, nos importunis precibus insistamus. Ea namque quae ingrata esse hominibus importunitas solet, judicio veritatis placet. Quia pius ac misericors Deus vult a se precibus veniam exigi qui quantum meremur, non vult irasci. Hinc etenim per Psalmistam dicit: *Invoca me in die tribulationis tuae, eripiam te, et glorificabis me* (*Psal.* 49). Ipse ergo sibi testis est, quia invocantibus misereri desiderat qui admonet ut invocetur. Proinde fratres reverendissimi, cum contrito corde et correctis operibus, crastina die primo diluculo ad septiformem Litaniam, juxta distributionem inferius designatam, devotâ cum lacrymis mente veniamus. Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat, nullus quodlibet negotium agere praesùmat: quàtenus ad sanctae Genitricis Domini ecclesiam convenientes qui simul omnes peccavimus, simul omnes mala quae fecimus, deploremus: ut districtus judex dum culpas nostras nos punisse considerat, ipse a sententia propositae damnationis parcat.» Igitur dum magna multitudo diversae aetatis, sexus atque professionis, juxta praeceptionem Levitae Gregorii, die constitutâ Dominum rogatura venìsset, intantum lues ipsa judicio divino desaeviit, ut intra unius horae spatium, dum voces plebs ad Dominum supplicationis emitteret, octoginta homines ad terram corruentes, spiritum exhalarent. Sed nequaquam destitit facundissimus rhetor populo praedicare, ne ab oratione cessarent, donec miseratione divinâ pestis ipsa quiesceret.

§ 21. Enimvero cum adhuc futurus Antistes putaret se principem a consensu consecrationis suae penitus avertisse, cognovit tandem suas lìteras a Germano praefecto urbis interceptas fuisse. Cujus rei gratiâ Imperiale responsum, quod videlicet voluntati

Digitized by Google

suae contrarium rebatur, praeveniens, quia palam egredi portas civitatis non poterat, a negotiatoribus exponendum se dissimulato, ut fertur, habitu callidus impetravit, sylvarum saltus expetiit, cavernarum latibula requisivit. In quibus dum ab omnibus summa solicitudine quaereretur, indicio columnae fulgidae, super se jugiter a coelo dependentis, agnoscitur, capitur, trahitur, et apud beati Petri apostolorum principis templum summus Pontifex consecratur.

§ 22. Verum quia sunt nonnulli Longobardorum perfidi, qui Gregorium appetisse magis pontificium autument quam fugisse, operae pretium reor pauca de multis inserere, quibus eum, inquantum sine pertinaciae vitio potuit, noluisse pontificium, immo quasi pondus importabile penitus cavere voluisse, luce clarius manifestem. Ait enim, penę in ipso consecrationis suae principio, in epistola Paulo Scholastico: « Quicquid mihi ex honore sacerdotalis officii extranei arrident, non valde penso. De vobis autem mihi hac ex re arridentibus non minimum doleo, qui desiderium meum plenissime scitis, et tamen profecisse me creditis. Summus enim mihi profectus fuerat, si potuissem implere quod volui, si voluntatem meam, quam dudum cognitam habetis, perficere optatae quietis perceptione valuissem. At nunc quia honoris hujus *vinculis* in civitate teneor Romana religatus, habeo aliquid, quod etiam vestrae gloriae exultem. Quia viro eminentissimo domino Leone exconsule veniente, vos in Sicilia remanere non suspicor, et cum ipse quoque tuo honore religatus, Romae retineri coeperis, quid moeroris, quid amaritudinis ego patiar, agnosces. Veniente autem viro magnifico domino Maurentio chartulario, ei quaeso in Romanae urbis necessitate concurrite, quia hostilibus gladiis foris sine cessatione confodimur, sed et seditione militum interno periculo gravius urgemur. »

§ 23. « Gregorius Joanni Patriarchae Constantinopolitano: Si charitatis virtus in proximi dilectione consistit, si sic diligere proximos sicut nos jubemur, quid est, quod me beatitudo vestra non ita ut se diligit? Quo enim ardore, quo studio episcopatus pondera fugere voluerim, scitis. Et tamen haec eadem episcopatus pondera ne mihi deberent imponi, non restitistis. Constat ergo, quia non me sicut vos diligitis: quia illa me voluistis onera suscipere, quae vobis imponi noluistis. Sed quia vetustam navim vehementerque confractam indignus ego infirm usque suscepi: (Undique enim fluctus intrant, et quotidiana ac valida tempestate quassatae, putridae naufragium tabulae sonant) per omnipotentem Dominum rogo, ut in hoc mihi periculo orationis tuae manum porrigas: quia tanto enixius potestis exorare, quanto et a confusione tribulationum, quas in hac terra pàtimur, longius statis. »

§ 24. « Gregorius Theoctistae sorori Imperatoris: Mens mea

Digitized by Google

vestrae venerationi quanta devotione substernitur, explere verbis nequeo. Nec tamen me pròdere laboro, quia et me tacente in vestro corde legitis, quid de mea devotione sentiatis. Miror autem, quod in me collatas dudum continentias vestras, ex hac moderna pastoralis officii continentia distraxistis: in qua sub colore episcopatus ad seculum sum reductus, in qua tantis terrenis curis inservio, quantis me in vita laica nequaquam deseruisse reminiscor. Alta enim quietis meae gaudia perdidi, et intus corruens, ascendisse exterius videor. Unde me a Conditoris mei facie longe expulsum deploro. Conabar namque quotidie extra mundum, extra carnem fieri, cuncta phantasmata corporis ab oculis mentis abigere, et superna gaudia incorporaliter videre: et non solis vocibus, sed totis medullis cordis ad Dei speciem anhèlans, dicebam: Tibi dixit cor meum, quaesivi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram. Nihil autem in hoc mundo appetens, nihil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita ut in me pene impletum crederent, quod pollicitante Domino ex propheta didicissem: Sustollam te super altitudines terrae. Super altitudines etenim terrae sustollitur, qui et ipsa, quae alta ac gloriosa praesentis videntur seculi, per mentis despectum calcat. Sed repente a rerum vertice tentationis hujus turbine impulsus, ad timores pavoresque corrui: Quia etsi mihi nihil timeo, eis tamen, quia mihi commissi sunt, multum formìdo. Undique causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus dèprimor, ita ut recte dicam: Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. Redire post causas ad cor desidero, sed vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus, redire non possum. Et hoc ergo mihi longe factum est, quod intra me est, ita ut obedire nequeam propheticae voci, qua dicitur, redìte praevaricatores ad cor. Sed stultis pressus cogitationibus, solummodo exclamare compellor, et cor meum dereliquit me. Contemplativae vitae pulchritudinem velut Rachelem dilexi sterilem, sed videntem ac pulchram. Quae etsi per quietem suam minus generat, lucem tamen subtilius videt. Sed quo judicio nescio, Lia mihi in nocte conjuncta est, activa videlicet vita, foecunda, sed lippa, minus videns, quamvis amplius pariens. Sedere ad pedes Domini, cum Maria festinavi, verba oris ejus percipere: et ecce cum Martha compellor in exterioribus ministrare, atque erga multa satagere. Expulsa a me, ut credidi, legione daemonum, volui oblivisci quos novi, et ad Salvatoris pedes quiescere: et ecce mihi nolenti atque compulso dicitur: Revertere in domum tuam, et annuncia quanta tibi fecerit Dominus. Sed quis inter tot terrenas curas valeat Dei miracula praedicare, cum jam mihi difficile sit saltem recolere? Pressum namque in hoc honore, tumultu secularium negotiorum, ex eis me esse video, de quibus scriptum est: *Dejecisti eos dum allevarentur* (*Ps.* 72). Neque enim dixit, dejecisti eos, postquam

Digitized by Google

allevati sunt: sed, dum allevarentur. Quia pravi quique dum seculari honore suffulti, foras videntur surgere, intus cadunt. Allevatio ergo ipsa, ruina est: quia dum gloriâ falsâ subnixi sunt, a vera gloria vacuantur. Hinc iterum dicitur: *Deficientes ut fumus deficiant* (*Ps.* 67). Fumus quippe ascendendo deficit, et se dilatando evanescit. Sic videlicet fit, cum peccatoris vitam praesens felicitas comitatur. Quia unde ostenditur, ut altus sit: inde agitur, ut non sit. Hinc rursus scriptum est: *Deus meus pone illos ut rotam* (*Ps.* 82). Rota quippe ex posteriori parte attollitur, in anterioribus cadit. Posteriora autem nobis sunt bona praesentis mundi, quae reliquimus: anteriora vero sunt aeterna et permanentia, ad quae vocamur, Paulo attestante, qui ait: *Quae retro oblitus, in ea quae sunt priora, extendens me* (*Philip.* III). Peccator ergo cum in praesenti vita profecerit, ut rota ponitur: quia in anterioribus corruens, ex posterioribus elevatur. Nam cum in hac vita gloriam percipit, quam reliquit: ab illa cadit, quae post hanc venit. Et quidem multi sunt, qui sic exteriores profectus regere sciunt, ut per eos nequaquam interius corruant. Unde scriptum est: *Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens* (*Job* XXXVI). Et per Salomonem dicitur: Et intelligens gubernacula possidebit. Sed mihi haec difficilia sunt, quia et valde onerosa. Et quod mens voluntarie non recipit, congrue non disponit. Ecce serenissimus Dominus Imperator fieri simiam leonem jussit. Et quidem pro jussione illius vocari leo potest, fieri autem leo non potest. Unde necesse est, ut omnes culpas ac negligentias meas non mihi, sed suae pietati dèputet, qui virtutis ministerium infirmo commisit. »

§ **25**. « Gregorius Narsi patricio: Dum contemplationis dulcedinem alte describitis, ruinae meae mihi gemitum renovatis. Quia audivi quod intus perdidi, dum foras ad culmem regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me perculsum moerore cognoscite, ut vix loqui sufficiam. Oculos enim mentis meae doloris, et tenebrae obsident. Triste est, quicquid aspicitur: quicquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile appàret. Penso enim, ab alto quietis meae culmine corruens, ad quam dejectum exterioris provectus culmen ascendi. Et pro culpis meis in occupationis exilium a faciedominantis missus, quasi destructae Judaeae vocibus cum propheta dico: « Qui consolabatur me, longe recessit a me. » Quod vero causae et nominis similitudinem faciendo per scripturam, clausulas declamationesque formatis, certe, frater reverendissime, simiam leonem vocas. Quod eo modo vos agere conspicimus, quo scabiosos saepe catulos, pardos vel tigres vocamus. Ego enim bone vir quasi filios perdidi, quia per terrenas curas recta opera amisi. Nolite ergo me vocare Noëmi, id est pulchram, sed vocate me Mara, quia amaritudine plenus sum. »

§ **26**. « Gregorius Anastasio Patriarchae Antiocheno: Scripta

Digitized by Google

vestrae beatitudinis ut fessus requiem, salutem aeger, fontem sitiens, umbram aestuans inveni. Neque enim illa verba per linguam carnis videbantur expressa: quia sic spiritualem erga me amorem suum, quem gestabat, aperuit, acsi mens per semetipsam loqueretur. Sed durum valde fuit, quod secutum est: quia amor vester terrena me portare onera praecepit: et quem prius spiritualiter diligebatis, post, ut aestimo, temporaliter amantes, usque ad terram me superposito onere depressistis: ita ut omnem mentis rectitudinem funditus perdens, contemplationisque aciem amittens, non per prophetiae spiritum, sed per experimentum dicam: Incurvatus sum, et humiliatus sum usquequaque. Tanta quippe me occupationum onera deprimunt, ut ad superna animus nullàtenus erigatur. Multis causarum fluctibus quatior, et post illa quietis otia, tumultuosae vitae tempestatibus affligor, ita ut recte dicam: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me* (*Psal.* 68). Periclitanti igitur mihi orationis vestrae manum tendite vos, qui in virtutum litore statis. Quod vero me os Domini, quod lucernam dicitis, quod loquendo multis prodesse, multisque posse lucere perhibetis, aestimationem meam mihi fateor in dubietatem maximam perduxistis. Considero namque quis sum, et nihil in me ex hujus boni signo deprehendo. Considero autem qui estis, et vos mentiri posse non arbitror. Cum ergo credere volo quod dicitis, contradicit mihi infirmitas mea. Cum discutere volo quod in laude mea dicitur, contradicit mihi sanctitas vestra. Sed quaeso vir sancte, nobis aliquid de hoc certamine nostro conveniat: ut si non quod dicitis, ita est: sit ita, quia dicitis. »

§ 27. « Gregorius Andreae illustri: Omnipotens Deus dulcissimo cordi vestro indicet quia et absens corpore, a charitate vestra animo non recessi. Bona enim vestra, etiam si volo, oblivisci non valeo. Hoc autem quod me ad episcopatus ordinem cognoscitis pervenisse, si me diligitis, plangite: Quia tantae hic hujus mundi occupationes sunt, ut hic per episcopatus ordinem pene ab amore Dei videam me esse separatum. Quod incessanter defleo, atque ut pro me Dominum exoretis, rogo.» — « Gregorius Joanni exconsuli et patritio atque Quaestori: Bona vestrae excellentiae expertus, tanto erga vos amore constringor, ut vestra memoria de meo pectore abolèri nullàtenus possit. Sed contra amorem non modice contristor quia quietem me quaerere cognovistis et ad inquietudinem perduxistis. Vobis quidem omnipotens Deus quia hoc bono animo fecistis, bona aeterna retribuat: sed me a tanto loci hujus periculo qualiter voluerit, absolvat: quia sicut peccata mea merebantur, non Romanorum, sed Longobardorum Episcopus factus sum. Quorum syntychiae spathae sunt et gratia poena. Ecce ubi vestra patrocinia me perduxerunt. Gemo quotidie occupationibus pressus et respirare non valeo. Sed vos qui adhuc valetis, mundi hujus occupationes fugite: quia quantum

in eo quisque profecerit, tantum, ut video, ab amore Dei amplius decrescit.»

§ 28. «Gregorius Leandro Hispalensi Episcopo: Respondere epistolis vestris tota intentione voluissem, nisi pastoralis curae ita me labor attereret, ut mihi magis flere libeat quam aliquid dicere. Quod vestra quoque reverentia in ipso literarum mearum textu vigilanter intelligit, quando ei negligenter loquor, quem vehementer diligo. Tantis quippe in hoc loco hujus mundi fluctibus quatior, ut vetustam ac putrescentem navim quam regendam occulta Dei dispensatione suscepi, ad portum dirigere nullatenus possim. Nunc ex adverso fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt: nunc a tergo tempestas insequitur. Inter quae omnia turbatus, cogor modo in ipsam clavum adversitatem dirigere, modo curvato navis latere minas fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco quia sentio quod, negligente me, crescit sentina vitiorum et tempestate fortiter obviante, jam jamque putridae naufragium tabulae sonant. Flens reminiscor quod perdidi meae placidum litus quietis et suspirando terram conspicio: quam tamen, rerum ventis adversantibus, tenere non possum. Si ergo me, frater reverendissime, diligis, tuae mihi orationis in his fluctibus manum tende: ut quo laborantem me adjuvas, ex ipsa vice mercedis in tuis quoque laboribus valentior existas.»

§ 29. Sed quia Gregorium non solum declinare voluisse, quin etiam cum magno angore animi summum sacerdotium suscepisse, satis (ut opinor), probatum est: qua discretione id fecerit, videtur breviter indicandum, ne scilicet tantus vir aut pertinaciae, aut pusillanimitatis vitio saltem leviter succubuisse putetur. Ait enim in epistola ad Anastasium Corinthiorum Archiepiscopum: «Judicia Domini quanto sunt investigabilia, tanto debent humanis mentibus esse metuenda. Et quia ea ratio mortalis comprehendere non valet, his se necesse est humili cordis cervice substernat: quatenus quo eam regentis voluntas duxerit, illuc obedientibus mentis gressibus prosequatur. Ego autem considerans infirmitatem meam ad Apostolicae sedis culmem non posse pertingere, onus hoc malui declinare, ne in pastorali regimine imparis administrationis actione succumberem. Sed quia contraire non est Domini disponentis arbitrio, obedienter secutus sum quod misericors de me regentis manus voluit operari. Nam fraternitati vestrae, etsi praesens non eveniret occasio, necessario fuerat indicandum quod licet indignum, me Apostolicae sedi Dominus praeesse dignatus est.»

§ 30. Item idem de eadem re, Philippico comiti excubitorum: «Inquantum homo discutere et investigare judicia superna non sufficit, intantum sub eis debet cervicem cordis inflectere. Et quia id quod sibi tribuitur quo judicio disponatur ignorat, nec

ad appetendum locum procax insistere, nec ad repellendum contumax debet inveniri. Unde indignus ego, ad suscipienda episcopatus onera jussioni omnipotentis Dei vestraeque voluntati me subdidi, cui me praeesse largitate magis gratiae quam judicii aestimatione voluistis. Potens est enim Deus, propter quem me indignum diligitis, hanc vobis in perpetuum repensare mercedem, ut gratiam quam indignis famulis ejus impenditis, apud eum multiplicius invenire valeatis. » At ego hic a deflorationis opere paululum respirabo, ut quae specialiter de pontificio ejus dicenda sunt, in libello alio, suffragante Domino, referantur.

Liber II. § 1. Age jam nunc quoniam athletae Christi Gregorii, viriliter in gymnasio sanctae ipsius Ecclesiae desudantis, praelato libello torosa membra descripta sunt: qualiter in palaestra quoque conflixerit, aspirante Domino proferatur. Siquidem mox ut summum pontificium felicissimae Romanae urbis, Christo mortalibus consulente, sortitus est, superstitiosum Universalis vocabulum quod Joannes Constantinopolitanus Episcopus insolenter sibi tunc temporis usurpabat, more antecessorum suorum pontificum, sub districtissimae interminationis sententia refutavit et primus omnium se in principio suarum epistolarum *servum servorum* Dei scribi satis humiliter diffinivit, cunctisque suis successoribus documentum suae humilitatis, tam in hoc quam in mediocribus pontificalibus indumentis, quod videlicet hactenus in sancta Romana Ecclesia conservatur, haereditarium reliquit. Denique in specula sanctae universalis Ecclesiae vir totius humanitatis et auctoritatis ac orthodoxae fidei, unde videri et audiri clarius Evangelicus praeco valeret, consistens: oris sui divinissimo gladio et rectam fidem muniit et cunctas haereses uno symbolo dissipavit. Quod videlicet sacrae confessionis symbolum ita se habet:

§ 2. * « Credo in unum Deum omnipotentem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, tres personas, unam substantiam; Patrem ingenitum, filium genitum: Spiritum vero Sanctum nec genitum, nec ingenitum: sed coaeternum, de Patre et Filio procedentem. Confiteor unigenitum Filium consubstantialem et sine tempore natum de Patre, omnium visibilium et invisibilium conditorem, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, splendorem gloriae, figuram substantiae: qui manens Verbum ante secula, perfectus homo creatus est juxta finem seculorum, conceptus et natus ex Spiritu Sancto et Maria Virgine: qui naturam nostram suscepit absque peccato et sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus, tertia die resurrexit a mortuis: die autem quadragesimo ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris: inde venturus est judicare vivos et mortuos, positurus ante oculos omnium omnia occulta singulorum, daturus justis perpetua praemia regni coelestis,

* Symbolum S. Gregorii Magni.

Digitized by Google

iniquis autem supplicia ignis aeterni: Innovaturus seculum per ignem et carnis resurrectionem. Confiteor unam fidem, unum baptisma, unam Apostolicam et universalem Ecclesiam, in qua sola possunt laxari peccata in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.»

§ 3. Synodicam quoque suam Gregorius, secundum priscam praedecessorum suorum* consuetudinem Joanni Constantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Joanni Jerosolymitano et Anastasio Patriarchae Antiochiae destinavit. Quae ita se habet: « Consideranti mihi quod impar meritis, ac toto animo rènitens, pastoralis curae pondera portare compulsus sim, calìgo moeròris occurrit et triste cor nihil aliud nisi eas, quae videre nil sinunt, tenebras videt. Nam quid Antistes ad Dominum, nisi pro delictis populi intercessor eligitur? Qua itaque fiduciâ ad eum pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem de propriis securus non sum? Si fortasse quispiam apud potentem virum, qui et sibi iratus et mihi esset incognitus, intercessorem suum me fieri quaereret, protinus responderem: Ad intercedendum venire nequeo quia ejus notitiam ex sedula familiaritate non habeo. Si igitur recte homo apud hominem, de quo minime praesumpsissem, fieri intercessor erubescerem: quantae hoc audaciae est quod apud Deum pro populo locum intercessoris obtineo, cui familiarem me per vitae meritum non agnosco? Qua in re est mihi adhuc aliud gravius formidandum quia sicut cuncti liquido novimus, cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Et valde pertimesco, ne commissa mihi plebs fidelium, reatus mei additamento depereat, cujus usque nunc Dominus aequanimiter delicta tolerabat. Cum vero utcumque hunc timorem supprimo et consolatam mentem ad pontificalis operis studia accingo, considerata ipsa rei immensitate deterreor. Perpendo quippe quod omni curâ vigilandum est, ut rector cogitatione sit mundus, operatione praecipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, prae cunctis in contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum rectitudinis erectus...» et caetera quae latius post in libro Pastorali prosequitur.

§ 4. Praeterea quia *corde*, inquit, *creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x): sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor*: Nicenum scilicet, in quo Arrii perversum dogma destrùitur: Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii et Macedonii error convincitur: Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur: Chalcedonense vero, in quo Eutychis Dioscorique

* Quatuor Concilia Oecumenica quibus ut Evangeliis fides adhibenda, et ad quid convocata.

Digitized by Google

pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrimâ approbatione custodio. Quia in his, velut in quadrato lapide, sanctae fidei structura consurgit: et cujuslibet vitae atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra aedificium jacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola, quae Ibae dicitur, erroris plena reprobatur et Theodorus, personam mediatoris Dei et hominum in duabus substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur. Scripta quoque Theodoriti, per quae beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu invidentiae prolata refutantur. Cunctas vero, quas praefata veneranda Concilia personas respuunt, respuo: quas venerantur, complector. Quia dum universali sunt consensu constituta, se non illa, destruit, quisquis praesumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.

§ 5. Hoc modo postquam Gregorius fundamentum fidei suae, secundum pristinum praedecessorum suorum pontificum morem, luculenter Apostolicis thronis exposuit, animadvertens ideo se a Domino super gentes et regna summum pontificem constitutum, ut juxta illud propheticum, vitiorum radices evelleret, destrueret atque disperderet: sicque demum aedificaret plantaretque virtutes: omnes consuetudines quas contra priscam traditionem Apostolicam noviter pullulasse cognoverat, videlicet de ministris, de cantoribus, de laicis pontifici familiariter adhaerentibus, de titulandis praejudicialiter quibuslibet rebus: de contegendo dalmaticis Apostolico feretro, de pastillatico pro pallio vel consecratione pontificum, et de non admittendis passim laicis ad ecclesiastici juris officium: primo quidem a Romanae Ecclesiae, postmodum vero, collectis circumquaque positarum provinciarum episcopis, a totius sanctae universalis Ecclesiae corpore segregavit, eaque sub interpositione terribilis anathematis, tam generaliter quam perpetualiter condemnavit.

§ 6. Deinde in domum Domini, more sapientissimi Salomonis, propter musicae compunctionem dulcedinis, antiphonarium centonem cantorum studiosissimus nimis utiliter compilavit *, scholamque cantorum quae hactenus eisdem institutionibus in sancta Romana Ecclesia modulatur, constituit, eique cum nonnullis praediis duo habitacula, scilicet alterum sub gradibus ecclesiae sancti Petri Apostoli, alterum vero sub Lateranensis patriarchii domibus fabricavit. Ubi usque hodie lectus ejus quo rècubans modulabatur et flagellum ipsius quo pueris minabatur, veneratione congrua, cum authentico antiphonario reservantur. Quae videlicet loca per praecepti seriem, sub interpositione anathematis, ob ministerii quotidiani utrobique gratiam subdivisit. Hujus modulationis dulcedinem, inter alias Europae gentes, Germani

* Cantus ecclesiastici (ideo *Gregoriani*) institutio; corrupti dein in Gallia et Germania causae.

Digitized by Google

seu Galli discere, crebroque rediscere insigniter potuerunt: incorruptam vero tam levitate animi, quia nonnulla de proprio Gregorianis cantibus miscuerunt, quam feritate quoque naturali, servare minime potuerunt. Alpina siquidem corpora, vocum suarum tonitruis altisone perstrepentia, susceptae modulationis dulcedinem proprie non resultant: quia bibuli gutturis barbara feritas, dum inflexionibus et repercussionibus mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore quasi plaustra per gradus confuse sonantia, rigidas voces jactat, sicque audientium animos quos mulcère debuerat, exasperando magis ac obstrependo conturbat. Hinc est quod hujus Gregorii tempore cum Augustino, tunc Britannias adeunte, per occidentem quoque Romanae institutionis cantores dispersi, Barbaros insigniter docuerunt. Quibus defunctis, occidentales ecclesiae ita susceptum modulationis organum vitiarunt, ut Joannes quidam Romanus cantor cum Theodoro, aeque cive Romano, sed Eboràci Archiepiscopo per Gallias in Britannias a Vitaliano sit praesule destinatus. Qui circumquaque positarum ecclesiarum filios ad pristinam cantilenae dulcedinem revocans, tam per se, quam per suos discipulos, multis annis Romanae doctrinae regulam conservavit. Sed et Carolus noster patritius Rex autem Francorum, dissonantiâ Romani et Gallicani cantus Romae offensus, cum Gallorum procacitas cantum a nostratibus quibusdam naeniis argumentaretur esse corruptum, nostrique e diverso authenticum antiphonarium probabiliter ostentarent: interrogasse fertur quis inter rivum et fontem limpidiorem aquam conservare soleret? Respondentibus, fontem, prudenter adjecit: Ergo et nos qui de rivo corruptam lympham usque hactenus bibimus, ad perennis fontis necesse est fluenta principalia recurramus. Mox itaque duos suorum industrios clericos Adriano tunc episcopo dereliquit. Quibus tandem satis eleganter instructis, Metensem metropolim ad suavitatem modulationis pristinae revocavit, per quam illam totam Galliam suam correxit. Sed cum multa post tempora defunctis his qui Romae fuerant educati, cantum Gallicanarum ecclesiarum a Metensi discrepare prudentissimus regum vidisset, ac unumquemque ab alterutro vitiatum cantum jactantem adverteret: Iterum, inquit, redeamus ad fontem. Tunc Regis precibus, sicut hodie quidam veridice astipulantur, Adrianus Papa permotus, duos in Galliam cantores emisit: quorum judicio Rex omnes quidem corrupisse dulcedinem Romani cantus levitate quadam cognovit: Metenses vero sola naturali feritate, paululum quid dissonare pervidit. Denique usque hodie quantum Romano cantui Metensis cedit, tantum Metensi cedere Gallicanarum ecclesiarum Germaniarumque cantus, ab his qui meram veritatem diligunt, comprobatur. Haec ergo per anticipationem retulerim, ne indiscussam Gallorum levitatem videar praeterisse.

Digitized by Google

§ 7. Caeterum prudentissimus rector Gregorius, remotis a suo cubiculo secularibus, clericos sibi prudentissimos consiliarios familiaresque delegit. Inter quos Petrum diaconum coaetaneum suum, cum quo postea disputans, quatuor Dialogorum libros composuit: Aemilianum quoque notarium qui quadraginta Homilias evangelii cum sociis suis excepit: Paterium aeque notarium qui ab eo secundicerius factus, ex libris ipsius aliqua utilissima defloravit. Et Joannem defensorem qui ejus jussu in Hispanias cognitor est destinatus. Januarium episcopum civitatis Malalitanae, ab episcopis suis compatriotis depositum, sedi propriae restauravit, et depositores ejus cum eo qui in locum ejus obrepserat, pari sententiâ condemnavit. Monachorum vero sanctissimos sibi familiares elegit. Inter quos Maximianum monasterii sui Abbatem, quem Syracusis episcopum fecit, eique per Siciliam vices suas commisit. Augustinum ejusdem monasterii sui praepositum, et Mellitum, per quos Anglorum gentes ad Christianismi gratiam convocavit. Marinianum ejusdem monasterii sui monachum, quem in Ravennati metropoli episcopum consecravit. Probum, quem subito Abbatem spiritu revelante constituens, pro construendo Xenodochio Jerosolymis destinavit: simulque Claudium Classitanae civitatis Abbatem qui de Proverbiis, de Canticis canticorum, de Prophetis, de libris Regum, et de Heptateucho, Papâ disputante, multa, licet non eodem sensu, composuit. Cum quibus Gregorius die noctuque versatus, nihil monasticae perfectionis in palatio, nihil pontificalis institutionis in Ecclesia dereliquit. Videbantur passim cum eruditissimis clericis adhaerere Pontifici religiosissimi monachi, et in diversis professionibus habebatur vita communis: ita ut talis esset tunc sub Gregorio penes urbem Romanam Ecclesia, qualem hanc fuisse sub Apostolis Lucas, et sub Marco Evangelista penes Alexandriam Philo commemorat.

§ 8. Tunc rerum sapientia Romae sibi templum visibiliter quodammodo fabricabat, et septemplicibus artibus veluti columnis, nobilissimorum totidem lapidum Apostolicae sedis atrium fulciebat. Nullus pontifici famulantium a minimo usque ad maximum, barbarum quodlibet in sermone vel habitu praeferebat, sed togata Quirìtum more seu trabeata Latinitas, suum Latium in ipso Latiali palatio singulariter obtinebat. Refloruerant ibi diversarum artium studia, et qui vel sanctimoniâ vel prudentiâ forte carebat, suo ipsius judicio subsistendi coram Pontifice fiduciam non habebat. Arcessebantur pontificalibus profundis consiliis prudentes viri, quos perhibui, potius quam potentes, et paupere philosophiâ intrinsecus, quid potius aut potissimum in unoquoque negotio sequendum putaretur, artificiosis argumentationibus rationabiliter inquirente, dives inertia quae modo se de sapientibus pari sorte ulciscitur, pro cubiculi foribus despicabilis remanebat. Sola deerat interpretandi bilinguis peritia, et

Digitized by Google

facundissima virgo Cecropia quae quondam suae mentis acumina, Varrone caelibatum suum auferente, Latinis tradiderat, impostu-rarum sibi praestigia, sicut ipse in suis epistolis queritur, vindicabat. Nemo laicorum quodlibet palatii ministerium vel ecclesiasticum patrimonium procurabat, sed omnia ecclesiastici juris munia ecclesiastici nihilominus viri subibant. Nimirum laicis ad armorum solam militiam, vel agrorum curam continuam deputatis. Ob hoc se nonnulli pròcerum, sub obtentu religionis, primo tonsurare coeperunt. Quorum tergiversationi Mauritius Imperator prudenter occurrens, datâ per Longinum Stratonem lege praecepit, ut quisquis publicis fuisset administrationibus implicatus, ei ad ecclesiasticum venire officium non liceret. Quam legem Gregorius super hoc valde laudavit, dicens: « Qui secularem habitum dèserens, ad ecclesiastica officia venire festinat, non relinquere cupit seculum, sed mutare *. »

§ **9**. Verum dum ad clericalem professionem tam ex ecclesiastica, quam ex seculari quoque militiâ diversis occasionibus quotidie pene innumerabilis multitudo conflueret, Pastor ad omnia pròvidus, nequaquam eos ad ecclesiastici decoris officium, sed ad capiendum solummodo monachicum propositum suscipiendos esse censebat, dicens: « Multos ex ecclesiastica seu seculari militia novimus ad omnipotentis Dei servitium festinare, ut ab humana servitute liberi, in divino servitio videantur familiarius conversari. Quos si passim dimittimus, omnibus fugiendi ecclesiastici vel secularis juris dominium occasionem praebemus. Si vero festinantes ad omnipotentis Dei servitium incaute retinemus, illi inveniemur negare quaedam qui dedit omnia. Unde necesse est, ut quisquis ex juris ecclesiastici vel secularis militiae servitute, ad Dei servitium converti desiderat, probetur prius in laico habitu constitutus: et si mores ejus atque conversatio bono desiderio illius testimonium perhibùerint, absque ulla retractatione servire in monasterio omnipotenti Domino permittatur, ut ab humano servitio liber recèdat qui divino obsequio districtiorem subire appetit servitutem. Si autem et in monachico habitu secundum patrum regulas irreprehensibiliter fuerit conversatus, post praefixa a sacris canonibus tempora, licenter jam ad quodlibet ecclesiasticum officium promoveatur: si tamen illis non fuerit criminibus maculatus, quae in Testamento veteri morte mulctantur. »

§ **10**. Sed et Gelasianum codicem (*a*), de Missarum solemniis multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens pro exponendis evangelicis lectionibus, in unius libri volumine coarctavit. In canone apposuit, *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab*

* Quod caute admodum ex saeculi officiis, ad ecclesiastica quis admittendus, caute arcendus sit.

(a) *Codex Gelasianus* liber est rerum Liturgicarum juxta S. Gelasii recognitionem confectus; *Liber Sacramentorum S. Gregorii* postea dictus, sive *Sacramentarium*.

Digitized by Google

aeterna damnatione nos èripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Stationes (*a*) per basilicas vel beatorum martyrum coemeteria, secundum quod hactenus plebs Romana quasi eo vivente certatim discurrit, solicite ordinavit. Per quas et ipse simul discurrens, dum adhuc èloqui praevalèret, viginti Homilias Evangelii coram ecclesia diverso tempore declamavit. Reliquas vero ejusdem numeri dictavit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo, aliis pronunciandas commisit. Sequebatur exercitus Domini ultra citràque B. Gregorium praeeuntem, et auditurae verbum doctrinae, innumerabiles undique diversi sexus, aetatis ac professionis voluntarie confluebant cohortes. Quibus ille, utpote ductor coelestis militiae, cunctis dumtaxat arma spiritalia suggerebat. Pauperibus vero et àdvenis qui pro conditione temporum Romae influxerant, quotidiana stipendia ministrabat.

§ **11**. Super corpora autem beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Missarum solemnia celebrari decrevit, acquisitis numerosissimis olivetis, quorum summam in tabulis marmoreis pro foribus ejusdem Basilicae annotavit. Luminaria superaddidit, officia sedula deputavit, de sepultura juxta ecclesiam, commodum sperare prohibuit, septem ex defensoribus honore regionario decorandos indixit. *Alleluja* extra Pentecostes tempora dici ad Missas fecit, Subdiaconos expoliatos procedere statuit, *Kyrie eleison* cantari praecepit, et orationem Dominicam mox post Canonem super hostiam censuit recitari. De quibus cum postea quosdam murmurare sentiret, tanquam qui Constantinopolitanae ecclesiae consuetudines sequeretur, piissimus pater non dedignatus est reddere rationem, dicens: « Nos in nullo horum aliam ecclesiam secuti sumus. Nam et *alleluja* * hic ut diceretur, de Jerosolymorum ecclesia ex beati Jeronymi traditione, tempore beatae memoriae Damasi Papae traditur tractum. Et ideo magis in hac sede illam consuetudinem amputavimus quae hic a Graecis fuerat tradita. Subdiaconos autem ut spoliatos procedere facerem, antiqua consuetudo Ecclesiae fuit. Sed placuit cuidam nostro pontifici, nescio cui qui eos vestitos procedere praecepit. Nam Siciliae ecclesiae nunquid a Graecis traditionem acceperunt? Unde habent ergo hodie, ut Subdiaconi in lineis tunicis procedant, nisi quia hoc a matre sua Romana Ecclesia perceperunt? *Kyrie eleison* autem nos neque diximus, neque dicimus, sicut a Graecis dicitur: quia in Graecis omnes simul dicunt: Apud nos vero a clericis simul dicitur, a populo respondetur. Et totidem vicibus etiam *Christe eleison* dicitur, quod apud Graecos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Missis, alia, quae dici solent, tacemus: tantummodo Kyrie eleison et Christe eleison dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulo diutius occupemur. Orationem vero Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum

(*a*) Etiamnum in Missali Rom. annotantur. * V. de *Alleluja* in Martyrol. Illustr. ad Diem v.

fuit, ut ad ipsam solummodo orationem, oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconveniens visum est, ut precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, et ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super ejus corpus et sanguinem non diceremus. Sed et Dominica oratio apud Graecos ab omni populo dicitur: apud nos vero a solo sacerdote. In quo ergo Graecorum consuetudines secuti sumus qui aut veteres nostras reparavimus, aut novas et utiles constituimus, in quibus tamen alios comprobamur imitari? Ergo vestra charitas, cum occasio dederit, ut Catanensem civitatem pergat, vel in Syracusana ecclesia eos, quos credit aut intelligit, quia de hac re murmurare potuerunt, facta collatione doceat, et quasi alia ex occasione eos instruere non desistat. Nam de Constantinopolitana ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet sedi Apostolicae esse subjectam? Quod et piissimus dominus Imperator, et frater noster ejusdem civitatis episcopus assidue profitentur. Tamen si quid boni vel ipsa vel altera Ecclesia habet, ego et minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim qui in eo se primum existimat, ut bona quae viderit, discere contemnat.»

§ **12**. Tantae hospitalitatis Gregorius in ipso etiam patriarchio permansit, ut exceptis his, quos tam per diversas regiones, quam Romae quoque, Longobardorum perfidiae gladios fugientes, Ecclesiae stipe misericorditer nutriebat, quotidie ad mensam suam peregrinos quoslibet invitaret. Inter quos die quadam unus accessit, in cujus manibus dum ipse ex humilitatis ministerio aquam fundere vellet, conversus urceum accepit: sed repente eum, in cujus manibus aquam fundere voluerat, invenire non potuit. Cumque hoc factum secum ipse miraretur, eàdem nocte Dominus ei per visionem dixit: *Caeteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti.*

§ **13**. Alio quoque tempore idem Gregorius juxta consuetudinem suam praecepit sacellario, ut duodecim peregrinos ad prandium invitaret. Qui pergens, jussa complevit, eosque ad mensam pariter ordinavit. Dum autem simul discumberent, intuens Papa, tredecim numeravit *. Et accersito sacellario, cur contra jussionem suam tertiumdecimum invitare praesumpserit, inquisivit. Ille obstupefactus, convivantes peregrinos curiosius numeravit, et duodecim solos inveniens, veluti securus respondit: « Crede mihi, honorabilis Pater, non sunt nisi duodecim, sicut ipse jussisti. Ergo dum convictus saepius duodecim identidem numeraret, ac tertiumdecimum, quem solus Papa videre poterat, non videret, animadvertens spiritualis pater Gregorius virum propius discumbentem, vultus crebro convertere, et nunc adolescentem, nunc

* Angelus, de quo supra in § 4, L. 1, peregrinis mensâ ipsis a beato Gregorio appositâ fruentibus mire se adjungit.

Digitized by Google

vero se vètulum venerandâ quadam canitie simulare, finito convivio, duodecim quidem abire permisit: tertiumdecimum vero manu suscipiens, in cubiculum suum induxit, vehementer adjùrans, ut ei se nomenque suum simpliciter pròdere dignaretur. Qui respondens, dixit: « Et cur interrogas de nomine meo, quod est mirabile? Verumtamen scito memoriâ recognoscens, quia ego sum naufragus ille qui quondam veni ad te, quando scribebas in cella monasterii tui ad clivum Scauri, cui dedisti duodecim numismata et argenteam scutellam, quam tibi miserat cum infusis leguminibus beata Sylvia mater tua. Et hoc tibi pro certo sit cognitum, quia ab illo die, quo mihi haec hilari animo tribuisti, destinavit te Dominus fieri praesulem sanctae suae Ecclesiae, pro qua et proprium sanguinem fudit, et esse te successorem atque Vicarium Apostolorum principis Petri, cujus et virtutem imitatus es, cum substantias offerentium divideret, prout cuique opus erat.» Haec audiens Gregorius, dixit: «Et tu quomodo nosti quod tunc me Dominus praeesse sanctae suae Ecclesiae destinarit?» At ille inquit: « Quoniam ego Angelus ejus sum, et tunc ab eo ad tuum inquirendum propositum destinatus. » Tunc Gregorius, quia nondum manifeste viderat angelum, prorsus expavit, sibique hunc taliter dicentem audivit: «Ne timeas, neque formìdes. Ecce enim remisit me Dominus, ut sim tibi custos quandiu fueris in isto mortali seculo: quatenus quamcumque rem petìeris, per me apud eum fiducialiter valeas impetrare.» Ilico Gregorius in faciem suam corruit, dicens: «Si propter pusillum meae parvitatis munusculum tanta mihi retribuit omnipotentissimus Dominus, ut et Pontificem me sanctae suae Ecclesiae faceret, et custodem mihi suum angelum deputaret: quanta putem mihi restitui, si in praeceptis ejus totis viribus permanens, plura studuero de pluribus erogare? *» Igitur incipiens tantum largior esse de collato temporali commodo, quantum certior de recipiendo praemio sempiterno, cunctorum patrimoniorum praediorumque reditus, ex Gelasiano polyptycho, cujus nimirum studiosissimus videbatur pedissequus, adaeravit, eorumque pensionibus in auro argentoque collatis omnibus ordinibus Ecclesiasticis, vel palatinis, monasteriis, ecclesiis, coemeteriis, diaconiis, xenodochiis, urbanis, vel suburbanis...

§ **14**. Tribus millibus ancillis Dei, quas Graeci Monastrias vocant quindecim libras auri pro lectisterniis, dedit, eisque pro quotidianis stipendiis octoginta libras annualiter conferebat. De quibus Theoctisto patricio scribens, «Harum, *inquit*, talis vita est, atque intantum lacrymis et abstinentiâ districta, ut credamus quia si ipsae non essent, nullus nostrum jam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorum gladios potuisset **. »

* Gregorii immensa liberalitas.

** Ut prosint collata Sanctimonialibus subsidia.

Quotidianis quibusque diebus per omnium regionum vicos vel compita, infirmis seu qualibet corporis parte debilibus, cocta stipendia per constitutos veredarios emittebat. Verecundioribus vero, antequam ipse cibum caperet, a mensa sua benedictionis Apostolicae ostiatim dirigere curabat scutellam: ita ut neminem prorsus exciperet misericordissimi benevolentia provisoris, quem ad fidem traxerat omnipotentis cognitio Creatoris. Horum dum quemdam pauperem in angustis andronarum recessibus a vespillonibus inveniri mortuum contigisset, aestimans eum stipis inopiâ periisse, ita per aliquot dies, ut dicitur, a Missarum celebratione vacando tristatus est, tanquam si eum propriis manibus, quod dictu nefas est, peremisset. Extat usque hodie in sacratissimo Lateranensis Palatii scrinio, hujus confectum temporibus chartàceum praegrande volumen, in quo communis sexus cunctarum aetatum ac professionum nomina, tam Romae quam per suburbana civitatesve vicinas, necnon longinquas maritimae urbes degentium, cum suis cognominibus, temporibus et remunerationibus expressius continentur. Quorum summam, ne videlicet fastidiatur, ego transferre diffugio, meique lectoris oculum, ad illius venerandi scrinii plenitudinem, cujus ipse pene in cunctis auctoritatem, Papâ largiente, secutus sum, transmitto.

§ **15**. Praeterea cum Arrianorum Basilica in regione urbis hujus quae Suburra dicitur, clausa usque ad Gregorii Pontificatus tempora remansisset, placuit ei, ut in fide Catholica, introductis illuc beati Sebastiani et sanctae Agathae martyrum reliquiis, dedicari debuisset: quod factum est. Nam cum magna populi multitudine Gregorius laudes canendo perveniens, Basilicam praefatam ingressus est. Cumque venerabilis Pontifex jam Missarum solemnia celebraret, ac propter ejusdem loci angustias populi se turba comprimeret, quidam ex his qui extra sacrarium stabant, porcum subito inter suos pedes huc illucque discurrere senserunt. Quem dum unusquisque sentiret, et juxta se stantibus indicaret, idem porcus ecclesiae januas petiit, et omnes, per quos transiit, in admirationem convertit. Sed videri nihil potuit, quamvis sentiri potuisset. Quod idcirco divina pietas ostendit, ut cunctis patesceret, quia veniente cum reliquiis sanctorum Gregorio, de loco eodem immundus habitator exiret *. Peracta igitur Missarum celebratione, Papa cum plebe recessit. Sed adhuc nocte eàdem magnus in ejusdem ecclesiae tectis strepitus factus est, acsi in ea aliquis errando discurreret. Sequenti autem nocte gravior sonitus excrevit, cum subito tantus terror insonuit, acsi omnis illa ecclesia a fundamentis fuisset eversa. Et pròtinus recessit, ac nulla illic ulterius inquietudo antiqui hostis apparuit. Sed per terroris sonitum, quem fecit, innotuit, a loco, quem diu tenuerat, quia per invocationem Gregorii coactus exibat. Post

* **Portenta fiunt in Basilica a Gregorio consecrata.**

Digitized by Google

paucos vero dies in magna serenitate aëris super altare ejusdem ecclesiae nubes coelitus descendit, suoque illud velamine operuit, omnemque ecclesiam tanto terrore ac suavitate odoris implevit, ut patentibus januis nullus illuc praesumeret intrare. Et sacerdos atque custodes, vel hi, qui ad celebranda Missarum solemnia venerant, et rem videbant, ingredi minime poterant, et suavitatem mirifici odoris trahebant. Die vero aliâ, in ea lampades sine lumine sunt accensae. Post paucos iterum dies, cum expletis Missarum solemniis, extinctis lampadibus custos ex eadem ecclesia egressus fuisset, post paululum intravit, et lampades, quas extinxerat, lucentes rèperit. Quas negligenter extinxisse se credidit, atque eas jam solicitius extinxit. Qui exiens, ecclesiam clausit: sed post horarum trium spatium regressus, lucentes lampades, quas extinxerat, invenit: ut videlicet ex ipso lumine aperte claresceret, quia per beatum Gregorium locus ille de tenebris ad lucem venisset.

§ **16**. Sed cum sanctus Gregorius pro convertendis Anglis Saxonibus, quemadmodum in monachatu suo proposuerat, assiduis cogitationum fluctibus urgeretur, mox ubi Ecclesiae statu composito. quartum sui pontificatus annum intravit, Augustinum cum aliis domus suae monasterii monachis in Britanniam evangelizandi gratiâ destinavit *. Qui susceptae peregrinationis post dies aliquot inerti taedio praegravati, redire domum potius, quam barbaram, feram, incredulamque gentem, cujus nec linguam intelligerent, adire decreverunt. Nec mora, Augustinum, quem eis episcopum consecrandum, si ab Anglis exciperentur, indixerat, Romam remittunt, summum praesulem deprecantes, ut tam laboriosam, tam incertam, tamque periculosam peregrinationem sibi nuper impositam removèret, et ad suos reverti permittèret. Quibus ille rescripsit, dicens: « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, servis Domini nostri Jesu Christi. Quia melius fuerat bona non incipere, quam ab his quae coepta sunt cogitatione retrorsum redire: summo studio, dilectissimi filii, oportet ut opus bonum, quod coepistis, auxiliante Domino compleatis. Nec labor vos ergo itineris, nec maledicorum hominum linguae deterreant, sed omni instantiâ, omnique fervore, quae inchoastis, Deo auctore peràgite: scientes, quod laborem magnum major aeternae retributionis gloria consequetur. Remeanti autem Augustino Praeposito vestro, quem et Abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite: scientes hoc vestris animabus per omnia profecturum, quicquid a vobis fuerit in ejus admonitione completum. Omnipotens Deus sua vos gratiâ pròtegat, et vestri laboris fructum in aeterna me patria videre concedat, quatenus etsi vobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inveniar, quia laborare scilicet volo. »

* Ad evangelizandos Anglos S. Augustinum (*vide* XXVI *Maj.*) cum viris apostolicis mittit.

Digitized by Google

§ 17. His exhortationibus Augustinus cum fratribus roboratus, per Etherii Arelatensis vatis, perque aliorum Episcoporum Galliae Regumque, quibus eos piissimus pater propriis litteris commendarat, hospitia, Britanniam petiit, et ad Ethelbertum regem Cantuariorum veniens, Dei cooperante gratià, non solum licentiam praedicandi, verum etiam victus et mansiones in civitate Dorvernensi, quae erat regni ejus metropolis, facile impetravit. Ad quam Augustinus cum sociis, praelata cruce, seu Salvatoris imagine, appropinquans, cecinit dicens: « Deprecamur, te Domine, in omni misericordia tua, ut auferatur furor tuus et ira tua a civitate ista et a domo sancta tua, quando peccavimus. » Praedicantibus autem eis, et in nomine Jesu miracula facientibus, crediderunt multi, et baptizati sunt, mirantes innocentis vitae simplicitatem, complectentesque dulcedinem coelestis doctrinae. Quapropter Augustinus Arelàtem venit, et secundum Gregorii jussionem, ab Etherio Episcopus consecratus, in Britanniam remeavit. Ilicoque per Laurentium presbyterum et Petrum monachum, Papae Gregorio conversionem gentis Anglorum, seque consecratum innotuit, suggerens ut mitteret plurimos verbi ministros, eo quod messem quidem multam haberet, operarios autem paucos.

§ 18. Quibus relationibus Gregorius in Christo laetificatus, misit Augustino plurimos verbi ministros, in quibus praecipui erant, Mellitus, Justus, Paulinus et Rufinianus: et per eos universa, quae ad cultum erant Ecclesiae necessaria, vasa videlicet sacra, et vestimenta altarium, ornamenta Ecclesiastica, vestimenta clericalia, Apostolorum et multorum sanctorum reliquias, et codices multos. Misit ei et pallium, jubens ut sub metropoli sua Cantiae * duodecim Episcopos ordinaret: ad Londoniam et Eboràcum ** singulos Episcopos mitteret, qui sub se duodecim nihilominus episcopos consecrantes, pallium ab Apostolica sede perciperent. Et post Augustini obitum ipse inter eos primus haberi debuisset, qui prius consecrari meruisset. Praecepit quoque, ut in Anglorum gente idolorum fana non destrueret, sed sanctificatis aquis respersa, in basilicas dedicaret. Et quia solebant Saxones in sacrificio daemonum boves multos occidere, jussit ut in die dedicationis, vel natalitiis sanctorum martyrum, quorum illic reliquiae ponerentur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias quae ex fanis commutatae sunt, de ramis arborum facerent, et religiosis conviviis solemnitates debitas celebrarent. Et quia super quibusdam capitulis Augustinus eum interrogans, qualiter episcopus cum suis conversari deberet clericis requisivit, Doctor humillimus inter caetera sic rescripsit: « Quia tua fraternitas monasterii regulis erudita, seorsum vivere non debet a clericis suis; in ecclesia Anglorum, quae nuper ad fidem perducta est, hanc debet conversationem instituere, quae in initio

* Kent. ** *Yorck.*

Digitized by Google

nascentis Ecclesiae suae fuit patribus nostris: In quibus nullus eorum ex his quae possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. » Cum una fides sit, cur super Missarum celebratione Gallicana a Romana discordet, Augustino requirenti, Gregorius ait: « Novit tua fraternitas Romanae Ecclesiae consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, solicite èligas, et in Anglorum Ecclesia, quae adhuc nova est ad fidem, institutione praecipua, quae de multis ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque ecclesiis quae pia, quae religiosa, quae recta sunt èligas, et haec quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem vertas. » Interrogatus etiam, quomodo ea, quae fures de ecclesiis abstulerint, reddere debeant: mitissimus pater, « Absit, inquit, ut ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, et lucra damnis quaerat. » Sane requisitus ad eodem Augustino, usque ad quotam generationem fideles debeant copulari, Gregorius dispensatorie sic rescripsit: « Quaedam terrena lex in Romana republica permittit, ut sive frater et soror, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius et filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali conjugio sòbolem non posse succrescere, et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est, ut jam tertiâ vel quartâ generatione, generatio fidelium licenter sibi jungi debeat. Nam secundâ, quam praediximus, omnimodo debet abstinere *. »

§ **19**. Verum post multum temporis a Felice Messanae Siciliae praesule requisitus, utrum Augustino scripsisset, ut Anglorum quartâ generatione contracta matrimonia minime solverentur, humillimus pater Gregorius inter caetera talem reddidit rationem : « Quod scripsi Augustino Anglorum gentis episcopo, alumno videlicet, ut recordatus es, tuo, de consanguinitatis conjunctione, ipsi et Anglorum genti, quae nuper ad fidem venerat, ne a bono, quod coeperat, metuendo austeriora recederet, specialiter, et non generaliter caeteris, me scripsisse cognoscas. Unde et mihi omnis Romana civitas testis existit. Nec ea intentione haec illis scriptis mandavi, ut postquam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inventi fuerint, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est, usque ad septimam generationem jungantur. Sed adhuc illos neophytos existentes, saepissime eos prius illicita docere vitare, et verbis ac exemplis instruere, et quae post de talibus ègerint, rationabiliter et fideliter excludere oportet. Nam juxta Apostolum, qui

* Nota quid dicat de conjugiis in secundo cognationis gradu; quidque deinde rescribat de indulgentiâ Anglis in conjugiorum negotio adhibitâ.

Digitized by Google

ait, *Lac vobis potum dedi, non escam* (I *Cor.* III): ista illis modo, non posteris, ut praefixum est, temporibus tenenda indulsimus, ne bonum, quod infirma adhuc radice plantatum erat, erueretur, sed coeptum firmaretur, et usque ad perfectionem custodiretur.» Haec ego idcirco perstringenda curavi, ut hi, qui occasione novae dispensationis illicita matrimonia contrahunt, eruditissimum Papam Gregorium non regulariter quartae generationis copulam concessisse, immo venialiter simulque temporaliter permisisse cognoscant. Cujus nimirum precibus Deus omnipotens tantam Augustino, ejusque sociis faciendorum signorum contulit gratiam, ut verbum vitae, quod ore praedicabant, signorum efficaciâ confirmarent. Unde factum est, ut paucis elabentibus annis, etiam caeteri Sàxones ad Christi Domini fidem per discipulos ejus accederent.

§ **20**. * De cujus gentis conversione simulque miraculorum prodigiis, quae ibidem fiebant, ita Gregorius in libris Moralibus perhibet, dicens: « Ecce lingua Britanniae, quae nihil aliud noverat, quam barbarum frendere, jamdudum in Dei laudibus Hebraea coepit verba sonare. Ecce quondam tumidus, jam substratus sanctorum pedibus, servit Oceanus, ejusque barbaros motus, quos terreni principes edomare ferro nequiverant, hos pro divina formidine sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: et qui catervas pugnantium infidelis nequaquam metuerat, jam nunc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis coelestibus verbis clarescentibus quoque miraculis, virtus ei divinae cognitionis infunditur, ejusdem divinitatis terrore refrenatur, ut prave agere metuat, ac totis desideriis ad aeternitatis gratiam venire concupiscat. » Eulogio quoque Patriarchae Alexandrino de doctrina suae Ecclesiae, conversione haereticorum, concordiàque fidelium plausibilia referenti, Gregorius ita rescripsit: « Quoniam in bonis, quae agitis, scio quod et aliis congaudetis, vestrae quoque gratiae vicem reddo: Quia dum gens Anglorum, in mundi angulo posita, in cultu lignorum ac lapidum perfida nunc usque remaneret, ex vestrae mihi orationis adjutorio placuit, ut ad eam monasterii mei monachum transmittere, Deo auctore, debuissem. Qui datâ a me licentiâ, a Germaniarum ** episcopis episcopus factus, cum eorum quoque solatiis ad praedictam gentem in fine mundi perductus est. Et jam nunc de ejus salute et opere ad nos scripta pervenerunt, quia tantis miraculis vel ipse, vel hi, qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem coruscant, ut Apostolorum virtutes insignis, quae exhibent, imitari videantur. In solemnitate autem Dominicae Nativitatis, quae prima indictione transacta est, plusquam decem millia Angli ab eodem nunciati sunt fratre et coëpiscopo nostro baptizati. Quod idcirco narravi, ut cognoscatis,

* Eleganter Gregorius Anglorum conversionem describit. Notandum infra quod praebet Augustino monitum circa miracula.

** Lege Galliarum.

Digitized by Google

quid in Alexandrino populo loquendo, et quid in mundi finibus agitis orando. Vestrae enim orationes sunt in eo loco, ubi non estis, quorum operationes sanctae monstrantur in eo loco, ubi estis. » Nihilominus eidem Augustino pro eisdem miraculis inter alia scribit, inquiens: « Scio quia omnipotens Deus per dilectionem tuam in gente, quam eligi voluit, magna miracula ostendit. Unde necesse est, ut de eodem dono coelesti, et timendo gaudeas, et gaudendo pertimescas. Gaudeas videlicet, quia Anglorum animae per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: pertimescas vero, ne inter signa, quae fiunt, infirmus animus in sui praesumptione se èlevet, et unde foras in honore attollitur, inde per inànem gloriam intus cadat. »

§ 21. Quae autem de Gregorii miraculis penes easdem Anglorum ecclesias vulgo leguntur, omittenda non arbitror, ne studiosi lectoris animus aut defraudasse se pervicaciter, aut negligenter praeterisse me cognitionem congruam suspicetur. Matrona quaedam beato Gregorio, per stationes publicas Missarum solemnia celebranti, solitas oblationes obtulerat *. Cui post mysteria traditurus, cum diceret, Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam: lasciva subrisit. Ille continuo dextram ab ejus ore convertens, partem illam Dominici corporis super altare deposuit. Expletis vero Missarum solemniis, Matronam coram populo inquisivit, quamobrem corpus Dominicum sumptura ridère praesumpserit. At illa diu mussitans, tandem prorùpit: « Quia panem, inquiens, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas. » Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris cum tota plebe se in orationem prostravit. Et post paululum surgens, particulam panis, quam super altare posuerat, carnem factam rèperit. Quam coram cunctis incredulae Matronae demonstrans, ad credulitatis gratiam tam illam revocare potuit, quam totum populum confirmare curavit. Rursus itaque in orationem cum eisdem prostratus, carnis frustum in panis primordia reformavit.

§ 22. Alio quoque tempore vir Dei Gregorius miraculum pene huic simile perpetravit. Nam cum, petentibus quibusdam occidentalibus, per legatos, in singulis pyxidibus, sub nominibus petitorum martyrum, bràndeum solito more conclùdens, dèsuper sigillasset, legatis largitus est. Illi susceptas reliquias veneratione congruâ deferentes, postquam quaedam itineris milliaria consumpserunt, stulte se tantum viaticum confecisse murmurare coeperunt, si nesciant utrum sanctorum ossa, an magis carnes a Romano Pontifice suscepissent. Itaque communi consilio remoto pontificali signaculo, reseratisque pyxidibus, particulas brandei

* Stupendo Ss. Eucharistiae prodigio incredulitatem communicantis mulieris corripit. Seq. insigne miraculum circa Reliquias Sanctorum Martyrum. Simile portentum, coram dubitantibus Graecis patrasse S. Leonem Magnum narrat Gregorius Pp. in Epist. 30, Libri 3.

Digitized by Google

reppererunt. Mox ad urbis moenia cum furore nimio revertentes, per Archidiaconem a Gregorio se delusos fuisse, ut pro reliquiis vilem pannum susciperent, flebiliter querebantur, dicentes dominos suos pulcherrimis palliis abundare, ac per hoc Romanorum vilibus brandeis non egère. Forte tunc Gregorius Missarum solemnia celebrabat. Quibus expletis, ab eisdem legatis brandeum coram cunctis recipiens, super altare composuit, seque cum omnibus in orationem dedit, ut Deus omnipotens utrum quod a liminibus Apostolorum de more transmissum est, pro reliquiis martyrum venerari deberet, quantocyus indicaret. Deinde ab oratione surgens, incredulos legatos propius adstare fecit, cultellum petiit, more sanctissimi papae Leonis brandeum pupùgit, de cujus punctionibus sanguis protinus emanavit. Quo miraculo tam legati confusi, quam omnes qui àderant tremefacti, jussu Gregorii cum eo terrae prostrati sunt: nec antea ab oratione cessaverunt, quam cuncta brandeorum foramina divinitus clauderentur.

§ **23**. Quidam praeterea divitum Romanorum, relicta conjuge, fuerat a Pontifice communione privatus. Quod ille molestissime ferens, et auctoritatem tanti Pontificis evacuare non praevalens, magorum suffragia requisivit: qui magnis muneribus persuasi, posse se suis carminibus agere, ut immisso daemone, tam diu caballus Pontificis vexaretur, quousque cum sessore suo periclitaretur, fiducialiter promiserunt. Hac incestus judex pollicitatione laetatus, magos juxta viam per quam Pontifex ad stationem profecturus erat, in abdito et edito stare permisit, ut videre transeuntes, non videri a transeuntibus potuissent. Cumque magi ex planetatorum mappulatorumque processionibus magnum Pontificem cognovissent, immisso daemone tam fortiter ejus equus vexari fecerunt, ut nequaquam a sessore sive a stratoribus teneri posse putaretur. Tunc Gregorius, revelante Spiritu Sancto, daemoniacam immissionem cognoscens, facto crucis signaculo, tam caballum a praesenti rabie liberavit, quam maleficos ex latenti culmine jubens deponere, perpetua caecitate mulctavit. Quos reatum suum suggestione incesti judicis confitentes, ac postmodum ad sacri baptismatis gratiam venientes, luminibus quidem, ne magiam relegerent, reddere noluit, eos tamen ecclesiasticâ stipe nutriri praecepit.

§ **24**. Legitur etiam penes easdem Anglorum ecclesias, quod Gregorius per Forum Trajani, quod ipse quondam pulcherrimis aedificiis venustarat, procèdens, judicii ejus, quo viduam consolatus fuerat, recordatus atque memoratus sit. Quod scilicet, sicut a prioribus traditur, ita se habet. Quodam tempore Trajano ad imminentis belli procinctum vehementissime festinanti, vidua quaedam processit, flebiliter dicens: « Filius meus innocens te regnante peremptus est. Obsecro, ut quia eum mihi reddere non vales, sanguinem ejus digneris legaliter vindicare. » Cumque

Digitized by Google

Trajanus, si sanus reverteretur a praelio, hunc se vindicaturum per omnia responderet, vidua dixit: « Si tu in praelio mortuus fueris, quis mihi praestabit? » Trajanus respondit: « Ille, qui post me imperabit. » Vidua dixit: « Et quid tibi pròderit, si alter mihi justitiam fecerit? » Trajanus respondit: « Utique nihil. » Et vidua: « Nonne, inquit, melius tibi est, ut tu mihi justitiam facias, et pro hoc mercedem tuam accipias, quam alteri hanc transmittas? » Tunc Trajanus ratione pariter pietateque commotus, equo descendit, nec ante discessit, quam judicium viduae per semet imminens profligaret. Hujus ergo mansuetudinem judicis asserunt Gregorium recordatum, ad sancti Petri Apostoli basilicam pervenisse, ibique tam diu super errore tam clementissimi principis deflevisse, quousque responsum sequenti nocte cepisset, se pro Trajano fuisse auditum, tantum pro nullo ulterius pagano preces effunderet (*a*). Sed cum de superioribus miraculis Romanorum sit nemo, qui dubitet, de hoc, quod apud Saxones legitur, hujus precibus Trajani animam ab inferni cruciatibus liberatam, ob id vel maxime dubitari videtur, quod tantus doctor nequaquam praesumeret pro pagano prorsus orare, qui quarto Dialogorum suorum libro docuerit, eamdem causam esse, cur non oretur a sanctis in futuro judicio pro peccatoribus aeterno igne damnatis, quae nunc etiam causa est, ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis. Non advertentes, quia non legitur pro Trajano Gregorium exorasse, sed tantum flevisse. Sic enim cum non oraverit, Gregorius plangendo potuit exaudiri, sicuti cum Moyses dolendo taceret, potuit clamasse videri. Cui Dominus tacenti labiis, « Quid clamas, inquit, ad me? Nimirum Deus omnipotens corda renesque scrutatur, et frequenter ea misertus concedit, quae homo quamvis ut carnalis desideret, ea tamen petere non praesumit. » Unde Psalmista: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, et desideria cordis eorum exaudivit auris tua* (*Ps.* 9). Et notandum, quia non legitur Gregorii precibus Trajani anima ab inferno liberata et in paradiso reposita: quod omnino incredibile videretur, propter illud, quod scriptum est: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum coelorum: » sed simpliciter dicitur ab inferni solummodo cruciatibus liberata, quod videlicet potest videri credibile. Quippe cum ita valeat anima in inferno existere, et inferni cruciatus per Dei misericordiam non sentire, sicuti unus gehennae ignis valet omnes peccatores pariter detinere, sed per Dei justitiam cunctos aequaliter non valet exurere. Nam uniuscujusque quantum meruit culpa, justo Dei judicio tantum sentietur et poena.

(*a*) Huic de Trajani anima historiae sunt qui faveant: Baronius (ad ann. DCIV) cunctique pene recentiores ut fabulam respuunt. Sed potuit sane, ajunt Bollandiani, S. Gregorius, quasi in somnis aliquam extasim passus, didicisse, Deum, suae promissionis memorem, Trajano, licet infideli et Ecclesiae Christi persecutori, congruum aliquod beneficium praestitisse. Caeterum, in interpretatione verborum quibus factum narratur summa stat rei ne rectâ fide aberrare videatur. Sufficiant quae huc subdit Joannes Diaconus. Utiliter legendus S. Joannis Damasceni sermo pro Defunctis.

Digitized by Google

§ **25**. Nihilominus ex libro *Prati Spiritualis* * (*cap.* 92), de Sancto Gregorio Papa Romano legitur: « Is, effectus Papa, aedificavit monasterium virorum magnum, et dedit mandatum, ut nullus monachorum proprium aliquid haberet usque ad unum obulum. Frater ergo de monasterio habebat fratrem secularem, et postulavit eum, dicens: Tunicam non habeo, sed fac charitatem, eme mihi. Dicit ei secularis frater: Ecce tria numismata: suscipiens compara, qualis tibi placet. Acceptis itaque monachus tribus numismatibus, habebat ea apud se. Alius autem frater videns eum habentem tria numismata, pergens nunciavit Abbati. Abbas vero audiens, retulit beatissimo Papae. Beatissimus autem Gregorius discens hoc ab Abbate, segregavit eum a communione, tanquam eum, qui solverat regulam monasterii. Igitur post modicum temporis, moritur frater segregatus, nesciente Papâ. Post duos ergo aut tres dies pergens Abbas, nunciavit ei quia frater requievit. In hoc itaque non mediocriter tristatus est, quia antequam exiret de hac vita, non solvit eum ab excommunicationis vinculo. Et scribens orationem in pictatio, dedit uni diaconorum suorum, jubens ei ire, et super fratrem eam legere. Erat autem oratio, solvens ab excommunicatione defunctum. Vadit ergo diaconus, sicut praeceptum ei fuerat, et super tumulum fratris legit pictatium habens orationem. Et ipsa nocte vidit Abbas fratrem illum defunctum, et dixit ei: Non es mortuus frater? Ille respondit: Etiam. Et iterum interrogat eum Abbas: Ubi eras usque hodie? Respondit frater: Vere, Domine, in custodia, et usque heri non sum absolutus. Notum itaque factum est omnibus, quia in hora, qua Diaconus orationem dixit super sepulcrum, in ea hora absolutus est ab excommunicatione, et liberata est a damnatione anima ejus. »

§ **26**. Igitur Gregorius non solum Saxones, in propriis sedibus commanentes, Christo Domino dedicavit **: verum etiam pueros eorum, per exteras regiones diffusos, suis pretiis comparans annualiter, ad cognitionem fidei deducebat. Unde Candidum presbyterum commonet, dicens: Pergens auxiliante Domino nostro Jesu Christo ad patrimonium, quod est in Galliis, gubernandum, volumus ut dilectio tua, ex solidis quos acceperit, vestimenta pauperum, vel pueros Anglos, qui sint ab annis decem et septem vel decem et octo, ut in monasteriis dati Deo proficiant, comparet: quatenus solidi Galliarum, qui in terra nostra expendi non possunt, apud locum proprium utiliter expendantur. Si quid vero de pecuniis redituum, quae dicuntur ablatae, recipere potùeris: ex his quoque vestimenta pauperum comparare

* Auctore Joanne Moscho, de quo heri in MARTYROLOGIO ILLUSTRATO, ad hist. S. Sophronii.
** In seqq. §§ nota miram vere pro Anglorum et Arianorum pueris, pro Sardiniae rusticis, pro Judaeis sollicitudinem et pietatem.

Digitized by Google

te volumus, vel sicut praefati sumus, pueros, qui in omnipotentis Dei servitio proficiant. Sed quia pagani sunt, qui illic inveniri possunt, volo ut cum eis presbyter transmittatur, ne quid aegritudinis contingat in via: ut quos morituros conspexerit, debeat baptizare.

§ **27**. Sardiniae quoque rusticos mitissimus rector Gregorius in errore vetustatis adeo permanere condoluit, ut Januarium Caralitanum episcopum pro negligentiis increpando, inter caetera scriberet: « Accidit aliud valde lugendum, quia ipsos rusticos, quos habet ecclesia, nunc usque in infidelitate remanere negligentia fraternitatis vestrae permisit. Et quid vos admoneo, ut ad Dominum extraneos adducatis, qui vestros corrigere ab infidelitate negligitis? Unde necesse est vos per omnia in eorum conversione vigilare. Nam si cujuslibet episcopi in Sardinia insula paganum rusticum invenire potuero, in eodem episcopo fortiter vindicabo. Jam vero si rusticus tantae fuerit perfidiae et obstinationis inventus, ut ad Deum venire minime consentiat: tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsa exactionis suae poena compellatur ad rectitudinem festinare. » Quod cum Gregorius fructuose simulque salubriter in Sardiniae rusticos processisse cognosceret, etiam in Judaeos patrimoniorum suorum rusticos non dissimiliter est conatus extendere. Unde Cypriano diacono scribit, dicens: « Pervenit ad me, esse Hebraeos in possessionibus nostris, qui converti ad Dominum nullàtenus volunt. Sed videtur mihi, ut per omnes possessiones, in quibus Hebraei esse noscuntur, epistolas transmittere debeas, eis ex me specialiter promittens, quod quicumque ad verum Deum et Dominum nostrum Jesum Christum ex eis conversus fuerit, onus pensionis ejus ex aliqua parte imminuetur. Quod ita quoque fieri volo, ut si quis ex eis conversus fuerit, si solidum pensionis habet, tremissis ei relaxari debeat. Si tres vel quatuor, unus solidus relaxetur. Si quid amplius, jam juxta eumdem modum debet relaxatio fieri, vel certe juxta quod dilectio tua praeviderit, ut et ei, qui convertitur, onus relevetur, et Ecclesiastica utilitas non gravi dispendio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, si pro levandis pensionis oneribus, eos ad Christi gratiam perducamus. Quia etsi ipsi minus fideliter veniunt, hi tamen, qui de eis nati fuerint, jam fidelius baptizantur. Aut ipsos ergo, aut filios eorum lucrabimur. Et ideo non est grave, quicquid de pensione pro Christo dimittimus. »

§ **28**. Enimvero tam levigationibus dationum, quam promissionibus regni coelorum Judaei per diversa loca ad Christum, quem patres eorum negaverunt, venire coeperunt. Quibus cum salute animae, vestimenta quoque baptizandis habilia conferebat. Unde Faustino defensori, « Domina, inquit, Abbatissa monasterii sancti Stephani, quod in Agrigentino est territorio constitutum,

Digitized by Google

indicante comperimus, multos Judaeorum ad Christianam fidem, divinâ gratiâ inspirante, velle converti: sed esse necessarium, ut aliquis illuc ex nostro mandato debeat proficisci. Proinde hujus tibi auctoritatis tenore praecipimus, ut omni excusatione summotâ, ad praedictum locum pergere, et desiderium eorum tuis, Deo propitio, adhortationibus adjuvare festines. Quibus tamen si longum vel triste videtur solemnitatem sustinere Paschalem, et eos nunc ad baptisma festinare cognoscis, ne, quod absit, longa dilatio eorum retro possit animos revocare, cum episcopo loci ipsius lòquere, ut poenitentiâ ac abstinentiâ quadraginta diebus indicta, aut die Dominico, aut si celeberrima festivitas fortassis occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordiâ protegente baptizet... Quoscumque vero ex eis pauperes et ad vestem sibi emendam non sufficere posse cognoscis, te eis vestem, quam ad baptisma habeant, comparare volumus ac praebere. Si vero sanctum Pascha elegerint expectare, item cum episcopo lòquere, ut modo quidem catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratque solicitudinem, et animos eorum admonitione suae adhortationis accendat: ut quanto quae expectatur, elongatur festivitas, tanto se praeparare et eam desiderio ferventi debeant sustinere. »

§ **29**. Nihilo minus pro Arianorum parvulis, fidei catholicae sociandis, Gregorius pastoralis curae solicitudinem prorsus extendit. Quapropter universis episcopis Italiae scribens, ait: « Quoniam nefandissimus Antarith in hac, quae nuper expleta est, Paschali festivitate, Longobardorum filios in fide catholica baptizari prohibuit: pro qua culpa eum divina majestas extinxit, ut solemnitatem Paschae ulterius non videret, vestram fraternitatem d cet cunctos per loca vestra Longobardos admonere, ut quia gravis mortalitas imminet, eosdem filios suos in Ariana haeresi baptizatos, ad catholicam fidem concilient, quàtenus iram super eos Dei omnipotentis placent. » Item Praejectitio episcopo Narniensi: « Pervènit ad nos, peccatis imminentibus, in civitate vestra m rtalitatem omnino grassari, quae res nos nimis addixit. Quamobrem salutantes Fraternitatem vestram, instantissime suademus, ut a Longobardorum sive Romanorum, qui in eodem loco degunt, admonitione, nulla ratione cessetis, et maxime a gentilium et haereticorum, ut ad veram rectamque fidem catholicam convertantur. Sic enim aut divina misericordia, pro sua forsan eis conversione et in hac vita subveniet, aut si eos migrare contigerit, a suis, quod et magis optandum est, transient facinoribus absoluti. »

§ **30**. Igitur prud ntissimus paterfamilias Christi Gregorius, singulis diaconiis vel xenodochiis viros idoneos deputavit. Quos etiam, ut securius, immo sagacius in opere pietatis ac misericordiae laborarent, hujusmodi privilegiis muniendos esse decrevit:

Digitized by Google

« Licet eos, qui pia intentione solicitudinis curam debilibus ac egènis impendunt, sua apud omnes valeat tuèri devotio, melius tamen est, si pro quiete sua de his fuerint muniti, quae gesserint, ne inde eis inquietudinis occasio, unde magis laudandi sunt, oriatur. Quia igitur te virum religiosum intentionis tuae studio provocati, mensis pauperum exhibendae diaconìae elegimus praeponendum, ne qua tibi ex hac nascatur administratione dubietas, hac te munitione prospeximus fulciendum. Constituentes, ut de hoc, quod ad mensas pauperum vel diaconiae exhibitione percepisti, sive subinde perceperis erogandum, nulli unquam hominum quolibet modo seu ingenio cogaris ponere rationem, vel aliquam debeas molestiam sustinere. Sed quia humanis te ita omnibus esse volumus rationibus absolutum, ut Deo nostro de his, quae tibi commisimus, rationem te nòveris positurum: hortamur, ut fidei in te sinceritas vigeat: sit mens in rebus intentior, cura propensior, studium vigilantius, devotio clarior, exhibitio efficacior: quatenus dum divino intus auxilio, hoc opus solerter impleveris, et illi pro quibus solicitudinem geris, studii tui solutio utiliter consolentur, et ut mercedis tuae bonum in aeterna vita, Redemptoris nostri gratia compensante, recipias. »

§ **31**. Singula quoque ecclesiastici juris officia singula quibusque personis singulatim committi debere dicebat, asserens, quia sicut in uno corpore multa habemus membra, omnia autem membra non eundem actum habent: ita in ecclesiae corpore, secundum veridicam Pauli sententiam, in uno eodemque spiritu alii conferendum est hoc officium, alii committendum est illud. Neque uni quantumlibet exercitatae personae uno tempore duarum rerum officia committenda. Quia si totum corpus oculus, ubi auditus? Sicut enim varìetas membrorum per diversa officia et robur corporis servat, et pulchritudinem repraesentat: ita varìetas personarum, per diversa nihilominus officia distributa, et fortitudinem et venustatem sanctae Dei Ecclesiae manifestat. Et sicut indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio: ita nimirum noxium simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis tòtidem non fuerint distributa. Hinc est quod quibusdam ambitiosis, sicut in suis literis, quas ego studio brevitatis omisi, poterit inveniri, moderationis frena frequenter imposuit. Unde Anthemio subdiacono pro Paschasio episcopo qui per semetipsum sìbimet major domus et vicedominus permanebat, inter caetera praecipit, dicens: « Volumus autem, ut frater noster Paschasius, et vicedominum sibi ordinet, et majorem domus: quàtenus possit vel hospitibus supervenientibus, vel causis quae veniunt, idoneus et paratus existere. » Si vero vel negligentem eum prospicis, vel ea quae dicimus implere differentem, omnis clerus

Digitized by Google

ejus adhiberi debet, ut communi consilio ipsi èligant, quorum personae ad ea quae praediximus valeant ordinari.

§ **32**. Item Ravennatibus clericis, ad monasteriorum regimina importune tendentibus, restitit, Joanni Ravennati episcopo scribens: « Pervenit ad me quod in ecclesiis fraternitatis tuae aliqua loca, dudum monasteriis consecrata, nunc habitacula clericorum aut etiam laicorum facta sint. Dumque hi qui sunt in ecclesiis, fingunt se religiose vivere, monasteriis praeponi appetunt, et per eorum vitam monasteria destruuntur. Nemo etenim potest et ecclesiasticis obsequiis deservire, et in monachica regula ordinate persistere, ut ipse districtionem monasterii teneat qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. Proinde fraternitas tua hoc quodlibet in loco factum est, emendare festinet. Quia ego nullo modo pàtior, ut loca sacra per clericorum ambitum destruantur.» Item Maximiano episcopo Syracusano post aliqua: «Presbyteros, diaconos, caeterosque cujuslibet ordinis clericos qui ecclesiis quoquo modo militant, Abbates fieri per monasteria non permittas: sed aut omissa clericatus militiâ, monachicis provehantur ordinibus: aut si in Abbatis loco permanere decreverint, clericatus nullàtenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cum unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus. Sicque invicem, et ecclesiasticus ordo vitae monachicae, et ecclesiasticis utilitatibus regula monachatus impediatur *. »

§ **33**. Qualiter sane Gregorius per procuratores ecclesiasticorum patrimoniorum, velut Argus quidam luminosissimus, per totius mundi latitudinem suae pastoralis solicitudinis oculos circumtulerit, non ab re forsitan duxerim perstringendum. Ait enim in epistola Anthemio subdiacono: «Discedenti mandavimus tibi, et postmodum praeceptis discurrentibus injunxisse memini, ut curam pauperum gereres, et si quos illic egere cognosceres, scriptis recurrentibus indicares, et vix de paucis haec facere curasti. Volo autem, ut domnae Patriarchiae meae mox, ut praesentem jussionem susceperis, offeras ad calceamenta puerorum solidos quadraginta, et tritici modios quadringentos etc...... Summam vero pensionis sub festinatione transmitte, et ad Paschalem diem, Domino auxiliante, occurrito.» Item eidem: «Insinuatum nobis est, ancillas Dei quasdam Nolanae civitatis, in Aboridana domo commanentes, nimiam victus vestitusque penuriam sustinere. Quibus ex praecepto Dei subvenire nos convenit,

* Vide eàdem de re Epist. 40, L. 6, ad Ravennat. Episc. Epistolas indicamus juxta regestum Joannis Diaconi: lectores autem nostros non latet varie admodum et confuse in Epistolis Gregorii PP. per Libros disponendis, ac juxta Indictiones numerandis Editiones discrepare. Quae porro studio prodiit et labore *Maurinorum* PP., eruditis exornata notis, Ordinem chronologicum Epistolarum restituit, Indicem addidit Geographicum, quodque est reperiendis Epistolis percommodum, ordinem digessit vulgatum cum restituto collatum, nominibus allatis eorum quibus Epistolae sunt inscriptae.

Digitized by Google

et inopiam earum, quantum possumus, donante Domino, sublevare. Propterea experientiae tuae praesenti jussione mandamus, ut quadraginta in auro ei solidos dare debeas, et deinceps succedentibus indictionibus annuatim viginti solidos ministrare. Praeterea Paulino presbytero monasterii sancti Erasmi quod in latere montis Soractis situm est, sed et duobus monachis, in oratorio sancti Archangeli servientibus quod in Callano castro juxta sancti Petri basilicam esse dignoscitur, binos te in praesenti solidos dare praecipimus... Ita ergo fac, ut impensae mercedis tuae quoque participium sortiaris.» Item eidem: «Si in proximorum necessitatibus habita compassione benigna mente concurrimus, in nostris proculdubio petitionibus clementem Dominum reperimus Palatina siquidem illustris foemina, continua hostilitate insinuavit se plurimis necessitatibus subjacere. Propterea experientiae tuae praesenti auctoritate praecipimus, ut ei pro sustentatione ejus annuos triginta solidos dare non differas... Ita ergo fac, ut et tu bene ministrando commodum mercedis suscipias, et nostra ad effectum praecepta perducas.» Item Petro subdiacono: «Insinuatum nobis est, Marcellum Barubicanae ecclesiae, ibidem in civitate Panormitana in monasterio sancti Adriani in poenitentiam deputatum, non solum victus necessitatem pati, sed et nuditatis nimiam sustinere molestiam. Pro qua re necesse habemus strenuitati tuae praesenti jussione praecipere, ut ipsi pro victu ac vestimento stratoque ad continentiam, pueroque ejus annonam, quantum prospexeris satis esse, constituas, ut inopia nuditasque ejus tali providentiâ possint habere consultum...» Item eidem: «Monasterium sancti Archangeli quod in Tropeis est constitutum, indicante praesentium portitore, victus habere necessitatem didicimus. Ideoque experientia tua diligenter invigilet: et si ejusdem loci monachos bene se tractare cognoveris, in quibus eos necessitatem habere manifesta veritate patuerit, eis subvenire, hac auctoritate suffultus, modis omnibus festinabis... Studii ergo tui sit, haec omnia ita complere, si, sicut diximus, ejus monachi in Dei servitio, sicut decet, solertes perstiterint.»

§ **31**. Item eidem « Divina praecepta nos admonent diligere proximos tanquam nosmetipsos: et cum hac eos praecipiamur charitate diligere, quanto magis debemus his in subsidiis necessitatum carnalium subvenire, ut eorum angustias, si non ex omnibus, saltem aliquibus sustentaculis sublevemus? Quoniam ergo Godelstadii dignissimi filium non solum amissione visus, sed etiam inopiâ victus egestatem pati cognoscimus, necessarium duximus, inquantum possibilitas suppetit, ei praebere consultum. Propterea experientiae tuae praesenti jussione praecipimus, ut ei annis singulis vigintiquatuor modios tritici, fabae quoque modios duodecim, et vini decimatas viginti pro sustentatione vitae debeat ministrare: quod tuis postmodum possit rationibus imputari. Ita

Digitized by Google

ergo fac, ut praesentium lator nullas de percipiendis Domini donis moras sustineat, et tu in die Domini bene dispensatae mercedis possis particeps inveniri *. »

§ **35**. Gregorius Libertino expraetori: « Quanta vos seculi hujus premat angustia, incognitum non habemus **. Sed quia in summa tribulatione positis sola est consolatio misericordia Creatoris, in eum spem vestram ponite, ad ipsum tota vos mente convertite. Qui et juste quem vult, permittit affligi, et confidentem in se misericorditer liberabit. Ipsi ergo gratias agite, et patienter quaecumque illata sunt, sustinete. Nam rectae mentis est, Deum non solum in prosperis benedicere, sed etiam in adversitatibus collaudare. In his igitur quae patimini, nullum contra Deum murmur cordi vestro subrèpat: quia ad quid hoc Creator noster operetur, ignotum est. Forsitan enim, magnifice fili, aliquid illum in prosperis positus offendisti, unde te clementi amaritudine vult purgare. Et ideo nec temporalis te frangat afflictio, nec rerum damna discrucient: quia si in adversis gratias referens, Deum tibi patientiâ feceris esse placabilem, et quae amissa sunt, multiplicata reddentur, et super haec gaudia aeterna praestabuntur. Peto autem, ne injuriosum ducatis quod viginti annuos vestitus ad pueros vestros per Romanum defensorem scripsimus praeberi: quia de beati Petri Apostoli rebus quamvis parva sint quae offerantur, pro magna semper benedictione suscipienda sunt. Quoniam et hic vobis valebit majora impendere, et apud omnipotentem Deum beneficia aeterna praestare. »

§ **36**. Longum est nimisque difficile, si eleemosynarum ejus saltem hujusmodi prosequar actiones. Hoc breviter assero, quia et non petentibus ultro distribuit, et omnibus petentibus hilariter ministravit. Unde Eliae presbytero et Abbati provinciae Isauriae, « Evangelia, inquit, sicut mandastis, transmisimus. » Et post pauca: « Solidos autem vobis voluistis pro necessitatibus Cellae quinquaginta transmitti. Quod multum esse aestimantes, ex eis nobis decem donastis, ut quadraginta mitteremus, sed ne forsitan vel hoc grave esset, alios decem nobis ex eis adhuc dignati estis largiri. Sed quia vos valde in continentia vestra benignos invènimus, eidem benignitati vice simili respondentes, quinquaginta transmisimus. Et ne forsitan minus esset, alios decem superaddidimus. Ne vero et hoc adhuc minus esset, alios duodecim jungi fecimus. In hoc autem cognoscimus charitatem vestram, quia de nobis ita praesumitis, sicut vos praesumere debetis ***. »

§ **37**. Hactenus de Gregorianae liberalitatis innocentia me retulisse sufficiat. Caeterum quia famis tempore, ut videlicet

* Item hujuscemodi Clericorum necessitatibus consuluit per Episc. 55, Lib. 2, et Epist. 4, L. 5.
** Quod Christiani sit omnia aequo animo e Dei manibus suscipere.
*** Vide etiam Epist. 21, L. 11. Ac de justitia districte in munificentia servanda Epist. 39, L. 11.

Digitized by Google

haberet, unde Christi pauperibus subveniret, frumenta comparare studebat, nullo modo praetermittam. Ait enim in alia epistola eidem Petro subdiacono inter caetera: « Quinquaginta auri libris nova frumenta ab extraneis compara, et in Sicilia in locis, in quibus non pereant, repone, ut mense Februario illuc naves, quantas possumus, dirigamus, ut eadem ad nos frumenta deferantur. Sed et si nos transmittere cessamus, ipse naves provide, et ad nos, auxiliante Domino, Februario mense haec eadem frumenta transmitte. Exceptis dumtaxat frumentis quae nunc mense Septembrio vel Octobrio juxta consuetudinem transmitti praestolamur. Ita ergo tua experientia faciat, ut sine alicujus vexatione coloni ecclesiastici frumenta congregentur. Quia tam hic parva nativitas fuit, ut nisi auxiliante Domino de Sicilia frumenta congregentur, fames vehementer immineat. »

§ **38**. Hujus liberalitatis multitudinem quidam eremitarum, vir magnae virtutis qui nihil in mundo possidebat praeter unam cattam, quam blandiens crebro quasi cohabitatricem in suis gremiis refovebat, cognoscens, orasse fertur ad Deum, ut sibi ostendere dignaretur, quam futurae remunerationis mansionem sperare debuisset qui pro illius amore seculum dèserens, nil ex ejus divitiis possideret. Cumque nocte quadam dormiret, cognovit sibi revelatum fuisse, ut cum Gregorio Romano Pontifice mansionem sibi praeparandam sperare debuisset. At ille fortiter ingemiscens, parum sibi profuisse voluntariam rerum inopiam, tàntaque suae remotionis jejunia putabat, si cum eo mansionem reciperet qui tantis mundialibus divitiis redundaret. Cum vero Gregorianas divitias suae paupertati die noctuque suspirando conferret, alia nocte quiescens, audivit sibi Dominum in somnis dicentem : Quando divitem non possessio faciat divitiarum, sed cupido, cur audes paupertatem tuam Gregorii divitiis comparare? Qui magis illam cattam, quam habes, quotidie palpando, nullique conferendo diligere comprobaris, quam ille qui tantas divitias non amando, sed contemnendo, cunctisque liberaliter largiendo dispergit? Ita solitarius increpatus, Deo gratias retulit, et qui meritum suum decrevisse putaverat, si Gregorio conferretur, orare vehementius coepit, ut cum eo mansionem quandoque percipere mereretur. Sed istius jam secundi libri finis adveniat, ut quae secutura sunt auxiliante Domino, tertius prosequatur.

Liber III. § **1**. Talibus venerabilis Papa Gregorius commissam sibi divinitus Ecclesiam studiis efficaciter gubernabat. Jam Ligures, Venetos, Hibèros, aliosque a schismate sub libello confessos, Chalcedonensem synodum venerari compellens, ad unitatem sanctae Ecclesiae revocarat. Jam Barbaricinos Sardos et Campaniae rusticos, tam praedicationibus quam verberibus emendatos, a paganizandi vanitate removerat: jam Donatistarum haeresim penes Africam , Manichaeorum penes Siciliam, Arrianorum

Digitized by Google

penes Hispaniam, Agnoitarum vero penes Alexandriam, scriptorum suorum validissimis auctoritatibus importunisque legationibus, Domino suffragante, a corpore totius sanctae matris Ecclesiae sequestrarat. Sola penes Galliam Neophytorum haeresis quot Simoniacis muneribus, quasi tot radicibus pullulans, longe lateque prorsus excreverat et manebat *. Contra quam venerabilis pater apud Brunichildem reginam, Theodoricum quoque et Theodebertum Francorum reges fortiter expugnavit, donec collecta generali synodo, hanc sub anathemate damnandam penitus impetraret. Nec ante Siagrio episcopo Augustudunensi, reginâ et regibus pallium multis precibus flagitantibus, dedit, quam praesente Cyriaco suo Abbate ipsi, quod de propellendis haeresibus moniti fuerant, adimplerent.

§ 2. Nam pro his Brunichildi reginae inter caetera scribit, dicens: « Sacerdotale officium in tantam illic, sicut didicimus, ambitionem perductum est, ut sacerdotes subito, quod grave nimis est, ex laicis ordinentur. Sed quid isti acturi quid populo praestaturi sunt qui non ad utilitatem, sed fieri ad honorem episcopi concupiscunt? His igitur qui necdum quod docere debeant, didicerunt: quid aliud agunt, nisi ut paucorum provectus illicitus, fiat multis interitus et in confusionem Ecclesiasticae moderationis observantia deducatur? Quippe ubi nullus ordo regularis servatur. Nam qui ad ejus règimen improvisus vel praecipitatus accedit qua admonitione subjectos aedificet, cujus exemplum non rationem docuit, sed errorem? Pudet profecto, pudet aliis imperare quod ipse nescis custodire. Nec illud quidem quod simili emendatione radendum est, praeterìmus, sed omnino execrabile et esse gravissimum detestamur, quod sacri illic Ordines per Simoniacam haeresim quae prima contra Ecclesiam orta, et districta maledictione damnata est, conferantur. Hinc ergo agitur, ut sacerdotalis dignitas in despectu et sanctus sit honor in crimine. Perit utique reverentia, adìmitur disciplina: quia qui culpas debuit emendare, committit: et nefaria ambitione, honorabilis sacerdotii ducitur in depravationem censura. Nam quis denuo veneretur quod venditur? Aut quis non vile putet esse quod èmitur? Unde valde contristor et terrae illi condoleo: quia dum Spiritum Sanctum quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, divino munere habere despiciunt, sed praemiis assequuntur, sacerdotium illic subsistere diu non arbitror. Nam ubi dona supernae gratiae venalia judicantur, ad Dei servitium non vita quaeritur, sed magis contra Deum pecuniae venerantur.»

§ 3. Item de eisdem, Theodorico et Theodeberto regibus

* Epistolae Gregorii afferuntur quae Tractatum conficiunt de Simonia; scilicet quam vilescat ei sacerdotalis praelatio; quanta inde oriantur damna: quam inique per illam beneficia aucupentur et ecclesiasticae dignitates et indigni ad sacerdotium assumantur; de Simonia denique variis modis palliata (§§ 2, 3, 4, 5, 6, 7).

Digitized by Google

Francorum post aliqua: « Fertur Simoniaca haeresis quae prima contra Dei Ecclesiam diabolica plantatione surrepsit, et in ipso ortu suo, telo Apostolicae ultionis percussa atque damnata est, in regni vestri finibus dominari, cum in sacerdotibus fides sit eligenda cum vita: quae si deest, fides meritum non habet, beato Jacobo attestante qui ait: *Fides sine operibus mortua est.* Quae enim opera esse valeant sacerdotis qui honorem tanti sacramenti convincitur obtinere per praemium? Ex qua re agitur, ut ipsi quoque qui sacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere studeant, sed divitias, quibus honor sacer emitur, congregare. Hinc fit etiam, ut insontes et pauperes a sacris ordinibus prohibiti despectique resiliant: et dum innocentia pauperis displicet, dubium non est quod praemium illic delicta commendet: quia ubi aurum placet, ibi et vitium. Hinc igitur non solum in ordinatoris et ordinati animam letale vulnus infigitur, verum etiam excellentiae vestrae regnum, episcoporum culpa, quorum magis intercessionibus juvari debuerat, praegravatur. Si enim is dignus sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed praemiorum copiae suffragantur: restat, ut nihil sibi in honores ecclesiasticos gravitas, nihil defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat. Et dum vitia honore munerantur, in locum ultoris is qui fortasse fuerat ulciscendus, adducitur: atque hinc sacerdotes non proficere, sed perire potius judicantur. Vulnerato namque pastore, quis curandis ovibus adhibeat medicinam? Aut quando populum orationis clypeo tuebitur qui jaculis se hostium feriendum exponit? Aut qualem de se fructum producturus est, cujus gravi peste radix infecta est? Major ergo metuenda est locis illis fore calamitas, ubi tales inter caeteros ad locum regiminis adducuntur qui Dei in se magis iracundiam provocent, quam per semetipsos populis placare debuerant. Nec hoc quoque malum solicitudo nostra pàtitur negligenter omittere quod quidam, instinctu gloriae inanis illecti, ex laico repente habitu sacerdotii honorem arripiunt: et quod dicere pudet et tacere grave est, regendi, Rectores: et qui docendi sunt, doctores nec erubescunt fieri, nec metuunt. Ducatum animarum impudenter assùmunt, quibus via omnis ignota doctoris est, et quo vel ipsi gradiantur, ignari sunt. Nam dum dux exercitus non nisi labore et solicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse debeant qui episcopatus culmen immatura cupiunt festinatione conscendere, hujus saltem rei comparatione considerent et aggredi repente inexpertos labores timeant, ne caeca honoris ambitio et ipsis in poena sit et aliis pestifera erroris semina jaciant, quippe qui non didicère quod doceant. Proinde paterno salutantes affectu, petimus, praecellentissimi filii, ut tam detestabile malum de regni vestri studeatis finibus prohibere, et nulla apud vos excusatio, nulla contra animas vestras suggestio locum inveniat:

Digitized by Google

quia facientis proculdubio culpam habet qui quod potest corrigere, negligit emendare.»

§ 4. Item pro eisdem haeresibus Siagrio episcopo Augustudunensi: « Nuncio apud nos olim discurrente vulgatum est quod in Galliarum partibus sacri Ordines, per Simoniacam haeresim conferantur, et vehementi tedio moeroris afficimur, si in ecclesiasticis officiis quemquam habet locum pecunia et fit seculare quod sacrum est. Quicumque ergo hoc pretii studet datione percipere, sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit. Quid scilicet, quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla solicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio: sed ille solummodo dignus qui dare pretium suffecerit, aestimetur? Ex qua re, si recti libraminis examinatione pensetur, dum improbe ad inanem gloriam locum festinat utilitatis arripere, eo ipso magis quod honorem quaerit, indignus est. Sicut autem is qui invitatus renuit quaesitus rèfugit, sacris est altaribus admovendus: sic qui ultro ambit, vel importunum se ingerit, est proculdubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere quid aliud agit, nisi ut crescendo decrescat et ascendendo exterius, interius in profunda descendat? Itaque, frater reverendissime, in sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat; sit simplex sine venalitate consensus, pura praeferatur electio: ut ad summa sacerdotii non suffragio venditorum provectus, sed Dei credatur esse judicio. Nam quia grave omnino sit facinus, Dei donum vel pretio comparare vel vendere, evangelica est testis auctoritas. Templum enim Dominus et redemptor noster ingressus, cathedras vendentium columbas evertit. Quid aliud est columbas vendere, nisi pretium de manus impositione percipere et sanctum spiritum, quae omnipotens Deus hominibus tribuit, venùndare? Quorum sacerdotium ante Dei oculos cadere, cathedrarum utique patenter eversione signatum est. Et tamen exerit adhuc nequitiae pravitas vires suas. Nam cogit vendere quos decepit, ut emerent. Et dum non attenditur quod divina voce praecipitur, *Gratis accepistis, gratis date:* agitur ut crescat et geminata fiat in uno eodemque delicto conditio, ementis scilicet et vendentis. Et cum liqueat hanc haeresim ante omnes radice pestiferâ surrepsisse, atque in ipsa sua origine Apostolica esse detestatione damnatam, cur non cavetur? cur non perpenditur quia benedictio illi in maledictionem convertitur qui ad hoc ut fiat haereticus, promovetur? Plerumque igitur adversarius animarum, dum non potest in his quae ad faciem sunt prava, subrepere: callide, specie quasi pietatis injecta, nititur supplantare: suadetque forsitan debere ab habentibus accipi, ut sit quod possit non habentibus erogari, dummodo vel sic venena mortifera, eleemosynae celata obumbratione, transfundat. Nam nec venator feram, nec avem auceps deciperet, vel piscem piscator caperet,

Digitized by Google

si aut ille laqueum in aperto proponeret, aut ille hamum in esca absconditum non haberet. Omnino ergo metuenda et cavenda est hostis astutia, ne quos aperta nequit tentatione subvertere, latente telo saevius valeat trucidare. Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur: quia qui hac intentione male accipit, ut quasi bene dispenset, gravatur potius quam juvatur. Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet quae non de illicitis et iniquitate congeritur, sed quae de rebus concessis et bene acquisitis impenditur. Unde etiam illud certum est quia et si monasteria aut Xenodochia vel quid aliud de pecunia quae pro sacris Ordinibus datur, construatur, mercedi non proficit: quoniam dum perversus et emptor honoris in locum sanctum transmittitur et alios ad sui similitudinem sub commodi datione constituit, plura male ordinando destruit quam ille potest aedificare qui ab eo pecuniam ordinationis accepit. Ne ergo sub obtentu eleemosynae cum peccato aliquid studeamus accipere, aperte sacra Scriptura nos prohibet, dicens: Hostiae impiorum abominabiles Domino quae offeruntur ex scelere. Quicquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei iracundiam non placat, sed irritat. Hinc rursus scriptum est: Honora Dominum de tuis justis laboribus. Qui ergo male tollit, ut quasi bene praebeat, constat sine dubio quia Dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur: Qui offert sacrificium de substantia pauperis, ac si victimet filium in conspectu patris. Quantus autem dolor patris sit perpendamus, si in ejus conspectu filius victimetur et hinc facile cognoscimus, quanto Deus omnipotens dolore exasperatur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum est, dilectissime frater, sub obtentu eleemosynae peccata Simoniacae haeresis perpetrare. Nam aliud est, propter peccata eleemosynas facere: aliud, propter eleemosynas peccata committere.

§ **5**. « Hoc quoque ad nos pervenisse non dissimili dignum detestatione complectimur, quod quidam desiderio honoris inflammati, defunctis episcopis tonsurantur et fiunt repente ex laicis sacerdotes, atque inverecunde religiosi, praepositi ducatum arripiunt qui nec esse adhuc milites didicerunt. Quid putamus, quid isti subjectis praestaturi sint qui antequam discipulatus limen attingant, tenere locum magisterii non formidant? Qua de re necesse est, ut quamvis inculpati quisque sit meriti, ante tamen per distincta ordinis Ecclesiastici exerceatur officia. Videat quod imitetur, discat quod doceat, informetur quod teneat, ut postea non debeat errare qui eligitur viam errantibus demonstrare. Diu ergo religiosa meditatione poliatur, ut placeat: et sic lucerna super candelabrum posita luceat, ut adversa ventorum vis irruens, conceptam eruditionis flammam non extinguat, sed augeat.

Nam cum scriptum sit, Ut prius quis probetur et sic ministret: multo amplius ante probandus est qui populi intercessor assumitur: ne fiant causa ruinae populis sacerdotes mali. Nulla igitur contra hoc excusatio, nulla potest esse defensio: quia cunctis liquido notum est quae sit in hujus rei negligentia egregii solicitudo doctoris qui neophytum ad ordines vetat sacros accedere. Sicut autem tunc neophytus dicebatur qui initio in sanctae fidei erat eruditione plantatus: sic modo neophytus habendus est qui repente in religionis habitu plantatus, ad ambiendos honores sacros irrepserit. Ordinate ergo ad ordines ascendendum est. Nam casum appetit qui ad summa loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quaerit ascensum. Et cum idem Apostolus doceat inter alia sacri ordinis instituta discipulum, manum non esse cuiquam citius imponendam: quid hoc celerius quidve praecipitantius, quam ut exoriatur a summitate principium et antequam esse incipiat discipulus, sit magister? Quisquis igitur sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad utilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum eo, quem est subiturus, honore metiatur, ut et impar abstineat et ad id cum metu, etiam qui se sufficere existimat, accedat. Ab re autem non facimus, si ad argumentum rationabile, usum rerum irrationabilium colligamus. Apta namque aedificationibus de sylvis ligna succiduntur, nec tamen adhuc viridibus aedificii pondus imponitur, nisi eorum viriditatem multorum dierum mora siccaverit et apta ad necessarium usum effecerit. Quae si observantia forte negligitur, citius superimposita mole franguntur et gignit ruinam ad auxilium res provisa. Hinc et enim medici qui corporum curam gerunt quaedam adjutoria, recenti adhuc confectione formata, indigenti non offerunt, sed maturanda temporibus derelinquunt. Nam si immature quis dederit, dubium non est, quia fit causa periculi res salutis. Discant itaque discant in officio suo sacerdotes quibus animarum credita est cura, servare quod diversarum artium homines docente ratione custodiunt et a praecipiti se ambitione et si non metu, saltem pudore contineant. Sed ne forsitan ad hoc pravae se consuetudinis quisquam velit objectu defendere, fraternitatis tuae discretio rationis eos freno coërceat et labi in illicitis non permittat: quia quicquid ultione dignum est, non ad imitationis, sed potius ad exemplum debet correptionis adduci.*»

§ 6. Has pestiferas haereses cernens prudentissimus doctor Gregorius, per sacerdotum convenientiam sive taciturnitatem magis magisque diffusis muneribus quasi pestifer cancer, non solum infirma posse corrodere, verum etiam fortia membra mucrone pulcherrimarum rerum corrumpere: divino zelo commotus, Victori episcopo generalem sententiam protulit, dicens: « Quisquis

* Quot gravissimae in his epistolis sententiae! nota: *Caussa ruinae populis sacerdotes mali;* et (supra in § 3): *Ubi aurum placet, ibi et vitium.* Nota item ad finem § 5 egregias similitudines.

Digitized by Google

ad hoc facinus, videlicet Simoniae ac Neophytorum haeresim emendandum, officii sui consideratione vehementer non arserit, cum ipso se habere non dubitet portionem, a quo prius hoc piaculare flagitium sumpsit exordium. » Cum vero quosdam cognosceret ad evitandae Simoniacae haeresis crimina, pestiferae negotiationis munera pestellaticum callide vocitare, ac hujusmodi mutato nomine, suae cupiditatis avaritiam velle contegere, prudentissimus doctor Gregorius sententiam, quam in primordio sui pontificatus coram synodo promulgaverat, iterato pròtulit, dicens: « Antiquorum patrum regulam sequens, nulli quicquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam nova per ambitionem simulatio invenit, appellatione pastelli. Quia enim in ordinando episcopo Pontifex manum imponit, evangelicam vero lectionem minister legit, confirmationis autem ejus epistolam notarius scribit, sicut non decet episcopum manum, quam imponit, vendere: ita minister vel notarius non debet in ordinatione ejus, vocem suam vel calamum venùmdare... »

§ 7. Sed astuta turpissimae cupiditatis iniquitas non sufferens tantis se commodis licet turpissimis, immo periculosissimis angustari, commentum satis artificiosum rèperit, quo scilicet illos sacerdotio sublimaret, qui sibi post consecrationem tanto subjectiores esse debuissent, quanto non divino, quin potius humano judicio se fuisse promotos ipsi procul dubio reputarent. Quapropter omnipotentis Dei praeco Gregorius in evangeliorum tractatibus, ut scilicet frequentius legi vel audiri potuisset, disputat, inquiens: « Sunt nonnulli, qui quidem nummorum praemia ex ordinatione non accipiunt, et tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eàdem laudis solummodo retributionem quaerunt. Hi nimirum quod gratis acceperunt, gratis non tribuunt, quia de impenso officio sanctitatis expetunt nummum favoris. Unde bene cum justum virum describeret, Propheta ait: « Qui excutit manus suas ab omni munere. » Neque enim dixit, « Qui excutit manus suas a munere: sed adjunxit, *ab omni*. Quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio, est subjectio indebite impensa. Munus a manu, pecunia. Munus a lingua, favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. »

§ 8. Hae sunt Gregorii super simoniacis et illicitis ordinationibus doctissimi Papae sententiae, quas ipse summo cultu servasse docetur in eo, quod ab ipso suae consecrationis exordio per omnem dioecesim suam episcopos undecunque meliores invenire potuit, studiosissimus ordinavit. Et si quando necessitas

Digitized by Google

ordinandi sacerdotis obrepsit, neque Cardinales Ecclesiae suae, neque monachos monasterii sui penitus excusavit, quo minus illis ecclesiam regendam committeret, qui exemplis et verbis pariter illam aedificare melius potuissent. Cumque Gregorius, percepta occasione, suae Ecclesiae Cardinales, si tamen consentirent, satis voluntarie provèheret, neminem prorsus quantacumque necessitate coactus, violenter promovere certabat, ne sub hujusmodi occasione quemquam eliminando deponere videretur *. Ab aliis quoque violenter promotos, in gradus pristinos revocabat. Quanta autem curiositate Gregorius idoneos quosque ad règimen destitutarum quaesierit plebium, breviter indicabo, ut tantus vir non solum doctrinis, quin et operibus verus paterfamilias fuisse gregis Dominici probabiliter colligatur. Ait enim in epistola Maximiano episcopò Syracusano: « Felix vir clarissimus, praesentium lator, edocuit nos, esse quemdam in illis partibus presbyterum, qui ad episcopatus ordinem pròvehi probatae vitae merito dignus appareat. Hunc ergo fraternitas tua coram se dedùci faciat, et eum, sicut certus sum, propter animae periculum diligenter examinet. Quem si ad hunc pròvehi gradum dignum esse perspexerit, ad nos studeat destinare, ut eum, Domino disponente, loco cui praeviderimus, possimus ordinare pastorem. » Item Libri 4 Epist. 19, et Libri 8 Ep. 17, Libro 10 Ep. 13, Libro 11 Ep. 14.

§ 9. Et quidem Gregorius prudenter cognoscens, totum corpus Ecclesiae tam per bonos episcopos feliciter stare, quam per malos infeliciter cadere: non solum diversarum gentium diversi ordinis clericos, verum etiam vacantes episcopos in suae dioeceseos episcopatus invitabat. Unde Sebastiano episcopo Seriniensi inter caetera scribit, dicens: « Debitum salutationis alloquium solvens, indico, quod ad me Bonifacio defensore referente pervenerit, quia vir sanctissimus frater noster dominus Anastasius patriarcha in una suarum civitatum regendam vobis ecclesiam committere voluit, et consentire noluistis. Quem sensum atque sapientiam vestram, valde ego libenter amplexus sum, et laudavi vehementer, et vos felices, me infelicem esse deputavi, qui tali hoc tempore regimen Ecclesiae suscipere consensi. Si tamen animus vester fortassis fratribus condescendendo, et misericordiae operibus intentus, ad hoc unquam consentire decreverit, peto ut amori meo alium minime praeponatis. Sunt enim in Sicilia insula ecclesiae vacantes Episcopis. Et si vobis placet, auctore Deo, Ecclesiam regere, juxta beati Petri Apostoli limina cum ejus adjutorio melius potestis. Si vero non placet, feliciter state, et pro nobis infelicibus exorate.

§ 10. Interea Gregorius locis munitis Episcopis constitutis, dissipatas ecclesias adunabat. Quapropter Bagaudae Formiensi Episcopo scribit, dicens: « Et temporis necessitas nos perurget,

* Vide L. 2, Epist. 15 et 16.

et imminutio exigit personarum, ut destitutis ecclesiis salubri ac provida debeamus dispositione succurrere. Et ideo quoniam ecclesiam Minturnensem funditus tam cleri quam plebis destitutam desolatione cognovimus, tuamque pro ea petitionem, quatenus Formianae ecclesiae, in qua corpus beati Erasmi martyris requiescit, cuique fraternitas tua praesidet, adjungi debeat: piam esse ac justissimam praevidentes, necessarium duximus, consulentes tam desolationi loci illius, quam tuae ecclesiae paupertati, reditus supradictae ecclesiae Minturnensis, vel quicquid ei antiquo modernoque jure vel privilegio potuit, potest vel qualibet ratione competere, ad tuae ecclesiae jus potestatemque hac praecepti nostri auctoritate migrare, ut a praesenti tempore, sicuti de propria ecclesia debeas cogitare, eique competentia tua provisione disponere: quatenus deinceps quod perire nuncusque potuit, pauperum ecclesiae tuae utilitatibus clerique proficiat. » Item Libri 2, Ep. 31.

§ **11**. At vero civitatum desolatarum pontifices Gregorius vacantibus civitatibus incardinare curabat. Unde Martino episcopo Corsicae inter caetera scribens: « Quoniam, inquit, ecclesia Tamitana, in qua dudum fuerat honore sacerdotali tua fraternitas decorata, ita est delictis facientibus hostili feritate occupata et dìruta, ut illic ulterius spes remeandi nulla remanserit: in ecclesia te Aleriensi, quae jamdiu pontificis est auxilio destituta, Cardinalem secundum petitionis tuae modum hac auctoritate constituimus sine dubio sacerdotem. Ita ergo studio vigilanti cum Dei amore secundum canonum praecepta cuncta dispone et ordina, ut et fraternitas tua suis desideriis se gaudeat fuisse potìtam, et ecclesia Dei alterno gaudio repleatur, Cardinalem te suscepisse pontificem. » Item Joanni episcopo Squillaceno : « Pastoralis officii cura nos admonet, destitutis ecclesiis proprios constituere sacerdotes, qui gregem Dominicum pastorali debeant solicitudine gubernare. Propterea te Joannem, ab hostibus captivatae Lisitanae civitatis episcopum, in Squillacena cardinalem necesse duximus constituere sacerdotem, ut et susceptam semel animarum curam intuitu futurae retributionis impleas, et licet a tuâ, hoste imminente, depulsus sis, aliam quae pastore vacat, debeas Ecclesiam gubernare. Ita tamen, ut si civitatem illam hostibus liberam effici, et Domino protegente, ad priorem statum contigerit revocari, in eam, in qua prius ordinatus es, ecclesiam revertaris. Si autem praedicta civitas continua captivitatis calamitate prematur, in hac, in qua a nobis incardinatus es, debeas eeclesia permanere. »

§ **12**. Sed et expulsos episcopos, quos tam cito Gregorius vel incardinare non poterat, vel quorum reditum ad sedes proprias contingere posse sperabat, aliis episcopis, qui tunc videlicet in locis suis degebant, interim pro sustentatione ac stipendiis

Digitized by Google

praesentis vitae jungebat, generaliter dicens: « Fratres et coëpiscopos nostros, quos et captivitatis diversarumque necessitatum angustiae comprimunt, studete consolandos, convivandosque vobiscum in ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere. Non quidem ut per communionem episcopalis throni dignitas dividatur, sed ut ab ecclesia juxta possibilitatem sufficientia debeant alimenta percipere. Si enim et proximum in Deo, et Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris ecclesiis auctoritatem tribuimus, sed tantum vestris solatiis eos contineri summopere hortamur. »

§ **13**. Loca quoque sedium prudentissimus pontifex, acceptâ justâ occasione, mutabat. Unde Joanni episcopo Veliterno scribit, dicens: « Temporis qualitas admonet, episcoporum sedes, antiquitus certis civitatibus constitutas, ad aliae, quae securiora putamus, ejusdem dioecesis loca transponere, quo et habitatores nunc degere, et barbaricum possint periculum facilius declinare. Propterea te Joannem fratrem coëpiscopumque nostrum Veliternensis civitatis, sedemque tuam in locum, qui appellatur Arenata, ad sanctum Andream Apostolum praecipimus exinde transmigrare. Quatenus et ab hostilitatis incursu liberior existere valeas, et illic consuetudinum solemnium festa disponas. » Et notandum quod Gregorius licet monasteria et episcopatus unierit, atque vacantes episcopos vacantibus civitatibus incardinare studuerit, numquam tamen episcopum ab integritate suae ecclesiae, vel ipse in aliam commutavit, vel sub quacumque occasione migrare consensit. Nam postquam Demetrium Neapolitanum episcopum super criminibus manifestis deposuit, cum ab eisdem Neapolitanis incardinari sibi Paulum Nepesinum episcopum magnopere quaereretur, discretissimus Pontifex visitatione civitatis Nepesinae Joanni episcopo delegata, eumdem quidem Paulum visitatorem illis tribuit; Cardinalem vero constituere tam primo dispensatorie distulit, quam postea penitus recusavit. Cui postmodum licentiam revertendi ad suam dioecesim concedens, centum solidos de Neapolitana ecclesia et unum puerulum orphanum, qualem ipsa de familia ejusdem ecclesiae voluisset, dari praecepit.

§ **14**. Aliarum parochiarum clericos sibi, et aliis discretissimus pontifex discretissime indicare curabat. Quapropter Eliae presbytero et Abbati provinciae Isauriae post aliqua scribens: « Filium, inquit, vestrum Epiphanium mandastis, ut ad sacrum ordinem provehere deberemus, vobisque retransmittere: sed in uno vos audivimus, in altero vero minime potuimus. Diaconus quidem factus est, sed quisquis semel in hac ecclesia sacrum ordinem acceperit egrediendi ex ea ulterius licentiam non habet. Si ergo videre vos non potui, hac ex re consolationem habeo, quia in filio vestro requiesco. » Item Maximiano episcopo Syracusano:

Digitized by Google

« Praesentium lator Felix diaconus, cum nullàtenus in haereticorum dogmata lapsus sit, nec a catholica fide discesserit, pravis illectus adversus Constantinopolitanam synodum suspicionibus, in Istricorum se separatione removerat. Qui cum Romam venisset, recepta a nobis, juvante Domino, ratione, excessum suum recepta Dominici corporis et sanguinis communione correxit. Quia ergo, ut dictum est, non in haeresim incidit, sed a sacris generalis Ecclesiae mysteriis quasi recte studio intentionis erravit, imbecillitati ejus atque necessitatibus consulentes, maximeque sustentationi ejus, pietatis intuitu, providentes, in tua Syracusana ecclesia eum praevidimus cardinandum. » Item Cypriano diacono: « Sicut dilectio tua studiose laboravit pro persona fratris et coëpiscopi nostri Joannis, ut in Syracusana ecclesia auctore Deo debuisset ordinari: ita nunc necesse est, ut per dilectionis tuae studia ei quoque regiminis solatia ministrentur. Quemdam enim presbyterum proprium habuisse se perhibet, qui tamen a fratre et coëpiscopo nostro Leone in Catanensi ecclesia dicitur ordinatus. Et quia in novam ecclesiam vadit, et suos illic proprios homines habere necesse est, ut dum causarum tumultibus premitur, in secreto suo inveniat ubi requiescat: praedicto fratri et coëpiscopo nostro Leoni blande et leniter persuadere debes, ut ei praefatum presbyterum cedere debeat, ne, quem tam benignus ad ordinandum cessit, ordinatum destituere fortasse videatur. »

§ **15**. Antiquissimum Ecclesiasticae consuetudinis ordinem Gregorius ab Apostolis tràditum, et ad sua usque tempora solemniter conservatum, adeo studiosissime retinebat, ut nullum quantàlibet sanctitate, sapientiâ, nobilitateve pollèret, anterioribus clericis in conventu, consessu, statione sive subscriptione praeponeret. Unde Januario Caralitano episcopo Epist. scripsit (*quae habetur in L.* 1). Cujus videlicet antiquissimae consuetudinis ordine Gregorius provocatus, defunctorum episcoporum ecclesias pro faciendo inventario, et eligendo legitimae opinionis episcopo, vicinis episcopis commendabat. *Vide Epist.* 19, 26 *et* 27, *L.* 2.

§ **16**. Nulla occasione Gregorius quicquam de donariis sive praediis quarumlibet ecclesiarum patiebatur auferri. Idcirco Maximiano Syracusano episcopo inter alia scribit, dicens: « Charitatem tuam commonere curavimus, ut si quispiam episcoporum de hac luce migraverit, vel, quod absit, pro suis fuerit motus excessibus, convenientibus hierarchicis cunctisque cleri prioribus, atque in sui praesentia inventarium ecclesiae rerum facientibus, omnia quae reperta fuerint, subtiliter describantur: ne, sicut antea fieri dicebatur, species quaedam aut aliud quodlibet de rebus ecclesiae, quasi pro faciendi inventarii labore, tollatur. Sic namque ea quae ad munitionem facultatis pauperum pertinent, desideramus expleri, ut nulla penitus in rebus eorum ambitiosis

Digitized by Google

hominibus venalitatis relinquatur occasio. Visitatores ecclesiarum, clerici quoque eorum qui cum ipsis per non suae civitatis paroecias fatigantur, aliquod laboris sui capiant, te disponente, subsidium. Justum namque est, ut illic consequantur stipendium, quo pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium.» *Lege etiam Epist. L.* 1, 64 *et* 15 *L.* 4. Hinc est quod Gregorius episcoporum neminem ad Urbem fatigare delectans, Maximiano Syracusano episcopo vices suas per Siciliam totam commisit, praecipiens, ut omnes episcopi semel in quinquennio Romam venirent. Unde Cypriano diacono scribens, ait: «Novit dilectio tua hanc olim consuetudinem tenuisse, ut fratres et coëpiscopi nostri Romam semel in triennio de Sicilia convenirent, sed nos eorum labori consulentes, scias constituisse, ut suam hic semel in quinquennio praesentiam exhiberent» etc. Ubi notandum, quia si B. Gregorius xenia quod credi nefas est, anhelaret, non episcoporum adventus a triennio in quinquennium protelaret, immo a triennio in biennium proculdubio festinaret.

§ **17**. Sed quando xenia grate susciperet qui quamvis dispensandas alterius eleemosynas recusare timeret, eas tamen et timendo suscipiebat, et cautissime dispensabat. Qui adeo sua dare, et aliena non accipere consueverat, ut etiam rerum quarumdam pretia penitus refutaret. Unde Eulogio patriarchae Alexandrino inter caetera scribit... *Vide L. 7, Ep.* 29. Non mirum, si liberalissimus pontifex nullas consuetudines a suis suffraganeis, nulla xenia capiebat, quibus ipse, si qua necessaria habere videbantur, satis hilariter ministrabat (*Epist. 54, L. 10 et 46, L. 8*). Tali patrono tunc illius temporis pontifices ampliati, tam novas ecclesias a fundamentis construentes ornare, quam veteres quoque splendidissime renovare coeperunt. Nam Gregorius nihil in suis coëpiscopis magis, quam sanctitatem, sapientiam et liberalitatem, curiosissime quaeritabat. Quod ut significantius elucescat, quasdam epistolarum ejus adhibeo, quarum testimonio lector meus quorumdam Episcoporum vitia reprehensa cognoscat. Ait enim in epistola Secundino servo Dei inter caetera: « Fratrem nostrum Marinianum Episcopum verbis quibus vales, excita, quia eum obdormisse suspicor. Nam venère quidam ad me, in quibus erant quidam senes mendicantes. Qui a me discussi sunt, a quibus quid acceperint: et per singula retulerunt, quanta eis et a quibus in itinere data sunt. Quos dum solicite de praedicto fratre requirerem, quid eis dedisset, responderunt se eum rogasse, sed ab eo nihil accepisse: ita ut neque panem in via acceperint, quod dare omnibus illi ecclesiae semper familiare fuit. Dixerunt enim: Respondit nobis, dicens: Non habeo quod vobis dem: et miror si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet: quod pauperibus debeat dare, non habet. Dic ergo illi, ut cum loco mutet mentem. Non sibi credat solam lectionem et orationem sufficere, ut

remotus studeat sedere, et de manu nihil fructificare. Sed largam manum habeat, necessitatem patientibus occurrat, alienam inopiam suam credat: quia si haec non habet, vacuum episcopi nomen tenet. »

§ **18**. Item Sereno episcopo Massiliensi post aliqua: « * Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus, sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus: fregisse vero reprehendimus. Dic frater, a quo factum sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? Si non aliud, vel illud te debuit revocare, ne despectis aliis fratribus, solum te sanctum esse crederes et sapientem? Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturae historiam, quid sit adorandum, addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis praestat pictura cernentibus. Quia in ipsa ignorantes vident quod sequi debeant: in ipsa legunt qui literas nesciunt. Unde et praecipue gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere a te qui inter gentes habitas, attendi decuerat, ne dum recto zelo incaute succenderis, ferocioribus animis scandalum generares. Frangi ergo non debuit quod non ad adorandum in ecclesiis, sed ad istruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condiisses, sine dubio et ea, quae intendebas, salubriter obtinere, et collectum gregem non dispergere, sed dispersum potius poteras congregare: ut pastoris in te meritum nomen excelleret, non culpa dispersoris incumberet. Hinc autem, dum in hoc animi tui incaute nimis motus exèqueris, ita tuos scandalizasse filios perhibèris, ut maxima eorum pars a tua se communione suspenderet. Quando ergo ad ovile Dominicum errantes oves addùces, qui quas habes, retinere non praevales? Proinde hortamur, ut vel nunc studeas esse solicitus, atque ab hac te praesumptione compescas, et eorum animos, quos a tua disjunctos unitate cognoscis, paterna ad te dulcedine omni annisu omnique studio revocare festines. »

§ **19**. Januario quoque Caralitano Episcopo post aliqua scribit, dicens: «** Inter querelas multiplices Isidorus, vir clarissimus, a te fraternitate tua frustra se excommunicatum anathematizatumque conquestus est. Quod quamobrem factum fuerit, dum a clerico tuo qui praesens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa, nisi pro eo quod te injuriaverat, factum innotuit. Quae res nos vehementer afflixit. Quia si ita est, nil te ostendis de coelestibus cogitare, sed terrenam te conversationem habere significas, dum pro vindicta propriae injuriae quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti. Unde de caetero

* De imaginibus sanctorum pene iconoclastico more confractis Massiliensem Episcopum arguit.
** Episcopum deterret censuras ecclesiasticas ad injuriam sibi illatam ulciscendam adhibentem.

Digitized by Google

omnino esto circumspectus atque solicitus, et talia cuiquam pro defensione injuriae tuae inferre denuo non praesumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum. »

§ **20**. * Omnes omnino pontifices a lectione librorum gentilium Gregorius inhibebat. Quapropter Desiderio Galliarum episcopo, pallium postulanti scribit, inquiens: « Cum multa nobis bona de vestris fuissent studiis nunciata, ita cordi nostro est nata laetitia, ut negare ea quae sibi fraternitas vestra concedenda deposcerat, minime pateremur. Sed post hoc pervenit ad nos quod sine verecundia memorare non possumus, Fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere. Quam rem ita moleste suscepimus, ac sumus vehementius aspernati, ut ea, quae prius dicta fuerant, in gemitum et tristitiam verteremus: quia in uno se ore, cum Jovis laudibus, Christi laudes non capiunt. Et quam grave nefandumque sit episcopis canere quod nec laico religioso conveniat, ipse considera. Nam quamvis dilectissimus filius noster Candidus presbyter postmodum veniens hac de re subtiliter inquisitus negaverit, atque vos conatus fuerit excusare, de nostris tamen adhuc animis non recessit. Quia quanto execrabile est hoc de sacerdote narrari, tanto utrum ita necne sit, districtâ et veraci oportet satisfactione cognosci. Unde si post hoc evidenter haec quae ad nos perlata sunt, falsa esse claruerint, neque vos nugis et secularibus literis studere constiterit, et Deo nostro gratias agemus qui cor vestrum maculari blasphèmis nefandorum laudibus non permisit, et de concedendis quae poscitis, securi jam et sine aliqua dubitatione tractabimus. »

§ **21**. ** Nihilominus Natali Salonitano episcopo scribit, dicens: « Multis ab urbe tua venientibus, frater reverendissime, didici, pastorali curâ derelictâ, solis te conviviis occupatum. Quae audita non crederem, nisi haec actionum tuarum experimentis approbarem. Nam quia lectioni nequaquam studeas, nequaquam exhortationi invigiles, sed ipsum quoque usum ecclesiastici ordinis ignores, hoc est in testimonium quod eis, sub quibus es positus, servare reverentiam, nescis. » Sed cum Natalis per inanem philosophiam scriptis propriis se niteretur inculpabilem demonstrare, mitissimus doctor Gregorius ita rescripsit: « In conviviorum defensione vestra fraternitas Abrahae convivium memorat, in quo, teste sacro eloquio, tres angelos suscepisse perhibetur. Sed hoc exemplum neque nos beatitudinem vestram reprehendimus, si hanc suscipere angelos in hospitalitatem cognoscimus. Rursum narrat tua fraternitas Isaac satiatum, filio benedictionem dedisse. Quae ùtraque veteris Testamenti, quia ita sunt gesta per historiam, ut tamen signarent aliquid per allegoriam: utinam valeamus sic res gestas legendo percurrere, ut possimus etiam

* Episcopum Galliarum de lectione librorum Gentilium corripit.
** Alium Episcopum de negligentia et conviviis reprehendit.

Digitized by Google

gerendas praevidendo sentire. Ille quippe in tribus Angelis unum salutans, Trinitatis subsistentias unius substantiae esse declaravit. Iste vero satiatus benedicit filium, quia qui divinis epulis repletur, illius sensus in prophetiae virtutem extenditur. Divinae autem epulae, sacri eloquii verba sunt. Si igitur assidue legitis, si exemplum ab exterioribus trahentes, interna penetratis, quasi de agri venatione satiati, mentis ventrem repletis: ut anteposito filio, suscepto videlicet populo, possitis ventura nunciare. Sed jam in hoc seculo caligat qui de Deo aliquid prophetat. Quia profecto dignum est, ut hic jam per concupiscentiam minus videat, cujus sensus per intelligentiam intus coruscat. Haec ergo ad vosmetipsos trahite, et si vos tales agnoscitis, nihil est quod de vestra aestimatione dubitetis. Gaudere quoque beatitudinem vestram invenio, si voracis nomen cum rerum auctore sustineat. Quod ego breviter expono, quia si de vobis falsum dicitur, nomen hoc veraciter cum rerum auctore sustinetis. Si vero de vobis verum est quod de illo falsum fuisse quis dubitet, absolvere vos non valet par nomen, quorum dispar est causa. Nam cum eo crucem etiam periturus latro suscepit: sed quem reatus proprius tenuit, par crucifixio non absolvit. Ego tamen quantis valeo precibus deposco, ut sanctissimam fraternitatem vestram auctori nostro Deo non solum nomen, sed etiam causa conjungat. Convivia autem quae ex intentione impendendae charitatis fiunt, recte vestra sanctitas in suis epistolis laudat. Sed tamen sciendum est, quia tunc veraciter ex charitate pròdeunt, cum in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, et non in eis inanes secularium negotiorum fabulae, sed verba sacrae lectionis audiuntur: cum non plus quam necesse est, servitur corpori, sed sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usus exercendae virtutis habeatur. Haec itaque si vos in vestris conviviis agitis, abstinentium (fateor) magistri estis. Quod ergo Pauli Apostoli ad me testimonium posuistis, Qui non manducat, manducantem non judicet: omnino existimo incongruum fuisse. Quia neque ego non còmedo, neque ob hoc a Paulo Apostolo dictum est, ut membra Christi quae in ejus corpore, id est, in Ecclesia sibi charitatis compàge connexa sunt, nullam de se ullo modo curam gerant. Sed si neque ego ad te, neque tu aliquid pertinères ad me, jure tacere compellerer: ut eum non reprehenderem qui emendari non posset. Haec ergo sententia propter eos solummodo dicta est qui illos judicare student, quorum cura sibi commissa non est. At postquam nos auctore Domino unum sumus, si vobis ea, quae corrigenda sunt, tacemus, valde delinquimus. »

§ **22**. Neminem sane pontificum a paroecia sua saltem parumper absque inevitabili prorsus necessitate discedere Gregorius permittebat, quos nimirum in causis mundialibus occupari vehementissime prohibebat. Unde Romano defensori scribit,

dicens: « Perlatum ad nos est, reverendissimum fratrem nostrum Basilium episcopum, velut unum de laicis, in causis secularibus occupari et praetoriis inutiliter obsecundare. Quae res quoniam et ipsum vilem reddit et reverentiam sacerdotalem annihilat, statim ut experientia tua hoc praeceptum susceperit, eum ita ad revertendum districta executione compellat, quatenus ei illic, te insistente, quinque diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat: Ne, si quolibet modo eum ibidem amplius moram habere permiseris, cum ipso apud nos graviter incipias esse culpabilis. » *Item in Epist. 23, L. 5.*

§ **23**. Non mirum, si Gregorius ex ministerio sibi credito, curabat vitia quorumlibet praepositorum verbis salubribus increpare qui lapsum propriae àmitae non dubitaverit ad instructionem populi posterorum memoriae commendare. Siquidem evangelica sententia, qua dicitur, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, volens multorum vocationem a paucorum electione formis exemplorum discernere, pèrhibet dicens: « Pater meus tres sorores habuit quae cunctae, sacrae virgines erant. Quarum una Tharsilla, alia Gordiana, alia Aemiliana dicebatur. Uno omnes ardore conversae, uno eodemque tempore sacratae, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant. Cumque essent diutius in eadem conversatione, coeperunt quotidianis incrementis in amorem conditoris sui Tharsilla et Aemiliana succrescere, et cum solo essent hic corpore, quotidie animo ad aeterna transire. At contra Gordianae animus coepit ab amore caloris intimi per quotidiana detrimenta tepescere et paulisper ad hujus seculi amorem redire. Crebro autem Tharsilla dicere Aemilianae sorori suae cum magno gemitu solebat. Video Gordianam sororem nostram, de nostra sorte non esse. Perpendo enim quia foras defluit, et cor ad quod proposuit, non custodit. Quam curabant blanda quotidie redargutione corripere, atque a levitate morum ad gravitatem sui habitus reformare. Quae quidem resumebat vultum subito gravitatis inter verba correptionis; sed cum ejusdem correptionis hora transisset, transibat protinus et superducta gravitas honestatis, moxque ad levia verba redibat. Puellarum gaudebat societate laicarum, eique persona valde onerosa erat, quaecumque huic mundo dedita non erat. Quadam vero nocte huic Tharsillae amitae meae, quae in inter sorores suas virtute orationis continuae, afflictionis studiosae, abstinentiae singularis, gravitate vitae venerabilis, in honore et culmine sanctitatis excreverat, sicut ipsa narravit, per visionem àtavus meus Felix *, hujus Romanae Ecclesiae Antistes, apparuit, eique mansionem perpetuae claritatis ostendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansione suscipio. Quae subsequenti mox febre correpta, ad diem pervenit extremum. Et sicut nobilibus foeminis

* Obiitur S. Felix Pp. III 25 febr.

Digitized by Google

gerendas praevidendo sentire. Ille quippe in tribus Angelis unum salutans, Trinitatis subsistentias unius substantiae esse declaravit. Iste vero satiatus benedicit filium, quia qui divinis epulis repletur, illius sensus in prophetiae virtutem extenditur. Divinae autem epulae, sacri eloquii verba sunt. Si igitur assidue legitis, si exemplum ab exterioribus trahentes, interna penetratis, quasi de agri venatione satiati, mentis ventrem repletis: ut anteposito filio, suscepto videlicet populo, possitis ventura nunciare. Sed jam in hoc seculo caligat qui de Deo aliquid prophetat. Quia profecto dignum est, ut hic jam per concupiscentiam minus videat, cujus sensus per intelligentiam intus coruscat. Haec ergo ad vosmetipsos trahite, et si vos tales agnoscitis, nihil est quod de vestra aestimatione dubitetis. Gaudere quoque beatitudinem vestram invenio, si voracis nomen cum rerum auctore sustineat. Quod ego breviter expono, quia si de vobis falsum dicitur, nomen hoc veraciter cum rerum auctore sustinetis. Si vero de vobis verum est quod de illo falsum fuisse quis dubitet, absolvere vos non valet par nomen, quorum dispar est causa. Nam cum eo crucem etiam periturus latro suscepit: sed quem reatus proprius tenuit, par crucifixio non absolvit. Ego tamen quantis valeo precibus deposco, ut sanctissimam fraternitatem vestram auctori nostro Deo non solum nomen, sed etiam causa conjungat. Convivia autem quae ex intentione impendendae charitatis fiunt, recte vestra sanctitas in suis epistolis laudat. Sed tamen sciendum est, quia tunc veraciter ex charitate pròdeunt, cum in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, et non in eis inanes secularium negotiorum fabulae, sed verba sacrae lectionis audiuntur: cum non plus quam necesse est, servitur corpori, sed sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usus exercendae virtutis habeatur. Haec itaque si vos in vestris conviviis agitis, abstinentium (fateor) magistri estis. Quod ergo Pauli Apostoli ad me testimonium posuistis, Qui non manducat, manducantem non judicet: omnino existimo incongruum fuisse. Quia neque ego non còmedo, neque ob hoc a Paulo Apostolo dictum est, ut membra Christi quae in ejus corpore, id est, in Ecclesia sibi charitatis compàge connexa sunt, nullam de se ullo modo curam gerant. Sed si neque ego ad te, neque tu aliquid pertinères ad me, jure tacere compellerer: ut eum non reprehenderem qui emendari non posset. Haec ergo sententia propter eos solummodo dicta est qui illos judicare student, quorum cura sibi commissa non est. At postquam nos auctore Domino unum sumus, si vobis ea, quae corrigenda sunt, tacemus, valde delinquimus. »

§ **22**. Neminem sane pontificum a paroecia sua saltem parumper absque inevitabili prorsus necessitate discedere Gregorius permittebat, quos nimirum in causis mundialibus occupari vehementissime prohibebat. Unde Romano defensori scribit,

Digitized by Google

dicens: « Perlatum ad nos est, reverendissimum fratrem nostrum Basillum episcopum, velut unum de laicis, in causis secularibus occupari et praetoriis inutiliter obsecundare. Quae res quoniam et ipsum vilem reddit et reverentiam sacerdotalem annihilat, statim ut experientia tua hoc praeceptum susceperit, eum ita ad revertendum districta executione compellat, quatenus ei illic, te insistente, quinque diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat: Ne, si quolibet modo eum ibìdem amplius moram habere permiseris,' cum ipso apud nos graviter incipias esse culpabilis. » *Item in Epist. 23, L. 5.*

§ **23**. Non mirum, si Gregorius ex ministeriò sibi credito, curabat vitia quorumlibet praepositorum verbis salubribus increpare qui lapsum propriae àmitae non dubitaverit ad instructionem populi posterorum memoriae commendare. Siquidem evangelica sententia, qua dicitur, *Multi sunt vocati, pauci vero electi,* volens multorum vocationem a paucorum electione formis exemplorum discernere, pèrhibet dicens: « Pater meus tres sorores habuit quae cunctae, sacrae virgines erant. Quarum una Tharsilla, alia Gordiana, alia Aemiliana dicebatur. Uno omnes ardore conversae, uno eodemque tempore sacratae, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant. Cumque essent diutius in eadem conversatione, coeperunt quotidianis incrementis in amorem conditoris sui Tharsilla et Aemiliana succrescere, et cum solo essênt hic corpore, quotidie animo ad aeterna transire. At contra Gordianae animus coepit ab amore caloris intimi per quotidiana detrimenta tepescere et paulisper ad hujus seculi amorem redire. Crebro autem Tharsilla dicere Aemilianae sorori suae cum magno gemitu solebat. Video Gordianam sororem nostram, de nostra sorte non esse. Perpendo enim quia foras defluit, et cor ad quod proposuit, non custodit. Quam curabant blanda quotidie redargutione corripere, atque a levitate morum ad gravitatem sui habitus reformare. Quae quidem resumebat vultum subito gravitatis inter verba correptionis; sed cum ejusdem correptionis hora transisset, transibat protinus et superducta gravitas honestatis, moxque ad levia verba redibat. Puellarum gaudebat societate laicarum, eique persona valde onerosa erat, quaecumque huic mundo dedita non erat. Quadam vero nocte huic Tharsillae amitae meae, quae in inter sorores suas virtute orationis continuae, afflictionis studiosae, abstinentiae singularis, gravitate vitae venerabilis, in honore et culmine sanctitatis excreverat, sicut ipsa narravit, per visionem àtavus meus Felix *, hujus Romanae Ecclesiae Antistes, apparuit, eique mansionem perpetuae claritatis ostendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansione suscipio. Quae subsequenti mox febre correpta, ad diem pervenit extremum. Et sicut nobilibus foeminis

* Obiitur S. Felix Pp. III 25 febr.

virisque morientibus multi conveniunt qui eorum proximos consolentur: eàdem horâ, ejus exitum praestolantes, viri ac foeminae lectulum circumsteterunt, inter quas mater quoque mea adfuit. Cum subito sursum illa respiciens, Jesum venientem vidit et cum magna animadversione coepit circumstantibus clamare, dicens: Recèdite, recèdite, Jesus venit. Cumque in eum intenderet quem videbat, sancta illa anima carne soluta est. Tàntaque subito fragrantia miri odoris aspersa est, ut ipsa quoque suavitas cunctis ostenderet, illic auctorem suavitatis venisse. Cumque corpus ejus ex more mortuorum ad lavandum esset nudatum, longae orationis usu, in cubitis ejus et genibus camelorum more inventa est obdurata cutis excrevisse: et quid vivens ejus spiritus semper egerit, mortua caro testabatur. Haec autem gesta sunt ante Dominici Natalis diem. Quo transacto, mox Aemilianae sorori suae per visionem nocturnae visitationis apparuit, dicens: Veni, ut quia Natalem Dominicum sine te feci, sanctam Theophaniam jam tecum faciam. Cui illa pròtinus, de Gordianae sororis suae salute solicita, respondit: Et si sola venio, Gordianam sororem nostram cui dimitto? Cui tristi vultu iterum dixit: Veni. Gordiana etenim soror nostra inter laicas deputata est. Quam visionem mox molestia corporis est secuta, atque ita, ut dictum fuerat, ante Dominicae apparitionis diem, eàdem molestiâ ingravescente, defuncta est. Gordiana autem mox ut solam remansisse se rèperit, ejus pràvitas excrèvit: et quod prius latuit in desiderio cogitationis, hoc post effectu pravae actionis exercuit Nam oblìta Dominici timoris, oblita pudoris et reverentiae oblita consecrationis, conductorem postmodum agrorum suorum maritum duxit. Ecce omnes tres uno prius ardore conversae sunt, sed non omnes in uno eodemque studio permanserunt: quia, juxta Dominicam vocem: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*» (*Hom. 38 in Evang.*).

§ 21. Notandum sane quia sicut manifesta crimina discretissimus praesul Gregorius aut vix, aut numquam sine vindicta laxabat: ita nimirum in rebus dubiis numquam aliquando certam sententiam proferebat. Quapropter Andreae Tarentino episcopo scribit, dicens: « Tribùnal judicis aeterni securus aspiciet, quisquis reatus sui conscius, dignâ eum modo placare poenitentiâ contendit. Habuisse te siquidem concubinam, manifesta veritate compèrimus. De qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse judicium, hoc tuae conscientiae eligimus committendum. Qua de re si in sacro ordine constitutus ejus te permixtione esse rècolis maculatum, sacerdotii honore deposito, ad ministrandum nullo modo praesùmas accedere, sciturus in animae tuae periculum ministrare et Deo nostro te sine dubio reddere rationem, si hujus sceleris conscius, in eo quo es ordine, celans veritatem, permanere

Digitized by Google

volùeris. » Ob hoc solicitissimus Ecclesiae Dei custos Gregorius, uniuscujusque consiliarios arguens, quantum in se erat, omnes omnino salvare certabat *. Unde Venantio ex monacho patritio, post aliqua scribens, ait: « Scio quia cum epistola mea suscipitur, protinus amici conveniunt, literati clientes vocantur et de causa vitae consilium a fautoribus mortis quaeritur. Qui dum non te, sed res tuas diligunt, nulla tibi, nisi quae ad tempus placeant, loquuntur. Tales etiam fuere, sicut ipse reminìsceris, dudum consiliarii qui te ad tanti facinus perduxere delicti. Et ut tibi aliquid secularis auctoris loquar, cum amicis omnia tractanda sunt, sed prius de ipsis. Si vero in causa tua hominem consiliarium quaeris, consiliarium me, rogo, suscipe. Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest, quam qui non tua, sed te diligit ». Item Joanni Constantinopolitanae ecclesiae episcopo post nonnulla : « Ego beatissimo viro domino Joanni rescripseram: sed credo, quia mihi familiaris vester ille juvenculus rescripsit qui adhuc de Deo nihil didicit, qui viscera charitatis nescit, qui in coelestibus rebus ab omnibus accusatur, qui insidiari quotidie diversorum mortibus per occulta testamenta nec Deum metuit, nec homines erubescit. Mihi crede, frater reverendissime, si zelum veritatis perfecte habes, ipsum prius debes corrigere : ut ex his qui vobis vicini sunt, etiam hi qui vicini non sunt, exemplo melius emendentur. Illius linguam noli recipere. Ille ad consilium vestrae sanctitatis debet dìrigi, non autem vestra sanctitas ad verba illius inflecti. Si enim illum audit, scio quia pacem cum suis fratribus habere non poterit.» (*Et item Epist 1, L. 7*).

§ **25**. Item Sereno Massilitano episcopo post multa: « Pervenit ad nos quod dilectio tua libenter malos homines in societate vel consilio suo recipiat: adeo ut presbyterum quemdam qui postquam lapsus est et in suae adhuc dicitur iniquitatis pollutione versari, familiarem habeat. Quod quidem nos ex toto non credimus, quia qui talem recipit, scelera non corrigit, sed magis aliis talia perpetrandi videtur dare licentiam. Sed ne forte aliqua tibi subreptione vel dissimulatione, ut a te reciperetur atque adhuc haberetur gratus, suaserit, non solum hunc a te longius expellere, verum etiam excessus ipsius sacerdotali te zelo modis omnibus convenit resecare. Alios vero qui pravi esse memorantur, paterna adhortatione a sua pravitate compescere et ad viam stude rectitudinis revocare. Quod si, quod absit, sàlubri monitu eos videris in illo proficere, et hos quoque curabis a te procul abjicere, ne pravitates eorum ex eo quod recipiuntur, displicere minime videantur: et non solum ipsi inemendati remaneant, sed etiam eorum receptione alii corrumpantur. Et considera quam et hominibus execrabile et periculosum ante Dei sit oculos, si per

* **A pravis consiliariis, et qui sint docet, Praesules admonet abstinere.**

Digitized by Google

eum, a quo plectenda sunt crimina, nutriri vitia videantur. Haec igitur dilectissime frater diligenter attende, et ita agere stude, ut pravos salubriter corrigas et scandalum de malorum societate filiorum tuorum animis non inducas.»

§ 26. Pro unius culpa vindicari alium rectissimus judex Gregorius minime permittebat. Ideoque Godescalco Duci Campaniae scribens, ait: « * Illa praepositorum solicitudo utilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit et furor sibi nil vendicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, nec quicquam agendum, priusquam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore justum omne putat ira quod fecerit. Pervenit itaque ad nos, magnitudinem tuam usque ad hoc esse impetu furoris impulsam, ut non solum frangi januas monasterii sancti Archangeli, verum etiam diripi exinde quod ibi inventum est, feceris. Insuper autem sic contra Abbatem ejusdem monasterii diceris exarsisse, ut nisi occultans se, iracundiae tuae tempore latuisset, non leve discrimen incurreret. Denique ut metu tuo perterritus, de domo, in qua olim se receperat, exire nuncusque non audeat. Quod ne frustra fecisse forsitan videreris, fugam monachi ipsius qui ad hostes abiit, ad ejus, quantum ad nos perlatum est, crimen impingis, asserens quod illius voluntate fugerit. Quod si ita est, contristamur et valde vestram sapientiam miramur. Nam si licitum putatis, ut aliorum culpa alii sit nociva, multi huic possunt crimini subjacere. Diversorum enim nobilium servi, multarum ecclesiarum clerici, diversorum monasteriorum monachi, multorum judicum homines, saepe se hostibus tradiderunt. Ergo si hoc creditur, servorum utique domini, clericorum episcopi, monachorum Abbates, diversorum fugacium judices, omnes sub culpa sunt et crimine constituti. Numquid et diebus magnitudinis tuae multi de civitate in qua consistis, ad Longobardorum milites fugâ non lapsi sunt? Et quis tantae indiscretionis, tantaeque possit stultitiae reperiri, ut eorum iniquitatem tibi aestimet applicandam?»

§ 27. Libertatem uniuscujusque hominis Gregorius contra judicum insolentias, liberis vocibus nihilominus similiter defendebat. Unde Leontio exconsuli post aliqua scribens, ait: « Si Libertinus in ista causa cautionis culpabilis invenitur, de aliis causis quid pro se alleget, nescio. Unum tamen hoc bene atque constanter novi, quia et si quam rebus publicis fraudem fecit, substantia ejus caedi debuit, non libertas. Nam in hoc, quod liberi homines caeduntur vel includuntur, ut taceam, quod omnipotens Deus offenditur: ut taceam, quod vestra opinio vehementer gravatur, piissimi tamen Imperatoris nostri omnino tempora fuscantur. Hoc enim inter Reges gentium, et Imperatorem Romanorum distat, quia reges gentium, domini servorum sunt.

* Ne qui praesunt, ex ira, culpam alicujus alteri nocivam reddant.

Imperator vero Romanorum, dominus liberorum. Unde et vos quicquid agitis, prius quidem servatâ justitiâ, deinde custoditâ per omnia libertate agere debetis. Scriptum est enim: *Quod tibi non vis fieri, vide ne alteri facias* (*Ex Tobiae* IV, 16). Et per semetipsam Veritas dicit: *Quae vultis, ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis* (*Matth.* VII). In libertate ergo eorum, qui vobis in discussione commissi sunt, vestram specialiter attendere debetis: et si ipsi a Majoribus vestris injuriari libertatem vestram non vultis, subjectorum vestrorum libertatem honorando custodite. Scimus enim qui dixit: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XXIV). Cujus quia verba non transeunt, sed per omnia implentur, metuamus quod iterum dicit: *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis* (*Matth.* VII). Quid autem gloria vestra existimat, quia si superbe, si crudeliter agimus, despecto Deo, nobis hominem placamus? Nullo modo. Nam ipse qui despicitur, eum contra nos, quem despecto Deo placare volumus, irrìtat. Curemus ergo per omnia placare Deum, qui potens est et iratos homines ad mansuetudinem reducere. Nam, sicut dixi, etiam mansueti homines, indignante Deo, ad iracundiam provocantur. Si autem dicitur, quia sine verberibus atque terroribus fraudes publicae inveniri non possunt: hoc admittere poteram, si in ratiociniorum causa dominus Leontius non venisset. Nam verum etiam est, quia illi solent manibus excedere, qui in sensu et lingua deficiunt » *.

§ **28**. Cunctorum judicum cupiditates vel scelera Gregorius quasi camo frenoque, pontificii sui validissimis auctoritatibus restringebat: et si quos dulciter a pravitate corrigere non valebat, scriptorum suorum redargutionibus publicabat. Unde Romano Exarcho Italiae residenti Ravennae scribit, inquiens: « Apud excellentiam vestram pravorum audacia correptionis debet aculeos magis, quam defensionis invenire solatium. Nam satis grave est illic habere pravam ut contingat actionem refugium, unde disciplinae decet prodire censuram. Pervenit itaque ad nos, Speciosum quemdam presbyterum, qui causâ poscente in monasterio a Joanne fratre et coëpiscopo nostro fuerat deputatus, contra sui pastoris exinde voluntatem exisse, et Ecclesiasticae constitutionis vigore despecto, antedicto episcopo, vestra fretum tuitione, resistere. Quod quia excellentiae vestrae sine dubio pulsat invidiam, necesse est, ut ab ejus vos, habita discretione, debeatis tuitione suspendere: ne si nominis vestri occasione pastori suo inobediens vel contumax fuerit, ad tempus et vestros contra vos judices defensare, atque excellentiam vestram hac ex re cogatur offendere, et nos pariter de vestra discordia contristari. Compèrimus

* **Hac Epist. Greg. liberos homines verberari, et levibus de caussis libertate vetat privari. Sequenti autem potestatem saecularem graviter arguit, ansam rebellibus Episcopo suo Clericis praebentem. Nota etiam charitatem eximiam cum severitate reprehensionis in Epist. § 29.**

etiam, quod dici nefas est, quasdam mulieres, quae nuncusque in religioso atque monachico habitu permansere, religiosam vestem deponere, et conjugibus, quod sine gravi referre dolore non possumus, sociari. Sed hoc quidem ut dicere vel attentare praesumant, favoris vestri patrocinio fulciri dicuntur. Quod nos credere, perversitatis ipsius acerbitas non permittit. Pètimus ergo, ut in tanto vos peccato miscère nullàtenus debeatis. Nam hujusmodi iniquitatem impunitam propter Deum nullo modo pàtimur remanere. Unde iterum quaesumus, ut excellentia vestra in talium causarum se defensione non misceat, ne et Deus suam defendat injuriam, et inter nos aliorum pariat culpa discordiam. »

§ **29**. Item Venantio ex monacho patricio: « Multi homines stulti putavere, quod si ad ordinem episcopatus evèherer, te alloqui ac per epistolas frequentare recusarem. Sed non ita est: Quia ipsa jam loci mei necessitate compellor, ut tacere non debeam.» Et post pauca: «Hac igitur consideratione compulsus, velis nolis, locuturus sum. Quia omni virtute, aut te cupio salvari, aut de tua morte me èripi. In quo enim habitu fueris, rècolis, et supernae districtionis animadversione postposita, ad quid sis delapsus, agnoscis. Culpam ergo tuam pensa dum vacat. Districtionem futuri judicis, dum vales, exhorresce: ne tunc illam amaram sentias, cum eam jam nullis fletibus evadas. Et infra: Teste evangelio scis quia divina severitas de otioso sermone nos arguit, et de verbo inutili rationes subtiliter exquirit. Pensa ergo, quid factura est de perverso opere, si quosdam in judicio suo rèprobat de sermone. Ananias Deo pecunias voverat, quas post, diabolica victus persuasione, subtraxit. Sed qua morte mulctatus est, sapis. Si ille igitur mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat, nummos Deo abstulit: considera quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum omnipotenti Deo, cui te sub monachico habitu devoveras, subtraxisti. Quapropter si correctionis meae verba secuturus audieris, quam sint blanda et dulcia, in fine cognosces. Ecce fateor, moerens loquor, et facti tui tristitià adductus, edere verba vix valeo. Et tamen animus tuus actionis suae conscius, vix sufficit ferre, quod audit, erubescit, confunditur, aversatur. Si ergo ferre non valet verba pulveris, quid facturus est ad judicium Conditoris? Fateor tamen, quia supernae gratiae esse misericordiam maximam credo, quod te effugere vitam conspicit, et tamen adhuc ad vitam reservat: Quod superbientem te videt, et tolerat. »

§ **30**. Cumque Venantius, in eàdem apostasia permanens, obortis quibusdam simultatibus, oblationes suas a Joanne Syracusano episcopo execratas cognosceret, contra episcopum hostili more commotus est, eumque non timuit Gregorio accusare. Cui

ipse rescribit, dicens: « Multum nos ea, quam direxistis, jam nos contristatos invenit epistola, quod inter vos et Joannem fratrem et coëpiscopum nostrum, de quorum desiderabamus gaudere concordia, scandalum prodiisse cognovimus. Quaevis enim causa fuisset, non usque ad hoc debuit furor erumpere, ut armati homines vestri, sicut audivimus, in episcopum irruerent, et diversa hostili more mala committerent, atque vos haec res a paterna interim charitate divideret. Numquid non poterat, si quaelibet contentio fuit, tranquille disponi, ut nec partium utilitas detrimentum, nec sentiret gratia laesionem? Cujus autem gravitatis, cujus sanctitatis, cujus mansuetudinis suprascriptus frater noster sit, non habemus incognitum. Ex qua recolligimus, quia nisi vis eum doloris nimia coëgisset, ad hanc rem, de qua vos contristatos asseritis, ejus fraternitas nullo modo pervenisset. Nos tamen, ubi hoc eo scribente comperimus, ilico ei scripsimus, admonentes, ut et oblationes vestras, sicut ante, susciperet, et Missas in domo vestra non solum celebrari permitteret, sed si velitis, etiam ipse perageret, etc. » Verum Venantius cum episcopo in concordiam rediens, cum per undecim annos a Gregorio multiplicibus litteris exhortatus, redire ad monachicum propositum detrectaret, in gravissimam aegritudinem cècidit. Quod a Joanne Syracusano episcopo Gregorius audiens, rescripsit, dicens: « Fraternitatis vestrae scripta suscepi, quae mihi de dulcissimi filii mei domini Venantii aegritudine loquebantur, et cuncta erga eum qualiter acta sunt, enarrabant. Sed uno tempore auditis, et illum desperate ac graviter aegrotare, et in rebus orphanorum, filiorum scilicet ejus homines iniquos insistere, vix se in corde meo dolor capere poterat. Sed in hoc solatium fuit, quod lacrymae mihi per gemitus erumpebant. Vestra igitur sanctitas primam, quam decet, curam negligere non debet, ut de anima ejus cogitare debeat exhortando, rogando, Dei terribile judicium proponendo, ineffabilem ejus misericordiam promittendo, ut ad habitum suum redire vel in extremis debeat, ne ei reatus tantae culpae in aeterno judicio obsistat.

§ **31**. Si quos tamen judicum a suis pravitatibus inconvertibiles Gregorius advertebat, eos scriptis propriis penes principes denotabat. Unde Constantiae Augustae queritur, dicens: « Dum in Sardinia insula multos esse gentilium cognovissem, eosque adhuc pravae gentilitatis more idolorum sacrificiis deservire, et ejusdem insulae sacerdotes ad praedicandum Redemptorem nostrum torpentes existerent, unum illuc ex Italiae episcopis misi, qui multos gentilium ad fidem, Domino cooperante, perduxit. Sed quidam rem mihi sacrilegam nunciavit, quia hi, qui in ea idolis immolant, judici praemium persolvunt, ut hoc eis facere liceat. Quorum dum quidam baptizati essent, et immolare jam idolis desiissent, adhuc ab eodem insulae judice etiam post

Digitized by Google

baptismum, illud praemium exigitur, quod dari prius pro idolorum immolatione consueverat. Quem cum praedictus episcopus increparet, tantum se suffragium promisisse respondit, ut nisi de causis etiam talibus impleri non possit. Corsica vero insula tanta nimietate exigentium, et gravamine prèmitur exactionum, ut ipsi, qui in illa sunt, èadem quae exiguntur, complere vix filios suos vendendo sufficiant. Unde fit, ut derelictâ piâ republicâ, possessores ejusdem insulae ad nefandissimam Longobardorum gentem cogantur effugere. Quid enim gravius, quid crudelius pati possunt a barbaris, quam ut constricti atque compressi suos vendere filios compellantur? In Sicilia autem insula Stephanus quidam marinarum partium chartularius tanta praejudicia, tantasque oppressiones operari dicitur, invadendo loca singulorum, atque sine dictione causarum per possessiones ac domos titulos ponendo, ut si velim acta ejus singula, quae ad me pervenere, dicere, magno volumine haec explere non possim. Quae omnia serenissima Domina solerter aspiciat, et oppressorum gemitus compescat. » Et post pauca: « Quae enim mentes, qualia viscera parentum esse possunt perpendite, quando filios suos distrahunt, ne torqueantur. Qualiter autem miserendum sit filiis aliorum, hoc bene sciunt, qui habent proprios. Unde mihi haec breviter suggessisse sufficiat, ne si ea, quae in his partibus aguntur, pietas vestra non cognosceret, me apud districtum judicem silentii mei culpa mulctaret. »

§ 32. Hinc est, quod hujus Gregorii tempore tot sacerdotes et laici per diversas regiones miraculis coruscasse, Dialogo teste, probantur, quot numquam sub posterioribus pontificibus inveniri postea potuerunt. Tantis igitur Ecclesiae Dei felicitatibus hostis humani generis invidens, nonnullos pontificum, simulque secularium judicium ad ejus invidiam conflagravit. Super quorum afflictione Joanni Ravennati episcopo inter caetera queritur, dicens: « Peccatis hoc meis rèputo, quia iste, qui nunc interest (haud dubium, quia Romanus Exarchus) et repugnare contra inimicos nostros dissimulat, et nos facere pacem vetat: Quamvis jam modo, etiam si velit, facere omnino non possumus: quia Ariulfus exercitum Avarith et Nodulfi habens, eorum sibi dari precario desiderat, ut nobiscum loqui aliquid de pace dignetur. » Item Sebastiano episcopo Sirmiensi post aliqua: « Quae sanctissime frater de amici vestri domini Romani persona in hac terra pàtimur, loqui minime valeamus. Breviter tamen dico, quia ejus in nos malitia gladios Longobardorum vincit: ita ut benigniores videantur hostes, qui nos intèrimunt, quam reipublicae judices, qui nos malitia sua rapinis atque fallaciis in cogitatione consùmunt, et uno tempore curam episcoporum atque clericorum monasteriorum quoque et populi gerere, contra hostium insidias solicitum vigilare, contra ducum fallacias atque malitias suspectum semper

Digitized by Google

existere, cujus laboris sit, cujus doloris sit, vestra fraternitas tanto verius pensat quanto me, qui haec patior purius amat. » Item Anastasio Patriarchae post multa: « Quae mala a barbarorum gladiis, quae a perversitate judicium pàtimur, beatitudini vestrae narrare refugio: ne ejus gemitum augeam, quem minuere consolando debueram. » Item Palladio presbytero de monte Sina post plurima: « Peto ut pro me orare debeas, quatenus omnipotens Deus, et a malis me spiritibus, et a perversis hominibus custodire dignetur. Quia in hac vitae meae peregrinatione mala me simul et multa circumdant: ita ut cum Psalmista jure dicam: *In me transierunt irae tuae, et terroris tui conturbaverunt me. Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul* » (*Ps.* 87).

§ **33**. * Porro Mauritio, tunc avarissimo simulque rapacissimo principi, suggestionibus inimicorum suorum funestissimam legem ferenti, ut nulli militum, qui videlicet in manu signatus fuisset, converti liceret, inter caetera sic respondit: « Ad hoc potestas super omnes homines pietati dominorum meorum coelitus data est, ut qui bona appetunt, adjuventur, ut coelorum via largius pateat, ut terrestre regnum coelesti regno famuletur. Et ecce aperta voce dicitur, ut ei, qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expletâ militiâ, aut pro debilitate corporis repulsus, Christo militare non liceat. Ad haec ecce per me servum ultimum suum et vestrum respondet Christus, dicens: Ego te de notario comitem excubitorum, de comite Caesarem, de Caesare Imperatorem, et non solum hoc, sed etiam patrem Imperatorum feci. Sacerdotes meos tuae manui commisi, et tu a meo servitio milites tuos subtrahis? Responde, rogo, piissime Domine, servo tuo, quid venienti et haec dicenti responsurus es in judicio Domino tuo? » Et post pauca: « Requirat ergo dominus meus, quis prior Imperator talem legem dederit, et subtilius aestimet, si dari debuerit. » Item Theodoro medico post aliqua: « Peccatis, inquit, meis facientibus, ex quorum suggestione vel consilio nescio, talem in republica sua legem protulit Imperator, ut nullus, qui actionem publicam egit, nullus qui optio, vel manu signatus vel inter milites habitus est, ei in monasterio converti liceat, nisi forte militia ejus fuerit expleta. Quam legem primum, sicut hi dicunt, qui leges veteres novère Julianus pròtulit. De quo scimus omnes, quantum Deo adversus fuerit. »

§ **34**. Confortabat insaniam judicum sive fovebat Joannes, tunc ex monacho regiae urbis antistes, qui eo tempore, quo Gregorius a Pelagio praesule destinatus apocrisarius, penes Constantinopolim morabatur, fugere se summum sacerdotium quasi humiliter finxit. Sed eo suscepto, usque adeo in superbiam dolosae mentis excrevit, ut ex causa alia occasiones quaerens, synodum faceret,

* **Mauritio Imperatori pessimam legem ferenti viriliter contradicit.**

Digitized by Google

in qua se *Universalem* appellare conatus est *. Quod mox Papa Pelagius ut agnovit, directis epistolis ex auctoritate sancti Petri apostoli, ejusdem synodi acta cassavit: diaconum vero qui juxta morem pro responsis Ecclesiasticis faciendis Imperatoribus adhaerebat, cum eo Missarum solemnia celebrare prohibuit. Cujus sententiam beatus quoque Gregorius sequens, praedictum Joannem saepe commonitum acquiescere differentem, sententiâ pari mulctaverat, omnibusque pontificibus sub interminatione proprii honoris mandaverat, ne unquam Universalis profanum vocabulum aut scriberent, aut scriptum susciperent, aut ubi fuisset scriptum, subscriberent. Quaproter Joannes, multis fallaciis ad suam hypòcrisim consensum avarissimi Imperatoris rèdimens, obtinuit, ut Imperator Gregorio scriberet, quod sibi pacificus existeret.

§ **35**. ** Quaproter ipse Imperatrici Constantiae inter alia scripsit, dicens: « Sabiniano diacono responsali meo scribente cognovi, in causis beati Petri apostolorum principis contra quosdam superbe, humiles, ficte blandos, quantâ se justitiâ vestra serenitas impendat. Unde adhuc peto, ut nullius praevalere contra veritatem hypocrisim permittatis. Quia sunt quidam, qui juxta egregii praedicatoris vocem, per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. Qui veste quidem despecti sunt, sed corde tument: et quasi in hoc mundo cuncta despiciunt, sed tamen ea quae mundi sunt, cuncta simul adipisci quaerunt. Qui indignos se hominibus fatentur, sed privatis vocabulis contenti esse non possunt: quia illud appetunt, unde omnibus digniores esse videantur. » Et post pauca: « Praeterea indico, quia piissimi Domini scripta suscepi, ut fratri et consacerdoti meo Joanni debeam esse pacificus. Et quidem sic religiosum dominum decuit, ut sacerdoti ista praeciperet. Sed cum se novâ praesumptione atque superbiâ idem frater meus *Universalem* episcopum appellet, ita ut sanctae memoriae decessoris mei tempore adscribi se in synodo tali hoc superbo vocabulo faceret, quamvis cuncta illius synodi, Sede Apostolica contradicente, soluta sint: triste mihi aliquid serenissimus dominus innuit, quod non eum corripuit qui superbit, sed me potius ab intentione mea declinare voluit, qui, in hac causa, Evangeliorum et Canonum statuta humilitatis atque rectitudinis virtute defendo. Qua in re a praedicto fratre et consacerdote meo, contra Evangelicam sententiam, contra beatum quoque Petrum Apostolum, et contra omnes Ecclesias canonumque statuta agitur. Sed est omnipotens Deus, in cujus manus sunt omnia, de quo scriptum est: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI). Et quidem saepefatus sanctissimus frater serenissimo domino multa suadere

* De hypocrisi et superbia Constantinopolit. Archiepiscopi *Universalem* se appellantis. Eum inferius Lucifero comparat.
** Augustales litteras pro eo supplicantes refellit.

Digitized by Google

conatur: sed bene novi, quia tantae illae orationes ejus et lacrymae, nil ei a quoquam contra rationen aut animam suam subripi permittunt. Triste tamen valde est, ut patienter feratur, quàtenus despectis omnibus, praedictus frater et coëpiscopus meus, solus conetur appellari episcopus. Sed in hac ejus superbia quid aliud, nisi propinqua jam Antichristi esse tempora designantur? Quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens: *Super astra coeli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (*Is.* XIV). Unde per omnipotentem Dominum rogo, ne pietatis vestrae tempora permittatis unius hominis elatione maculari, neque tam perverso vocabulo ullum quoquo modo praebeatis assensum. Atque in hac causa nequaquam me pietas vestra despiciat: quia etsi peccata Gregorii tanta sunt, ut pati talia debeat, Petri Apostoli peccata nulla sunt, ut vestris temporibus pati talia mereantur. Unde iterum atque iterum per omnipotentem Dominum rogo, ut sicut priores principes sancti Petri Apostoli gratiam quaesierunt, vos quoque hanc vobis et quaerere et servare curetis: et propter peccata nostra, qui ei indigne servimus, ejus apud vos honor nullàtenus minuatur: qui et modo vobis adjutor esse in omnibus, et postmodum vestra valeat peccata dimittere. Viginti autem jam et septem annos ducimus, quod in hac Urbe inter Longobardorum gladios vivimus. Quibus quam multa ab hac Ecclesia quotidianis diebus erogentur, ut inter eos vivere possìmus, suggerenda non sunt. Sed breviter indico, quia sicut in Ravennae partibus Dominorum pietas apud primum exercitum Italiae sacellarium habet, qui causis supervenientibus quotidianas expensas faciat: ita et in hac Urbe in causis talibus eorum sacellarius ego sum. Et tamen haec Ecclesia, quae uno eodemque tempore clericis, monasteriis, pauperibus, populo atque insuper Longobardis tam multa indesinenter expendit, ecce adhuc ex omnium ecclesiarum afflictione premitur: quae de unius hominis superbia multum gemunt, et si dicere nil praesumunt. »

§ **36**. Avarissimo quoque principi Gregorius voce liberâ contradicit, post aliqua scribens: « Ecce claves regni cöelestis haud dubium, quin Petrus accepit. Potestas ei ligandi atque solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiae et principatus committitur, et tamen Universalis Apostolus non vocatur: et vir sanctissimus, consacerdos meus Joannes, vocari *Universalis* Episcopus conatur. Exclamare compellor et dicere: O tempora, o mores. Ecce cuncta in Europae partibus barbarorum juri sunt tradita, destructae urbes, eversa castra, depopulatae provinciae. Nullus terram cultor inhabitat, saeviunt et dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolorum, et tamen sacerdotes qui in pavimento et

Digitized by Google

cinere flentes jacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt, et novis ac profanis vocabulis gloriantur. Numquid ego in hac re, piissime Domine, causam propriam defendo? Numquid specialem injuriam vindico? Causam omnipotentis Dei ago, causam universalis Ecclesiae quaero. Quis iste est qui contra statuta evangelica, contra canonum decreta novum sibi nomen usurpare praesumit? Utinam vel sine imminutione unus sit qui esse appetit universus. Et certe multos Constantinopolitanae ecclesiae in haereseos voraginem cecidisse novimus sacerdotes, et non solum haereticos, sed etiam haeresiarchas factos. Inde quippe Nestorius, qui mediatorem Dei et hominum Christum Jesum duas esse personas existimans, quia Deum hominem fieri potuisse non credidit, usque ad Judaicam perfidiam erùpit. Inde Macedonius qui consubstantialem Patri et Filio Spiritum Sanctum, Deum esse denegavit. Si igitur illud nomen in ea ecclesia sibi quisquam arripit, unde tot haeresiarchae prodisse noscuntur, universa ergo Ecclesia quod absit, a statu suo corruit, quando is qui appellatur *Universalis*, cadit. Sed absit a Christianis cordibus nomen istud blasphemiae, in quo omnium sacerdotum honor adìmitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur. Certe pro beati Petri Apostolorum principis honore, per venerandam Chalcedonensem synodum Romano pontifici oblatum est *: sed nullus eorum unquam hoc singularitatis nomine uti consensit, ne dum privatim aliquid daretur uni, honore debito sacerdotes privarentur universi. Quid est ergo quod nos hujus vocabuli gloriam et oblatam non quaerimus, et alter sibi, hanc arripere etiam non oblatam praesumit? Ille ergo magis est piissimorum dominorum praeceptione flectendus qui praeceptis canonicis obedientiam praebere contemnit. Ille coërcendus est qui sanctae universalis Ecclesiae injuriam facit qui corde tumet qui gaudere de nomine singularitatis appetit qui honori quoque Imperii vestri se per privatum vocabulum superponit. Ecce omnes hac de re scandalum patimur. Ad viam igitur rectam revertatur auctor scandali, et omnia sacerdotum jurgia cessabunt. Ego enim cunctorum sacerdotum servus sum, inquantum ipsi sacerdotaliter vivunt. Nam qui contra omnipotentem Deum per inanis gloriae tumorem, atque contra statuta patrum suam cervicem èrigit, in omnipotente Domino confido, quia meam sibi nec cum gladiis flectet. Quid autem nuper in hac Urbe ex hujus vocabuli auditu gestum sit, Sabiniano diacono ac responsali meo subtilius indicavi **. »

§ **37**. Item : « Certe olim clàmatur per Apostolum : Filioli, novissima hora est : et, secundum quod veritas praedicit. Pestilentia et gladius per mundum saevit, gentes insurgunt gentibus, terra concutitur, orbis cum habitatoribus suis, terra dehiscente,

* *Universalis* a Chalcedonensi Concilio dictus est unus Romanus Pontifex.
** Vide aliam eidem Joanni Epist. quae ab hujus Vitae scriptore notatur 31 Libri 4.

sorbetur, omnia quae praedicta sunt, fiunt. Rex superbiae prope est: et quod dici nefas est, sacerdotum ei praeparatur exercitus: quia cervici militant elationis qui positi fuerant ut ducatum praeberent humilitatis. Sed hac in re etiam si nostra lingua minime contradicat, illius virtus contra elationem in ultionem erigitur qui superbiae vitio per semetipsum specialiter adversatur. Et infra: Considerare nos convenit, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam coinquinentur multi. Quod tamen si nos considerare negligimus, contra tantae elationi tumorem judicia superna vigilabunt. » Item eidem in alia epistola post multa: « Sed etiam nunc dico: aut easdem personas, videlicet Joannem Chalcedonensem, et Athanasium Isauriae presbyteros, in suis ordinibus suscipe, ejusque quietem praebe. Aut si hoc fortasse nolùeris, omni altercatione postposita, de eorum causa, statuta majorum aut canonum terminos custodi. Si vero neutrum feceris, nos quidem rixam inferre nolumus, sed tamen venientem a vobis non devitamus. Quid autem de episcopis qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene fraternitas vestra novit. Pastores etenim facti sumus, non percussores. Et egregius praedicator dicit: *Argue, obsecra, increpa, cum omni patientia et doctrina* (2 *Tim.* IV). Nova vero atque inaudita est ista praedicatio quae verberibus exigit fidem. »

§ **38**. Item Aniano Diacono Constantinopolitano: «De causa fratris nostri, viri reverendissimi Joannis episcopi Constantinopolitani, duas epistolas facere nolui: sed una breviter facta est quae utrumque habere videretur admixtum, id est, et rectitudinem, et blandimentum. Tua itaque dilectio eam epistolam, quam nunc direxi pro voluntate Imperatoris, ei dare studeat. Nam de subsequenti talis alia transmittetur, de qua ejus superbia non laetetur. Ad hoc enim usque pervenit, ut sub occasione presbyteri Joannis gesta huc transmitteret, in quibus se pene per omnem versum oecumenicum patriarcham nominaret. Sed spero in omnipotentem Deum, quia hypocrisin illius superna majestas dissolvet *. Miror autem quod dilectionem tuam fallere potuit, ut permitteres domino Imperatori persuaderi, quàtenus ad me sua scripta de hac causa transmitteret, in quibus admoneret, ut cum eo pacem habere debuissem. Qui si justitiam tenere vult, illum debuit admonere, ut se a superbo vocabulo compesceret, et protinus inter nos fieret pax. Tamen qua calliditate a praedicto fratre nostro Joanne factum sit, ut suspicor, minime pensastis. Idcirco enim hoc ille fecit, ut aut audiretur dominus Imperator, et ille in sua vanitate confirmatus esse videretur: aut non a me audiretur, et ejus animus contra me irritaretur. Sed nos rectam viam tenebimus, nihil in hac causa aliud, nisi omnipotentem Dominum metuentes. Unde tua dilectio in nullo trèpidet. Omnia quae

* Vide infra § 43 obstinatum in superbia Joannem sùbita paullo post morte percussum.

Digitized by Google

in hoc seculo videt alta esse contra veritatem, pro veritate despiciat, et omnipotentis Dei gratiâ atque beati Petri Apostoli adjutorio confidat. Vocem veritatis rècolat, dicentis: *Major est qui in vobis est quam qui in mundo* (1 *Joan.* IV): et in hac causa quicquid agendum est, cum summa auctoritate agat. Postquam enim defendi ab inimicorum gladiis nullo modo possumus, postquam pro amore rei publicae argentum, aurum, mancipia vestesque perdidimus, nimis ignominiosum est, ut per eos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quam fidem perdere. Unde sicut jam transactis epistolis scripsi, cum eo numquam procedere praesùmas. »

§ **39**. At vero Joannes, novae praesumptionis inventor, ubi Mauritium Deo adversum, Gregorio cum suis complicibus fecit infensum, cernens Constantiam Imperatricem totis conatibus Romanae Ecclesiae servanda privilegia suadere, quantis valuit artibus incitavit, ut propter eam, quam in honorem sancti Pauli apostoli in Palatio aedificabat ecclesiam, a Gregorio caput ejusdem Apostoli, aut aliud quid de ipsius corpore sibi dirigi postularet. Quam calliditatem beatissimus Papa cognoscens, Imperatricis animo taliter satisfecit: « Dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram erga me potuissem gratiam amplius provocare, major me moestitia tenuit quod illa praecipitis quae facere nec possum, nec audeo*. Nam corpora sanctorum Petri et Pauli apostolorum, tantis in ecclesiis suis coruscant miraculis atque terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc timore possit accèdi. Denique dum beatae recordationis decessor meus, quia argentum quod supra sacratissimum corpus sancti Petri apostoli erat, longe tamen ab eodem corpore, fere quindecim pedibus, mutare voluit, signum ei non parvi terroris apparuit. Sed et ego aliquid similiter ad sacratissimum corpus sancti Petri apostoli meliorare volui: et quia necesse erat, ut juxta sepulcrum ejusmodi effòdi altius debuisset, praepositus loci illius ossa aliqua, non quidem eidem sepulcro conjuncta, rèperit. Quae quoniam levare praesumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis, subitâ morte defunctus est. Praeter haec autem sanctae memoriae decessor meus idem ad corpus sancti Laurentii martyris quaedam meliorare desiderans, dum nescitur ubi corpus esset venerabile collocatum, effoditur exquirendo, et subito sepulcrum ipsis ignoranter apertum est. Et hi qui praesentes erant atque laborabant monachi et mansionarii, quia corpus ejusdem martyris viderunt quod quidem tangere minime praesumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt, ita ut nullus vitae superesse potuisset qui semel justum corpus illius viderat. »

§ **40**. Cognoscat autem tranquillissima domina, quia Romanis

* Cur postulatas reliquias S. Pauli Apostoli Gregorius Augustae non concesserit.

Digitized by Google

consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, ut quicquam tangere praesumant de corpore, sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima sanctorum corpora ponitur. Quod levatum in ecclesia quae est dedicanda, debita cum veneratione reconditur. Et tantae per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illic specialiter eorum corpora deferantur. Unde contigit, ut beatae recordationis Leonis Papae tempore, sicut a Majoribus tràditur, dum quidam Graeci de talibus reliquiis dubitarent, praedictus pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus incidit, et ex ipsa incisione sanguis effluxit. In Romanis namque vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est atque sacrilegum, si sanctorum corpora quisquam tangere fortasse voluerit. Quod si praesumpserit, certum est, quia haec temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Graecorum consuetudine qui ossa levare sanctorum se asserunt, vehementer miramur, et vix credimus. Nam quidam Graeci monachi huc ante biennium venientes nocturno silentio juxta ecclesiam sancti Pauli corpora mortuorum in campo jacentia effodiebant, atque eorum ossa recondebant, servantes sibi dum recederent. Qui cum tenti, et cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi, confessi sunt, quod illa ossa ad Graeciam essent tanquam sanctorum reliquias portaturi. Ex quorum exemplo, sicut praedictum est, major nobis dubietas nata est, utrum verum sit quod levari ossa sanctorum dicuntur: « De corporibus vero beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum, dum constet, quia eo tempore, quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt qui eorum corpora sicut civium suorum repeterent? Quae ducta usque ad secundum Urbis milliarium, in loco qui dicitur Catacumbas, collocata sunt. Sed dum ea exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris terruit ac dispersit, ut talia denuo nullàtenus tentare praesumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levavère, et in locis, quibus nunc sunt condita, posuerunt. Quis ergo, serenissima Domina, tam temerarius possit existere, ut haec sciens, eorum corpora non dico tangere, sed vel aliquàtenus praesumat inspicere? Dum igitur talia mihi a vobis praecepta sunt, de quibus parère nullàtenus potuissem, quantum invenio, non vestrum est, sed quidam homines contra me pietatem vestram excitare voluerunt, ut mihi quod absit, voluntatis vestrae gratiam subtraherent: et propterea quaesiverunt capitulum, de quo vobis quasi inobediens invenirer. Sed in omnipotenti Domino confido, quia nullo modo benignissimae voluntati subripitur, et sanctorum Apostolorum virtutem, quos toto corde et mente diligitis, non ex corporali praesentia, sed ex protectione semper habebitis. Sudarium vero quod similiter transmitti jussistis, cum corpore ejus est: quod ita tangi non potest, sicut nec ad corpus illius accedi.

Digitized by Google

in hoc seculo videt alta esse contra veritatem, pro veritate despiciat, et omnipotentis Dei gratiâ atque beati Petri Apostoli adjutorio confidat. Vocem veritatis rècolat, dicentis: *Major est qui in vobis est quam qui in mundo* (1 *Joan.* IV): et in hac causa quicquid agendum est, cum summa auctoritate agat. Postquam enim defendi ab inimicorum gladiis nullo modo possumus, postquam pro amore rei publicae argentum, aurum, mancipia vestesque perdidimus, nimis ignominiosum est, ut per eos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quam fidem perdere. Unde sicut jam transactis epistolis scripsi, cum eo numquam procedere praesùmas. »

§ **39**. At vero Joannes, novae praesumptionis inventor, ubi Mauritium Deo adversum, Gregorio cum suis complicibus fecit infensum, cernens Constantiam Imperatricem totis conatibus Romanae Ecclesiae servanda privilegia suadere, quantis valuit artibus incitavit, ut propter eam, quam in honorem sancti Pauli apostoli in Palatio aedificabat ecclesiam, a Gregorio caput ejusdem Apostoli, aut aliud quid de ipsius corpore sibi dirigi postularet. Quam calliditatem beatissimus Papa cognoscens, Imperatricis animo taliter satisfecit: « Dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram erga me potuissem gratiam amplius provocare, major me moestitia tenuit quod illa praecipitis quae facere nec possum, nec audeo*. Nam corpora sanctorum Petri et Pauli apostolorum, tantis in ecclesiis suis coruscant miraculis atque terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc timore possit accèdi. Denique dum beatae recordationis decessor meus, quia argentum quod supra sacratissimum corpus sancti Petri apostoli erat, longe tamen ab eodem corpore, fere quindecim pedibus, mutare voluit, signum ei non parvi terroris apparuit. Sed et ego aliquid similiter ad sacratissimum corpus sancti Petri apostoli meliorare volui: et quia necesse erat, ut juxta sepulcrum ejusmodi effòdi altius debuisset, praepositus loci illius ossa aliqua, non quidem eidem sepulcro conjuncta, rèperit. Quae quoniam levare praesumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis, subitâ morte defunctus est. Praeter haec autem sanctae memoriae decessor meus idem ad corpus sancti Laurentii martyris quaedam meliorare desiderans, dum nescìtur ubi corpus esset venerabile collocatum, effoditur exquirendo, et subito sepulcrum ipsis ignoranter apertum est. Et hi qui praesentes erant atque laborabant monachi et mansionarii, quia corpus ejusdem martyris viderunt quod quidem tangere minime praesumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt, ita ut nullus vitae superesse potuisset qui semel justum corpus illius viderat. »

§ **40**. Cognoscat autem tranquillissima domina, quia Romanis

* Cur postulatas reliquias S. Pauli Apostoli Gregorius Augustae non concesserit.

consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, ut quicquam tangere praesumant de corpore, sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima sanctorum corpora ponitur. Quod levatum in ecclesia quae est dedicanda, debita cum veneratione reconditur. Et tantae per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illic specialiter eorum corpora deferantur. Unde contigit, ut beatae recordationis Leonis Papae tempore, sicut a Majoribus tràditur, dum quidam Graeci de talibus reliquiis dubitarent, praedictus pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus incidit, et ex ipsa incisione sanguis effluxit. In Romanis namque vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est atque sacrilegum, si sanctorum corpora quisquam tangere fortasse voluerit. Quod si praesumpserit, certum est, quia haec temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Graecorum consuetudine qui ossa levare sanctorum se asserunt, vehementer miramur, et vix credimus. Nam quidam Graeci monachi huc ante biennium venientes nocturno silentio juxta ecclesiam sancti Pauli corpora mortuorum in campo jacentia effodiebant, atque eorum ossa recondebant, servantes sibi dum recederent. Qui cum tenti, et cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi, confessi sunt, quod illa ossa ad Graeciam essent tanquam sanctorum reliquias portaturi. Ex quorum exemplo, sicut praedictum est, major nobis dubietas nata est, utrum verum sit quod levari ossa sanctorum dicuntur: «De corporibus vero beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum, dum constet, quia eo tempore, quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt qui eorum corpora sicut civium suorum repeterent? Quae ducta usque ad secundum Urbis milliarium, in loco qui dicitur Catacumbas, collocata sunt. Sed dum ea exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris terruit ac dispersit, ut talia denuo nullàtenus tentare praesumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levavère, et in locis, quibus nunc sunt condita, posuerunt. Quis ergo, serenissima Domina, tam temerarius possit existere, ut haec sciens, eorum corpora non dico tangere, sed vel aliquàtenus praesumat inspicere? Dum igitur talia mihi a vobis praecepta sunt, de quibus parère nullàtenus potuissem, quantum invenio, non vestrum est, sed quidam homines contra me pietatem vestram excitare voluerunt, ut mihi quod absit, voluntatis vestrae gratiam subtraherent: et propterea quaesiverunt capitulum, de quo vobis quasi inobediens invenirer. Sed in omnipotenti Domino confido, quia nullo modo benignissimae voluntati subripitur, et sanctorum Apostolorum virtutem, quos toto corde et mente diligitis, non ex corporali praesentia, sed ex protectione semper habebitis. Sudarium vero quod similiter transmitti jussistis, cum corpore ejus est: quod ita tangi non potest, sicut nec ad corpus illius accedi.

Digitized by Google

Sed quia serenissimae dominae tam religiosum desiderium vacuum esse non debet, de catenis, quas ipse sanctus apostolus Paulus in collo et in manibus gestavit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem vobis aliquam transmittere festinabo, si tamen hanc tollere limando valuero. Quia dum frequenter ex catenis eisdem multi veniunt, et benedictionem petunt, ut parum quid ex limatura percipiant, assistit sacerdos cum lima, et aliquibus petentibus ita concite aliquid de catenis ejus excutitur, ut mora nulla sit. Quibusdam vero petentibus, diu per catenas ipsas lima ducitur, et tamen ut aliquid inde exeat, non obtinetur. » In quibus Gregorii, veracibus utique, verbis appàret, quia usque ad illa tempora pro reliquiis brandeum Romanus pontifex conferebat, cum posteriori tempore de vestibus quae sub altari sancti Joannis in basilica Constantiniana servantur, particulae coeperunt pro sacris reliquiis petentibus dari.

§ **11**. « Quae quidem vestes usque hactenus tantis miraculis coruscare probantur, ut siccitatis tempore foras excussae, pluviam conferant: inundationis vero, serenitatem reducunt. Nam super haec quae per singulas ecclesias faciunt quae in oratorio domus meae in Suburra positae, per eas Dominus omnipotens fecerit, non celabo *. Nuper Adriani pontificis tempore visum mihi est, ut altare sanctae Dei genitricis Mariae quod extra oratorium sancti Joannis in apertissimo atrio positum, congruis luminaribus honorari non poterat, intra oratorium locari debuisset. Accersitus vero Gaudericus Veliternus qui adhuc superesse videtur, episcopus, cum hymnis et canticis ab altari veteri pyxidulas duas sigillatas excussit. Quarum alteram, me deprecante, nimium timoratus aperiens, de illis tunicis, quantum ex similitudine curiosis oculis potuit deprehendi, particulas reperit, quas solemniter sub novo altari deposuit. Ubi ex tunc, sicut multi norunt qui adhuc superstites esse probantur, divinitus accensae lampades frequentius solito patuerunt. Nam ista octava indictione in hebdomada ante Dominici natalis diem, cum ego super hujusmodi parum quid dubitarem, completis matutinalibus hymnis, mansionarius candelam extinxit. Quam post vesperum succendere cupiens, accensam reperit, eamque se negligenter extinxisse perpendens, die altera solicitius prorsus extinxit, et obseratis januis, ad vesperum succensurus lampadem remeavit. Quam ubi nihilominus accensam reperit, ex conscientia servatae a se clavis et miraculo non diminuti olei profecto cognovit, quia lampadem ille succenderat qui ne oleum in ea diurnâ succensione minui potuisset, divinitus ampliarat. »

§ **12**. Harum quidem vestium, sicut opinor, altera quae strictioribus manicis constat, veraciter sancti Joannis est tunica:

* S. Joannis Evang. vestes signis coruscant.

Digitized by Google

quam beatus Gregorius suo tempore, quodam episcopo deferente, suscepit. Unde Joanni Abbati inter caetera scribit, dicens: « De tunica sancti Joannis omnino grate suscepi, quia solicitus fuisti mihi indicare. Sed studeat dilectio tua mihi ipsam tunicam, aut quod est melius, eumdem episcopum qui eam habet, cum clericis suis et cum ipsa ad me transmittere: quatenus et benedictione tunicae perfruamur, et de eodem episcopo vel clericis mercedem habere valeamus. » Altera vero quae largioribus manicis, non tunica, sed videtur plane esse dalmatica, nisi fallor, sancti Paschasii Apostolicae Sedis diaconi constat. Qui, juxta quod idem beatus Gregorius in quarto dialogorum libro meminit *(C. xl)*, cum temporibus Symmachi Papae fuisset defunctus, ejus dalmaticam feretro superpositam daemoniacus tetigit, statimque sanatus est. Sed quamobrem ambae vestes sancti Joannis dicantur, ideo priscam consuetudinem obtinuisse crediderim, quod sub ejus altari consuetudinaliter recondantur. Nam quod eorum altera Joannis Evangelistae, non autem Baptistae sit, nemo est qui dubitet: praesertim cum omnis sapiens noverit, Baptistam camelorum pilis pro vestibus usum fuisse: Evangelistam vero, qui per tot annos post passionem Domini pontificium gerens, Missarum solemnia frequentissime celebrabat, sine sacerdotalibus esse nequaquam vestibus potuisse. Si autem dicitur quod tunica et dalmatica, quia pontificalia sunt indumenta, ùtraque sancti Joannis credi debeant, considerandum est, quia Gregorius Joanni Abbati non dalmaticam, sed tunicam nominarit. Qui si dalmaticam quoque sancti Joannis fuisse sentiret, ejus tunicam quaerens, consequenter habere se ipsius dalmaticam non taceret. Haec de sancti Joannis vestibus, de quibus a quamplurimis dubitatur, me utcumque in beati Gregorii gestis inseruisse sufficiat. »

§ **43**. Caeterum Joannes Constantinopolitanus hypocrita qui ab *Universalis* nominis ambitione converti multis tergiversationibus recusabat, juxta ejusdem patris prophetiam, judicia Domini super se vigilare cognoscens, post non multi temporis spatium, sùbita morte defungitur: et cujus ambitiosam superbiam totus capere mundus vix poterat, in unius sepulcri angustià facile collocatur. Post cujus paulatim discessum, cum Mauritius Imperator, sacerdotum videlicet Christi contemptor, pro Cyriaco qui Joanni successerat, suaderet, ne pro causa tam frivoli nominis Gregorius laboraret, ipse tamdiu Pontificatus sui auctoritatibus restitit, quousque pestem Universalis nominis ab ipsis etiam subdolis adulatorum labiis penitus abstulisset. Quapropter Eulogio patriarchae Alexandrino post aliqua scribens ait: « Indicare vestra beatitudo studuit, jam se quibusdam non scribere superba vocabula quae ex vanitatis radice prodierunt: et mihi loquitur, dicens: Sicut jussistis: quod verbum jussionis, peto, a meo auditu removete: quia scio qui sum, qui estis. Loco enim, mihi

Digitized by Google

fratres estis, moribus patres. Non ergo jussi, sed quae utilia visa sunt, indicare curavi. Non tamen invenio vestram beatitudinem hoc ipsum, quod memoriae vestrae intuli, perfecte tenere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere. Et ecce in praefatione epistolae, quam ad meipsum qui prohibui, direxistis, superbae appellationis verbum, Universalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra ultra non faciat quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit praebetur. Ego enim non verbis quaero prosperari, sed moribus *. Nec honorem meum esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est, honor Universalis Ecclesiae. Meus honor est, fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim Universalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur universum. Sed absit hoc. Recedant verba quae vanitatem inflant, charitatem vulnerant. Et quidem in sancta Chalcedonensi Synodo atque post a subsequentibus patribus, hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas novit: sed tamen nullus eorum uti hoc unquam vocabulo voluit: ut dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum.»

Liber IV. § 1. Haec est Gregorii, de refutatione nominis Universalis, plena rationis humilitatisque sententia. Qui videlicet contra superbos prudenter uti noverat serpentis astutiâ et a columbae simplicitate circa humiles minime recedebat. Quapropter suae temperantiae conscius, Dominico Carthaginensi episcopo post caetera: « De Ecclesiasticis, inquit, privilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque ecclesiis sua jura servamus. Nec cuilibet favente gratia ultra quam meretur, impertior, nec ulli hoc quod sui juris est, ambitu stimulante dèrogo: sed fratres meos honorare per omnia cupio, sicque studeo honore singulos subvehi, dummodo non sit quod alteri jure ab altero possit opponi.» Item Eulogio Alexandrino et Anastasio Antiocheno Patriarchis scribit, dicens: « Cum praedicator egregius dicat: *Quamdiu quidem sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo* (*Rom.* II): qui rursus alias dicit, *Facti sumus parvuli in medio vestrum* (1 *Thess.* II): exemplum proculdubio nobis sequentibus ostendit, ut et humilitatem teneamus in mente et tamen ordinis nostri dignitatem servemus in honore: quatenus nec in nobis humilitas timida, nec erectio sit superba.»

§ 2. Nam Joannem Ravennatem episcopum, typo superbiae pallium frequentantem, suosque presbyteros ac diaconos in mappulis

* Summos Ecclesiae Praesules non sui sed ipsiusmet Ecclesiae honori studere, dum debitam dignitati reverentiam exhiberi curant.

procedere permittentem, primo quidem per Castorium chartularium familiariter arguit, post ex consuetudine sine privilegio sibi haec concessa pertinaciter defendentem, tali sententiâ post nonnulla mulctavit: « Ut enim, inquit, ea quae superius dixi, breviter colligam, admoneo quatenus, nisi decessorum meorum munificentiâ tibi haec per privilegium attributa docueris, uti in platèis pallio ulterius non praesùmas, ne non habere et ad Missas incipias, quod audacter et in plateis usurpas. De secretario autem quod fraternitas tua resedisse cum pallio et filios ecclesiae suscepisse se et fecit et excusavit, nunc interim nihil quaerimus: quia synodorum sententiam sequentes, minores culpas quae negantur, ulcisci recusamus. Hoc tamen quia semel et iterum sit factum, cognovimus. Fraternitas autem tua sit omnino solicita, ne hoc quod praesumptioni inchoanti adhuc ceditur, in proficiente deterius vindicetur.» Quam sententiam vir vanae gloriae cupidissimus, molestissime ferens, per quoscumque poterat, usum pallii sibi restitui magnopere flagitabat. Cui Gregorius ita scripsit: «Fraternitatem vestram valde invenio contristatam pro eo quod in Litaniis induere pallium rationis censurâ prohibetur. Sed per excellentissimum Romanum patricium, et per eminentissimum Praefectum, atque per alios civitatis suae nobiles viros importune expetit, ut hoc debeat concedi. Nos autem solicite requirentes ab Adeòdato, quondam diacono fraternitatis tuae, cognovimus quia numquam consuetudo fuerit decessoribus tuis, ut in litaniis pallio, nisi in solemnitate B. Joannis Baptistae, B. Petri Apostoli et B. Apollinaris martyris uterentur. Cui quidem nequaquam credere debuimus quia multi apud civitatem fraternitatis vestrae responsales saepius fuerunt qui se fatentur tale aliquid numquam vidisse. Et hac de re multis potius credendum est quam uni pro sua ecclesia aliquid attestanti. Sed quia nos fraternitatem vestram contristari nolumus et petitionem filiorum nostrorum apud nos minime frustrari, usum pallii, donec subtilius veriusque aliquid cognoscamus, in Litaniis solemnibus, id est, die natalitio B. Joannis Baptistae, B. Petri apostoli et B. Apollinaris martyris, atque in ordinationis vestrae celebratione concedimus. In secretario vero secundum morem pristinum, susceptis ac dimissis ecclesiae filiis, induere vestra fraternitas pallium debeat, atque ad Missarum solemnia ita proficisci et nihil sibi amplius ausu temerariae praesumptionis arrogare: ne, dum in exteriori habitu inordinate aliquid ambitur, ordinate etiam quae licere poterant ammittantur.»

§ **3**. Sed idem Joannes ab inanis gloriae ambitione freno apostolicae moderationis coërcitus, ad detractionem pontificis totus convertitur. Unde prudentissimus pontifex sic eum admonet, dicens: «Primum me hoc contristat quia mihi fraternitas tua duplici corde scribit: et alia blandimenta in epistolis suis exhibet, alia in lingua sua seculariter ostendit. Deinde grave mihi est quia

Digitized by Google

irrisiones illas quas habere notarii adhuc pueri solent, usque hodie frater meus Joannes in lingua sua retinet, mordenter loquitur et quasi de tali astutia laetatur: amicis praesentibus blanditur, de absentibus obloquitur. Tertio grave mihi et omnino execrabile est, quia servis suis qua horâ fuerit commotus, turpia crimina imponit, ut effoeminati et adhuc graviter hoc apertius vocentur. Post hoc accessit quod disciplina ad vitam clericorum custodiendam nulla est, sed tantummodo clericis suis dominium exhibet. Ultimum vero est quod tamen pondere elationis primum est: scilicet de usu pallii extra ecclesiam quod temporibus decessorum meorum facere numquam quisquam praesumpsit... Ex quibus omnibus invenio quia honor episcopatus vestri totus foris in ostensione est, non in mente. Et quidem omnipotenti Deo gratias ago, quia eo tempore quo ad me hoc pervenit, quod ad aures decessorum meorum numquam pervenerat, Longobardi inter me et Ravennatem civitatem positi fuere. Nam ostendere forsitan hominibus habui, quantum scio esse districtus. Ne autem credas quia ego ecclesiam tuam in aliquo gravari aut minui volo, recordare inter Missarum Romanorum solemnia, ubi Ravennas diaconus stabat, et require, ubi hodie stat, et cognosces, quia Ravennatem ecclesiam honorare desidero. Sed ut quicumque quodlibet ex superbia arripiat, hoc ego tollerare non possum... Haec ergo omnia quae superius dixi, frater charissime recogita, diem tuae vocationis attende quas rationes de sarcina episcopatus redditurus es considera. Emenda illos mores notarii. Vide quid in lingua quid in actu episcopum deceat. Esto totus purus fratribus tuis. Non aliud loquaris, aliud in corde habeas. Nec appetas ultra videri quam es, ut possis dein esse quod vidèris.» Haec quia Joannes emendare superbiae fastu despexit, eodem anno, juxta quod Gregorius ei praedixerat, diem suae vocationis dum non attendit, incurrit, et ante tumidus crepuit quam meruisset amictu pallii saturari.

§ 4. Interea Natali episcopo defuncto, cum Dalmatinorum generalitas Honoratum archidiaconum, quem ipse ex presbytero in diaconum converterat, sibi praeficiendum concorditer elegissent, eorumque decretum pontifex approbasset, factione Malchi episcopi, rectoris Apostolici patrimonii, manuque militari Maximus multis criminibus involutus, episcopatum Salonitanae civitatis invasit. Quod Gregorius audiens, Dalmatinis et Jadertinis episcopis, ne illi manum imponerent, sub magna interminatione prohibuit. At vero Maximus, qui episcopatus sedem contra canones invaserat, etiam sacerdotium contra Deum per Simoniacam haeresim ab episcopis dumtaxat excommunicatis corruptisque non timuit promereri, favente sibi occasione temporum ex cupiditate simul insolentiàque Augusti. Quem, dispergendo facultates invasae ecclesiae, adeo defensorem scelerum suorum effecit, ut a Gregorio

non solum frequenter postularet quatenus indiscussam Maximi promotionem relinqueret, verum etiam Romam, satisfacturum pro Simoniaca haeresi aliisque criminibus, venientem cum honore susciperet. Grègorius vero faciem nullius contra veritatem custodiens, ipsum Maximum primo a Missarum solemniis, post a communione corporis Domini nostri Jesu Christi, quousque suam praesentiam exhiberet, privavit. Maximus autem imperialibus militiis fultus, post excommunicationem, et Missas cecinit, et sacramenta satis indignus accepit. Quapropter Constantiae Augustae post multa alia scribit, dicens:

§ **5**. « Salonitanae civitatis episcopus, me ac responsali meo nesciente, ordinatus est, et facta res est, quae sub nullis anterioribus principibus evènit. Quod ego audiens, ad eumdem praevaricatorem, qui inordinate ordinatus est, protinus misi, ut omnino Missarum solemnia celebrare nullo modo praesumeret, nisi prius a serenissimis dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi jussissent. Quod ei sub excommunicationis interpositione mandavi. Et contempto me atque despecto, in audacia quorundam secularium hominum, quibus, denudata sua ecclesiâ, praemia multa praebere dicitur, nunc usque Missas facere praesumit, atque ad me venire secundum jussionem dominorum noluit. Ego autem praeceptioni pietatis eorum obediens, eidem Maximo, qui me nesciente ordinatus est, hoc, quod in ordinatione sua me vel responsalem praetermittere praesumpsit, ita ex corde laxavi, ac si me auctore fuerit ordinatus. Alia vero perversa illius scilicet mala corporalia, quae cognovi, vel quia cum pecuniis est electus, vel quia excommunicatus Missas facere praesumpsit, propter Deum irrequisita praeterire non possum. Sed opto et dominum deprecor, quatenus nihil in eo de his, quae dicta sunt, valeat inveniri, et sine periculo animae meae causa ipsius terminetur. Prius tamen, quam haec cognoscantur, serenissimus dominus discurrente jussione praecepit, ut eum venientem cum honore suscipiam. Et valde grave est, ut vir, de quo tanta et talia nunciantur, cum ante requiri et discuti debeat, honoretur, et si episcoporum causae mihi commissorum apud piissimos dominos aliorum patrocinio disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed ut episcopi mei me despiciant, et contra me refugium ad seculares judices habeant, omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis dèputo. Hoc tamen breviter suggero, quia aliquantulum expecto, et si ad me venire diu distulerit, exercere in eo districtionem canonicam nullo modo cessabo. In omnipotente autem Domino confido, quia longam piissimis dominis vitam tribuet, et nos sub manu vestra non secundum peccata nostra, sed secundum suae gratiae dona disponet. »

§ **6**. Haec Gregorius dissimulatrici Augustae: « Caeterum

Digitized by Google

eodem Maximo in sua praesumptione manente, consecratores atque omnes Dalmatinos et Jadertinos episcopos ab ejus communione sub excommunicatione disjunxit: adeo ut ne nomen quidem Maximi inter sacra Missarum solemnia memorarent. » Quo facto, ita omnes consternati sunt animo, ut sub poenitentiae satisfactione, relicto Maximo, veniam postularent. Unde misericordissimus pontifex Sabiniano Jadertino episcopo scribens: «Sicut, inquit, perseveranti culpae debetur jure vindicta: ita resipiscentibus est venia concedenda. Nam ut res illa contra se merito potest iracundiam excitare, si haec in sua prorsus dilectione solet concordiam propagare. Et ideo quia fraternitatem tuam a consortio et communione Maximi, ubi te prius neglectus impulerat, intantum postea gravitas sacerdotii ad animum reducta suspendit, ut ejus sola nullatenus paterèris esse segregatione contentus, nisi et in monasterii te claustra recipiens, dudum commissa deflères, ea propter in nostra te gratia ac communione receptum esse non dubites. Nam quantum nos prius culpa tuae charitatis offenderat, tantum poenitentia mitigavit. » Itaque Maximus cernens tandem aliquando durum esse contra stimulum calcitrare, relictis imperialibus adminiculis, per Gallinicum exarchum satis humiliter concedi sibi poenitentiam; simulque veniam a Gregorio postulavit. Quem ipse Romam fatigari nolens, causam ejus discutiendam Ravennae commisit.

§ 7. Maximus itaque, anno septimo excommunicationis suae, post castigationes et flagella Gregorii ad cor revertens, Ravennam petiit, et jactavit se tensus in civitatem in media silice, clamans et dicens: « Peccavi Deo et beatissimo Papae Gregorio. » Et agente eo poenitentiam tribus horis, cucurrit Gallinicus exarchus et Castorius chartularius Ecclesiae Romanae cum Mariniano episcopo et elevaverunt eum de silice. Qui etiam coepit ampliorem poenitentiam agere coram eis. Quod Gregorius ut audivit, ad misericordiam protinus rediit, Mariniano episcopo inter caetera scribens: « Qualis de causa Maximi fraternitatis vestrae voluntas sit ac magis petitio, praesentium latore Castorio chartulario nostro renunciante cognovimus. Ideoque si idem Maximus coram vobis et praedicto chartulario nostro de Simoniaca haeresi praestito se sacramento purgaverit, atque de aliis ante corpus sancti Apollinaris tantummodo requisitus, liberum se esse responderit: causam ipsius, fraternitatis vestrae de eo, quod excommunicatus Missarum solemnia agere praesumpsit, judicio committimus, quâ debeat poenitentiâ talis culpa purgari. Et ideo quicquod vobis secundum Deum placet, securi disponite, nec aliquid de nobis dubium habeatis. Nam quicquid a vobis hac de causa fuerit ordinatum, nos et grate suscipimus, et libenter admittimus. Hortamur tamen, ut debeatis esse soliciti, et ita quae fienda conspicitis temperetis, quatenus et illi, si ita videbitur, communionem

Digitized by Google

praestetis, et vigoris Ecclesiastici genium congrua, ut oportet, dispensatione servetis. » Ac aliam eidem de hac re epistolam concludit: « Quia sicut in contumacia persistentibus severos nos esse convenit, sic iterum humiliatis et poenitentibus negare locum veniae non debemus. »

§ 8. Cumque Maximus penes corpus beati Apollinaris secundum jussum Gregorii de cunctis humiliter satisfecisset, Castorius chartularius consolatoriam ei epistolam praebuit, verbis Gregorii asserentem: « * Quamvis culpabilibus ordinationis tuae primordiis grave malum per inobedientiae culpam addideris, nos tamen sedis Apostolicae auctoritatem, eo quo decuit moderamine, temperantes, numquam contra te usque ad hoc quod causa poscebat, exarsimus. Sed ut longius se ingratitudo nostra, quam tu tibi excitasti, produceret, credita nos solicitudo vehementer angebat, ne quaedam illicita quae de te audieramus, negligenter omittere videremur. Quae si bene consideres, ipse per te satisfacere differendo firmabas, atque ex hoc adversum te zelum nostrum acrius incitabas. At ubi salubri tandem consilio usus, jugo te obedientiae humiliter submisisti, et dilectio tua poenitentiam agens, dignâ se, ut deputavimus, satisfactione purgavit, redditam tibi gratiam fraternae charitatis intellige, atque in nostro te receptum consortio gratulare. Quia sicut perseverantibus in culpa districtos, ita resipiscentibus nos benignos decet esse ad veniam. Postquam ergo fraternitas tua Apostolicae Sedis communionem se reparasse cognoscit, personam ad nos transmittat quae pallium tibi deferendum ex more percipiat. Nam quemadmodum illicita perpetrari non pàtimur, sic ea quae sunt consuetudinis, non negamus... »

§ 9. Praeterea cupidissimus ac tenacissimus Imperator qui consuetudinibus antiquissimi dationum, legionum quoque milites frequentissime, sicuti Romanorum narrat historia, defraudabat, cernens Gregorium contra omnes mundi strepitus Augustalibus defensionibus, quarum suffragio ad arcem pontificatus hunc se provexisse jactabat, penitus non egère, immo canonicis auctoritatibus, sanctitatis ac prudentiae suae virtutibus, Christo propitio cunctis alta sapientibus praevalere: ad odium detractionemque famae illius magis magisque conversus est, liberalitatem Pontificis, quia famelicis militibus tam ecclesiastica quam publica frumenta diviserat, subdolis assertionibus reprehendens. Cui Gregorius (utpote qui provectionem suam divino judicio, in cujus nimirum manu corda regum consistentia, quocumque voluerit inclinantur, non caducis humanis favoribus deputabat) voce liberâ contradicens, his eum responsionibus fregit, deturpavit, atque nonnulla de futuro Dei judicio disserendo deterruit: « In

* Justâ et magna severitate in reum, majore et admirandâ utitur Gregorius erga poenitentem benignitate.

Digitized by Google

serenissimis, inquit, jussionibus suis Dominorum pietas, dum me de quibusdam redarguere studuit, parcendo mihi minime pepercit. Nam in eis urbanae simplicitatis vocabulo me fatuum appellat. In Scriptura etenim sacra, cum in bona intelligentia simplicitas ponitur, vigilanter saepe prudentiae aut rectitudini sociatur. Unde etiam de beato Job scriptum est: Erat vir simplex et rectus. Et beatus Apostolus admonet, dicens: Estote simplices in malo, et prudentes in bono. Et per semetipsam veritas in Evangelio admonet, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.* Esse valde inutile indicans, si aut simplicitati prudentia, aut prudentiae simplicitas desit. Ut ergo servos suos ad cuncta eruditos efficeret, esse eos et simplices sicut columbas, et prudentes ut serpentes voluit: quatenus in eis et columbae simplicitatem astutia serpentis et serpentis astutiam simplicitas columbae temperaret. Ego igitur qui in serenissimis dominorum jussionibus ab Arnulphi astutia deceptus, non adjuncta prudentiâ simplex denuncior, constat proculdubio, quia fatuus appellor. Quod ita esse, ego quoque ipse confiteor. Nam si hoc vestra pietas taceat, causae clamant. Ego enim si fatuus non fuissem, ad ista toleranda quae inter Longobardorum gladios hoc in loco patior, minime venissem. In ea autem re, quam de Arnulpho perhibui, quia toto corde venire ad Rempublicam paratus fuit, dum mihi non creditur, etiam mentitus esse reprehendor. Sed etsi sacerdos non sum, scio gravem esse hanc injuriam sacerdoti, ut veritati serviens fallax credatur. Et dudum novi, quoniam Arnulpho plus est creditum quam mihi, Leoni amplius quam mihi. Et nunc eis qui esse ad medium videntur, plusquam meis assertionibus credulitas impenditur. Et quidem si terrae meae captivitas per quotidiana momenta non excresceret, de despectione mea atque irrisione laetus tacerem. Sed hoc me vehementer affligit, quia unde ego crimen falsitatis tolero, inde Italia quotidie ducitur sub Longobardorum jugo captiva: dumque meis suggestionibus in nullo creditur, vires hostium immaniter excrescunt. Hoc tamen piissimo Domino suggero, ut de me mala omnia quaelibet existimet: de utilitate vero reipublicae, et causâ ereptionis Italiae, non quibuslibet facile pias aures praebeat, sed plus rebus quam verbis credat *. Sacerdotibus autem non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cujus servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. Nam in divinis eloquiis sacerdotes aliquando dii, aliquando angeli vocantur. Et per Moysen de eo qui ad juramentum adducendus est, dicitur: *Applica illum ad deos,* videlicet ad sacerdotes. Et rursum scriptum est: Diis non dètrahes, scilicet sacerdotibus. Et propheta ait: *Labia*

* **Sacerdotes honorandi; Constantini Magni exemplum.**

Digitized by Google

sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (*Malach.* II). Quid ergo mirum, si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut angelos, aut deos ipse etiam appellat Deus?

§ **10**. « Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cum piae memoriae Constantino principi in scripto oblatae accusationes contra episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, et eosdem qui accusati fuerant, episcopos convocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Vos dii a vero Deo constituti. Ite et inter vos causas vestras disponite: quia dignum non est, ut nos judicemus deos. In qua tamen sententia, pie Domine, sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid praestit ex reverentia impensa. Ante eum quippe pagani in Republica principes fuerunt qui verum Deum nescientes, deos ligneos et lapideos colebant: et tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quod igitur mirum, si Christianus Imperator, veri Dei cultor, sacerdotes dignetur honorare, dum, ut praedixi, pagani principes honorem impendere sacerdotibus noverunt qui diis ligneis et lapideis serviebant? Haec ego pietati dominorum non pro me, sed pro cunctis sacerdotibus suggero. Ego enim peccator homo sum et quia omnipotenti Deo incessanter quotidie delinquo, aliquod mihi apud tremendum examen ipsius esse remedium suspicor, si incessantibus quotidie plagis ferior. Et credo, quia eumdem omnipotentem Dominum tanto vobis amplius placatis, quanto me ei male servientem districtius affligitis. Multas enim jam plagas acceperam, et supervenientibus dominorum jussionibus, invèni consolationes, quas non sperabam.

§ **11**. «Si possum, has celeriter plagas enumero. Primo quod mihi pax subducta est, quam cum Longobardis in Tuscia positis sine ullo Reipublicae dispendio feceram. Deinde corrupta pace, de Romana civitate milites ablati sunt. Et quidem alii ab hostibus occisi, alii vero Narniis et Perusii positi, et ut Perusium teneretur, Roma relicta est. Post haec plaga gravior fuit, adventus Agilulphi *, ita ut oculis meis cernerem Romanos, more canum in collis funibus ligatos qui ad Franciam ducebantur, venales. Et quia nos qui intra civitatem sumus, Deo protegente, manus ejus evasimus, quaesitum est, unde culpabiles esse videremur: Videlicet, cur frumenta defuerint quae in hac urbe diu multa servari nullatenus possunt, sicut in alia suggestione plenius indicavi. Et quidem de memetipso in nullo turbatus sum, quia teste conscientià, fateor adversa quaelibet pati paratus sum, dummodo haec omnia cum salute duntaxat meae animae evadam. Sed de gloriosis viris, Gregorio praefecto et Castorio magistro militum,

* Taurinensium Ducis, quem Longobardi cum Theodolindam demortui Auctarii viduam, uxorem duxerit, regem salutarunt.

non mediocriter sum afflictus. Qui et omnia quae potuerunt fieri, nullo modo facere neglexerunt, et labores vigiliarum et custodiae civitatis in obsidione eadem vehementissimos pertulerunt. Et post haec omnia gravi dominorum indignatione percussi sunt. De quibus patenter intelligo, quia eos non sua acta, sed mea persona gravat. Cum quo quia pariter in tribulatione laboraverant, post laborem pariter tribulantur. Quod autem dominorum pietas illud mihi pavendum et terribile omnipotentis Dei judicium intentat, rogo per eumdem omnipotentem Dominum, ne hoc ulterius faciat. Nam adhuc nescimus, quis ibi qualis sit: et Paulus egregius praedicator dicit: *Nolite judicare ante tempus, donec veniat Dominus qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (1 *Cor*. IV). Hoc tamen breviter dico, quoniam peccator et indignus plus de venientis Jesu misericordia, quam de vestra pietatis justitia praesumo. Et sunt multa quae de judicio illius homines ignorant: quia fortasse quae vos laudatis, ille reprehendet: et quae vos reprehenditis, ille laudabit. Intermitto ergo incerta: ad solas lacrymas redeo; petens, ut idem omnipotens Deus piissimum dominum nostrum et sua hic manu regat, et in illo terribili judicio liberum ab omnibus delictis inveniat: et me ita placere, si necesse est, hominibus faciat, ut aeternam ejus gratiam non offendam.»

§ **12**. Denique Mauritius Imperator libertatem vocis tanti Pontificis reprehensionisque constantiam admiratus, quia de futuro Dei judicio se terruerat, ad exercendam in eum tyrannidem prodire nitebatur: cum protinus eodem anno vir quidam, monachicis vestimentis indutus, divina quadam virtute commotus, dextrâ spatham cepit. Quam videlicet a foro usque ad aeneam statuam gladiatoris nudam circumferens, Imperatorem gladio cunctis moriturum praedixit. Quod Mauritius ut audivit, a tyrannide Gregorio inferenda semet continuit, et judicium divinum quod ei minatus fuerat, cito se subiturum tanto magis timuit, quanto Gregorium credidit non posse mentiri. Mox itaque scripto preces compositas, tam eidem, quam cunctis patriarchis episcopis et monachis civitatum sive solitudinum, pecunias multas, cereos et thymiàmata destinavit: hoc potissimum deprecans, ut Domino supplicarent, quatenus in hoc seculo merita suorum malorum reciperet, tantum ut a futuris cruciatibus rèdimi meruisset.

§ **13**. Cumque hoc et ipse vehementius per multa tempora cum lacrymis postulasset, quadam nocte dormiens, vidit apud aeneam palatii portam se coram multo populo aeneae statuae Salvatoris assistere. Tunc vox terribilis facta est ex ipso Incarnati Verbi charactère, dicens: «Date Mauritium.» Et capientes eum judiciorum ministri, posuerunt juxta purpureum umbilicum qui illic erat. Cui èadem vox charactèris ait: «Ubi vis reddam tibi mala quae in hoc seculo perpetrasti?» Ille respondit: «Amator

hominum Domine et judex juste, hic potius ea mihi, et non in seculo futuro, retribue.» Statim divina vox jussit tradi Mauritium et Constantiam uxorem ejus cum filiis et filiabus, omnique cognatione ipsius, Phocae militi. Evigilans ergo Mauritius, misit parochoenum, et vocavit ad se Philippicum generum suum, quem dudum suspicatus fuerat, Imperium sibi velle subripere. At ille pro suspicione se perdendum conjiciens, advocatae Gordiae uxori suae, tanquam non se revisurae, ultimum vale dixit. Sacramentoque communionis accepto, ad palatium venit, et cubiculum Imperatoris ingrediens, ad pedes ejus pròcidit. Cui Imperatore assurgens, ad pedes ejus nihilominus corruit, dicens: «Ignosce deprecor mihi, quia nunc profecto divinâ revelatione doctus cognovi quod nihil in me unde suspicabar, commiseris: sed si quem in agminibus nostris cognoscis qui Phocas soleat vocitari, dicito mihi.» Et Philippicus diu apud se recogitans ait: «Unum Phocam cognosco qui nuper procurator ab exercitu nuncupatus, contradicebat tuo Imperio.» Cum vero Mauritius de qualitate ejus inquireret, Philippicus ait: «Est quidem juvenis, et temerarius, at timidus.» Et Mauritius: «Si timidus, inquit, profecto et homicida.» Dumque super hujusmodi titubaret, in crastinum Magistrianus ab Eremitis, quibus Imperatoris preces portaverat, rediens, responsum retulit, dicens: «Deus receptâ poenitentiâ tuâ, salvabit animam tuam, et cum sanctis te cum tota domo tua constituet: ab Imperio vero cum ignominia et discrimine dècides.»

§ 11. Quibus auditis, Mauritius Dominum glorificans, poenitentiam tenuit, sed a cupiditatis avaritia usqueadeo non recessit, ut exercitus in periculosis locis hyemarent, et transito Danubio, victum sibi de Sclavorum regione periclitabunde quaererent, ne videlicet alimenta publica manducarent. Quod cum Petro praetori feralibus literis immineret, ille Taxiarchis vocatis: ait: «Nimis mihi videntur gravia Imperatoris praecepta, Romanos in aliena terra hyemare jubentia. Nam illi non obedire, saevum est: et rursus obedire, saevissimum. Nullum bonum parit avaritia, quia mater omnium malorum consistit. Quia Imperator languens, horum maximorum malorum causa Romanis efficitur.» Exercitus itaque hoc per Taxiarchas audito, ad seditionem convertitur exaltatumque super clypeum Phocam centurionem, Exarchum acclamarunt. Fugatoque praetore, Theodosio filio Imperatoris et Germano socero ejus dirigunt, ut alter eorum sibi imperare studeret. Illi nullo modo consenserunt: immo hoc Mauritio retulerunt. At ille Germanum perdere voluit: qui quoniam in ecclesiam fugerat, filium tanquam proditorem sui consilii flagellavit, multosque ad hunc ab eadem ecclesia extrahendum transmittens, numquam permittitur: immo multis conviciis a populo laceratus, Marcionista haereticus appellatur. Et commoto intra Constantinopolim

Digitized by Google

gravi tumultu, Mauritius, dissimulato habitu, cum uxore et filiis noctu dromònem conscendit, et fugiens, apud sanctum Antonomum venit. At vero Phocas cum exercitu in Septimum veniens, Imperator efficitur, a quo Mauritius cum filiis, uxore ac filiabus penes Chalcedonem, quemadmodum sibi denunciatum fuerat, decollatur. Et quia oratio Gregorii, qua illum petierat in terribili Dei judicio liberum a delictis omnibus inveniri, vacua esse non poterat, idem Mauritius id recepit quod meruit, et in cunctis suis incommodis Dominum benedicens, a sempiterno supplicio meruit liberari. Multis vero Gregorius laudibus (*L.* 1, *Epist.* 43 *et* 44) novos principes demulcebat, aut ideo, ut audientes quales esse debebant fierent mitiores, quam Mauritius fuerat, cujus tot criminibus involuta tempora cognoscebant: aut quia eos sibi suaeque Ecclesiae devotissimos cernens, non eos ad tyrannidem ruituros esse putabat.

§ **15**. Ab adversis potestatibus praegravatos fortissimus miles Christi Gregorius viriliter defendebat: injusteque dejectos non solum inter depositos non habebat, verum etiam pristinis gradibus auctoritatis suae privilegio reformabat. Nam Anastasium Antiochenum Patriarcham qui Joannem Constantinopolitanum praesulem voce libera reprehendens, Imperatoris Justini jussu detrusus in exilium, ab ipsis Joannis Papae temporibus usque ad sui pontificatus tempora permanebat, mox ut summum sacerdotium meruit, inter patriarchas eum reputans, scriptis talibus animavit: « Praeterea, *inquit*, sicuti patriarchis aliis paribus vestris, synodicam vobis epistolam direxi: quia apud me semper hoc estis quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse, non quod ex voluntate hominum putamini non esse.» Item eidem in alia epistola post non multa scribens ait: « Fraternitati tuae indico quia a serenissimis Dominis quantis valui precibus postulavi, ut vos honori proprio restitutos, ad sancti Petri apostolorum principis limina venire, et quousque ita Deo placuerit, hic mecum vivere concedant: quatenus dum vos videre meruero, peregrinationis nostrae taedium, de aeterna patria invicem loquendo, relevemus. Denique studiosissimus pater Gregorius tam diu penes Mauritium imperatorem suggestionibus suis imminuit, donec post multorum annorum curricula magnus Anastasius throno proprio redderetur. Cui congratulabundus rescripsit, dicens: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis: quia magnus ille fluvius qui quondam arentia Antiochiae saxa reliquerat, ad proprium alveum reversus, subjectas et juxta positas valles rigat, ut unum trigesimum, aliud sexagesimum, aliud vero centesimum fructum ferat.

§ **16**. Exceptis criminibus, neminem de sacerdotio Gregorius deponebat, immo pro qualitatibus delictorum, venialiter communione privabat. Unde Joanni episcopo Calliopolitano post aliqua

scribens, ait: «Matriculam quam frater et coëpiscopus noster Andreas Tarentinus episcopus fecit fustibus castigari, quamvis exinde post octo menses hanc obiisse non credamus, tamen quia eam contra propositi sui ordinem hujusmodi fecit affligi, duobus hunc mensibus a Missarum solemnitate suspende: ut vel haec eum verecundia, qualem se de caetero exhibere possit, instituat.»

§ 17. Si quando super sacerdotum criminibus erat aliquid ventilandum, cum summa districtione grandique cautela Gregorius uniuscujusque capituli modulos quaerens, sententiam suam difficulter promulgabat. Unde Natali Salonitano episcopo scribens, ait: «Cum cuncta negotia indagandae solicitudine veritatis indigeant, tum quae ad dejectionem sacerdotalium pertinent graduum, sunt districtius trutinanda: in quibus non tam de humanis constitutis, quam de divinae quodammodo benedictionis refragatione tractatur. Nunciatum siquidem nobis est. Florentium, Tauritanae civitatis episcopum, a quibusdam fuisse in causis criminalibus accusatum, et nullis canonicis probationibus exquisitis, nec sacerdotalis concilii praeveniente judicio, eum honoris officio non jure, sed auctoritate depositum. Quia ergo non potest quemquam episcopatus gradu, nisi justis ex causis, concors sacerdotum summovère sententia, hortamur fraternitatem vestram, ut praefatum virum ex eodem, in quod detrùsus est, ejici faciatis exilio, causamque ejus episcopali disceptatione perquiri. Et si in his, in quibus accusatus est, canonicâ fuerit probatione convictus, canonicâ proculdubio est ultione plectendus. Quod si alias quam de eo aestimatum est, synodali fuerit inquisitione compertum, necesse est, ut et criminatores justi districtionem juris exhorreant et incriminato innocentiae suae serventur illibata suffragia...» Item Constantino Mediolanensi: «Relectis epistolis quas ad nos per Maurinum latorem praesentium transmisistis, gratam nobis solicitudinem vestram fuisse rescripsimus quod eam, quae ad vos de fratre et coëpiscopo nostro Pompejo qui a nobis ita est nominandus, pervenit, causam dissimulare minime pertulistis. Sed si qualis fuit in requisitione cura, talis fuisset in discussione subtilitas, nihil ex hoc quod de eo dictum est, fuisset ambiguum, sed utrum verum, an esset compositum, patuisset. Quia jam contra ipsum dudum in Sicilia apud reverendae memoriae fratrem nostrum Maximianum episcopum talis quaestio, ut cognovimus, mota est: Sed quia causa ipsius subtili omnino investigatione quaesita est, inventus est innocens qui fuerat accusatus in crimine. Nunc igitur quoniam illa quae contra eum dicta sunt, non sub illa qua decuit districtione quaesita sunt et gesta quae exinde apud fraternitatem vestram confecta sunt, neque ad condemnationem, neque ad absolutionem ejus probantur posse sufficere: non levis res agitur, ut incaute,

Digitized by Google

vel in transcursu debeat diffiniri. Nam grave est satis et indecens, ut in re dubia certa dicatur sententia...»

§ **18**. Item Joanni defensori post aliqua: « Quia, inquit, Stephanus episcopus in odio suo quaedam ficta et de falsis se capitulis accusatum neque aliquid ordinabiliter factum, sed injuste se asserit condemnatum, diligenter quaerendum est, primo si judicium ordinabiliter est habitum, si alii accusatores, alii testes fuerunt. Deinde causarum qualitas, si digna exilio vel depositione fuit, si eo praesente sub jurejurando contra eum testimonium dictum est: si scriptis actum est, si ipse licentiam respondendi et defendendi se habuit, sed et de personis accusantium ac testificantium subtiliter quaerendum est, cujus vitae, cujus conditionis, cujusque opinionis, aut ne inopes sint, ne forte aliquas contra praefatum episcopum inimicitias habuissent.» Utrum testimonium ex auditu dixerunt, aut certe se scire specialiter testati sunt. Si scriptis judicatum est et partibus praesentibus sententia recitata est. Quod si forte haec solemniter acta non sunt, neque causa probata est quae exilio vel depositione digna sit, in ecclesiam suam modis omnibus revocetur.

§ **19**. Auctoritatem quorumlibet summorum Pontificum Gregorius auctoritatis suae magnitudine nullo modo minuebat, quin potius multipliciter roborabat. Et quamvis inter culpabiles auctoritatem sui prioratus agnosceret, tamen inter insontes episcopos se praebebat prorsus aequalem. Quapropter Joanni Syracusano episcopo inter caetera scribens, ait: « Quod primas Byzacenus a suis episcopis impetitus, se sedi Apostolicae dicit subjici, si qua culpa in episcopis invenitur nescio quis ei episcopus subjectus non sit. Cum vero culpa non exigit, omnes episcopi secundum rationem humilitatis aequales sumus etc.» Item in libro Regulae Pastoralis. « Liquet, inquit, quod omnes homines natura aequales genuit, sed variante meritorum ordine, alios aliis culpa postponit. Ipsa autem diversitas quae accessit ex vitio, divino judicio dispensatur: ut quia omnis homo aeque stare non valet, alter regatur ab altero. Unde cuncti qui praesunt, non in se potestatem debent ordinis, sed aequalitatem pensare conditionis*: Nec praeesse hominibus gaudeant, sed prodesse. Antiqui etenim patres nostri non reges hominum, sed pastores pècorum fuisse memorantur: et cum Noë Dominus filiisque ejus diceret, *Crescite et multiplicamini, et replete terram:* protinus adjunxit: *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terrae*. Quorum videlicet terror ac tremor quia esse super animantia terrae praecipitur, profecto esse super homines prohibetur. Homo quippe brutis animalibus, non autem hominibus caeteris naturâ praelatus est. Et idcirco ei dicitur, ut ab animalibus et non ab homine timeatur: Quia contra naturam superbire est, ab aequali velle

* Nota documenta pro civilibus et Ecclesiasticis Rectoribus. (§§ 19, 20, 21).

Digitized by Google

timeri. Et tamen necesse est, ut rectores a subditis timeantur, quando ab eis Deum minime timeri deprehendunt: ut humana saltem formidine peccare metuant qui divina judicia non formidant. Nequaquam tamen praepositi ex hoc quaesito timore superbiunt, in quo non suam gloriam, sed subjectorum justitiam quaerunt. In eo enim quod metum sibi a perverse viventibus exigunt quasi non hominibus, sed animalibus dominantur. Quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam formidini jacère substrati.

§ 20. «Sed plerumque rector eo quo ipse caeteris praeminet, elatione cogitationis intumescit: et dum ad usum cuncta subjacent, dum ad votum velociter jussa complentur, dum omnes subditi, si qua bene gesta sunt, laudibus efferunt, male gestis autem nulla auctoritate contradicunt, dum plerumque laudant etiam quae reprobare debuerant, seductus ab his quae infra suppetunt, super se animus tollitur: et dum fortis immenso favore circumdatur, intus veritate vacuatur, atque oblitus sui, in voces se spargit alienas, talemque se credit, qualem foris audit, non qualem intus discernere debuit. Subjectos despicit, eosque aequales sibi naturae origine non agnoscit: et quos sorte potestatis excesserit, transcendisse etiam vitae meritis credit. Cunctis se aestimat amplius sapere, quibus se videt amplius posse. In quodam quippe se constituit culmine apud semetipsum, et qui aequa caeteris naturae conditione constringitur, ex aequo caeteros respicere dedignatur. Sicque usque ad ejus similitudinem ducitur, de quo scriptum est: Omne sublime videt et ipse est rex super universos filios superbiae. Qui singulare culmen appetens et socialem angelorum vitam despiciens, ait: Ponam sedem meam ad Aquilonem, et ero similis Altissimo. Miro ergo judicio intus foveam dejectionis invenit, dum foris se in culmine potestatis extollit. Apostatae quippe angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. Sic Saul post humilitatis meritum, in tumorem superbiae culmine potestatis excrevit. Per humilitatem quippe praelatus est et per superbiam reprobatus, Domino attestante qui ait: Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israël? Parvulum se prius in suis oculis viderat: sed fultus temporali potentiâ, jam se parvulum non videbat. Caeterorum namque comparationi se praeferens, quia plus cunctis poterat, magnum se prae omnibus aestimabat. Miro autem modo cum apud se parvulus, apud Deum magnus: cum vero apud se magnus apparuit, apud Deum parvulus fuit. Plerumque ergo dum ex subjectorum affluentia animus inflatur, in luxum superbiae ipso potentiae fastigio lenocinante corrumpitur. Quam videlicet potentiam bene regit qui et tenere illam noverit et impugnare. Bene hanc regit qui scit per illam super culpas èrigi, scit cum illa caeteris aequalitate

Digitized by Google

componi. Humana etenim mens plerumque extollitur, etiam cum nulla potestate fulcitur. Quanto magis in altum se èrigit, cum se ei etiam potestas adjungit? Quam tamen potestatem recte dispensat qui solicite noverit et sumere ex illa quod adjuvat et expugnare quod tentat: et aequalem se cum illa caeteris cernere et tamen se peccantibus zelo ultionis anteferre.

§ 21. « Sed hanc discretionem plenius agnoscimus, si pastoris primi exempla cernamus. Petrus namque auctore Deo, sanctae Dei ecclesiae principatum tenens, a bene agente Cornelio, et sese ei humiliter prosternente, immoderatius venerari recusavit, seque illi similem recognovit, dicens: Surge, ne feceris: et ego ipse homo sum. Sed cum Ananiae et Saphirae culpam reperit, mox quantâ potentiâ super caeteros excrevisset, ostendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutante deprehendit: Et summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod honore sibi vehementer impenso, coram bene agentibus fratribus non agnovit. Illic quippe communionem aequalitatis meruit sanctitas actionis, hic zelus ultionis jus aperuit potestatis. » Et paulo post: « Sed cum delinquentes subditos praepositi corrigunt, restat necesse est, ut solicite attendant, quatenus per disciplinae debitum, culpas quidem jure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam aequales se ipsis fratribus, qui corriguntur, agnoscant. Quamvis plerumque etiam dignum est, ut eosdem quos corrigimus, tacita nobis cogitatione praeferamus. Illorum namque per nos vitia disciplinae vigore feriuntur: in his vero, quae ipsi committimus, ne verbi quidem ab aliquo invectione laceramur. Tanto ergo apud Dominum obligatiores sumus, quanto apud homines inulte peccamus. »

§ 22. * Sicut convictum de crimine sine vindicta canonica Gregorius neminem relinquebat sic nimirum falsarium delatorem regulari tramite puniebat. Unde Anthemio subdiacono scribens, ait: « Cum fortius punienda sint crimina, quae insontibus, et maxime sacris ordinibus ingeruntur, quam sitis culpabiles omnes, qui in causa Joannis diaconi resedistis, attendite, ut Hilarium, criminatorem ejus, nulla ex definitione vestra poena veniens castigaret. Nec illud ad excusationem vestram ésse credatis idoneum, quod vobis quasi judicare volentibus, solus frater et coëpiscopus noster Paschasius dicitur distulisse. Nam si zelus in vobis rectitudinis viguisset, facilius uni a multis rationabiliter suaderi, quam multi ab uno poterant sine causa differri. Quia ergo tantae nequitiae malum non debet sine ultione transire, suprascriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, ut eumdem Hilarium prius subdiaconii, quo indignus fungitur, privet officio, atque verberibus publice castigatum, faciat in exilium deportari: ut unius poena, multorum possit esse correctio. Cujus

* Quod mendaces delatores, calumnias inferentes talione mulctaverit.

Digitized by Google

si forte levitatem diaconii sui adhuc opinio lacerata non commovet, et in hoc, quod non credimus, torpens extiterit, experientia tua haec, quae diximus, faciat, et de illius nobis neglectu renunciet. » Idcirco Gregorius non probantem quod objecerat subdiaconum officio jubet privari: quia juxta canonicas patrum sententias, qui calumniam illatam non probat, poenam debet incurrere, quam, si probasset, reus utique sustineret. Ac per hoc quia subdiaconus crimen diacono probare non potuit, quoniam impositionem manus, quâ carere potuisset, non habuit, non sacerdotio, sed officio caruit, et tanquam re vera infamis, meruit verberibus castigari. Nam cui cum tribus testibus veluti laico crimen quodlibet approbatur, non est mirum, quod objecit, dum probare non sufficit, si corporali infamiae, quemadmodum laicus, ex juris similitudine subjugatur. Quod enim esset diacono gradum amittere, hoc fuit subdiacono famae plenitudine caruisse.

§ **23**. Crimina semel audita Gregorius indiscussa nullo modo praeteribat, etiamsi accusatus cum accusatore suo redisset in gratiam. Quapropter universis episcopis Corinthi scribens, ait: « Desiderii nostri est ad concordiam redigere discordes, et unitos esse in gratia eos, quos divisos ab alterutra dilectione voluntatis facit esse diversitas. Scripta igitur fraternitatis vestrae relegentes, agnovimus quod hi, qui contra Adrianum fratrem et coëpiscopum nostrum aliqua dixerant, modo cum eodem episcopo in amicitiam convenissent, et magna nobis ad praesens facta est de eorum unitate laetitia. Sed quoniam ea, quae dicta sunt, indiscussa remanere non pàtimur, sedis nostrae diaconum ad ea investiganda dirigimus: quia nunciati nos facinoris qualitas vehementer impellit, ut ea, quae audivimus, dissimulare nullàtenus debeamus. Praesertim cum accusatores et accusatum inter se fecisse gratiam indicastis, hoc nobis necesse est subtilius perscrutari, ne fortasse eorum sit comparata concordia. Quae si, quod absit, non ex charitate, sed ex praemio facta constiterit, majori hoc emendatione plectendum est. Nam nos, qui canonice, revelante Deo, mala, si quidem vera sunt, resecare praecedentia festinamus, commissam postmodum culpam sine vindicta nulla ratione dimittimus. »

§ **24**. Consueta clericorum stipendia nullis quarumlibet aegritudinum occasionibus misericordissimus pater Gregorius retrahebat. Unde Candido episcopo Urbis veteris scribens, ait: « Cum percussio corporalis, utrum pro purgatione an pro vindicta contingat, Dei in hoc judicium ignoratur, non debet a nobis addi flagellatis afflictio, ne nos culpae, quod absit, offensa respiciat. Et quia praesentium lator Calumniosus pro hac percussione quam sustinet, consueta sibi commoda ab ecclesia vestra asserit denegari, idcirco fraternitatem tuam praesentibus hortamur epistolis, quatenus nihil eum ad percipienda quae consueta sunt, haec aegritudo debeat impedire. Quia diversis in Ecclesia militantibus,

Digitized by Google

varia, sicut nosti, saepe contigit infirmitas. Et si hoc fuerint exemplo deterriti, nullus decaetero, qui Ecclesiae militet, poterit inveniri. Sed secundum loci ejus ordinem quaeque ei, si sanus esset, poterant ministrari: de ipsa exiguitate, quae ecclesiae potest accidere, fraternitas tua, divini contemplatione judicii, aegrotanti praebere non desinat. »

§ 25. Episcoporum venerabilium factas propriis clericis sponsiones, Gregorius Apostolicae sedis auctoritatibus roborabat. Unde Joanni Panormitano episcopo scribit, dicens: « Implenda semper sunt postulantium desideria, quoties illa poscuntur, quae a ratione non deviant. Et ideo quia quaedam capitula, quae servaturum te clericis tuis petentibus promisisti, nostra ab eis postulatur auctoritate firmari; fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut ea, quae praesentia scripta continent, sine aliqua debeat refragatione servare. Primum, ut de reditibus ecclesiae quartam in integro portionem ecclesiae tuae clericis, secundum meritum vel officium sive laborem suum, ut ipse unicuique dare prospexeris, sine aliqua praebere debeas tarditate. De hoc vero, quod ex fidelium oblatione accesserit, itidem quartam partem in solidis vel cellario eis, juxta pristinam consuetudinem, dare non differas. Reliqua autem mobilia omnia in tua retineas potestate: immobilia cuncta ecclesiasticis reditibus aggregentur: ut multiplicata quantitate clericorum tuorum usibus, Deo largiente, proficiant. Tabellarium autem una cum consensu seniorum et cleri memineris ordinandum, qui annis singulis, ad amputandam fraudis suspicionem, solemniter suas debeat rationes exponere. Vindemiarum vero tempore idem clerus emendi vinum de possessionibus ecclesiae tuae ad justa pretia, inquantum vendendum est, remedium consequatur. Nam satis contra rationem est, ut quod potest extraneis venùndari, clericis dato pretio denegetur. Possessiones igitur vel si qua sunt alia Ecclesiastico juri competentia, et ab extraneis indebite detinentur, cum omni studio, servata civilitate, in jus ecclesiae tuae reparare festina, ut negligens in aliquo videri non valeas. Si quid vero de quocumque clerico ad aures tuas pervenerit, quod te juste possit offendere, facile non credas, nec ad vindictam te res accendat incognita: sed praesentibus ecclesiae tuae senioribus, diligenter est veritas perscrutanda: et tunc si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpam feriat delinquentis. Haec itaque omnia sic solicite ac mansuete studii tui sit custodire, quàtenus nec tu promissionis tuae videaris immemor extitisse, nec illi justam contra te occasionem invenire valeant murmurandi. »

§ 26. Purgantes se a crimine cujuslibet haeresis, Gregorius non solum recipiebat, immo etiam Catholicos declarabat. Unde Joanni Constantinopolitano episcopo scribit, dicens: « Sicut haereticorum pravitas zelo rectae fidei comprimenda, ita verae

Digitized by Google

confessionis est integritas complectenda. Nam si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium fides adducitur, atque errores ex incauta districtione mortiferi generantur. Et hinc non solum errantes oves ad caulas minime Dominicas revocantur, sed etiam intus positae, ferinis dentibus laniandae crudeliter exponuntur. Hoc ergo subtiliter frater reverendissime perpendamus, ut sub praetextu haeresis affligi quempiam, veraciter profitentem fidem catholicam, non sinamus. Valde enim mirati sumus, cur hi, qui in causa fidei judices contra Joannem Chalcedonensis ecclesiae presbyterum, a vobis fuerant deputati, negligentes veritatem, opinioni crediderunt, et credere districte profitenti noluerunt: maxime cum accusatores ipsius, Marcionistarum, quam memorabant, haeresim, unde eum reum moliebantur efficere, interrogati quae esset, nescire se manifesta professione responderint Ex qua re evidenter agnoscitur, quia personam ipsius sine Dei respectu non juste, sed contra animas suas sola gravare voluntate tantummodo voluerint. Nos itaque facto concilio, sicut gestorum apud nos habitorum tenor ostendit, cuncta, quae erant necessaria subtiliter perscrutantes atque tractantes, quoniam in nullo antedictum praesbyterum reum invenire potuimus, praecipue quia libellus, quem delegatis a vobis judicibus obtulit, rectae fidei per omnia sinceritati concordat: eapropter eorumdem judicum reprobantes sententiam, nostra eum diffinitione Catholicum, et ab omni haereticorum crimine liberum esse, Christi Dei Redemptoris nostri gratiâ revelante denunciavimus. » Item Mauritio Imperatori post pauca: « Relatis in concilio, quae contra Joannem ecclesiae Chalcedonensis presbyterum acta sunt, simul et serie judicati, majorem illum injustitiam sustinuisse cognovimus. Quippe quem clamantem se atque monstrantem esse catholicum, non reatus culpa, sed diu accusatio incerta protrivit, intantum, quia accusatores ipsius, Marcionistarum, quam memorabant, haeresim nescire se aperta responsione professi sunt. Et qui ilico in ipso judicii fuerant limine repellendi, in accusatione ejus incerti permanere permissi sunt. Sed ne ficta eum saltem lacerare potuisset opinio, libellum fidei obtulit, in quo se patenter ostendere fidei rectae professorem studuit et sequacem. Sed hunc a sanctissimo Joanne coëpiscopo meo judices deputati, injuste ac irrationabiliter negligentes, dum in ejus se nisi sunt occupare gravamine, se potius reprehensibiles ostenderunt. Nam nullus ambigit infidelitatem esse, fidem fidelibus non habere. »

§ **27**. Item Athanasio presbytero de Isauria: « Sicut de eis, quos ab unitate Ecclesiae haereticae pravitatis error abscidit, affligimur et dolemus: ita de his, quos intra sinum suum Catholicae fidei professio continet, congaudemus. Et ut pastorali solicitudine illorum nos oportet impietatibus obviare, sic piis horum

Digitized by Google

professionibus congruit favorem impendere, et sincera esse, quae sapiunt, declarare. Atque ideo, dum tibi ab Athanasio presbytero monasterii sancti Melae, cui est vocabulum Tannaco, quod in Licaonia est provincia constitutum, contraría integrae fidei orta suspicio est, ut professionis tuae potuisset integritas apparère, ad Apostolicam sedem, cui praesidemus, elegisti recurrere: asserens etiam te corporaliter verberatum, aliqua injuste ac violenter fecisse. Et quamquam ea, quae vi impulsionis fiunt, canonum minime censura recipiat, et jure habeantur infirma, quia ipse ea dissolvit, qui injustum fateri compellit: sed magis illa est suscipienda et amplectenda confessio, quae ex spontanea monstratur voluntate procedere, sicut apud nos fecisse dinosceris. Ne quid tamen nobis ambiguum potuisset existere, sanctissimo Joanni, quondam fratri nostro Constantinopolitanae civitatis Antistiti, de te praevidimus scribendum, ut suis nos, quid actum esset, epistolis informaret. Qui saepe a nobis admonitus, rescribens, innotuit, quemdam codicem apud te fuisse inventum, quo plura continebantur haeretica: et ob hoc adversus dilectionem tuam fuisse commotum. Quem quia ad nos studuit pro satisfactione transmittere, priores ejus partes solicita lectione percurrimus. Et quoniam manifesta in eo haereticae infectionis venena repèrimus, ne denuo debuisset legi, vetùimus. Sed quia hunc te simpliciter legisse testatus es, et ad amputandam ambiguae suspicionis materiam, libellum nobis manu tua porrexisti perscriptum, in quo fidem tuam exponens, omnes generaliter haereses, vel quicquid adversus Catholicae professionis integritatem est, apertissime condemnasti, et cuncta, quae sanctae quatuor universales synodi recipiunt, te semper recepisse ac recipere, quae condemnaverunt, condemnasse condemnareque professus. Eam quoque synodum, quae Imperatoris Justiniani temporibus de tribus Capitulis (*a*) facta est, te et suscipere, et custodire promisisti:

(*a*) Celeberrimam TRIUM CAPITULORUM contentionem quae Ecclesiam turbavit ab DXLIV ad DCII, in odium Synodi Chalcedonensis haeretici excitarunt, schismatici postea reverentiae in eamdem Syn. praetextu foverunt. Origenistas cum Eutychianis atque aliis id genus monstris damnaverat Concilium Chalcedon. Oecumenico IV, anni CCCCLI praesidentibus S. Leonis Magni Legatis. Vaferrime tunc Theodorus Caesareensis Eutychianus ac Origenistarum fautor discordiae zizania seminavit, atque ut Concilium deprimeret, Justiniano qui, cum regali sceptro, Pontificale Pastoris baculum temere tractandum susceperat, facile suasit, dissidia inter Eutychianos et Catholicos fore sopita, si Episcopi Iba Edessenus ac Theodorus Mopsuestiae (quos Concilium, proscriptis eorum libris, in communionem tamen receperat) nec non Theodorus Cyrri, anathemate dejicerentur. Tria haec constituebant Capitula, proinde in hos anathematismus *Trium Capitulorum* damnatio coepit appellari. Dolo imprùdens fallitur Imperator; instat ergo, urget ut Apostolica Sedes petitis assentiatur; Vigilius Papa caute primum sententiâ supersedet; morarum impatiens Justinianus edictum damnationis promulgat, extorto per subscriptionem plurimorum Orientalium Antistitum consensu. At Occidentalis Episcopatus, cui perfidi Theodori techna suboleverat, renuit. Concilium itaque impetrat Justinianus; cogit Constantinopoli Vigilius; sed pauci adeunt Occidentalium. Nihil Chalcedonensis venerandae auctoritati videtur dètrahi; Vigilius per Litteras Synodicas sententiâ damnationis significat non abhorrere. Hinc Occidentales vehementer commoti, quare Pontifex litteris ad interim abrogatis, egit cum Imperatore de Synodo generali celebranda quae pari constaret Occidentalium et Orientalium Patrum numero. Perpauci denuo Constantinop. conveniunt Latini; nihil igitur quoad Concilium. Rursus tum Justinianus moras rumpens sententiam in Capitula edicit, quod cum Pontifici jure improbetur, Justinianus celeriter Concilium haberi curat; intersunt Graecorum plerique, rari Latini. Quod in tanto negotio Vigilius egerat, laudatur; *Tria Capitula Chalcedon.* damnantur: Vigilius, utpote qui compertum haberet Orthodoxam fidem

Digitized by Google

et prohibitus a nobis codicem ipsum legere, in quo pestiferae fraudis virus innexum est, libentissime consensisti: rèprobans etiam atque condemnans omnia, quae in eo contra Catholicae fidei integritatem dicta vel latenter inserta sunt, nec eum te legere denuo promisisti. Hac ratione permòti, postquam etiam ex probata a te libelli paginâ, et fides tua nobis catholica Deo custodiente perclaruit, ab omni te haereticae perversitatis macula, juxta professionem tuam, liberum esse decernimus, et catholicum atque sincerae in omnibus fidei professorem ac sequacem, Jesu Christi salvatoris gratiâ, claruisse pronunciamus. Liberam quoque tribuendo licentiam, ad tuum monasterium in tuo te loco vel ordine nihilominus remeare. »

§ **28**. Schismaticos ad recipiendam satisfactionem venire Gregorius invitabat. Quibus, etiam si numquam ad unitatem Ecclesiae redire voluissent, nullam se facturum violentiam promittebat. Unde Petro et Prudentio episcopis de Istria scribens, ait: « Deus qui laetatur in unitate fidelium, et revèlat quaerentibus veritatem, cordi vestro, dilectissimi fratres, aperiat, quanto vos desiderio in gremio cupiam sanctae universalis Ecclesiae contineri, et in ejus manere unitate concordes. Quod fore non dubito, si abjecto contentionis stimulo, satisfieri vobis veraciter de his, de quibus est dubietas, intendatis. Remeantis autem Castorii notarii mei relatione edoctus sum, fraternitatem vestram ad me habere desiderium veniendi, si promissum fuerit, quia nullam molestiam sustinebit. Hoc ego cognoscens, et opto, et succensus ardore charitatis invito, ut ad me veniendi debeatis laborem assumere, quatenus pariter conferentes, quae vera et Redemptori nostro sunt placita, et communiter loquamur, et modis omnibus teneamus. Ego vero divinae gratiâ protectionis suffragante, satisfacere vobis, de quibus dubitatis, paratus sum: et confido de omnipotentis Dei nostri clementiâ, quia ita vobis satisfactio mea interius inhaerebit, ut nihil charitati vestrae decaetero possit ambiguum remanere. Nam illa, quae sanctissimae quatuor Synodi sapuerunt atque diffinière, et praedecessor noster Leo sanctissimus Papa, ita et nos sàpimus, sèquimur ac tenemus, nec ab eorum fide aliquo modo dissentìmus. Sed quia plus persona praesens, quam epistola satisfacit: hortor, dilectissimi fratres, ut ad me venire, sicut praefatus sum, debeatis, dummodo ratione percepta, a concordia sanctae universalis Ecclesiae dissensio vos nulla dissociet. Hoc tamen certa vestra sit charitas, quia vos et cum affectu, quo decet, suscipio, et cum gratia relaxabo. Nec

incolumem, dum de Personis non de Dogmate ageretur, decreta sancire non dubitavit. Anathemate interea sunt iterum perculsi Arius, Eunomius, Macedonius, Apollinaris, Acephali, Dioscorus, Nestoriani, Eutychiani, Origenistae. Synodus haec (anni DLIII) V Oecumenica dicta est. Inter paucos qui hanc pervicaciter rejicerent Episcopi fuerunt Istriae et Venetiarum, instigantibus Paullino Aquilejensi Patriarcha et Elia Gradensi. Extinctum denique schisma, anno DCII, per conversionem Episcopor. Istriae Prudentii ac Petri, et Firmini Tergestini (*Trieste*) Antistitis, sollicitâ sapientique S. Gregorii Magni operâ partam.

Digitized by Google

aliquam vos vel quoscumque alios, qui pro hac ad me causâ venire voluerint, afflictionem vel molestiam sustinere permitto. Sed seu ad consentiendum mihi cor vestrum misericordia divina compunxerit, sive, quod absit, in ea vos durare dissensione contigerit, ad propria vos remeare, quando volueritis, juxta promissionem meam, sine laesione vel molestia relaxare curabimus.

§ **29**. Severum Aquilejensem episcopum, caput totius schismatis * existentem, Romam venire compellit, dicens: « Sicut gradientem per dèvia, carpentem denuo rectum tramitem, tota Dominus aviditate complectitur: ita demum de deserente cognitam veritatis viam, majori moerore quam gaudio, quo de convertente laetatus fuerat, contristatur. Quia minoris excessus est veritatem non cognoscere, quam in eadem àgnita non manere: aliudque est, quod ab errante committitur, aliud, quod per scientiam perpetratur. Et nos siquidem quanto incorporatum te jampridem fuisse in unitate Ecclesiae gavisi fueramus, tanto abundantius nunc dissociatum a Catholica societate confundimur. Pro qua re... ad beati Petri Apostoli limina cum tuis sequacibus venire te volumus, ut auctore Deo aggregatâ Synodo, de ea, quae inter vos vertitur, dubietate judicetur.» At Severus Apostolicâ simul imperialique jussione coactus, imminente Senaragdo Exarcho, simulque Antonio Ecclesiae Romanae defensore, Ravennam perducitur. Ubi vèritus cum Gregorio synodalem subire conflictum, ad unitatem sanctae universalis Ecclesiae, mediante Joanne Ravennati pontifice, remeavit. Sed cum post anni spatium ad propria redisset, ab aliis schismaticis persuasus, non solum ad pristinum vomitum rediit, verum etiam Mauritii, Deo semper adversi, jussione surreptâ, qua jubebatur, ut schismatici redire ad unitatem Ecclesiae minime cogerentur, reliquis episcopis Ecclesiae se jungentibus, maximas seditiones conflabat. Quapropter Gregorius neminem jam revertentium sine cautione juratoria penitus suscipere satagebat. Qua praestitâ, hujusmodi literis eidem patricio Exarcho commendabat: « Firminus frater et coëpiscopus noster, Tregestinae ** antistes ecclesiae, ante adventum vestrae excellentiae sàlubri consilio a schismate, cui inhaeserat, resipiscens, atque ad unitatem matris Ecclesiae rediens, nostris est epistolis confirmatus, quatenus in verae, quam agnoverat, sinu matris Ecclesiae fortitudine animi fixus ac stabilis permaneret. Quo audito, Severus Gradensis Episcopus, ejusdem caput schismatis, eum diversis primum coepit, si posset, suasionibus a bono revocare proposito. Quod dum perficere auctore Deo minime valuisset, seditionem illi suorum civium excitare non timuit. Quanta vero praedictus frater et coëpiscopus noster Firminus ex eadem immissione pertulerit, plenius illic ac veracius e vicino poteritis agnoscere. Directis

* *Trium Capitulorum* de quibus supra.
** Italis *Trieste* in austriaco Adriatici maris litore.

Digitized by Google

itaque excellentiae vestrae jussionibus, his, qui in Istriae partibus locum vestrum agere, Deo auctore, noscuntur, districtius jubete, quatenus et saepedictum fratrem nostrum ab illatis defensore molestiis et quietem illius, multis ad imitandum profuturam, modis omnibus procurare. » Denique Severus quia ad unitatem sanctae universalis Ecclesiae redire non meruit, ad scindendum quoque suae ipsius dioecesis unitatem, Romanum Pontificem sua vecordiâ suscitavit: adeo ut ab ipso illius obitus tempore, Aquilejensis dioecesis in duo metropolitanos, Catholicorum videlicet et schismaticorum, divisa sit. Neque potuit postmodum, licet omnes generaliter ad unitatem de schismate repedaverint, ad pristinae conjunctionis unionem usque hactenus reformari.

§ **30**. Sicut nulli clericorum pro infirmitate corporis quartarum subsidia Gregorius minuebat, ita nulli pontificum pro aegritudine qualibet succedendum fore docebat. Unde Anatolio Constantinopolitano subdiacono rescribens, ait: « Scripsit mihi dilectio tua piissimum dominum nostrum reverentissimo fratri nostro, primae Justinianae episcopo, pro aegritudine capitis, quam patitur, praecipere succedi, ne fortasse dum episcopi jura èadem civitas non habet, quod absit, ab hostibus pereat: et quidem nusquam Canones praecipiunt, ut pro aegritudine episcopo succedatur. Et omnino injustum est, ut si molestia corporis irruit, honore suo privetur aegrotus. Atque ideo hoc per nos fieri nullàtenus potest, ne peccatum in mea anima ex ejus depositione veniat. Sed suggerendum est, ut si is, qui est in regimine, aegròtat, dispensator illi talis requiratur, qui possit ejus curam omnem agere, et locum illius in regimine ecclesiae, ipso non deposito, ac in custodia civitatis implere, ut neque Deus omnipotens offendatur, neque civitas inveniatur esse neglecta. Si vero idem reverentissimus Joannes fortasse pro molestia sua petierit, ut ab episcopatus honore debeat vacare, eo petitionem scripto dante, concedendum est. Aliter autem nos id facere pro omnipotentis Dei timore omnimodo non valemus. Quod si hoc petere ille noluerit, quod piissimo Imperatori complacet, quicquid jubet facere, in ejus est potestate, sicut novit, ipse provideat. Nos tantummodo in depositionem insontis non faciat permisceri. Quod vero ipse fecerit, si canonicum est, sequimur: si vero canonicum non est, inquantum possumus sine peccato nostro, portamus. »

§ **31**. Pontificibus voluntarie suis renunciantibus sedibus *, successores Gregorius nullo modo denegabat, eosque postmodum de reditibus relictae ecclesiae sufficienter nutriendos esse censebat (Vide *Lib. 7, Epist. 49, Indict. 2*). Quare Eleutherio episcopo: « Quamvis triste nobis sit valde, quod loquimur, atque fraternâ nos magis compassione urgeat, quam de auditis aliquid diffinire permittat : suscepti tamen solicitudo regiminis cor

* **Praesertim morbi caussâ.**

Digitized by Google

nostrum instanti pulsat aculeo, magna nos ecclesiis cura prospicere, et antequam harum possit utilitas deperire, quod fieri debeat, Deo auctore disponere. Pervenit igitur ad nos, quemdam episcopum ita passionem capitis incurrisse, ut quae mente alienata agere soleat, gemitus et fletus audire sit. Ne ergo languente pastore, grex, quod absit, insidiatoris laniandus dentibus exponantur, vel ecclesiae ipsius utilitates depereant, cautâ nos necesse est provisione tractare. Et ideo quia vivente episcopo, quem ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco ejus, nisi recusante eo, nulla sinit ratio ordinari: si intervalla aegritudinis habere est solitus, ipse data petitione, nec se ulterius ad hoc ministerium, subvertente infirmitate, nec ad alia officia posse fateatur assurgere, et alium loco suo expetat ordinandum. Quo facto, omnium solemni electione alter, qui dignus fuerit, episcopus consecretur: sic tamen, ut quousque eumdem episcopum in hoc seculo vita tenuerit, sumptus ei debiti de eadem ecclesia ministrentur. Enim vero si nullo tempore ad sanae mentis redit officium, persona fidelis ac vitae est probabilis eligenda, quae ad règimen ecclesiae idonea possit existere, atque de animarum utilitate cogitare, inquietos sub disciplinae vindicta restringere, ecclesiasticarum rerum curam gerere, et maturum atque efficacem se in omnibus exhibere. Qui etiam, si episcopo qui nunc aegròtat, superstes extiterit, loco ejus debeat consecrari.»

§ **32**. Virginem stupratam Gregorius jubebat uxorem percipere, aut stupratorem ejus, castigatum verberibus, in monasterio deputare. Unde Felici Sipontino episcopo scribit, dicens: « Expectabamus fraternitatem tuam sua aliquos ad Deum praedicatione convertere et male agentes ad rectitudinem revocare. Qua de re nimis contristamur quia e diverso in nepotis tui Felicis pravitate, tua evidenter qui talem nutristi, culpa monstrata est. Pervenit itaque ad nos quod suprascriptus Felix, Evangelii diaconi tui filiam stupro deceperit. Quod si verum est, quamvis gravi esset de lege poena plectendus, nos tamen aliquatenus legi duritiam mollientes, hujuscemodi disponendo praecipimus, ut aut quam stupravit, uxorem habeat: aut certe si renuendum putaverit, districtus ac corporaliter castigatus excommunicatusque, in monasterium, in quo poenitentiam pèragat, retrudatur, de quo ei nulla sit egrediendi sine nostra praeceptione licentia.»

§ **33**. Virum sine uxoris propriae voluntate conversum, etiam si fuisset jam tonsuratus, Gregorius uxori reddi jubebat. Quapropter Adriano Panormitano notario scribens, ait: « Agathosa latrix praesentium questa est, maritum suum contra voluntatem suam in monasterio Urbici Abbatis esse conversum. Quod quia ad ejusdem Abbatis culpam et invidiam non est dubium pertinere, experientiae tuae praecipimus, ut diligenti inquisitione discutiat, ne forte cum ejus voluntate conversus sit, vel ipsa se

Digitized by Google

mutare promiserit. Et si hoc repererit, et illum in monasterio permanere provideat, et hanc, sicut promisit, mutare compellat. Si vero nihil horum est, nec quondam fornicationis crimen, propter quod viro licet uxorem dimittere, praedictam mulierem commisisse cognoveris, ne illius conversio, uxori relictae in seculo, fieri possit perditionis occasio, volumus ut maritum suum illi, etiam si jam tonsuratus est, reddere omni debeas excusatione cessante. Quia et si mundana lex praecipit, conversionis gratiâ, utròlibet invito, solvi posse conjugium, divina lex fieri non permittit. Nam excepta fornicationis causâ, virum uxorem relinquere, nulla ratione concedit. Quia postquam copulatione conjugii, viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti et ex parte in seculo permanere.»

§ **34**. Judaeorum perfidiam rationibus magis, quam violentiis excutere Gregorius decertabat. Quapropter Virgilio et Theodoro episcopis Galliarum post aliqua scribens, ait: « Plurimi Judaicae religionis viri, in hac provincia commanentes, ac subinde in Massiliae partibus pro diversis negotiis ambulantes, ad nostram perduxere notitiam, multos consistentium in illis partibus Judaeorum, vi magis ad fontem baptismatis quam praedicatione perductos. Nam intentionem quidem hujuscemodi et laude dignam censeo et de Domini nostri descendere dilectione profiteor. Sed hanc eamdem intentionem nisi competens scripturae sacrae comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde non proveniat, aut juxta aliquid animarum quas èripi volumus, quod absit, dispendia subsequantur. Dum enim quispiam ad baptismatis fontem, non praedicationis suavitate, sed necessitate pervenerit, ad pristinam superstitionem remeans, inde deterius moritur, unde renatus esse videbatur. Fraternitas ergo vestra hujuscemodi homines frequenti praedicatione pròvocet, quatenus mutare veterem magis vitam de doctoris suavitate desiderent. Sic enim et intentio nostra recte perficitur et conversi animus ad priorem denuo vomitum non mutatur. Adhibendus ergo illis est sermo qui et errorum spinas in ipsis urere debeat et praedicando quod in his tenebrescit, illuminet: ut pro his admonitione frequenti mercedem fraternitas vestra capiat, et eorum, quantas Deus donaverit, animas ad regenerationem novae vite perdùcat.» Item Victori episcopo Panormitano: « Sicut Judaeis non debet esse licentia, quicquam in synagogis suis ultra quam permissum est lege, praesumere: ita in his quae eis concessa sunt, nullum debent praejudicium sustinere *. »

§ **35**. Quemadmodum Judaeos violenter baptizari Gregorius denegabat, ita Christianos eis quoquomodo subjici, nullatenus permittebat. Unde Libertino Siciliae scribens, ait: « Fertur quod Nasas quidam sceleratissimus Judaeorum, sub nomine beati Eliae

* Nota a § 34 ad 40, quid sapientissime Gregorius circa Judaeos statuerit.

Digitized by Google

oratorium punienda temeritate construxerit, multosque illic Christianorum ad adorandum sacrilega seductione deceperit. Sed et Christiana, ut dicitur, mancipia comparavit et suis ea obsequiis ac utilitatibus deputavit. Dum igitur severissime in eum pro tantis facinoribus debuisset ulcisci, gloriosus Justinus medicamento avaritiae, ut nobis scriptum est, delinitus, Dei distulit injuriam vindicare. Gloria autem vestra haec omnia districta examinatione perquirat, et si hujuscemodi manifestum esse repererit, ita districtissime ac corporaliter in eumdem sceleratum festinet vindicare Judaeum, quatenus hac ex causa et gratiam sibi Dei nostri conciliet et his se posteris pro sua mercede imitandum monstret exemplis. Mancipia autem Christiana quaecumque eum comparasse patuerit, ad libertatem, juxta legum praecepta, sine ambiguitate perducite, ne quod absit, Christiana religio Judaeis quoquomodo subdita polluatur.» Item Venantio episcopo Lunensi: «Multorum ad nos relatione pervenit, a Judaeis in Lunensi civitate degentibus, in servitium Christiana detineri mancipia. Quae res nobis tanto visa est asperior, quanto a fraternitatis tuae patientia operosior. Oportebat quippe te respectu loci tui ac Christianae religionis intuitu, nullam relinquere occasionem superstitioni Judaicae, ne simplices animae non tam suasionibus quam potestatis jure quodammodo deservirent. Quamobrem hortamur fraternitatem tuam, ut secundum piissimarum legum tràmitem, nullo Judaeo liceat Christianum mancipium in suo retinere dominio: sed si qui penes eos inveniuntur, libertas eis tuitionis auxilio ex legum sanctione servetur.»

§ **36**. Judaeorum mancipia semel confugientia ad Ecclesiam, numquam quibuslibet suasionibus reddi jubebat. Unde Januario Caralitano episcopo inter caetera scribens, ait: «Pervenit ad nos, servos ancillasque Judaeorum fidei causâ ad Ecclesiam refugientes, aut infidelibus restitui dominis, aut eorum, ne restituantur, pretium dari. Hortamur igitur, ut nullatenus tam pravam consuetudinem manere permittas. Sed cum quilibet Judaeorum servus ad venerabilia loca fidei causâ confugerit, nullatenus eum patiamini praejudicium sustinere. Sed sive olim Christianus, sive nunc fuerit baptizandus, sine ullo Christianorum pauperum damno, religioso Ecclesiasticae pietatis patrocinio, in libertatem modis omnibus defendatur.»

§ **37**. Non solum Christiana mancipia Gregorius in libertatem pristinam legaliter revocabat, verum etiam pagana, ad fidem venire volentia, vendi nullo modo permittebat. Unde Fortunato Neapolitano episcopo inter caetera scribens, ait: «Fraternitatem vestram oportet esse solicitam, et si de Judaeorum servitio non solum Judaeus, sed etiam quisquam paganorum fieri voluerit Christianus, postquam voluntas ejus fuerit patefacta, ne hunc sub quolibet ingenio vel argumento cuipiam Judaeorum

venundandi facultas sit. Sedis qui ad Christianam converti fidem desiderat, defensione vestra in libertatem modis omnibus vindicetur. Hi vero quos hujuscemodi oportet servos amittere, ne forsitan utilitates suas irrationabiliter aestiment impediri, solicita vos hoc convenit consideratione servare: ut si paganos quos mercimonii causâ de exteris finibus emerint, intra tres menses, dum emptor, cui vendi debeant, inveniatur, fugere ad ecclesiam forte contigerit et velle se dixerint fieri Christianos, vel etiam extra ecclesiam hanc talem voluntatem prodiderint, pretium eorum a Christiano scilicet emptore percipiant. Si autem post praefinitos tres menses quisquam hujuscemodi servorum Judaicorum velle suum edixerit et fieri voluerit Christianus, nec aliquis eum postmodum emere, nec dominus qualibet occasionis specie audeat venundare, sed ad libertatis proculdubio praemia perducatur: quia hunc non ad vendendum, sed ad serviendum sibi intelligitur reservasse.»

§ 38. Pagana mancipia Judaeos, videlicet dominos suos, ad fidem praecedentia, in eorum servitium, etiam si ipsi eos ad Christianitatem subsequebantur, nullo modo revocabat. Unde Joanni Syracusano episcopo: «Felix, inquit, praesentium portitor questus nobis est, cum sit de Christianis natus parentibus, a quodam Christiano, Samaraeo se quod dici scelus est, esse donatum: et dum hujuscemodi superstitionis homines Christiana quolibet modo mancipia possidere, nec ratio legis, nec reverentia religionis admittat, se tamen per decem et octo annos in ejus asserit servitio permansisse: sed cognoscente hoc decessore vestro sanctae memoriae Maximiano, ab eo se zelo, sicut decuit, sacerdotali commoto, de Samaraei nefario servitio dicit liberatum. Sed quia ejusdem Samaraei filius post quinque annos factus dicitur Christianus, et suprascriptum Felicem in ejus servitium, quantum ipse dicit, quidam nituntur redigere, sanctitas vestra haec, quae edocti sumus, diligenter inquirat: et si ita ei esse constiterit, eum tuèri studeat et a nullo sub qualibet occasione gravari permittat: quia dum superstitiosae sectae mancipia, dominos suos ad fidem praecedentia, servitio eorum aperte rèdigi jura prohibeant, quanto magis hic de Christianis parentibus natus et factus a parvulo Christianus, hanc non debet quaestionem aliquo modo sustinere? maxime quia nec patris esse servus potuit, quem liquet ex prava potius praesumptione poenam posse venientem de legibus sustinere.

§ 39. Circumcidi saltem paganorum neminem Gregorius permittebat. Quamobrem Leoni Catanensi episcopo: «Res, inquit, ad nos omnino detestabilis et legibus inimica pervenit quae si vera est, fraternitatem tuam vehementer accusat, quia eam de minori solicitudine probat esse culpabilem. Comperimus autem, quod Judaei vel Samaraei degentes Catanae, pagana mancipia

Digitized by Google

emerint, atque ea circumcidere ausu temerario praesumpserint. Idcirco necesse est, ut omnimodo zelum in hac causa sacerdotalem exerceas, et cum omni hoc vivacitate ac solicitudine studeas perscrutari. Et si ita repèreris, mancipia ipsa sine mora in libertatem modis omnibus vendica, et Ecclesiasticam eis tuitionem impende. Nec quicquam dominos eorum de pretio quolibet modo recipere patiaris: qui non solum hoc damno mulctandi, sed etiam alia erunt poenâ de legibus feriendi. »

§ **40**. Sane quia Judaeorum perfidia zelum Christianorum datis contra se muneribus, ludificare solebat, non solum nil ab eis penitus capiebat, quinimmo eorum munera Gregorius execrabilia judicabat. Unde Recharedo regi Wisigothorum postea scribit, dicens: « Praeterea indico, quia crevit de vestro opere in laudibus Dei hoc quod dilectissimo filio meo Probino presbytero narrante cognovi: quia cum vestra excellentia constitutionem quandam contra Judaeorum perfidiam dedisset, hi de quibus prolata fuerat, rectitudinem vestrae mentis inflectere, pecuniarum summam offerendo moliti sunt. Quam excellentia vestra contempsit, et omnipotentis Dei placere judicio quaerens, auro innocentiam praetulit. Qua in re mihi David regis factum ad memoriam venit. Cui dum concupita aqua de cisterna Bethlehemitica quae inter hostiles cuneos habebatur, ab obsequentibus militibus fuisset oblata, protinus dixit: *Absit a me, ut sanguinem istorum hominum bibam*. Quam quia fudit, et bibere noluit, scriptum est: *Libavit eam Domino* (2 *Reg*. XXIII). Si igitur ab armato rege in sacrificium Dei versa est aqua contempta, pensemus quale sacrificium omnipotenti Deo rex obtulit qui pro amore illius non aquam, sed aurum accipere contempsit. Itaque fili excellentissime fidenter dicam, quia libasti aurum Domino quod contra eum habere nullo modo voluisti... Hinc est, quod, sicut a Majoribus traditur, et nos usque ad nostra tempora, dum adhuc pubesceremus, oculis nostris conspeximus, consuetudo vetus obtinuit, ut omnes superstitionis illius homines, quantumcumque pulcherrimâ mercimoniâ detulissent, numquam pontificalibus alloquiis fruerentur, numquam obtutibus Apostolicis potirentur: sed extra velum longissimae porticus, non quidem in scamnis, sed in marmoreo pavimento sedentes, suscepta pretia numerabant, ne videlicet viderentur aliquid de manu pontificis accepisse. Nam reverendae memoriae Nicolaus pontifex Arsenium quondam, Hortanae civitatis episcopum, Judaicas tunc primum pellicias introducere molientem, adeo aversatus est, ut ei palatinam processionem vellet adimere, nisi superstitiosae gentis vestes abjurando, cum sacerdotalibus infulis consuetudinaliter procedere studuisset. »

§ **41**. Antichristi praecursores, observari debere sabbatum praedicantes, Gregorius comminando taliter refutavit: « Pervenit ad me, quosdam perversi spiritus homines, prava inter vos aliqua

et sanctae fidei adversa seminasse, ita ut die sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud, nisi Antichristi praedicatores dixerim? qui veniens diem sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri *. Quia enim mori se simul et resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum. Et quia Judaizare populum compellit, ut exteriorem ritum legis rèvocet, et sibi Judaeorum perfidiam subdat, coli vult sabbatum. Hoc enim quod per Prophetam dicitur: Ne inferatis onera per portas vestras die sabbati: tamdiu teneri potuit, quamdiu legem licuit juxta literam custodiri. At postquam gratia omnipotentis Domini nostri Jesu Christi apparuit, praecepta legis quae per figuram dicta sunt, juxta literam servari non possunt. Nam si quis dicit hoc de sabbato esse servandum, dicat necesse est, etiam carnalia sacrificia persolvenda, dicat praeceptum quoque de circumcisione corporis adhucusque retinendum, sed contra se Paulum Apostolum audiat dicentem: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest* (*Galat.* VI). Nos itaque hoc, quod de sabbato scriptum est, spiritualiter accipimus, spiritualiter retinemus. Sabbatum enim requies dicitur. Verum autem sabbatum, ipsum redemptorem nostrum Jesum Christum Dominum habemus. Et qui lucem fidei ejus cognoscit, si peccata concupiscentiae ad mentem per oculos trahit, in die sabbati onera per portas introducit. Non ergo in die sabbati onera per portas introducimus, si in Redemptoris nostri gratiâ constituti, pondera peccati ad animam per sensus corporeos non trahamus. Nam idem Dominus ac redemptor noster, multa in die sabbati legitur operatus, ita ut Judaeos reprehenderet, dicens: *Quis vestrum bovem aut asinum suum non solvit in die sabbati, et ducit adaquare?* Si ergo ipsa per se Veritas non custodiri juxta literam sabbatum praecepit, quisquis otiosus sabbatum secundum legis literam custodit, cui alteri, nisi ipsi Veritati contradicit? Aliud quoque ad me perlatum est, vobis a perversis hominibus esse praedicatum, ut Dominicorum die nullus debeat lavari. Et quidem si pro luxu animi atque voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus**. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec Dominico die prohibemus. Scriptum quippe est: *Nemo unquam carnem suam odio habet, sed nutrit et fovet eam (Ephes.* v). Et rursum scriptum est: *Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* XIII). Qui igitur carnis curam in concupiscentiis fieri pròhibet, profecto in necessitatibus concedit. Nam si Dominicorum die corpus lavare peccatum est, lavari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc, exigente necessitate, toti corpori denegetur? Dominicorum vero die a labore terreno cessandum est, atque omnìmodo orationibus insistendum: ut si

* Judaizantium inter Christianos Sabbatum rèprobat.
** Quod stulte quidam autumarent nec corpus lavare Dominico die licere.

Digitized by Google

quid negligentiae per sex dies agitur, per diem Resurrectionis Dominicae precibus expietur. »

§ 12. Pro barbarorum incursionibus bis in hebdomada fieri Litanias Gregorius decernebat. Quapropter universis episcopis Siciliae scribens, ait: « Super afflictiones et gemitus, quos annosa hic continuatione de hostibus sustinemus, major nos metus excruciat quod inimicos nostros omni annisu ad Siciliae invasionem cognoscimus festinare. Sed ne hoc illis molientibus, prosperitatem multitudo nostrorum praebeat peccatorum, toto nos corde ad Redemptoris nostri remedia conferamus, et quibus virtute resistere non possumus, lacrymis obviemus. Nam quid vobis cavendum, quidve sit vehementius formidandum, ex istius provinciae debetis desolatione colligere. Itaque hortor, fratres reverendissimi, ut omni hebdomadâ, quartâ et sextâ feriâ, Litaniam inexcusabiliter indicatis, et contra hos barbaricae crudelitatis incursus, supernae protectionis auxilium imploretis. » Eamdem Siciliam Simoniacâ haeresi libidineque sordentem, Gregorius, sicut modo cernitur, perituram praedixit, Maximiano Syracusano episcopo scribens: « Tanta nobis subinde mala quae aguntur in illa provincia, nunciantur, ut peccatis facientibus quod avertat omnipotens Deus, celeriter eam perituram credamus. »

§ 13. Sed et pejora prioribus esse futura, praesago spiritu Maximo Salonitano episcopo scribit, dicens: « Ad Romanam Urbem veniens communis filius presbyter Veteranus, ita me pòdagrae doloribus debilem rèperit, ut fraternitatis tuae epistolis per me respondere nullatenus valuissem. Et quidem de Sclavorum gente quae vobis valde imminet, et afflìgor vehementer, et turbor. Afflìgor in his quae jam in vobis patior: conturbor autem, quia per Istriae àditum jam ad Italiam intrare coeperunt. De Juliano autem Scribone quid dicam, quando ubique video, quia nobis peccata nostra respondeant, ut et foris a gentibus, et intus a perversis judicibus conturbemur? Sed nolite de talibus omnimodo contristari, quia qui post nos vixerint, deteriora tempora videbunt, ita ut in comparatione sui temporis, felices non aestiment dies habuisse. Inquantum vero praevalet fraternitas tua, opponere se pro oppressis debet. Quae etiam si prodesse minime valuerit, ipsa omnipotenti Deo mentis devotio sufficit, quam dedit. Scriptum est enim: *Eripe eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses* (*Prov.* XXIV). Quod si dixeris, Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit. In omni ergo quod agis inspectorem cordis appete habere placatum. Quicquid est, unde illi placeas, facere non omittas. Nam humani terrores et gratiae, fumo sunt similes qui leni aura raptus evanescit. Hoc certissime scito quia placere Deo et pravis hominibus, nullus potest. In tanto se ergo aestimet fraternitas tua omnipotenti Deo placuisse, quanto se perversis hominibus displicuisse

Digitized by Google

cognoverit. Ipsa tamen defensio pauperum, moderata et gravis sit, ne, si quid nimis rigide agitis, ex juventute vos arbitrentur homines superbire. Sed talis necesse est ut inveniatur pro oppressis vestra defensio, quatenus et humiles protectionem sentiant, et oppressores non facile inveniant quod ex malevola mente reprehendant. Attende ergo quod ad Ezechielem dicitur: Fili hominis, increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. Et beatus Job ait: Frater fui draconum, et socius struthionum. Et Paulus discipulis dicit: In medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo. Tanto ergo debemus cautius ambulare, quanto nos scimus inter Dei inimicos vivere.» Propterea Joanni episcopo post aliqua: «Si qui eorum, de quibus est aliqua quaestio, in ecclesiam fortasse refugerint, ita debet causa disponi, ut nec ipsi violentiam patiantur, nec hi qui dicuntur oppressi, damna sustineant. Curae ergo vestrae sit, ut eis sacramentum ab his, quorum interest, de servanda lege et justitia promittatur, et per omnia commoneantur exire, atque suorum actuum reddere rationem. Quibus etiam ecclesiae vestrae defensorem deputare vos convenit, cujus solicitudine, ea quae illis fuerint promissa serventur.»

§ **44**. Quantae humilitatis Gregorius fuerit, cum ex multis, tum ex his manifestissime poterit deprehendi, quod omnes quidem sacerdotes, fratres et comministros: clericos autem diversi ordinis, dilectissimo filios: at vero laicos viros, dominos: et foeminas, dominas in suis literis nominabat, neque ab aliquo se Summum Pontificem, aut Universalem sive Dominum vocari aequanimiter permittebat. Nam ut ea quae super hujusmodi comprehensa sunt, praetermittam, Rusticianae patritiae scribens, ait: «Excellentiae vestrae scripta suscepi quae me in gravissima aegritudine positum, de salute, de devotione, ac de dulcedine sua omnino relevarunt. Unum vero aegre suscepi, quia in eisdem epistolis ad me quod semel esse poterat, saepius dicebatur, Ancilla vestra et Ancilla vestra. Ego enim qui per episcopatus onera servus sum omnium factus *, qua ratione te mihi ancillam dicis, cujus ante susceptum episcopatum proprius fui? Et ideo rogo per omnipotentem Deum, ne hoc verbum aliquando ad me in scriptis vestris inveniam.»

§ **45**. Hujus humilitatis mansuetudine Gregorius non solum Theodelindae reginae Longobardorum pro Tribus Capitulis, verum etiam inter alios Savino quoque suo subdiacono satisfacere non renuit, dicens: «Exeuntes maligni homines, turbavere animos vestros, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant: Adstruentes quod aliquid de sancta Chalcedonensi synodo piae memoriae Justiniani temporibus sit imminùtum:

* **Primus ex Summis Pontificibus, Gregorius Magnus suis litteris formulam praemisit: Servus Servorum Dei.**

quam nos omni fide omnique devotione veneramur, et sic quatuor Synodos sanctae universalis Ecclesiae, sicut quatuor libros sancti Evangelii recipimus. De personis vero, de quibus post terminum synodi aliquid actum fuerat, ejusdem piae memoriae Justiniani temporibus est ventilatum, ita tamen, ut nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem personis aliud aliquid ageretur quam apud eamdem sanctam Chalcedonensem synodum fuerat constitutum. Anathematizamus autem, si quis ex definitione fidei quae in eadem synodo prolata est, aliquid imminùere praesùmit, vel quasi corrigendo ejus sensum mutare: sed sicut illic prolata est, per omnia custodimus. Te ergo, fili charissime, decet ad unitatem fidei remeare, ut finem tuum valeas in pace concludere, ne malignus spiritus qui contra te per alia opera praevalere non potest, ex hac causa inveniat, unde tibi in die exitus tui in aditu regni coelestis obsistat.»

§ **46**. Item Gregoriae cubiculariae Augustorum post caetera: « Quod dulcedo tua in suis epistolis subjunxit, importunam se mihi existere, quousque scribam mihi esse revelatum, quia peccata tua dimissa sint, rem et difficilem et inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat: inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes nisi cum jam in die vitae tuae ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quae dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida, metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare.» Item Anastasio presbytero Isauriae post aliqua: «Tua itaque fraternitas quantum in charitate perfecta sit, scio. Et quia omnipotentem Deum multum diligit, oportet ut de proximo multum praesumat. Non enim loca vel ordines Creatori nostro nos proximos faciunt: sed ei nos aut merita bona conjungunt, aut mala disjungunt. Quia ergo adhuc incertum est, quis interius qualis sit, cur non audeas scribere, dum inter me et te quis sit superior, ignores? Et quidem bene te vivere scio, me autem multis oneratum peccatis cognosco: sed et si ipse peccator es, me tamen multo es melior, quia tua tantummodo: ego vero et eorum qui mihi commissi sunt, peccata porto. In hoc ergo ego te altum, in hoc magnum aspicio, quia ante humanos oculos in magno atque in alto loco minime profecisti. In quo saepe dum exterius ab hominibus honor tribuitur, ad ima animus mergitur, quia curis discerpentibus gravatur. Tibi autem omnipotens Deus, juxta hoc quod scriptum est, Ascensus in corde disposuit in convalle lacrymarum. Multo namque mihi altior, multo sublimior videri poteras, si neque ducatum monasterii, quod Neas dicitur, suscepisses.» Item Stephano episcopo inter alia: «Multum mihi et ultra, quam indignus audire debui, favorem in vestris epistolis demonstrastis. Et scriptum est: Ne laudes hominem, quamdiu vivit. Tamen etsi audire talia dignus non

Digitized by Google

fui, orationibus vestris peto ut dignus efficiar: ut si bona in me non ideo dixistis, quia sunt: ideo sint, quia dixistis. »

§ 47. Sed ne solis verbis tanti praesulis humilitas inculcari credatur, superest ut Graecorum relationibus ad me nuper interpretatis èadem patris humilitas vivis operibus, demonstretur. In quibus videlicet ita refertur (*Prati Spiritualis, cap. 151*): Enarravit nobis Abbas Joannes Persa, sanctus et reverendus vir existens, de magno Gregorio beatissimo Papa Romano, dicens: « Quoniam ivi Romam ad adorandum loculos sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et unâ dierum cum starem in medio civitatis, video Papam Gregorium per me transiturum, et cogitavi me mittere ante eum. Cum ergo appropinquasset mihi Papa, videns, quia pergerem ut mitterem me ante eum, sicut coram Deo dico fratres, primus misit se ante me super terram, et non ante surrexit, quam ego prior surgerem: et amplexatus me cum multa humilitate, tribuit mihi per manum tria nummismata, et jussit dari mihi casulam et necessitates meas omnes. Glorificavi ergo Deum, qui donavit ei talem humilitatem circa omnes, et eleemosynam, et charitatem. » Hinc est, quod patientissimus pastor Gregorius penes Imperatorem Mauritium, sibi prorsus infensum, dudum accusatus, quod Malchum episcopum, sui patrimonii provisorem, pro retentis pensionibus tandiu in custodiis afflixisset, quousque spiritum exhalaret, Sabiniano suo Constantinopolitano diacono scribens, ait: « Unum est, quod breviter suggeras serenissimis Dominis nostris, quia si ego servus eorum in mortem Longobardorum me miscère voluissem, hodie Longobardorum gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in summa confusione divisa esset. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido. Malchus autem idem episcopus neque in custodia fuit, neque in aliqua afflictione: sed die, qua causam dixit, et addictus est, nesciente me, a Bonifacio notario in domum ejus ductus est, ibique prandidit et honoratus est ab eo, et nocte subito mortuus est inventus. »

§ 48. Igitur in omnibus suis dictis vel operibus Gregorius imminentem futurae retributionis diem ultimum perpendebat, tantoque cautius cuncta cunctorum negotia ponderabat, quanto propinquius finem mundi insistere, ruinis ejus crebrescentibus, advertebat. Quapropter in Homiliis evangelicis pèrhibet, dicens: « Exurget gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et erunt terraemotus magni per loca, et pestilentiae, et fames. Et quibusdam interpositis, adjunxit: Et erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum. Ex quibus profecto omnibus alia jam facta cernimus, alia e proximo ventura formidamus. Nam gentem super gentem exurgere, earumque pressuram terris insistere, plus jam in nostris tribulationibus cernimus, quam in codicibus

Digitized by Google

legimus. Quod terraemotus urbes innumeras sùbruat, ex aliis mundi partibus, scitis, quam frequenter audivimus. Pestilentias sine cessatione pàtimur. Signa vero in sole et luna et stellis adhuc aperte minime vidimus. Sed quia haec non longe sint, ex ipsa jam aëris immutatione colligimus. Quamvis prius, quam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in coelo acies vidimus, ipsum, qui postea humani generis fusus est, sanguinem coruscantes. Confusio autem maris et fluctuum necdum nova exorta est. Sed cum multa jam praenunciata completa sint, dubium non est, quin sequantur etiam pauca, quae restant: Quia sequentium rerum certitudo, est praeteritarum exhibitio. *Et paulo post:* Ecce fratres mei jam cernimus, quod audiebamus. Novis quotidie et crebrescentibus malis mundus urgetur. Ex illa plebe innumerâ quanti remanseritis, aspicitis: et tamen quotidie flagella urgent, repentini casus opprimunt, novae nos et improvisae clades affligunt. Sicut enim in juventute viget corpus, forte et incolume manet pectus, torosa cervix, plena sunt brachia: in annis autem senilibus statura curvatur, cervix exiccata deponitur, frequentibus suspiriis pectus urgetur, virtus deficit, loquentis verba anhelitus intercìdit. Nam si languor desit, plerumque senibus ipsa salus, aegritudo est. Ita mundus in annis prioribus velut in juventute viguit ad propagandam humani generis prolem robustus fuit, salute corporum viridis, opulentiâ rerum pinguis. At nunc ipsa sua senectute deprimitur, et quasi ad vicinam mortem molestiis crebrescentibus urgetur. Et iterum: Euntes predicate, dicentes: Quia appropinquabit regnum coelorum. Hoc jam fratres dilectissimi, etiam si Evangelium taceat, mundus clamat. Ruinae namque illius, voces ejus sunt. Qui enim tot attritus percussionibus a gloria sua cècidit, quasi jam nobis e proximo regnum aliud, quod sequatur, ostendit. Ipsae enim ejus ruinae praedicant, quod amandus non est. Si enim ruinam sui domus quassata minaretur, quisquis in illa habitaret, fugeret: et qui stantem dilexerat, recedere quantocyus a cadente festinaret. Si igitur mundus cadit, et nos eum amando amplectimur: opprimi volumus potius, quam habitare. Quia nulla nos ratio a ruina illius sèparat, quos in ejus passionibus amor ligat. Facile est ergo nunc jam cum destructa omnia cernimus, animum nostrum ab ejus dilectione disjungere. Sed hoc illo in tempore difficillimum fuit, quo tunc apostoli praedicare coeleste regnum invisibile mittebantur, cum longe lateque omnia cernerent florere regna terrarum. »

§ **49**. Qua autem de istius Urbis Gregorius incommoditate descripserit, indicabo, quàtenus hi, qui nunc in ruinis ejus habitantes, eam ordinatiorem, ac per hoc valentiorem fuisse non autumant, contremiscant. Ait enim in expositionis Ezechielis Homilia 18, sic: « Quid est jam, rogo, quod in hoc mundo libeat?

Digitized by Google

Ubique luctus aspicimus, undique gemitus audimus *. Destructae urbes, eversa sunt castra, depopulati sunt agri, in solitudinem terra redacta est. Nullus in agris incola, pene nullus in urbibus habitator remansit. Et tamen ipsae parvae generis humani reliquiae, adhuc quotidie et sine cessatione feriuntur, et finem non habent flagella coelestis justitiae, quia nec inter flagella correctae sunt actionis culpae. Alios in captivitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus. Quid est ergo, quod in hac vita libeat, fratres mei? Si talem mundum adhuc diligimus, non jam gaudia, sed vulnera amamus. Ipsa autem, quae aliquando mundi domina esse videbatur, qualis remanserit Roma, conspicitis. Immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione civium, impressione hostium, frequentiâ ruinarum, ita ut in ea completum esse videamus, quod contra Samariam per Ezechielem prophetam praedictum est: *Pone ollam, pone,* inquam, *et mitte in ea aquam, et congerere frusta ejus in ea.* Et paulo post: *Efferbuit coctio ejus, et decocta sunt ossa illius in medio ejus.* Atque iterum: *Congere ossa, quae igne succendam. Consumentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent. Pone quoque eam super prunas vacuam, ut incalescat et liquefiat aes ejus* (*Ezech.* XXIV). Tunc enim nobis olla posita est **, cum haec est civitas constituta. Tunc in ea aqua missa est, et frusta ejus congesta sunt, quando ad eam undique populi confluebant, qui velut aqua calens actionibus mundi fervescerent, et quasi frusta carnium in ipso suo fervore liquarentur. De qua bene dicitur: Efferbuit coctio ejus, et decocta sunt ossa illius in medio ejus. Quia prius quidem in ea vehementer incaluit actio gloriae secularis, sed postmodum ipsa gloria cum suis sequacibus defecit. Per ossa etenim, potentes seculi: per carnes vero, populi designantur. Quia sicut carnes portantur ossibus, ita per potentes seculi infirmitas regitur populorum. Sed ecce jam de illa omnes hujus seculi potentes ablati sunt. Ossa ergo excocta sunt. Ecce populi defecerunt: carnes ejus liquefactae sunt. Dicatur itaque: Congere ossa, quae igne succendam. Consumentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent. Ubi enim senatus? ubi jam populus? Contabuerunt ossa, consumtae sunt carnes. Omnes in ea secularium dignitatum ordo extinctus est, excocta ergo est universa compositio ejus. Et tamen ipsos nos paucos, qui remansimus, adhuc quotidie gladii, adhuc quotidie innumerabiles tribulationes premunt. Dicatur ergo: Pone quoque eam super prunas vacuam. Quotidie cum senatus deest, populus interiit, et tamen in paucis, qui sunt, dolores et gemitus quotidie multiplicantur, jam ergo vacua ardet Roma. Quid autem ista de hominibus dicimus, cum

* Flagellare non desistit Dominus mundum peccare non desistentem.

** Quae per figuras Ezechiel vaticinatur divinae ultionis flagella, per suorum temporum facta tristissima diserte explicat Gregorius, in clade praesertim almae Urbis.

Digitized by Google

ruinis crebrescentibus, ipsa quoque ejus destrui aedificia videmus? Unde apte de civitate jam vacua subditur: Incalescat et liquefiat aes ejus. Jam enim et ipsa olla consumitur, in qua prius carnes consumebantur et ossa: quia postquam defecerunt homines, etiam parìetes cadunt. Ubi enim sunt, qui in ejus aliquando gloria laetabantur? Ubi eorum pompa? Ubi superbia? Ubi frequens et immoderatum gaudium? Impletum est in ea, quod contra destructam Ninivem per prophetam dicitur: *Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum?* (*Nahum* II). An ejus duces ac principes leones non erant, qui per diversas mundi provincias discurrentes, praedam saeviendo et interficiendo rapiebant? Hinc leonum catuli inveniebant pascua: quia pueri, adolescentes, juvenes, seculares et secularium filii huc undique concurrebant, cum proficere in hoc mundo voluissent. Sed ecce jam desolata, ecce contrita, ecce gemitibus oppressa est. Jam nemo ad eam currit, ut in hoc mundo proficiat: jam nullus potens et violentus remansit, qui opprimendo praedam diripiat. Dicamus ergo: Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum? Contigit ei, quod de Judaea novimus per prophetam dictum: *Dilata calvitium tuum sicut aquila* (*Mich.* I). Calvitium quippe hominis, in solo capite fieri solet: calvitium vero aquilae, in toto fit corpore: quia cum valde senuerit, plumae ejus ac pennae ex omnibus illius membris cadunt. Calvitium ergo suum sicut aquila Roma dilàtat, quia plumas perdidit, dum populos amisit. Alarum quippe pennae ceciderunt, cum quibus volare ad praedam consueverat: quia omnes ejus potentes extincti sunt, per quos aliena rapiebat.

§ **50**. Item Dialogorum libro secundo (*C.* XV): « Praeterea, inquit, antistes Canusinae ecclesiae ad Benedictum Domini famulum venire consueverat, quem vir Dei pro vitae suae merito valde diligebat. » Is itaque dum cum illo de ingressu regis Totilae et Romanae urbis perditione colloquium haberet, dixit: « Per hunc regem civitas ista destruetur, ut jam amplius non inhabitetur. » Cui vir Domini respondit: « Roma a gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscis, turbinibus ac terraemotu fatigata, marcescet in semetipsa. » Cujus prophetiae mysteria nobis jam facta sunt luce clariora, qui in hac urbe dissoluta moenia, eversas domos, destructas ecclesias turbine cernimus, ejusque aedificia, longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur, videmus. »

§ **51**. Tantis curarum tumultibus pro animarum pariter ac civitatis custodia Gregorius gravabatur, ut in coli molestias corruens, non solum, sicut proposuerat, per ordinem Ezechielis mysteria minime pertractaret, verum etiam hostilibus incursionibus, multisque corporis debilitatibus aggravatus, a studio expositionis omnino desisteret, et ad dies illos se pervenisse defleret, atque
Digitized by Google

dissolutionem sui corporis totis conatibus flagitaret. Quapropter Joanni episcopo Ravennati quaeritur, dicens: « Quod multis vestrae beatitudini minime respondit, non hoc torpòri meo, sed languori deputate: quia peccatis meis facientibus, eo tempore, quo Arnulphus ad Romanam Urbem veniens, alios occidit, alios detruncavit, tanta moestitiâ affectus sum, ut in coli molestiam (*colicam*) caderem. »

§ **52**. Item in expositione ultimae visionis Ezechielis prophetae: « Quia multis curis prementibus prophetae librum coram charitate vestra totum per ordinem perscrutari non licuit *, bonis vestris desideriis placuit petere, ut saltem extrema ejus visio, quae ei facta est de aedificio in monte constituto, quae et cunctis est visionibus ejus obscurior, exponi debuisset. Et quidem voluntati vestrae me parère necesse est, sed duo sunt, quae hac in re perturbant animum meum: Unum, quod haec èadem visio tantae obscuritatis nebulis tègitur, ut vix in ea aliquid intellectu interlucente videatur. Aliud, quod jam Agilulphum Longobardorum regem ad obsidionem vestram summopere festinantem, Padum transisse cognovimus. Unde pensate fratres charissimi, in caliginosis ac mysticis sensibus penetrare quid valeat mens misera, timoris sui perturbationibus occupata? Quanto enim circa terrena plus sàtagit, tanto in his, quae sunt coelestia, minus videt. Et pro eo quod curis suis extra se ducitur, valde intus minor est. Quia scriptum est: *Dèprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX). Quae enim superiora penetrare etiam collecta non sufficit, pensate quid agere poterit divisa. Scimus omnes, quia et fluvius, qui in multis rivis dividitur, a suo alveo siccatur.

§ **53**. Item idem in ejusdem prophetae tractatibus, Homilia II, « Sive, inquit, justus in culpam, sive peccator in mortem corruat, speculatori timendum est, ne hunc ex suo silentio reatus peccantium pariter involvat. Sed interim dum loquor, avertere a memetipso oculos volo, et ecce iterum sermo divinus me impingit in memetipsum, ut meam negligentiam videam, et mihi dici haec, quae audio, pertimescam. Sicut enim superius dixi, cujus cor innumeris curis sparsum, se ad se colligat? Quando etenim possum et ea, quae circa me sunt, solicite omnia curare, et memetipsum adunato sensu conspicere? Quando possum pravorum nequitias insequendo corrigere, bonorum actus laudando et admonendo custodire: aliis terrorem, atque aliis dulcedinem demonstrare? Quando valeo, et de his, quae sunt necessaria fratribus, cogitare, et contra hostiles gladios de urbis vigiliis solicitudinem gerere, ne incursione subita cives pereant, providere, et inter haec omnia pro animarum custodia plene atque efficaciter verbum exhortationis impendere? Loqui etenim de Deo,

* Dolet Gregorius ob barbaricas incursiones exponendis sacris libris praepediri.

Digitized by Google

quietae valde et liberae mentis est. Tunc namque bene lingua dirigitur in sermone, cum secure sensus quieverit in tranquillitate. Quia nec concussa aqua imaginem respicientis reddit, sed tunc in ea vultus intendentis aspicitur, cum non movetur. Quam ergo exhortatiônem vobis speculator vester fratres charissimi faciat, quem tot rerum confusio perturbat?» Et paulo post: «Sacerdos etiam post compunctionem ac lacrymas cogitur necessaria quaeque filiorum suorum cognoscere, et ea, quae rèfugit animo, patienter audire, atque post suspiria coelestium, quorumlibet carnalium hominum onera portare, et saepe cum supervenientibus cor in diversam qualitatem transfundere. Nam aliquando de lucris spiritualibus gaudet: sed cum quilibet moerens supervenerit, nisi ejus moerorem in se susceperit, tribulationi illius compatiens non est. Et aliquando de damnis animarum luget: sed repente superveniunt qui de suis prosperitatibus laetantur. Quorum si laetitiae sacerdos non congaudet, minus amare creditur filios, in quorum gaudio non exultat, praecipue cum Paulus dicat: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* (*Rom.* XII). Nihil ergo tam onerosum in ordine sacerdotum video, quam rigorem mentis compatiendo flectere, et cum personis supervenientibus animum mutare. Et tamen hoc valde est necessarium. Nam quando ex praedicatione ejus ad boni operis gratiam peccator reducitur, si ipse, qui praedicat, videtur ingratus? »

§ **54**. Item in fine ejusdem voluminis (*Homil.* 22): « Ecce haec ut Domino largiente potùimus, coram vobis fratres charissimi rimati sumus. Nemo autem me reprehendat, si posthac a locutione cessavero. Quia sicut omnes cernitis, nostrae tribulationes excreverunt. Undique gladiis circumfusi sumus, undique imminens mortis periculum timemus. Alii detruncatis ad nos manibus redeunt, alii capti, alii interempti nunciantur. Jam cogor linguam ab expositione retinere, quia taedet animam meam vitae meae. Jam nullus in me sacri eloquii studium requirat, quia versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium. Jam cordis oculus in mysteriorum discussione non vigilat, quia dormitavit anima mea prae taedio. Jam minus lectio animo dulcis est, quia oblitus sum manducare panem meum a voce gemitus mei. Cui autem vivere non licet, de scripturae sacrae sensibus loqui mystica qualiter libet? Et qui cogor quotidie amara bibere, quando possum dulcia propinare?»

§ **55**. Item idem Italicae patritiae et Venantio exmonacho patricio: « Quosdam de Sicilia venientes, affectu, quo debui, de sospitate vestrae excellentiae requirere curavi. Sed de assiduitate aegritudinum mihi tristia responderunt. Haec autem dicens, nec ego vobis de meipso invenio aliud, quod debeam nunciare, nisi quod peccatis meis facientibus, ecce jam undecim menses sunt quod valde rarum est, si de lecto surgere aliquando potui. Tantis

Digitized by Google

enim pòdagrae doloribus tantisque molestiarum premor angoribus, ut vita mea mihi gravissima poena sit. Quotidie enim in dolore deficio, et mortis remedium expectando suspiro. In Clero vero hujus Urbis et populo tanti febrium languores irruerunt, ut pene nullus liber, nullus servus remanserit, qui esse idoneus ad aliquod officium vel ministerium possit. De vicinis autem urbibus strages nobis mortalitatis quotidie nunciantur. Africa autem qualiter mortalitate et languoribus vastetur, quanto viciniores estis, tanto credo quod subtilius cognoscatis. De Oriente vero qui veniunt, graviores desolationes nunciant. In his itaque omnibus, quia appropinquante fine mundi generalem percussionem esse cognovimus, affligi nimis de propriis molestiis non debemus.»

§ **56**. Item Eulogio patriarchae Alexandrino: «* Transacto anno suavissima sanctitatis vestrae scripta suscepi, quibus pro aegritudinis meae nimietate respondere nunc usque non valui. Ecce enim jam biennium pene expletur quo lectulo teneor, tantisque pòdagrae doloribus affligor, ut vix in diebus festis usque ad horarum trium spatium surgere valeam, Missarum solemnia celebrare. Mox autem cum gravi compellor dolore decumbere, ut cruciatum meum non possim gemitu interrumpente tolerare: qui dolor interdum lentus est, interdum nimius: sed neque ita lentus, ut recedat: neque ita nimius, ut interficiat. Unde fit, ut qui quotidie in morte sum, quotidie repellar a morte: nec mirum quia peccator gravis, talis corruptionis carcere diu teneor inclusus. Unde compellor exclamare: *Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo, Domine* (*Ps.* 141). Sed quia meis adhuc precibus obtinere non mereor, rogo ut vestrae sanctitatis oratio suae mihi intercessionis adjutorium praebeat, meque a peccati et corruptionis pondere liberum reddat in illam, quam bene nostis, libertatem gloriae filiorum Dei.» Item eidem: «Peto autem, ut pro me enixius vestra sanctitas orare debeat quia pòdagrae doloribus et barbarorum gladiis et curarum afflictionibus incessanter premor. Sed si mihi orationis vestrae opem impenditis, credo quod me contra omnia adversa fortiter juvetis.» Item eidem: «Rogo ergo, ut pro me peccatore enixius oretis quia et dolor corporis et amaritudo cordis et immensa vastitas mortalitatis, inter tot barbarorum gladios me vehementer affligit: inter quae omnia non temporalem, sed aeternam consolationem requiro. Quam per me impetrare non valeo, sed per intercessionem vestrae beatitudinis hanc me obtinere confido.»

§ **57**. Item Maximiano episcopo Arabiae: «Multum jam tempus est quo surgere de lecto non valeo. Nam me modo pòdagrae dolor cruciat, modo nescio quis in toto corpore cum dolore se ignis expandit:

* **In diutino gravi et continuo morbo quid sentiat et dicat magnus et sanctus vir.**

et fit plerumque, ut uno in me tempore ardor cum dolore confligat et corpus in me animusque deficiat. Quantis autem aliis necessitatibus extra has, quas protuli, infirmitates afficiar, enumerare non valeo. Sed breviter dico quia sic me infectio noxii humoris imbibit, ut vivere mihi poena sit et mortem desideranter expectem quam gemitibus meis solam esse credo remedium. Proinde frater charissime divinae pro me pietatis misericordiam deprecare, ut percussionis suae erga me flagella propitius mitiget et patientiam tolerandi concedat, ne nimio, quod absit, taedio in impatientiam cor erumpat, et quae curari per plagam poterat culpa, crescat ex murmure.»

§ **58**. Tantis precibus Gregorius tandem aliquando divinitus exauditus, postquam sedem sanctae Catholicae et Apostolicae Romanae Ecclesiae annis tredecim, mensibus sex et diebus decem, doctrinis pariter ac operibus felicissimis illustravit, anno imperii Phocae secundo, indictione septima, quarto Iduum Martiarum, a carnis corruptione subtractus est, incorruptionis perpetuae gloriâ sublimandus. Qui videlicet omni vitae suae tempore sicut novas basilicas minime fabricarat, ita nimirum fabricatarum veterum sartatecta cum summo studio annualiter reparabat. Quas reditibus, luminaribus, officiis atque donariis cumulans, in basilica B. Petri apostoli fastigium de argento purissimo, quod a Leone tertio pontifice in basilica Sixtiana, sanctae Mariae nomini dedicata, translatum est, fabricavit: et in basilica beati Pauli apostoli super altare nihilominus aliud fastigium procuravit. Hujus praeterea venerabile corpus in extrema porticu basilicae beati Petri apostoli ante secretarium tunc antiquissimum quo videlicet Leo, Simplicius, Gelasius atque Symmachus, Apostolicae sedis Episcopi, cum nonnullis aliis tumulati, suis hactenus epitaphiis praedicantur, sepultum tali titulo decoratur:

Suscipe terra tuo corpus de corpore sumptum,
  Reddere quod valeas vivificante Deo.
Spiritus astra petit: Leti nil jura valebunt,
  Cui vitae alterius mors magis ipsa via est.
Pontificis summi hoc clauduntur membra sepulcro,
  Qui innumeris semper vivit ubique bonis.
Esuriem dapibus superavit, frigora veste,
  Atque animas monitis texit ab hoste sacris:
Implebatque actu quicquid sermone docebat,
  Esset ut exemplum, mystica verba loquens.
Anglos ad Christum convertit mente benigna,
  Sic fidei acquirens agmina gente nova.
Hic labor, hoc studium, haec tibi cura, hoc pastor agebas,
  Ut Domino offerres plurima lucra gregis:
Hisque Dei consul factus laetare triumphis,
  Nam mercedem operum jam sine fine tenes.

Digitized by Google

§ **59**. Quo scilicet liberalissimo pastore defuncto, vehementissima fames eodem anno incubuit. Et quanto patrono tunc Roma caruerit, licet rerum inopia toto pene mundo monstraverit, invidorum tamen feritas minime recognovit. Nam sicut a majoribus tràditur, cum calumniarum veterum incentores Gregorium prodigum dilapidatoremque multiplicis patiarchatus thesauri perstreperent, deficiente personali materie, ad comburendos libros ejus coeperunt pariter anhelare. Quorum dum quosdam jam combussissent et reliquos vellent exurere *, Petrus diaconus familiarissimus ejus, cum quo quatuor Dialogorum libros disputaverat, creditur vehementius obstitisse, dicens, ad obliterandam ejus memoriam librorum exustionem nihil proficere, quorum exemplaria diversis petentibus mundi ambitum penetrassent. Subjungens, immane sacrilegium esse, tanti patris tot et tales libros exurere, super cujus caput Spiritum Sanctum ipse in similitudine columbae tractantis frequentissime perspexisset. Cumque dudum devotum populum Diaconus cerneret occasione temporis cum invidis resultare, in hoc omnium sententiam dicitur provocasse, ut si quod dixerat jurejurando confirmans, mori continuo meruisset, ipsi a librorum exustione desisterent. Si vero superstes sui testimonii extitisset, ipse quoque combustoribus manus daret. Itaque cum evangeliis in ambonem venerabilis Levita Petrus ascendens, mox ut Gregorianae sanctitati testimonium praebuit, inter verba verae confessionis spiritum efflavit: et a dolore mortis extraneus, juxta pyrgi basim, sicut hactenus cernitur, confessor veritatis meruit sepeliri.

§ **60**. Hinc est quod consuetudinaliter Spiritus Sanctus in specie columbae super scribentis Gregorii caput depingitur: et quod expositionum illius pars maxima quae utique ab invidis exusta recòlitur, non habetur. Quarum ipse summam Joanni subdiacono Ravennae responsali suo significare videtur, inter caetera sic describens: «Quia charissimus quondam filius meus Claudius aliqua, me loquente, de Proverbiis, de Canticis canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum et de Heptatico audierat quae ego scripto tradere prae infirmitate non potui, ipse ea suo sensu dictavit, ne oblivione deperirent, ut apto tempore haec èadem mihi inferrentur et emendatius dictarentur. Quae cum mihi legisset, inveni dictorum meorum sensum valde in multis fuisse permutatum. Unde necesse est, ut tua experientia omni excusatione atque morâ cessante, ad ejus monasterium accedat, eumque venire faciat et cum omni veritate quantascumque de diversis scripturis chartulas dètulit, ad medium dedùcat. Quas tu suscipe et mihi celerrime transmitte. Enimvero quia studiositas Gregorii qui post haec tribus ferme annis superfuit, falli non potuit,

* **Aemulis libros Gregorii incendere molientibus, Gregorii scripta Petrus ejus Diaconus admirando prorsus modo servavit. Cur deinde columba super scribentis Gregorii caput depingatur.**

Digitized by Google

constat nimirum quia plures libros quam nunc habeantur, composuit. Quorum memoriam quidam in Episcopali suo perstringens, ait: Job, Ezèchiel, Evangelia et Pastoralem exposuit et multa alia: ut subaudias quae jam inveniri non possunt. Quoniam revera ante succensa sunt quam edita, sicut reliqua ipsius opera quae nunc in sancta Romana retinentur Ecclesia adhuc sub custodia, ne penitus vulgarentur. »

§ **61**. Itaque si curiosius perpendatur, omne Gregorii tractandi tempus quo libros, qui nunc habentur, exposuit, a diacono suo usque ad penultimum sui pontificatus annum extenditur. Et licet Longobardorum perfidiâ saeviente, post Ezechielis Tractatus ab expositione librorum destiterit, ab exponendis tamen epistolis, quamdiu vivere potuit, numquam omnino cessavit. Quarum videlicet tot libros in scrinio dereliquit, quot annos advixit. Unde tertiumdecimum epistolarum librum septimae indictionis imperfectum reliquit, quoniam ad ejusdem indictionis terminum non pertigit. Ex quarum multitudine primi Adriani Papae temporibus quaedam epistolae decretales per singulas indictiones excerptae sunt, et in duobus voluminibus, sicuti modo cernitur, congregatae. Et Gregorius jamdùdum in monasterio positus, ubi eum angelus Domini sub habitu naufragi scribentem repererat, nimirum quaedam dictaverat, ut ad expositionem tantae profunditatis, quam in libro Job penetrare potuit, eo paratior quo ex dictandi consuetudine doctior, perveniret.

§ **62** *. Ergo Gregorius in diaconio suo, dum illum in Constantinopolitana urbe sedis Apostolicae responsa constringerent, et Leandrum Hispanum episcopum injuncta pro causis fidei Wisigothorum ibi legatio perduxisset, eodem Leandro, sicut in primo libro dixisse me recolo, cum fratribus, tunc Gregorio adhaerentibus, importunissime compellente, librum beati Job coepit exponere. Quibus coram positis, priora libri sub oculis dixit: et quia tempus paulo vacantius rèperit, posteriora tractando dictavit. Cumque ei spatia largiora suppeterent, multa augens, pauca subtrahens, atque ita, ut inventa sunt, nonnulla derelinquens. ea quae se loquente excepta sub oculis fuerant, per libros emendando composuit. Qui cum jam factus episcopus, Romae postrema dictaret, quo stylo prima dixerat, solicite attendens egit, ut ea, quae locutus fuerat, studiosa emendatione transcurrens, quasi ad similitudinem dictantis erigeret, et ea quae dictaverat, non longe a colloquentis sermone discreparent: quatenus dum hoc tenditur, illud attrahitur, edita modo dissimili, res non dissimilis formaretur. Quamvis tertiam ipsius operis partem, ut colloquendo pròtulit, pene ita dereliquit: quia dum eum fratres ad alia exponenda pertraherent, hanc subtilius emendari noluerunt. Quibus

* Quando et quo ordine, et quibus de caussis Opera sua scripserit, quâ sint excellentiâ, quam humiliter de iis inclytus Auctor sentiret, ad quid demum scribendo intenderet, in sex seqq. capitulis continetur.

Digitized by Google

multa jubentibus, dum parere modo per expositionis mysterium, modo per contemplationis ascensum, modo per moralitatis studeret instrumentum, hoc opus per triginta et quinque libros extensum, in sex codicibus explevit. Quorum exemplaria primo per Urbis monasteria subdivisit, postremo vero eidem Leandro episcopo destinavit.

§ 63. Sed in ipso sui episcopatus exordio, dum a Joanne Ravennatis urbis episcopo humiliter reprehensus fuisset cur pastoralis curae delitescendo pondera fugere vir tam idoneus voluisset, librum regulae pastoralis composuit. Quam quadripartita ratione distinguens, valde pensandum esse perdocuit, cum rerum necessitas exposcit, ad culmen regiminis quisque qualiter veniat: atque ad hoc rite perveniens, qualiter vivat: et bene vivens, qualiter doceat: et recte docens, infirmitatem suam quotidie quantâ consideratione cognoscat, ne aut humilitas accessum fugiat, aut perventioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam praesumptio extollat. Primum ergo appetitum timor temperet, post autem magisterium, quod a non quaerente suscipitur, vita commendet. Deinde necesse est, ut pastoris bonum, quod vivendo ostenditur, etiam loquendo propagetur. Ad extremum vero superest, ut perfecta quaeque opera consideratio propriae infirmitatis dèprimat, ne haec ante occulti àrbitri oculos tumor elationis extinguat. Et quia quosdam imperìtos ad sacerdotium conspirasse cognoverat, quosdam conspiraturos esse praevidebat, qui metiri se nescientes, quae non didicerunt docere concupiscerent, quique pondus magisterii tanto levius aestimarent, quanto vim illius magnitudinis ignorarent: hos in ipso libri sui reprehendit exordio: ut si quando indocti ac praecipites doctrinae arcem tenere appetissent, a praecipitationis suae ausibus in ipsa Gregorianae locutionis janua pellerentur. Hunc librum Anatholius diaconus, ejus apocrisarius, quaerenti ac jubenti Imperatori quondam obtulerat, quem magnus Anastasius Antiochenus episcopus in Graecam linguam transfùdit, et Orientalibus Ecclesiis opus venerabile procuravit.

§ 64. Deinde, sicut in secundo hujus operis libro jam retuli, dum adhuc Gregorius ad loquendum voce flatuque sibi sufficeret, per stationes discurrens, 20 Homilias Evangelii diverso tempore coram populo declamavit. Reliquas vero ejusdem numeri dictavit quidem, sed lassescente stomacho, languore continuo, alii pronunciare permisit. Quarum exemplaria Secundo servo Dei petenti mandavit. Cumque a suis familiaribus, ut aliqua de miraculis Patrum describeret, Gregorius enixius rogaretur, Maximiano Syracusano episcopo scripsit, dicens: « Fratres mei, qui mecum familiariter vivunt, omnìmodo me compellunt aliqua de miraculis Patrum, quae in Italia facta audivimus, sub brevitate describere. Ad quam rem solatio vestrae charitatis

vehementer indigeo, ut quaeque vobis in memoriam redeunt, quaeque cognovisse vos contigit, mihi breviter indicetis. Haec ergo, peto mihi sub celeritate transmitti, si tamen ad me ipse non proficiscèris. Hinc Gregorius roboratus, sanctorum miracula Patrum cum Petro suo diacono, quae per inquisitionem atque responsionem protulerat, expositionis altius studium interrumpens, sola nominum praenotatione distinxit, et in libros quatuor ordinavit. Ut sicut in libris expositionum suarum, quibus esset virtutibus insudandum, docuerat: ita etiam, descriptis sanctorum miraculis, quae virtutum fuisset earumdem claritas, luce clarius ostentaret. Quos libros Zacharias, sanctae Ecclesiae Romanae episcopus, Graeco Latinoque sermone doctissimus, temporibus Constantini Imperatoris, post annos ferme centum septuagintaquinque in Graecam linguam convertens, Orientalibus ecclesiis divulgavit: Quamvis astuta Graecorum perversitas, in commemoratione Spiritus Sancti a Patre procedentis, nomen Filii suaptim radens abstulerit. Primam quoque et ultimam Ezechielis prophetae partes, quae videbantur obscuriores, Romanis postulantibus pertractavit, easque per Homilias viginti et duas distinguens, quantum lucis intus habeant, demonstravit: et in his tractandi, sicut superius patuit, finem fecit.»

§ **65**. Qui libri dum a doctoribus sequentis temporis tam rectissimis sententiis editi, quam luculentissimo rethoricae facundiae stylo compositi veraciter doceantur, eos beatus Gregorius ex humilitatis suae dulcedine incultos perhibet, Leandro episc. inter caetera scribens: «Quaeso ut hujus operis (haud dubium quin Moralium) dicta percurrens, in his verborum folia non requiras: quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosae loquacitatis levitas studiose compescitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. Et cuncti proculdubio scimus, quia quoties in foliis malae laetae segetis culmi proficiunt, minori plenitudine spicarum grana turgescunt. Unde et ipsam loquendi artem, quam magisterium disciplinae exterioris insinuat, servare despexi. Nam sicut hujus quoque epistolae tenor enunciat, non metacismi * collisionem fugio, non barbarismi confusionem devìto, situs motusque praepositionum casusque servare contemno. Quia indignum vehementer existimo, ut verba coelestis oraculi restringam sub regulis Donati **. Neque enim haec ab ullius temporis interpretibus in Scripturae sacrae auctoritate servata sunt. Ex qua nimirum quia nostra expositio òritur, dignum profecto est, ut quasi èdita sòboles speciem suae matris imitetur. In quibus verbis a-

* *Metatismus* (Mytacismus), ejusdem literae repetitio, earumque collisio ex occursu.

** Ne hinc tamen inferant sacrorum alumni, Grammaticorum Rhetorumque parvifacienda esse praecepta. Soloecismis enim si scateat, rusticitatem si praeseferat nostra elocutio, contemtibile prorsus apud filios saeculi fiet verbum Dei. Venustam nunquid sermonis concinnitatem aversati sunt Basilius, Chrysostomus et Magnus Leo PP? Nec sane, quidquid prae humilitate dicat de se Gregorius, incomtum dices et rudem ejus stylum, sed, cum sententiarum gravitate et verborum ròbore, aureâ nitentem et modesta ingenuitate.

Digitized by Google

gnoscitur Gregorius non affectasse locutionem pompaticam, sed ex pristina secularis exercitii consuetudine potius incurrisse. » Cujus facundiae consonantiam Isidorus, Hispalensis urbis episcopus, in expositione Genèseos admiratus: « Sumpta, inquit, sunt haec ab auctoribus, Origene, Victorino, Ambrosio, Hieronymo, Cassiano, Augustino, Fulgentio, ac nostris temporibus insigniter eloquente Gregorio. Sed et Beda presbyter in libro de schematibus oratores homoeoteleuton * facere pèrhibens, exemplum proposuit, dicens: Beatus Job Deo soli sibique cognitus, in tentatione ad nostram notitiam perducendus, tactus est vulnere, ut odorem suarum virium tanto latius spargeret, quanto more aròmatum melius ex incensione flagraret. Quo schèmate ipse, qui hoc dixit, beatus Papa Gregorius saepissime usus fuisse cognoscitur. Et hujusmodi orationes esse reor, quas B. Hieronymus concinnas rhètorum declamationes appellat. »

§ **66**. At Gregorius humilitatis suae cautelâ commònitus, non solum facundiae suae redolentiam contemnebat, verum etiam in comparatione tractatus alterius, dictatum suum, furfurem nominans, libros suos legi, quamdiu viveret, vehementissime prohibebat, Innocentio praefecto Africae inter caetera scribens: «Quod in expositione sancti Job transmitti vobis codicem voluistis, vestro omnino studio congaudemus: quoniam illi rei eminentiam vestram studere conspicimus, quae nec totos foras vos exire permittat, et ad cor iterum secularibus curis dispersos recolligat. Sed si delitioso cupìtis pabulo saginari, beati Augustini patriotae vestri opuscula legite: et ad comparationem siliginis illius, nostrum furfurem non quaeratis.» Item Joanni episcopo Syracusano: «Praeterea audio, quod aliqua de his, quae scripsisse me memini, fraternitas vestra ad mensam suam coram extraneis legi faciat. Quod mihi non videtur esse faciendum, quia hoc, quod vos pro charitate facitis, possunt quidam, quantum ad me est, vanae gloriae deputare. Ideoque coram extraneis antiquorum dicta legite, ex quorum auctoritate valeant, qui audiunt, informari.» Item Joanni subdiacono Ravennae post multa: « Illud, inquit, quod ad me quorundam relatione perlatum est, quia reverendissimus frater et coëpiscopus meus Marinianus legi commenta beati Job publice ad vigilias facit, non grate suscepi : quia non est illud opus populare, et auditoribus rudibus impedimentum magis quam provectum generat. Sed dic ei, ut commenta Psalmorum legi ad vigilias faciat, quae mentes secularium ad bonos mores praecipue informant. Neque enim volo, dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facile hominibus innotesci.

§ **67**. Quanta sane consideratione Gregorius, qui ad culmen regiminis humiliter pervenisse, ad hoc opus perveniens, bene vixisse, bene vivendo recte docuisse, satis ut opìnor, monstratus

* Sermones texere exemplis; sententias exemplis exponere.

Digitized by Google

est, infirmitatem suam cognoverit, in extremo libro Moralium manifestat, cum dicit: « Expleto itaque hoc opere, ad me mihi video esse redeundum. Multum quippe mens nostra, etiam cum recte loqui conatur, extra semetipsam spargitur. Integritatem namque animi, dum cogitantur verba qualiter proferantur, quia trahunt extrinsecus, minuunt. Igitur a publico locutionis redeundum est ad curiam cordis, ut quasi in quodam concilio consultationis ad meipsum discernendum convocem cogitationes mentis: quatenus ibi videam, ne aut incaute mala, aut bona non bene dixerim. Tunc enim bene dicitur bonum, cum is, qui dicit, soli ei, a quo accepit, per id appetit placere quod dicit. Et quidem mala me aliqua etsi dixisse non invenio, tamen quia omnino non dixerim, non defendo. Bona vero si qua divinitus accipiens dixi, meo videlicet vitio minus me bene dixisse profiteor. Nam ad me intrinsecus rediens, postpositis verborum foliis, postpositis sententiarum ramis, dum ipsam subtiliter radicem meae intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summopere placere voluisse cognosco: sed eidem intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se nescio quomodo intentio humanae laudis interserit. Quod cum jam postmodum tardeque discerno, invenio me aliter agere, quod scio me aliter inchoasse. Sic enim saepe intentionem nostram, dum ante Dei oculos recte incipitur, occulte subjuncta, et eam velut in itinere comprehendens, intentio humanae laudis assequitur. Sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu, dum furtim gula surrepit, edendi delectatio permiscetur. Unde plerumque contingit, ut refectionem corporis, quam salutis causâ coepimus, causâ voluptatis expleamus. Fatendum est igitur, quod rectam quidem intentionem nostram, quae soli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minus recta, quae de donis Dei placere hominibus quaerit, insidiando comitatur. Si autem de his divinitus districte discùtimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando et mala nostra, pura mala sunt, et bona, quae nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt? Sed hoc mihi operae pretium credo, quod fraternis auribus omne, quod in me latenter ipse reprehendo, incunctancter aperio. Quia enim exponendo non celavi quod sensi, confitendo non abscondo quod patior: per expositionem patefeci dona, per confessionem dètego vulnera. Et quia in hoc tam magno humano genere, nec parvi desunt, qui dictis meis debeant instrui: nec magni desunt, qui cognitae meae valeant infirmitati misereri: per haec utraque aliis fratribus, quantum possum, curam confero, ab aliis quaero. Illis dixi exponendo, quod faciant: istis aperio confitendo, quod parcant. Illis verborum medicamenta non subtraho, istis lacerationem vulnerum non abscondo. Igitur quaeso, ut quisquis hoc legerit, apud districtum judicem solatium mihi suae orationis impendat, et omne quod in me sordidum deprehendit, fletibus

Digitized by Google

diluat. Orationis autem atque expositionis virtute collata, Lector meus in recompensatione me superat, si cum per me verba accipit, pro me lacrymas reddit.

§ **68**. Hujus beatissimi Gregorii venerabile corpus, a Gregorio IV, Sedis Apostolicae Praesule, post annos circiter *quinquaginta* * translatum ante novellum secretarium constructis absidibus, sicuti modo cernitur, sub altari sui nominis collocatur, quo ejus anniversaria solemnitas, cunctis certatim pernoctantibus, veneratione gratissima celebratur. In qua pallium ejus et phylacteria **, sed et balteus ejus consuetudinaliter osculantur. Quae singulatim considerata, et antiquitatem viri, et mediocritatem habitus, et speciem regularis propositi signis perspicuis repraesentant. Nam in eo, quod pallium ejus bysso candentem contextum, nullis fuisse cernitur acubus perforatum, sic ipsum circa scapulas obvolutum fuisse, non autem confixum, dignoscitur, sicuti vetustissimis musivis vel picturis ostenditur. Quod autem reliquiarum phylacteria, tenui argento fabricata, vilique pallio de collo suspensa fuisse videntur, habitus ejus mediocritas demonstrantur. Porro in exilitate baltei, quae unius pollicis mensuram nunquam excedit, speciem propositi regularis, olim a sancto Benedicto statuti, cujus ipse vitam describens in Dialogo, regulam quoque laudaverat, eum servasse luce clarius manifestat: praesertim cum idem venerabilis doctor Gregorius Graecam linguam nescierit, et sui monasterii monachos, Benedicti utique regulis mancipatos, in Saxoniam *** destinarit.

§ **69**. Siquidem quod Graecam linguam nescierit, ipse testatur in epistola, Eusebio Thessalonicensi episcopo scribens: « Lator praesentium Theodorus, ecclesiae vestrae lector, ad sanctorum Apostolorum limina veniens, dum omnes, quippe ut homo novus, haberet incognitos, Andreae monacho, qui ad sanctum Paulum inclusus fuerat, res et chartas, quas detulit, ut revera olim noto, innocenter deposuit, credens quod mens ipsius, sicut et nos ante putaveramus, cum habitu concordaret. Sed tante ille pravitatis inventus est, ut si ejus stultitiae sub inclusionis specie paulo adhuc amplius licuisset, multorum animas malitiae suae falsitate deciperet, et quaecumque potuisset, non levia scandala generaret. Nam inter alia, quae isdem Andreas pessime cogitavit et fecit, eam quoque, quam ad nos misistis, dum apud ipsum a praefato lectore esset deposita, infalsavit epistolam: ut quicumque eam legeret, vos nec catholica, nec recta sapere evidenter argueret. Ex qua re contigit, ut dum veritatem studiose quareremus, ejus, quae latebat, iniquitas vulgaretur: et tanta in eo reperta

* Centum viginti quinque corrigit Baronius; at si translatio sub Gregorio IV peracta est, biscenti et amplius anni sunt numerandi; neque mendo exemptus Surius qui voci *quinquaginta* praeponendum putat *ducentos;* cum ab obitu I ad obitum IV Gregorii, anni ad summum 240 sint elapsi.
** Accipe pro thecis sacras reliquias occlusas continentibus.
*** Lege Angliam, et item initio § seq.

Digitized by Google

sunt, quanta nec de scelerato quocumque laico crederentur. Et quia inter diversa mala, aliquos etiam sermones scripsit, atque eos ex nostro nomine titulavit, et suspecti sumus, ne eos alicubi transmiserit, fraternitas vestra solicitudinem gerat, et si quid tale repererit, eos exscindi, et omnino faciat aboleri: ut quod imperitus literarum, et scripturae divinae nescius, nostro, sicut diximus, nomine praenotavit, quorundam animos non possit inficere. Nam nos nec Graece novimus, nec aliquod opus aliquando Graece conscripsimus.»

§ **70**. Quod vero monachi, qui a Gregorio in Saxoniam missi sunt, sancti Benedicti regulae fuerint mancipati, inter alia etiam illud ostendit, quod ex ipsius discipulis vix potest in illis partibus monachus aliquis inveniri, a quo non observetur tam in proposito quam in habitu regula Benedicti. Quapropter sicut constat Gregorianum monasterium a Latinitate in Graecitatem, necessitate potius quam voluntate conversum: ita fideliter praestolatur, in Latinitatis cultum, favente Domino, denuo reversurum. In cujus venerabilis monasterii atrio, jussu Gregorii, juxta nymphium duae iconae veterrimae artificialiter depictae usque hactenus videntur. In quarum altera beatus apostolus Petrus sedens conspicitur, stantem Gordianum regionarium, videlicet patrem Gregorii, manu dextera per dexteram nihilominus suscepisse. Cujus Gordiani habitus, castanei coloris planeta est, sub planeta dalmatica, in pedibus càligas habens, statura longa, facies deducta, virides oculi, barba modica, capilli condensi, vultus gravis. In altera vero mater Gregorii sedens depicta est Sylvia, candido velamine a dextero humero taliter contra sinistrum revolùto contecta, ut sub eo manus tamquam de planeta subducat, et circa pectus sub gula inferior tunica pseudolactinei coloris appareat, quae magno sinuamine super pedes defluat, duabus zonis ad similitudinem dalmaticarum, sed latioribus omnino distincta. Statura plena, facies rotunda quidem et candida, sed senio jam rugosa, quam ipsa quoque senectus pulcherrimam fuisse significat. Oculis glaucis et grandibus, superciliis modicis, labellis venustis, vultu hilaris, ferens in capite matronalem mithram, candentis brandei raritate niblatam, duobus dexterae digitis signaculo crucis se munire velle praetendens. In sinistra vero patens psalterium retinens, in quo hoc scriptum est: *Vivet anima mea, et laudabit te, et judicia tua adjuvabunt me* (*Psal.* 118). A dextero vero cubitu usque ad sinistrum circa scapulas versus ascendens reflectitur, qui ita se habet: Gregorius Sylviae matri fecit.

§ **71**. Sed et in absidicula super fratrum cellarium, Gregorius ejusdem aurificis magisterio in rota gypsea pictus ostenditur. Staturâ justa et bene formata, facie de paternae faciei longitudine et maternae rotunditate ita medie temperata, ut cum rotunditate quadam decentissime videatur esse deducta, barbâ paterno

Digitized by Google

more subfulva et modica. Ita calvaster, ut in media fronte gemellos cincinnos rarusculos habeat, et dextrorsum reflexos. Corona rotunda et spatiosa. Capillo subnigro et decenter intorto, sub auriculae medium propendente, fronte speciosa, elatis et longis, sed exilibus, superciliis. Oculis pupillas furvis, non quidem magnis, sed pàtulis, subocularibus plenis, naso a radice vergentium superciliorum subtiliter directo, circa medium latiore, deinde paulo recurvo, et in extremo patulis naribus praeminente: ore rubro, crassis et subdividuis labiis, genis compositis, mento a confinio maxillarum decibiliter prominente. Colore aquilino et vivido, nondum, sicut ei postea contigit, cardiaco. Vultu mitis, manibus pulchris, teretibus digitis, et habilibus ad scribendum. Praeterea planeta super dalmaticam castanea, Evangelium in sinistra, modus crucis in dextera, pallio mediocri, a dextro videlicet humero sub pectore super stomachum circulatim deducto, deinde sursum per sinistrum humerum post tergum deposito: cujus pars altera super eumdem humerum veniens, propria rectitudine non per medium corporis, sed ex latere pendet: circa verticem vero tabulae similitudinem, quod viventis insigne est, praeferens, non coronam. Ex quo manifestissime declaratur, quia Gregorius, dum adhuc viveret, suam similitudinem depingi salubriter voluit, in quo posset a suis monachis non pro elationis gloria, sed pro cognitae districtionis cautela frequentius intueri, ubi hujusmodi distichon ipse dictavit:

Christe potens Domine, nostri largitor honoris,
Indultum officium solita pietate guberna.

§ 72. Ibi etiam tempore jam Petri archidiaconi et Joannis oeconomi, Saturninus monachus dextrâ laevàque beati Gregorii, effigies sanctorum Apostolorum, quemadmodum modo videntur, depinxit. Quo scilicet loco nonnumquam divinitus candela succenditur, et in ejusdem similitudinis effigie pro regimine sui monasterii saepe beatus Gregorius praesentatur. Nam ut pauca de multis contingam, Leonis quarti pontificis tempore, cum Megistus Ostiensis episcopus et Apostolicae sedis bibliothecarius, eidem monasterio praeesset, Joannes presbyter ejusdem praepositus, cum quadam foemina turpiter vivens, vehementissimo pòdagrae dolore correptus est. Qui medicorum manu cauteriatus, per exustionis vulnus calcem coepit effundere: quam restringere nullis artibus praevalens, in tantam desperationem perductus est, ut ab omni illius foeminae visitatione desisteret, et illa sibi alterum sub eodem facinore copularet. Sed post annum presbyter ad pristinam sanitatem revertens, quamquam propositum sibi fuisset, ut alterius nullam contingeret, ad eamdem tamen misso nuncio, futuro die Dominico, se redire professus est. Quo recepto, ubi suo desiderio votum quoque mulierculae convenire gavisus

est, ad balnea processit. Unde revertens, tantum laetitiae potionibus et cantionibus se dissolvit, ut subrepente somno, interesse nocturnis cum fratribus numquam potuisset officiis. Eàdem nocte cuidam presbytero et monacho beatus Gregorius in somnis apparens, ait: « Surge, et dic praeposito, ut poenitentiam agens, peculium suum quod eum aggregare non puduit, pro peccato conscientiae suae dispergat, quia die tertiâ funditus extinguetur a vita. »

§ 78. Quod praepositus vehementer, ut audivit, expàvit, et quia mandato Gregorii incredulus esse non poterat, poenitentiam cepit, cunctaque sua sanus distribuens, tanto febris ardore correptus est, ut a diluculo diei tertii usque ad horam tertiam cum ingenti fragore prae incendio linguam ab ore projiciens, ultimum flatum protraheret. Quem presbyteri tam duriter laborare videntes, deputatis illic monachis qui cum psalmodiis ejus exitum commendarent, ipsi pro eo studuere omnipotenti Domino solemnes hostias immolare. Sed monachi psalmodiam deserentes, non timuerunt inter se morienti fratri detrahere. Cum ecce presbyteri a Missarum solemniis circa horam septimam remeantes, Joannem presbyterum, quem incredibiliter cum morte luctantem reliquerant, levius se habere mirati sunt, eumque nominatim clamare coeperunt. Mox ille oculos subridendo concutiens, « Parcat, inquit, vobis Dominus, fratres: quare me solicitare voluistis? qui ab ipso hujus diei principio usque nunc, coram Christo praesidenti multis millibus angelorum, cum diabolo ad judicium steti, et adjuvantibus me sanctis Andrea et Gregorio, cunctis ejus objectionibus bene respondi. Sciatis autem, quia monasterii sextarium, modium, libram, consuetudinem eleemosynarum et luminum, omnemque mensuram curiosissime Christo quaerenti usque ad scabellum pedum ejus portavi: sed de una objectione fateor convictus erubui. De qua me nimium, sicut vidistis, laborando vexavi, et me adhuc liberare non potui. » Cumque fratres de ea requirerent, ait: « Non audeo dicere, quia quando vos me clamastis, et a sancto Gregorio redire jussus sum, ut vobis etiam de mensuris et consuetudinibus monasterii ponerem rationem, diabolus conquestus est, putans quod me pater Gregorius ad poenitentiam remisisset. » Quapropter beatum Gregorium vadem dedi ne commotam calumniam cuilibet revelarem. Illis magis imminentibus, et se pro eo deprecaturos Dominum promittentibus, ut causam fratribus revelaret, defunctorum quorumdam domos et viventium merita proferebat, dicens: « Iste dignus, iste indignus est. » Rursus interrogatus, ad monachos qui pridem secum remanserant, conversus est, dicens: « Omnia, in quibus mihi detraxistis, fratres, audivi, quamquam respondere nequiverim, et impedimentum mihi non modicum generastis, quia tam a vobis quam a diabolo sub uno tempore accusatus, nesciebam cui

calumniae primitus responderem. Sed si quando quemlibet migrantem videritis, compatimini sorti communi, et nolite de eo judicare qui ad tam districti judicis cum criminatore suo judicium vadit.» His expletis, cunctos jubet abscedere, solum presbyterum qui sibi mortem praenunciaverat, secum tenens: qui solus remanere pavescens, alterum secum tenuit, hortatus ut causam, pro qua conflixerat, saltem sibi pandere non timeret. At ille vehementer ingemuit, et converso ad parietem capite, clamabat dicens: «O Andrea, Andrea, hoc anno pereas qui me pravo consilio ad periculum compulisti.» Evestigio Zacharias medicus qui anno praeterito ad suos, videlicet Saracenos, apostatando reversus est, affuit, tactisque temporibus jurare coepit, presbyterum ex eadem valetudine minime moriturum. Quem languidus ut audivit, cum ingenti animadversione repulit, dicens: «Fratres, jam omne corpus meum est mortuum, in extremis faucibus spiritum permissum retineo, continuo moriturus.» Tantum psallite, ut revideam angelos quos videbam, et innuens vobis ostendam. Quibus orantibus totus coepit tremere, pallescere, sursum desideranter aspicere. Cum subito spiritus adventare conspiciens, revolutis terribiliter oculis, monachis innuit, et abscessit: eosque tanto terrore perculsos dimisit, ut multis noctibus ibi jacere timuerint.

§ **74**. Eodem die, sicut postea deprehensum est, eodemque momento, quando presbyter moriens Andreae periculum fuerat imprecatus, idem Andreas fundi Barbiliani, positi scilicet in via Ostiensi, conductor, in lectulum dècidit, in quo per multum temporis continuo languore correptus, ita totus emarcuit, ut omne corpus ejus particulatim videretur dissolui. Cumque defluentibus carnibus consumi posset, mori autem non posset, uxor quae foetorem vulnerum virique cruciatus jam sustinere non poterat, intellexit tanti languoris incommoda sine divinae ultionis sententia hunc nullàtenus incurrisse: quem flendo curavit inquirere, ut quoniam a moriente praeposito frustra vocari non poterat, quid cum ipso commiserat, ut monachis revelaret, si forte Dominus ejus confessionem recipiens, eum a tantis cruciatibus liberaret. At ille cognoscens malum quod fecerat, latère non posse, monasterii monachos convocari rogavit, eisque confessus est, cum eodem praeposito quasdam monasterii chartulas rapuisse, ac receptis preciis, extraneis tradidisse: seque certum existere, quia pro hoc flagitio mori non posset, quousque hoc coram omnibus revelaret. Quod videlicet verum fuisse, rei exitus evidenter ostendit. Nam mox ut tantum facinus cunctis innotuit, is qui dudum mori volens non poterat, inter verba suae confessionis spiritum efflavit. Quem idcirco omnipotens Deus diu cruciari voluit, mori autem, donec reatum suum confiteretur, non posse permisit, ut

exemplo sui cruciatus ostenderet, quid consumptores rerum Gregorii de semetipsis utique sperare debuissent.

§ 75. Ipsius quoque Pontificis tempore ejusdem patris monasterio Athanasius praefuit, vir quidem castitate conspicuus, et sui monasterii cautissimus exequutor. Qui cum saevientis inopiae tempus agnosceret, ne monachis necessitas fortassis incumberet, quadraginta pauperum, quos beatus Gregorius pasci semel in anno decreverat, refectionem subduxit. Quod impune se fecisse perpendens, etiam duodecim pauperum totidem denarios qui die depositionis beati Gregorii pro commemoratione duodecim, ab eo quondam invitatorum, quorum tertiusdecimus angelum se esse professus est, consuetudinaliter pascebantur, penitus intercèpit. Cum ejusdem Quadragesimae tempore beatus Gregorius eidem presbytero, cui supra, et monacho in somnis apparuit, dicens: « Vade, et dic oeconomo, quia diminuit consuetudinem, quam ego constitui, Dominus quoque dies ejus diminuit. » Quod oeconomus ut audivit, primo quidem contremuit, post vero tanto minus credidit, quanto longius vitam suam cognoscebat extendi. Et ecce sub ipsis Albis paschalibus in oratorio sancti Severini cum fratribus vespertinis assistens officiis, ardère parietem vidit, quem fratribus extinguere imperavit. Quibus hunc vinolentum credentibus, ipse tandem ferulam, quam tenebat, projiciens, manusque per parietem circumducens, conabatur foris flammas extinguere, quas constabat intima ejus depascere. Denique tandem ad hospitium rediens, tantae febris ardore succensus est, ut pervenire ad diem septimum nullàtenus potuisset. Quia ergo dum consuluisse putavit se monachis, pauperibus nocuisse non timuit: ac per hoc, quo se placare posse Gregorium credidit, prorsus offendit: frustra flammas parietis extinguere voluit qui tenacitatis suae flammas extinguere recusavit.

§ 76. Benedicti quoque pontificis tempore, Lucido Ficulino episcopo eidem monasterio praeminente, cum pestilentiâ faucium multitudo quotidie maxima deperiret, idem monachus praeclusis faucibus venit ad mortem. Cui desperanti beatus Gregorius in somnis apparuit, dicens: « Vis sanus fieri? » At ille se velle respondit. Et B. Gregorius: « Si mihi, inquit, promiseris ea quae tibi dixero, fore dicturum, scito te esse sanandum: sin vero, citius moriturum. » Cumque ille se dicturum tota certitudine promitteret, audivit: « Ito denuncians Sabae, Joanni, Benedicto, Ajartino, Palumbo et Antonio monachis, Laurentio coco, Gemmoso carpentario, Accepto pistori, Andreae, Romano et Leoni laicis, quoniam a crastino incipientes, omnes dietim se moriendo subsequantur. Post quorum decessum denuncia Lucidum episcopum qui tenet id monasterium, die septimo moriturum. His dictis, Monachum oscitare praecipiens, duos digitos in faucem conjecit, vulnusque disrumpens, ut excrearet injunxit. Ille tussiens,

partem coagulati sanguinis in morem lapidis re vero projecit, et ab ipsis pene mortis januis liberatus, eadem nocte contra spem omnium matutinalibus hymnis interfuit. Mirantibus fratribus, sanitatis suae modum innotuit, quos quando et qualiter ex monasterii familia morituros praeviderit, indicavit. De sola interim episcopi morte dubitando, conticuit. Et evestigio in cunctorum morti deputatorum auribus volans fama discurrit, et dum ex relatione monachi se morituros certo die cognoscerent, dispositis suis reculis, ita se in mortem secuti sunt, sicut fuerant in somno nominati.

§ 77. Cumque presbyter et monachus Lucido episcopo tam dirum nuncium revelare timeret, tacere autem penitus non auderet, monasterio se tandem proripuit, et ad domum episcopi non longe a flumine Tiberi, regione videlicet juxta basilicam sanctorum Cyri et Joannis positam, somnium nunciaturus accessit. Quem scilicet ubi cum pontifice in palatio prandère cognovit, expectans redeuntem sacerdotalibus vestimentis indutum, colore fulgidum, valetudine quoque sanissimum salutare curavit. Cui episcopus ait: « Jam nunc in tota Urbe pro divino haberis, quia de eis, quos morituros pronunciasti, solus unus remansit. » At ille: « Utinam sicut et ille, quem vivere putas, defunctus est, sic ipse qui hunc sequi praedictus est, exiliret. » Cumque episcopus de eo tota curiositate requireret, et monachus dicere palpitaret, tandem ubi die sexto se moriturum cognovit, expalluit atque contremuit, resumptisque viribus, contra Monachum frenduit, quem redire volentem retinuit, interiora cubiculi pervagus penetravit, paulatim sibi fauces dolere persensit. Deinde tacto sibi pulsu, mox febris signa cognovit, monacho credidit, domum suam disposuit, ad monasterium, cui praeerat, eisdem redimitus quibus a patriarchio reversus fuerat, venit, secundâ feriâ, cunctis tam subitam conversionem mirantibus, monachicum habitum suscepit: et paulatim ingravescente molestiâ, sextae feriae diluculo subdormivit. Ac denuo suscitatus, apparuisse sibi sanctum Andream Apostolum, seque circa horam tertiam vocandum esse, sibique praeceptum perhibuit, ut quia suae mortis expectatione suspensi monachi, sancti Fabiani munia solita celebrare non poterant, mox corpus suum sepulturae traderent, acceptisque a se cereis ac thymiamatibus, ad peragenda solemnia festinarent. Horâ itaque tertia episcopus laetus defungitur, ut in ipsa vultus ejus laetitia, conversio ipsius Deo fuisse placabilis cunctis videntibus monstraretur.

§ 78. Eodem tempore germanus cujusdam monachi, mentis insaniam passus est, ita ut humana consortia fugiens, multo tempore pervagus per cryptas solitarias et coenosa monumenta discurreret. Cujus insaniae frater nimium condolens, quotidie sanctum Gregorium profusis lacrymis precabatur, ut sibi fratrem

Digitized by Google

sospitem reddere dignaretur. Itaque cum nocte quadam post hujusmodi fletus quiesceret, beatus Gregorius apparuit ei, dicens: « Videns lacrymas tuas, suscepi orationem tuam: et ecce germanum tuum tibi hodie reducam sanum: et hoc tibi signum, quia statim ut dies illuxerit, jussu pontificis presbyter qui hic inclusus est, extrahetur, » Qui surgens, matutinali tempore fratribus indicavit. Forte tunc idem presbyter Campanus de loco, qui Claustrum, non longe a Terracina, vocatur a suis pro quodam crimine accusatus, in eodem monasterio tenebatur, et temporibus multis labentibus, a suis accusatoribus jam contemptus, a cunctis quoque suis fuerat in oblivionem ductus, cum nullum propinquum, nullum in urbe cognitum habere potuisset qui de eo pontifici suggessisset, et monachi quidem pro eo satagerent, sed perficiendi aditum non haberent, Pontifex divinitus recordatus ejusdem, diluculo hunc ab ergastulo jussit extrahi, liberumque dimitti. Nec multo post monachi frater ita sanus reversus est, ut videretur hactenus in ejusdem patris monasterio tanto fidelius deservisse, quanto se illius adminiculo meminit ad sanitatem pristinam remeasse.

§ **79**. Alio quoque tempore Tetgaudus, quondam Trevirensis episcopus qui cum Gunthario, Agrippinae Coloniae episcopo, a reverendae memoriae Nicolao fuerat sacerdotali privatus officio, liberalitate Adriani pontificis in eodem monasterio mansionem suscepit. Cui beatus Gregorius in somnis apparens, maximum terrorem, quo de suo monasterio concitus egrederetur, incussit. Ille perpendens visum fuisse phantasticum, oratione facta, rursus dormire coepit. Cui Gregorius pontificali habitu redimitus apparens, « Nonne, inquit, dixi tibi, ut a monasterio meo quod in rebus propriis per invocationem sancti Andreae Apostoli Domino dedicavi, recederes, quia diversorium fieri nullo modo licuisset?» Cumque Tetgaudus hospitandi ibi licentiam suscepisse se a pontifice respondisset, Gregorius ait: «Et tu qui petisti, et ille qui dedit, utrique contra Deum fecistis, cujus vindictam citius incurres.» Evigilans Tetgaudus, intremuit, et facta oratione, sopori se reddere voluit: cum repente venientium sonitum audiens, vehementer expavit, seque dormire simulavit. Appropinquans ergo Gregorius, sanctum Andream Apostolum per dexteram tenens, praecepit subdiacono qui se praeibat cum lumine, dicens: «Corripe illum.» Qui dum correptus in lectulo clausis oculis resedisset, Gregorius ait: « Aspice in nos. » Intuitus in eos Tetgaudus, magis intremuit, eumque sibi taliter comminantem audivit: «Quia secundo commonitus, verbis oris mei credere noluisti, et me tua inobedientiâ adeo provocasti, ut hunc Apostolum Dei huc fatigare studuerim: scito cognoscens, quia nisi hodie ab hoc monasterio meo recesseris futura hebdomadâ cum tuis omnibus vitâ privaberis. Si vero recesseris, ab hac quidem momentanea sententia

Digitized by Google

liberaberis, sed neque tu, neque aliquis hic tecum degentium suam patriam revidebit.» Mox Tetgaudus lectulo se proripuit, et primo suis, deinde monasterii monachis, postremo quibuscumque potuit, somnium revelavit. Et quia aliud hospitium citius a pontifice impetrare non potuit, apud Sabinos concedens, eodem anno cum suis omnibus vitâ privatus est.

§ **80**. Sane quam frequenter beatus Gregorius tam illic, quam in apostolorum basilicis, necnon et in patriarchio nunc exhortans innoxios, nunc vero deterrens obnoxios, in ipsa suae cognitionis effigie apparescat, quia nunc narrare non valeo, hic hujus operis, adminiculante Domino, terminum facio, et reliqua ejusdem patris miracula post me doctioribus memoranda relinquo. Cujus nimirum venerabile meritum, quousque mundi hujus orbita volvitur, ut cum Paulo viro disertissimo fatear, semper accipiet incrementum, quia ipsius sine dubio gloriae ascribitur, vel quod Anglorum Ecclesia nova semper sobole foecundatur, vel quod illius doctrinis per orbem universum multi a peccatis elongati, ad Christi clementiam convertuntur, vel quod boni quique ipsius suasionibus inflammati, coelestem patriam desideranter inquirunt.

§ **81**. Ecce studiose Pontificum *, jussionis tuae virtute coactus, dum quaedam gestorum beati Gregorii praedecessoris tui, Saxonum ** videlicet gentis apostoli, deflorare desidero, virum descripsi rhetoricum scriptor ignarus. Sed deprecor, ut ea curiositate, qua me dudum haec decerpere jusseras, ad omnium, sicut coepisti, facias pervenire notitiam: ut in eo quod sacrosancto vestro judicio placuisse me gaudeo, nulli penitus dijudicandus addicar, quin potius judicaturus inveniar. Siquidem nuperrime, quando hunc quartum librum, cooperante Domino, claudere gestiebam, nocte, qua Dominicae Resurrectionis dies venerabilis lucescebat, in somnis describens, quidam sub effigie cujusdam veteris insidiatoris palam videndum se praebuit, et candidissima tunicâ, simulque tenuissima, cujus nimirum raritate nigrèdo subterioris tunicae extra lucebat, sacerdotaliter insignitus, mox propius adstitit, et inflatis buccis risum continere non potuit. Cui dum curùlem praeparare cogitarem, hunc supra modum cachinnantem conspiciens, compellare videbar, quamobrem nocturno silentio tam petulanter vir officii gravioris perstreperet. At ille: «Quia, inquit, tu scribis de mortuis, quos viventes aliquando numquam vidisti.» Cumque ego tanto me veracius scribere, quanto incognitum facie, non autem incognitum lectione, sine ullo livoris vel adulationis vitio retulissem, respondit: «Tu, sicut video, quod voluisti, fecisti: at ego quae facere potero, non cessabo.» Haec dicens, lucernae flammas, cujus lumine forte fruebar, prorsus extinxit. Et lychnum quidem totum extinguere non potuit, me tamen in tenebris constitutum ita perterruit, ut putarem me

* Joannes Pp. VIII qui electus est anno DCCCLXXII. ** Angliam occupantium.

Digitized by Google

gladiis ab eo protinus jugulari. Cum post paululum desperanti mihi beatus Gregorius, comitante secum dextrorsum reverendae memoriae Papa Nicolao, sinistrorsum vero, sicut mihi videbatur, Petro suo diacono, multo lumine clarificatus apparuit, dicens: « Modicae fidei, quare dubitasti?» Cui dum ego priori pavore perculsus, respondere non possem, benevolus mihi pater Nicolaus latentem adversarium post cortinam quae tunc meum lectulum circùmdabat, digito manifestans: « Quia, inquit, hic invidus lucernae ipsius flammas, quantum in se fuit, extinxit. » Mox Gregorius manum diaconi, qua magnam facem tenere videbatur, arripiens, ejusque flammis os faciemque petulantis exùrens, ad instar aethìopis denigravit. Qua exustione ab ore petulantis parvissima scintilla descendens, candentem tunicam dicto citius conflagravit, sicque nigerrimus totus apparuit. Cumque diaconus diceret satis adversarium denigratum, beatus Gregorius, « Nos, ait, illum non denigravimus, sed nigrum fuisse monstravimus.» Deinde infortunium meum diversis consolationibus exhortatus, abscessit. Et facem quidem secum dètulit, sed tanto lumine locum, in quo dormiebam, re vera fulgentem dimisit, ut expergefactus, pueros ante me dormientes crebrius inclamarem, nec ante quicquam sub gravi sopore quoquòmodo responderent aut surgere potuissent, quam relictae lucis copia paulatim se subtrahens penitus effluxisset. At de iis Deus viderit. Ego tamen divinae spei fiduciâ roboratus, quia Gaudericus episcopus Veliternus expostulat, ad Clementem Romanae sedis antistitem, suffragante Domino, stylum convertam: quatenus qui continuis infortuniis tenuatus, amicis meis, a quibus utcumque sustentor, meritum rependere nequeo, saltem verba quae valeo, minime denegasse cognoscar (*a*).

ILLUSTRE MARTYRIUM S. PETRI

CUBICULARII DIOCLETIANI IMP.

EX EUSEBII CAESAREENSIS HISTORIAE ECCLESIASTICAE LIB. 8, CAP. 6, INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO

Anno 303.

Ex omnibus qui unquam vel apud Graecos, vel apud Barbaros propter animi magnitudinem illustres et hominum sermone celebrati sunt, nullus cum divinis et eximiis nostri temporis martyribus, Doròtheo et suis sodalibus, Imperatorum ministris, comparari potest: qui quidem cum summum honorem apud

(*a*) Hoc insigne de S. Gregorio Pp. S. Ildephonsus Tolet., in libro de Scriptoribus ecclesiast. testimonium protulit: " Ita cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, ut exclusis omnibus illustrium virorum comparationibus, nihil illi simile demonstret antiquitas. Vicit enim sanctitate Antonium, eloquentiâ Cyprianum, sapientiâ Augustinum. "

Digitized by Google

dominos adepti fuissent et amore essent apud illos liberis propriis et ingenuis non inferiores, probra et afflictationes, pro pietate corporibus impositas, nova et multiplicia mortis genera contra ipsos excogitata, splendidiores revera existimarunt divitias quam gloriam, quam delicias, quibus hominum vita soleat diffluere. Mortem igitur unius ex illorum numero, qualis fuerit, commemorare placet, eamque lectoribus spectandam relinquere, ut inde quae reliquis etiam ejus sodalibus contigerint, animadverti possit. Quidam illorum in civitate supra commemorata coram Imperatoribus quos diximus, in medium adducitur: qui cum jussus idòlis immolare, omnino recusaret mandarunt nudum in sublime tolli, ac flagellis eousque toto corpore dilaniari quoad supplicio evictus, etiam animo invito, quod erat imperatum praestaret. Sed ubi ista perpessus, constans et immutabilis persisteret, de reliquo ossibus ejus jam carne denudatis, acetum sale permistum, in corporis membra, cruciatu attenuata et prope contabefacta, infuderunt. Atque ut istos dolores protriverat et veluti pedibus conculcarat, inde craticula et ignis una in medium trahuntur et reliquiae ejus corporis, tamquam carnes ad comedendum paratae, ignis incendio, non raptim, ut brevi e vita decedens, omni dolore liberaretur, sed paulatim absumptae fuerunt. Neque qui eum imposuerant in rogum, etiam post tot tamque gravia cruciamenta, ei ullum respirandi locum dare in animo habebant, nisi prius se ipsorum imperata facturum annueret. Sed ille proposito suo mordicus adhaerescens, victor in tormentis animam efflavit. Tale unius regiorum famulorum martyrium extitit, appellatione sua (Petrus enim nominatus fuit) revera dignum.

S. THEOPHANIS, SIVE ISAACI

ELOGIUM EX SIMEONE METAPHRASTE. *

Obiit Anno 818.

§ 1. Quae mercatoribus, mundi pelagus et longinqua maria majoris lucri gratiâ trajicientibus, solent accidere, dum cum invictis fluctibus atque undis quae tum inter se, tum cum ventis furentibus decertant, ipsi luctantur et tenebris òbruti, ac procellâ jactati, prope desperata salute, naufragium expectant: si parvus stellae salutaris splendor periclitantibus ipsis affulserit, ejus luce perspectâ respirant, animumque recipiunt, ac rectorem

* Quod Metaphrastes conscripsit habent 2. loco Bollandiani; hoc probabilius Theodoro Studitae Baronius censet tribuendum. Circa finem § 3 asterisco notamus cum Surio nonnulla illic desiderari; ut nostrum erat, quae in Surianis editionibus desunt, ex altera historia apud Bollandianos et ex Graecis Menaeis supplenda curavimus.

Digitized by Google

navis ad gubernacula sedentem hortantur, ut alacrius munere fungatur suo: ille vero sublatis oculis, splendorem intuetur, eoque tamquam duce, procellae impetum vitat et ad rectum cursum navem dirigit. Eadem fere in hoc vitae pelago navigantibus et ad tutum futuri seculi portum studiose tendentibus, contingere consueverunt. Incredibili enim tentationum aestu laborantibus et daemonum impetu atque insidiis, tamquam densissimis tenebris, circumfusis, res a sanctis viris gestae, oculis eorum propositae, splendore suo tenebras discutiunt, divinàque doctrinâ perturbationum impetum prosternentes, jucundissimam afferunt tranquillitatem: et pretiosis mercibus onustos atque laetantes, ad optatam facilime provehunt haereditatem. Alios igitur aliis ornatos virtutibus invenies. Hic abstinentiae praestat integritate. Ille temperantiâ splendet: et quomodo intemperantiae dominatus superetur, ostendit. Alius vitam hanc docet esse contemnendam. Alius inanem gloriam negligendam declarat. At si viri sanctissimi patris nostri Theòphanis * res gestas consideraveris, tamquam in horto florido, virtutum omnium exempla perspicies.

§ 2. Has ego ut laudatione prosequerer, multorum precibus adductus et ejus auxilio fretus, prompto animo provinciam suscepi: non ut viro divino et admirando gloriam conciliarem (Quae enim illi gloria ex oratione mea quae virtutibus ejus longe est inferior, acquiri potest?) sed contra potius? ut rebus ab ipso gestis commemorandis et orationem meam exornarem et eas imitari studentibus, adjumentum afferrem. Quamquam in ipso statim principio, antequam in ipsum laudationis stadium ingrediar, tanto me oneri imparem sentio. Simul enim et patria et genus et natura praestantior, et quae magnitudine naturam superat, virtus, ita concurrunt, ut unde potissimum exordiar, dubitem. Patria enim tum laudationum legibus, tum causa ipsius armata, primas sibi vendicat patres: oratque nos atque obtestatur, ne propriis ornamentis spolietur. Parentes autem hanc cubito opposito propellunt, educatione ac disciplinâ ipsius gloriantes. Virtutes vero, gloriosa cervice sublata, proposito ejus ac possessione confisae, magna voce reliquis clamant, solum illius studium atque animum spectari oportère. Cui victoria sit adscribenda, vos facile cernitis. Ego autem inter res quae se vinci non patiuntur, judex constitutus quid faciam? Parumper in prioribus immorabor, ut ostendam quae nam ipse Creatoris amore inflammatus, contempserit et pro nihilo duxerit. Deinde me totum ad ejus virtutes perpendendas convertam.

§ 3. Tulit virum hunc admirabilem illa patria ** quae imperii dignitate decorata, caeteris omnibus tantum antecellit, quantum reginam subditis praestare par est. De qua me multa dicere volentem impedit, tum quod nulla possunt oratione explicari, tum

* THEOPHANES *Lux Dei.*

** Constantinopolis.

Digitized by Google

quod omnibus, quascumque sol aspicit, terrae partes habitantibus sunt cognita. Parentibus ortus est tali patriâ dignis qui et divitiarum copiis et gloriâ militari et virtutibus omnibus affluebant. Hos diligebant non solum omnes illi qui Deo sunt chari, quique virtutis studio atque honestatis conciliantur, aut qui paribus erant dignitatibus insignes, licet pessimo essent animo praediti, atque amicitiam propriis utilitatibus metirentur: sed ipsi principes atque Imperatores virtutis eorum praestantiam venerantes, eos inprimis diligebant. Isaacius et Theodota, si quid vobis etiam nomen est curae, vocabantur. His amplissimae haereditatis natus est haeres ille qui nobis in praesentia laudandus est. Autumni tempore ex utero matris in lucem editus, eximia corporis pulchritudine, similem animi praestantiam indicabat. Neque enim mortalis hominis, sed Dei filius esse videbatur, ex ventre matris (Quod de magno illo propheta Jeremia scriptum legimus) sanctificatus, et jam inde ab ipso ortu ad extremum usque vitae finem virtutibus omnibus excellens. At pater ipsius, cum exiguo temporis spatio in hoc mundo vixisset, puerum ipsum, cum trimulus adhuc esset, Imperatori curandum ac gubernandum relinquens, praefinitum omnibus peregrinationis terminum absolvit. Mater autem * et ipsa paullo post universae terrae viam ingressa est; sicque beatus puer solus inter copiosas remansit divitias; supernâ forsan id disponente providentiâ ne parentum amor obex ei fieret rectâ ad Deum perrecturo.

§ 4. Defuncto autem Constantino Copronymo (*a*) cujus Theophanes tutelae commissus fuerat, apud Leonem Chazarum (*b*), qui successerat, aulici officialis munere honestatus, catholicam tamen pietatem inter Iconoclasticae haeresis sectatores fautoresque servavit quâ ejus imbuerat impense animum ab unguiculis quidam domesticus famulus, cujus etiam piissimis consiliis ingenti monasticae vitae desiderio fuerat inflammatus. Imperatori autem familiarissimus cum quidam patricius esset, hic compertâ Theophanis opulentiâ, filiam ei suam, Imperatore ipso jubente, nubendam curavit; Theophane vero aegre id ferente, et virginitatis servandae desiderio, et monasticae professionis proposito, viribus totis reluctante; sed consentire coactus, adolescens (qui

(*a*) Constantinus Imperator *Copronymus* dictus est a κὸπρος *stercus*, et ὄνομα *nomen*, quod dum baptizandus adstaret, sacrum fontem alvi excrementis foedavit. Praestigiis addictissimus, humanarum divinarumque legum contemptor et vix non àtheus, naturae debitum solvit anno DCCLXXV.

(*b*) Leo IV, Copronymi filius, paternae cum imperio impietatis haeres, *Cazarus* appellatus ex Helenae (non Irenis) matris cognomento, *Cazarae* Principis filiae, furens et ipse ac saevus Iconoclasta. Eum extinctum, anno regni sexto nondum expleto, ajunt divinâ manifeste et celeriter vindictâ percussus, cum capiti sibi imposuisset, quam rapinâ usurpaverat, auream gemmis refertam coronam, olim ab Heraclio Imp. Constantinopolit. Ecclesiae donatam. Carbuncula enim tunc in ejus cervice statim suborta sunt pestifera, quibus brevi et dire consumptus est. Extat propterea epigramma sive epitaphium:

Aemulus hic patris, rapto diademate sacro
Exornasse comas dicitur ipse suas.
Ergo et sacrilegam mox percutit ultio frontem:
Ustus obit, facto tuberis igne, caput.

Digitized by Google

duodecimum tantum aetatis annum exegerat) illustrem puellam accepit uxorem. Sed cum omnes ad hilaritatem, laetitiamque profusi, nuptiarum convivium celebrarent, mens tamen illius rebus divinis vacans et animi propositum explere cupiens, minime obtundebatur. Nocte autem cum in cubiculo esset cum sponsa sua et in lectulo consideret et toto animo res divinas agitaret, suspirio indicans desiderium suum, sic eam alloqui aggressus est: « Vitae curriculum, conjux, ut omnibus patet, exiguum est et incertum. Nemo enim mortalium novit, quando mors sit accessura, nosque hinc ad futurum illud judicium quod omnibus est commune, dimissura: in quo rerum gestarum ratio severis quaestionibus reddenda erit, cum imparati nonnumquam et magnis peccatorum cumulis onerati, illuc homines rapiantur, et rerum procreatarum pulchritudine spoliati, omnium cruciatuum acerbitate, atque igne conficientur sempiterno: et cum bona quaedam exigua, si tamen dicenda sunt bona quae specie tantum et opinione sunt ejusmodi, possederint, innumerabilibus torqueantur calamitatibus quae morte sunt ipsâ longe graviores. Atque ut interim taceam quam brevia haec sint atque instabilia, divitiae, nisi recte illis utaris, vitiorum magis quam virtutum ministrae sunt et multorum insidiis obnoxiae et antequam partae sint, dilabuntur. Quid ipsa corporis pulchritudo quae constat ex quadam coloris suavitate, atque apta figurâ membrorum, non ne vel tempore extinguitur, vel morbo deflorescit? Jam humana gloriâ quid inanius, o conjux charissima, praesertim si cum aeterna illa quam nec oculus vidit, nec auris audivit, comparetur? Hanc qui mane adeptus est, ignorat, an sit usque ad vesperam permansura. Quamobrem nihil est, cur numeretur in bonis. Quae cum ita sint, si videtur, naturae legibus renunciantes, nostri juris simus, coelèstiaque spectemus: et quae perpetuo non permanent, promptis animis rejiciamus et aspernemur. »

§ 5. Haec atque alia multa ille corpore juvenis, sed prudentiâ senex loquebatur, cum pura atque integra Christi columba et turtur solitudinis et castitatis cupidior quam nuptiarum, Christi amore succensa et muliebrem superans infirmitatem, ac sese in omnibus, quae honesta essent, sponso suo sociam fore promittens, ita respondit: « Multo praestantius est, sponse charissime, virginitatis pulchritudinem semper integram conservare quam eam maxima ex parte corrumpere. Quis autem fore spondeat, ut qui huic vitae serviunt et liberis operam dant, voti compotes sint futuri? Non ne satius est, ut inani spe repudiatâ quae certa sunt, complectamur? Longe laudabilius est, ut leve Christi jugum ab adolescentia subeuntes, beatitudine quae inde sequitur, nos dignos praestemus quam ut rebus istis cadùcis et inanibus omni studio incumbentes, pessimi reperiamur.» Haec illa cum dixisset, obstupuit adolescens: superaverat enim omnem suam

Digitized by Google

expectationem. Ac primum quidem humi prostratus, gratias egit Creatori: deinde laetiore vultu conjugem intùitus, pollicitus est, se illam honestis omnibus in rebus sociam habiturum, ut in seculo venturo praeclari muneris simul cum ipsa praemium perciperet. Ac principio quidem sejuncti et coelestem agentes vitam in mundo conjuges sanctissimi, atque animorum sulcos scindentes et in coelestibus horreis triticum recondentes, Christum, bonus ipsius odor effecti, delectabant, et bonum ejus unguentorum odorem percipientes, illius praesentiâ fruebantur.

§ 6. Cum igitur noctem sic inter se transegissent, toto domus boni odoris fragrantiâ repleta est: quae longo intervallo omnem modum superans, Domini praesentiam indicabat: qui bonum ipsorum propositum comprobans, adventu suo locum ipsum gaudio, laetitiaque repleverat. Sese igitur humi prosternentes, ut sibi misericordiae fontes aperiret, obsecrabant. Ac divinae quidem praesentiae signum id fuit quod ea re transacta, inanes divitias pauperum manibus distribuentes, ad vitam in solitudine degendam se parabant. Sed communis hostis invidia quam ipse ex rebus omnibus honestis praeclarisque contrahit, adversabatur. Nam socer ejus qui omnem in ipsis solis spem positam habebat, eam rem sic aegre tulit, ut ipsum quoque Imperatorem in magnam indignationem impulerit. Leo hic fuit, sordidi patris filius atque successor qui et ipsorum adolescentiam commiseratus et proprium amicum patrem honorans, jurejurando comminatus est adolescenti, se illi, nisi a proposito desisteret, oculos effossurum. Et Cyzicum misit eum, munusque praeclarum commisit, ut rebus inanibus atque caducis administrandis, earum quae semper permanent, splendorem oblivisceretur. At ille, tanquam murus, in suo instituto stabilis manens, libenti animo iter ingressus, apud Sigrianem occurrit admirando seni qui Gregorius appellabatur, et tum aliis donis, tum prophetiae gratiâ praestabat. Multis enim sudoribus animum a perturbationibus liberum, seque tum ad contemplationem rerum divinarum, tum ad eorum quae essent eventura, cognitionem aptum reddiderat. Huic Theophanes animi sui propositum aperit, sibique certum jam esse dicit, exilium eligere voluntarium. At ille Sancto Spiritu, ut erat solitus, illustratus: «Nihil est, inquit, o juvenis, quamobrem de exilio cogites; paulo post enim licebit tibi, nemine prohibente, ad solitudinem te conferre. Socero enim tuo et Imperatore defunctis, ad vitam pristinam revocaberis.» Et haec dicens, solito murmure labiis intonabat, quemadmodum ipse juvenis tempore suo comitibus dixit, cum ejus testimonium narraret.

§ 7. Senis autem jumento usus est, eoque magis quam regio equorum ministerio quo erat ornatus, gloriabatur. Senis igitur monitu et aliorum patrum consilio confirmatus, reditum in

Digitized by Google

patriam distulit, et una cum sociis in loco, quem nactus est, cum supellectili sua consèdit. Verum cum et magnis caloribus et siti cruciarentur, non tamen indignatus est, nec aquae penuriâ sententiam mutavit, nec proprium oravit Dominum, ut siti mederetur: sed solitas illi preces fundens, super tapete recubuit, ut somno paulisper sitim leniret. At rerum admirabilium effector Deus, juvenem intuitus propter se libenti animo labores ferentem, magno illum miraculo decoravit. Qui enim ingrato populo ex durissima petra làtices effùdit, cur grato juveni necessaria non subministraret? Prope igitur, ubi ille jacebat, divìno jussu fons mirabilis emanavit, tactuque suo Dei servum excitans, sese illi patefecit: qui sociis convocatis, sitis remedium a Deo datum ostendit. Cavis igitur manibus aquae copiam haurientes, debitas bonorum omnium largitori Deo gratias egerunt. At ne quis posset suspicari, casu fontem illum repertum fuisse, nocte repente sic evanuit, ut ne vestigium quidem ejus ullum mane relinqueretur. Hoc amoris quo sanctus hic jaminde ab ipsa adolescentia Deum prosequebatur, signum fuit. tanto majus illis quae Moses Dei inspector edidit quod ipse precibus ea impetravit, hic autem ne id postulans quidem. Praeterea ille murmurantium adductus necessitate, Dominum ad largiendum impulit: hic autem patientiâ et gratiarum actione utens cum sociis suis, proprium Dominum movit. Ad haec Judaei (ne dicam Mosem) munus dubitatione coinquinarunt, hic autem donum honestatis proposito commendavit.

§ **8**. Nondum anni tres praeterierant, cum socer ejus et Imperator a praesenti gloria depulsi sunt, et ad domicilium illis conveniens missi. Irene autem mulier illa fortis cum filio * Imperii gubernacula suscepit: Si tamen mulier dicenda est, quae adversum hostes atque perturbationes virilem animum gessit: et homines, qui diuturno bello conflagraverant, tum inter ipsos conciliavit, tum etiam Deo. Quamobrem, discussis mundi tenebris, laetiorem omnia faciem susceperunt. Tunc sol, qui cuncta lustrat, clariorem liberioremque diem extulit, et moerorem atque tristitiam, quae diu orbem occupaverat, exuens, nitidius illuxit. Tunc igitur sponsa, Dei sese oculis ornans, et castitatis studiosa cum juris sui esset effecta, divitias, quibus multum abundabat, domo pròtulit, et omnibus inopiâ laborantibus distribuit. Sic una Dei amantium domus, multis, quae victui erant necessaria, subministrans, et pauperum, qui se Deo dediderant, calamitates eximie sublevans, Deum ipsum qui eas sibi proprias fecerat, vehementer oblectabat.

§ **9**. Cum igitur haec et alia multa perfecissent, illa quidem in monasterio suis facultatibus constructo vitam egit: hic autem ad magnum senem rediit, qui apud Sigrianem degebat in oppidulo,

* Constantino V.

Digitized by Google

quod illi ab ipso ocii quietisque gratiâ donatum fuerat. Hoc in loco manibus ejus tondetur, immo vero consecratur, hostiam offerens hostiâ sancti Isaac multo sacratiorem : siquidem gravius censendum est, quod voluntate fit, quam quod praeter voluntatem, et id quod perficitur, eo quod non perficitur. Illic mansione propriis sumptibus constructa, et multis muneribus exornata, ejus permissu et voluntate ad insulam, quam Calonymum vocant, se contulit, et praedium, quod in ea paternum habebat, in monasterium commutavit, viris in solitudine degentibus ex Theodori, quem Monocherarium appellant, monasterio congregatis. Quantae autem virtutis esset, vel vulgi proverbium facile indicat. His viris monasterii tradita gubernatione, omniumque probatissimo duce declarato, obedientiae exemplar seipsum exhibuit : tanta enim praestabat humilitate, ut aliorum nemini compararetur. Sic autem se exercebat, atque humi cubabat, ut longo omnes post se relinqueret intervallo. Divinorum librorum lectioni assidue incumbebat, eosque non humana disciplinâ, sed labore perpetuo et divina gratiâ plane intelligebat. Noctem precando consumebat, et cum Christo, quem optabat, versabatur, et benevolentiam ejus sibi conciliabat. Cumque adversus daemones et cupiditates pugnaret, mitis ac mansuetus omnibus, ut alter Moses, videbatur. Rerum terrenarum cupiditatem sic abjecerat, ut divinis tantum vacaret. Quanta porro fortitudine esset ac temperantiâ, et quantopere negligeret dignitates, extrema ipsius tempora potissimum indicarunt.

§ **10**. Hoc igitur virtutibus florente, monasterii Praefectus ab hac mortali vita discessit ad immortalem. Omnes autem ad hunc concurrentes et lacrymantes supplicabant, ut sibi praeesse vellet, et eorum, inter quos licet extremum locum teneret, virtutibus tamen et factis praefulgebat, saluti vellet consulere. Sed animum ejus movere non potuerunt, qui in rebus abjectis ac vilibus constituerat permanere: et quanto sublimior virtute tollebatur, tanto se gerebat submissius. Res enim omnes mortales pro nihilo ducebat. Baculum igitur in manum sumens, et spe in Christum, cui per omnem vitam innixus fuerat, bene armatus, ad Sigrianae montem pervenit, et ab agricola quodam praediolum emit, pecuniâ a Dei amicis mutuatâ. Neque enim animo quicquam possidebat: sed vili panno corpus induerat, et sensibus silentium ac quietem indicens, carne extra mundum versabatur. Hoc in loco sibi domicilium statuit, et manuum labore tantum adjuvante Deo profecit, ut parvo temporis spatio, et mutuo sumptam pecuniam redderet, et victui necessaria compararet. In dies autem seipso melior evadens, et quae retro sunt (ut Apostoli verbis utar) obliviscens, ad meliora contendebat. Neque enim satis esse ducebat in proposito permanere: immo non mediocre damnum existimabat, si proficiendo non progrederetur. Comes autem et

Digitized by Google

adjutrix omnibus in bonis illi erat gratia Dei, quae in ipso adhuc puero ita conquieverat, ut eum numquam reliquerit.

§ **11**. Quis ejus in orationibus familiaritatem cum Deo, qua sic a rebus terrenis purus evadebat, ut divinarum actionum instrumentum fieret, pro dignitate queat explicare? Quis temperantiae decus cordis ejus enarrare possit, quae sic eum rebus incorporeis conjungebat, ut Dei purissimum esset habitaculum, et Deum contemplaretur, et quae futura erant, tamquam praesentia cerneret? Quae nam oratio assequi valeat incredibilem illius erga Deum et proximum charitatem, licet vi sua coelum conscendat? Quae fidei firmitatem, ab omni duplicitate alienam? Quae spei constantiam, qua ille jam inde ab ipsa pueritia instructus fuit? Rebus futuris, tamquam praesentibus, fruebatur. Virtus autem ejus ardentibus gratiarum jaculis multos ad imitandum inflammabat: qui suave Christi jugum subeuntes, hunc sibi ad virtutem assequendam ducem proponebant. Summa enim ipsius erga proximum charitas, sic humilem ejus de seipso sensum vincebat, ut eorum praefectus videretur. Quamvis enim illius animi summissio contemptum apud eos, qui erant initiandi, pàreret: tanta tamen erat cum benevolentia et charitate conjuncta, ut ejus virtutem venerantes, ei sese submitterent.

§ **12**. Is divinâ sane gratiâ sic illustrabatur, ut facillime posset, quae recta et consentanea essent, intueri. Quae in Bithynia atque alibi sunt monasteria invisens, et in eis, tamquam in floridis pratis, versans, virtutumque exempla, quasi rosas decerpens, domum ad suos reportabat, perfectae charitatis et sublimis humilitatis secum circumferens documenta. Perpetuâ vero abstinentiâ sic erat confirmatus, ut cum amicorum praesentia ad communionem vocaretur, ejus pulchritudini charitatem anteponeret, et una cum magno Paulo sciret et abundare, et penuriam pati, atque ita inanem gloriam evitare. Pulcherrimum illius factum me pene praeteriit. Cum enim Niceae synodus secunda coacta esset *, ad eam ipse quoque cum aliis patribus vocatus est. Cumque omnes equis praestantibus et splendidis vestimentis ornati venirent, ipse veste solitâ indutus lacerâ, et asinae insìdens, laeto animo iter suscepit. Sed cum omnes viderent eum, qui prius omnibus divitiarum copiis abundaverat, sic indutum, majorem ex illo, quam ex reliquis, utilitatem acceperunt, et ingenti tranquillitate animi repleti sunt. Ipse vero veritatem amplexus, et errores aspernatus, maxima virtutum opinione insignis rediit.

§ **13**. Verum cum malitiae auctores daemones praeclaris ipsius factis invidèrent, ei nocte parumper dormienti impudenter illudere conati sunt. Manus enim ipsius pollicem, tamquam sues agrestes, dentibus corripientes, acerbum dolorem inusserunt, in eaque corporis parte luxata, dentium vestigia reliquerunt. At ille

* Anno DCCLXXXVII.

Digitized by Google

Dei amore confixus, et nequitiâ daemonum animum gerens superiorem, non permisit, ut ea re diutius invidi daemones glorientur: sed pretiosi ligni unguento manum luxatam inungens, dicto citius, quod mirabile fuit, eam curavit. Gratia enim divina perpetuo illius laboribus, summissique animi moribus praesens eumque munerum apostolicorum gratiâ illustrans, rerum admirabilium effectorem reddebat. Ecquidem si omnia, quae divina gratia in hoc sancto viro inhabitans elargìta est, munera enumerare voluero, et laudandi leges transiliam, et oratio mea instar navigii in medio mari dissolvetur. Quod si pauca quaedam, pluribus omissis, commemorabo, et oratio, tamquam litora legens, in tuto versabitur, et ex iis, quae dicta fuerint, reliqua facile conjicientur.

§ 14. Cum saevi daemones impetu quidam opprimeretur, repente mentis vim amisit, et carnes proprias, tamquam alienas, laniabat. Erat autem omnibus accedentibus gravis. Itaque vinculis et compedibus a compluribus custodibus coërcebatur. Sed vir sanctus unius vesperae supplicatione ad Deum fusa, liberavit hunc miserum, et vincula ex ejus corpore statim exciderunt: et qui mente captus erat, atque omnibus molestus, ad sanitatem rediit. Usuvenit, ut vir sanctus ad oppidum quoddam maritimum accerseretur: sed in medio cursu tempestas ingens oborta est, qua pèlagus intumuit: fluctibusque sublatis jactabantur, et impediebatur navigatio. At vir sanctus solita fide fretus, proprium explenti ministerium, ait: « Conservo mari denuntia, ut frenet tempestatem, et fluctus tranquillos reddat, ut iter nostrum placide conficere valeamus. Atque ita confestim effectum est, ut Christus et Deus noster hac item in re, quemadmodum in rèliquis omnibus, vera dixisse demonstraretur, cum majora ministros suos, quam ipsè faceret, pollicitus est effecturos. Caeterum cum omnibus virtutibus excelleret, curandis tamen et sublevandis pauperibus majorem diligentiam adhibebat. Cum enim amore fraterno maxime teneretur, misericordiam ex eo proficiscentem in primis complectebatur. Et salutarem accedentibus manum porrigens, quatuor mensium spatio cibum, monasterii usibus comparatum, effundebat. Cumque minister rem aegre ferret, atque illum ne familiae quidem satis esse diceret, miti oratione jubebat, ut frumentum numeraret. Quod ille cum fecisset, nullum acervo modium deesse rèperit. Verum facilius sit, undas maris enumerare, aut cava manu pèlagus dimetiri, quam res ab illo gestas admirabiles oratione complecti. Quamobrem aliis caetera relinquentes commemoranda, quae rei institutae magis conveniunt, persequemur.

§ 15. Ager Ecclesiae bonis omnibus abundabat. Nam et rectis institutis instructus erat, et factis congruentibus affluebat. Imperatores autem Dei amantes, pietatis studio potius, quam Imperii

Digitized by Google

amplitudine, gloriabantur. Porro magnus Pontifex * sublimem cathedram sortitus, virtutis lumina per universum orbem terrarum accendebat. Et qui sub ipso erant sacerdotes, sine reprehensione suos singuli greges tutos in portus perducebant. Monasteriorum autem rectores, quibus, tamquam sol, admirandus hic vir praelucebat, viam in coelum ducentem, antea impeditam, discipulis suis demonstrabant. Sed invidus serpens Ecclesiam tam multis bonis florentem videre non poterat, et ex multitudinis peccato occasionem arripiens, ita permittente Deo, Ecclesiae pulchritudinem pervertere aggressus est. Verum cum propriae perversitatis ministrum idoneum quaereret, aptiorem invenit, quam optabat: Leonem, inquam, hominem perniciosissimum, qui ab Armeniis et Assyriis genus ducens, utriusque gentis dolos et feritatem imitatus, immo vero superans, et ad mentiendum promptus erat, et ad persuadendum ea, quae mentiebatur, aptissimus. Fraude, loco virtutis utebatur, eamque adversus conjunctissimos exercebat. Hic in blandum et praeclarum imperium consurgens, ornatissimum et inaccessum Ecclesiae solem dejecit **: et cum illo omnes fere sacerdotum principes exturbavit. Et hanc ab Apostolis per manus trȁditam institutionem negligens atque contemnens, divinae Christi carnis imaginem defȍdit: idemque de Matris ejus et sanctorum omnium imaginibus fecit, et Ecclesiam gravioribus quam fuerint Aegyptiae, tenebris implevit. Barbarae enim violentiae patriam stultitiam admiscens, et veterem illum Rapsacem superans, iniquitatem in sublime loquebatur, et civitatem Dei, quae est Ecclesia, multis dolis perturbare studebat. Qua quidem fluctuum tempestate omnis recta institutio periclitari coepit, cum illi ne repugnaretur quidem. Nam qui virtutum praestantiâ reliquos ad coelestia ducere debebant, illius improbitatis fluctibus obruebantur, et socordiâ vinci se permittebant. Qui vero et rebus terrenis neglectis, et vitâ contemptâ, scelus industriâ sua superabant, partim fame, partim verberibus cruciabantur: nonnulli etiam noctu conjiciebantur in mare.

§ **16.** Tunc igitur, tunc ad certȁmen vocatur etiam Theȍphanes admirandus, non tamen manu tyrannica aut violenta, sed blanditiis ac dolis. Adversus hostes, dicebat impostor ille, mihi pugnandum est: sed antequam manus cum illis conseram, precibus tuis armari me oportet. Theȍphanes autem, cognitâ hominis malitiâ, quamvis renum et urinae difficultate laboraret (instrumentis enim per naturalem cunisculum in vescicam admissis, quae lapides insitos constringerent, humidis excrementis exitum praebebat) maximisque molestiis vexaretur, et in lectulo aegrotus assidue decumberet, navi tamen ad urbem se regiam contulit. Quod cum scelestissimus ille intellexisset, sancti viri conspectum (ut

* S. Nicephorus Constantinopolit. Patriarcha Martyr sub Leone Armeno. Vide XIII huj.
** Persecutio Iconoclastica anni DCCCXIV.

Digitized by Google

arbitror) vèritus, per nuncium haec illi significavit: « Si venisti, ut mihi morem geras (adventus enim celeritas bonam mihi spem attulit), scito tam multis te bonis fruiturum, quam multis eos frui par est, qui propriae voluntati Imperatoris voluntatem et consilium anteponunt, et monasterium tuum variis muneribus ornatum iri, et propinquos tuos maximis dignitatibus decorandos, teque primas apud me amicitiae atque auctoritatis partes habiturum. Sin, quod vix cogitare fas est, studio tuo preces meas posthabùeris, et consilium meum neglexeris, et quae tibi proponuntur praemia fueris aspernatus, invitus facies, quae recùsas, et maximi tibi ipse dedecoris atque calamitatis auctor existes.»

§ **17**. Ad haec divinus vir, perspectâ dictorum stultitiâ, ita nuncio respondit: « Ego nec pecunias, nec possessiones, nec reliqua hujus vitae bona ullo modo curo. Quae enim adolescens, cum iis frui possem, amore Christi inflammatus repudiavi, ea jam senex quomodo complectar, ab institutoque recedam: praesertim cum corpus morbis confectum sit, ut vitae finis procul abesse non possit, et haec inania esse constet? Quod autem ad monasterium propinquosque pertinet, id Deo erit curae, cui a me commendantur: et quibus ipse Deus melius, quam Imperatores et Principes, potest consulere. Quod si, quemadmodum pueros parum generosos magistri scuticâ perterrefaciunt, ita tu me morbo et senectute confectum, minis territum iri speras; rogus accendatur, tormenta parentur, et omnia cruciatuum genera: ut scias planissime, Christi virtutem in meis infirmitatibus perfici. Ego, per humum iter facere nequeo, valetudinis infirmitate superata, in ignem insiliam.»

§ **18**. His auditis, impurissimus ille constantiam quidem animi fortis admiratus est, de victoria tamen non desperavit, hominis facinorosissimi, quem apud se habebat, fretus astutiâ, qui sophistarum praestigiis, et gentium auspiciis, et jecinoris inspectionibus instructior erat, quam disciplinis: et ad impietatis bàrathrum infelices homines trahens, apud ipsum valebat plurimum. Huic beatum Theophanem tradit, sperans praestigiis ipsius omnino deceptum iri. Sed tanquam asinus ad lyram deprehensus est. Invictam enim viri sancti dicendi libertatem admiratus, antequam congrederetur, se victum esse confessus est: Imperatorique nunciavit, eum esse praestantiorem, quam ut oratione aut minis superari posset: quinetiam, si ibi diutius commoraretur, fore, ut aliorum animos, quos in sententiam suam adduxerant, abalienaret. O mentem adamante firmiorem, et nullis cedentem machinis oppugnantibus veritatem. O benevolentiam erga Creatorem incredibilem, quae nullis vitae tentationibus dissolvi potuit. Caeterum ab impugnatione non destitit homo tyrannica plenus crudelitate: sed virum sanctum in Eleutherii palatio includi jubet, adhibitis custodibus, ne quis humanitate ductus, ei propter

Digitized by Google

Christum patienti consolationem ullam afferret. Itaque corpus ejus diuturna fame confectum, paulatim tabescebat, et ad acerbam mortem appropinquabat. Morbi enim medicorum auxilio destituti, gravius saeviebant, et vitam reddebant morte ipsa longe acerbiorem. At ipse optatissimam Dei pulchritudinem mente contemplans, ea quae ne auditu quidem tolerabilia sunt, patienti et aequo animo perferebat. Gaudebant angeli, cum fortitudinem, quae longo tempore a mortalibus abfuerat, ad eos rursum redeuntem conspicerent: et viri sancti praestanti adversus hostes virtute laetantes, victoriae praeconium concinebant. Horrebant daemones, quod sanctos, quorum nomina audire non poterant, et imagines oppugnabant, rursum factis florentes spectare cogerentur: et satellites ac ministros suos ignaviae coarguebant. Christus vero muneribus orationem omnem superantibus, pugilem suum decoratum, victoriae coronâ donavit.

§ **19**. Duos igitur annos cum acerbissimum carcerem pertulisset, in Samothracem insulam deportatur: quod ipse divino animo prospiciens, ei, qui sibi ministrabat, praenunciaverat. Cumque tribus et viginti diebus in insula vixisset, tanquam suavis hostia communi Domino oblatus est, et ejus manibus sacrum atque sanctum spiritum tradidit, ut ad diu optatam haereditatem admitteretur. Neque vero corpus ejus, quod victoriaé particeps fuerat, et animo semper in omnibus bonis inservierat, meritis muneribus caruit. Nam piorum virorum manibus in ligneâ arcâ compositum, et convenientibus cantibus, ut tempus ferebat, elatum admirandis gratiis a Deo fuit illustratum. Cum enim lues in pecora illius insulae desaevìret, adeo ut mortua repente concìderent, aquam illius arcae admoventes (neque enim corpus audebant attingere) pecora peste laborantia conspergebant, et periculo liberabantur.

§ **20**. Haud multo post immanis ille aper Ecclesiae Christi pro multis peccatis uno supplicio affectus est, et sacris in locis, in quae fuerat debacchatus, turpiter vitam amisit. Quare, densa caligine paulisper disjecta, quidam veluti libertatis sol, tenuissimis tamen adhuc nebulis tectus, illuxit. Tunc igitur sancti viri discipuli fiduciam sumunt, et navigio ad insulam accedentes, praeclarum illud et splendidissimis gratiis effulgens corpus in arca sublatum, gestant in locum quemdam, Sacrum dictum, qui a monasterio abest duodecim stadiorum intervallo, et in templo sancti martyris Procopii, ibi existente, deponunt.

§ **21**. Hic ille, qui eos, a quibus honoratur, honoribus afficit, ut futurae glorie statum sancti sui declararet, incolas omnes illius regionis munerum ipsius fecit esse participes. Confluebant enim, undarum instar, qui morbis gravissimis, nec ullam curationem admittentibus, laborabant: et qui a daemonibus vexabantur, illis invitis, et dolorem suum clamore gemituque testantibus, huc

Digitized by Google

trahebantur: et solo arcae attactu liberati recedebant, Deo, per ipsum sanctum servanti, gratias agentes. Et qui clam ea peste laborabant, in habitantibus daemonibus athletae jussu necessario patefactis et expulsis, liberi ostendebantur. Paralytici qui vix in lectulis suis gestari poterant, sancti virtute membra corroborantes, humeris lectulos suos cum divinis laudibus reportabant. Caeci, qui omni corporis actione spoliati, aliorum manibus ducebantur, et veros duces oculos requirebant, voti compotes facti, sine labore ita redibant, ut alienae manus operam minime requirerent. Claudi membra corporis, quae terram attingere non erant solita, humi foede trahentes, aut ad iter faciendum alienas manus mutuantes, caprearum in morem rectis tibiis saliendo discedebant. Jam qui aurium, aut linguae munere fungi non poterant, praeter omnium expectationem, et aliorum sermones intelligebant, et una omnes voce agebant gratias. Foeminae, quae perpetuo sanguinis fluxu laborantes, insiti caloris discessu ad mortem appropinquaverant, non Domini fimbriae, sed servi arcae contactu, mirabiliter exiccato fluxu, gratiarum fontes emittebant. Chirographum flagitiosis actionibus plenum, cum arcae obsignatum admoveretur, sic omnibus apparuit, acsi nihil unquam in eo fuisset scriptum : et apostolicam potestatem, ex hujus arca manantem, admirabantur. Verum quis ea , quae tunc ab ipso gesta sunt , singulatim aut oratione, aut scriptis valeat explicare, quamvis illi linguae sint centum, òraque centum, cum ne genera quidem numerari facile queant?

§ 22. Integrum igitur annum in templo sancti martyris Procopii commorati, ne preces divinam ab ipso gratiam implorantium impedirent, sero, et vix tandem rectâ ad ejus monasterium pervenerunt, cum ordine quadruplici circa fèretrum ipsius constitissent. Medium enim inter patres locum obtinentes viri lectissimi , humeris suis sanctissimam arcam gestabant, in qua non urna erat ingrati populi cibum conservans, non lapideae tabulae, non virga Aaron : sed corpus illius, qui virtutem omni reprehensione superiorem ostenderat. Qui naturali tranquillitate invidiae aculeos obtusos, hebetesque reddiderat. Qui charitatis insigniis eximie excelluerat. Qui fide, cui nihil est difficile, in primis praestiterat, et ejus auxilio hostium arces everterat. Qui spe in Christum invicta, per omnem vitam armatus extiterat, et adversariorum tela cunctis inania demonstrarat. Qui munerum Spiritus Sancti tanquam fluvius erat. Qui animos omnium gratiis hilares efficiebat. Qui in Ecclesiae firmamento, quasi nitidus quidam sol fulserat. Qui haereticorum oculos doctrinae splendore perstrinxerat: piorum autem animos direxerat ad rectam fidem.

§ 23. O aegrotantium medice, o miserorum perfugium, largire mihi celerem mearum aegritudinum curationem: ut recuperata sanitate, rursum ad te supplex accedam, et grati animi

testimonium afferam. Libera me a periculis, quae quotidie imminent, ut pulcherrimis factis incumbam, et per te, illorum auctorem Deum agnoscam. Peccatorum mihi veniam a Deo, et juventutis meae delictorum oblivionem impetra: ut instar illius chartae, quae arcae tuae contactu ab omni scriptione libera apparuit, ante tribùnal horrendum justi judicis, obliterata videantur. Pessimam contra nos incitatam invidiam extingue, et ab invidorum peste tutos integrosque conserva: ut, sine offensione, salutis semitam conficientes, almi praesidii tui praeconium laetis animis celebremus, in Christo Jesu Domino nostro: Cui gloria et imperium in secula seculorum.

MARTYRIUM S. SABINI

EX SIMEONE METAPHRASTE

Circa 287.

§ 1. Imperante Diocletiano, edictum per universum orbem terrarum promulgatum est, ut qui jussis ejus non obtemperarent, nec diis immolarent, suppliciis excruciati necarentur. Quae quidem fama per omnem Aegypti regionem pervagata est. Quamobrem cum magna adversus Christianos persecutio vigeret et tota Aegyptus ea tempestate jactaretur, Sabinus quidam Hermopoli princeps, atque illustri loco natus, Christianeque religionis cultor egregius, in ea rerum perturbatione e civitate discessit et in parva domuncula cum aliis Christianis habitabat, et nocte atque die jejuniis et precationibus incumbebat. Sed cum multi Christiani essent comprehensi, omnesque Sabini celebre nomen detulissent, ab iniquis hominibus diligenter quaerebatur. Ad quos cum mendicus quidam post aliquot dies accessisset qui solebat ab illis cibum accipere * (sciebat autem locum, ubi sanctus Sabinus commorabatur), «Quid vultis, inquit, mihi dare et ostendam vobis, ubi Sabinus quem quaeritis, delitescit?» Huic cum duos nummos dedissent, secuti sunt eum, et ad locum pervenerunt, pulsaruntque fores, tanquam aliquid vellent sibi responderi. Cum autem unus e fratribus aperuisset, ut quid vellent, intelligeret, statim irruerunt homines scelerati et sanctum Sabinum cum sex aliis fratribus stantem et psallentem offenderunt, vinctosque extra domum extraxerunt. Cumque quaesissent quis eorum esset Sabinus, et comperissent, eum separatim duabus catenis vinxerunt, injectoque cervici ejus gravi vinculo, ad Praefectum duxerunt.

* Nota execrabilem alterum proditorem Judam!

Digitized by Google

§ 2. Tunc autem Hermòpoli praeerat quidam nomine Arianus*, qui cum ad fluminis ripas egressus esset, procul aspexit multitudinem cum magna militum manu venientem: et relicta fluminis ripâ, in locum quemdam floridum et amoenum animi gratiâ se contulit, ac duabus post horis, sublatis oculis, vidit sanctum Sabinum qui a magna militum copia trahebatur et ad tribunum: « Quis est, inquit, ille quem nostri ordinis milites ducunt?» Respondit: « Unus aliquis, domine Princeps, ut arbitror, ex infelicibus Christianis.» Et paulo post milites accedentes, per tribunum nunciarunt, eum esse Sabinum Christianorum propugnatorem, quem ipse conquirendum mandasset. Quo audito, vehementer laetus: « Gratias, inquit, ago benignis et immortalibus diis.» Statimque jussit tribunal constitui. Et ipse in sella sublimi sedens: «In judicium, inquit, adducatur flagitiosus Sabinus, impiae Christianorum sectae studiosus.» Tribunus statim adduxit et ait: « Sabinum quem amplitudo vestra jussit comprehendi, sistimus ad tribunal vestrum.»— « Doceat, inquit Arianus Praefectus, nomen et fortunam et unde sit.» Respondit sanctus: « Sabinus vocor et Christianus sum.»— « Servus es, inquit Praefectus, an liber?» Respondit Sabinus: « Liber sum, et dum per aetatem licuit, in militia Ducis locum obtinui.» — « Cur, inquit Praefectus, militiam talem deserere maluisti quam divinis Imperatoribus et legibus ipsorum parère?» — « Quia animadverti, respondit Sabinus, decreta eorum adversum Christi servos injusta, elegi magis abjectus esse in domo Dei mei quam habitare in tabernaculis peccatorum.» — « Non audisti, inquit Praefectus, ab Imperatoribus fuisse constitutum, ut in omnibus provinciis et regionibus omnes ubique diis propitiis immolent atque sacrificent?» — « Impium istud edictum, respondit Sabinus, ut ante dixi, nos minime latuit, neque leges, quibus multos offenderunt et perdiderunt. Quae quidem leges quoniam abhorrent a natura, imprudenter ipsi Imperatores Dominum suum et de ipsis optime meritum injuriâ afficiunt. Ego vero Deo meo Christo Jesu sacrifico et ipsum solum adoro.»

§ 3. His verbis indignatus Arianus Praefectus: « Malum, inquit, caput, audes in gloriosos Imperatores nostros et leges ipsorum maledicta conjicere, quas quidem nobis pro humanitate sua ad communem salutem tulerunt?» — « Scito, inquit Sabinus, o Praefecte, te minis tuis numquam effecturum, ut diis immolem.» Haec cum audivisset Praefectus: «Ego, inquit, deorum adductus benevolentiâ, benignus erga te sum. Quamobrem confitere beneficos esse veros deos. Quod si recusas, tormenta et cruciatus quibus afficiendus es a me, efficient, ut eos cognoscas esse veros deos.» — « Numquam, inquit Sabinus, terrebis me tormentorum

* Arianus hic ex impio Christi hostium satellite beatus postea Christi Martyr, de quo in historia SS. Martyrum Aegyptiorum in Surii nostri Vol. I, p. 787.

Digitized by Google

minis.» — « Divinis, inquit Praefectus, augustisque legibus tormenta varia praescripta sunt, quibus excruciaberis, si contumax permanseris.» — « Si terrena, inquit Sabinus, tormenta et cruciatus sic extimescimus, quotquot illa sint quae nobis, nisi vanis diis sacrificemus, proposita sunt, cum nec perpetua esse queant, nec sine fine hominem illis affectum cruciare: quanto magis metuendus est nobis Christus Jesus qui suppliciis adversus impios paratis potest eos, qui sibi non obediverint, afficere in sempiternum? Oportet igitur potius timere Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, quam eos, quos deos dicitis, qui sunt vani.» His auditis, « Ego, inquit Praefectus, admonui te, ut resipisceres et deos esse faterèris: quod si recusaveris, te vel invìtum cogam id facere. Confitere igitur et noli vim expectare. » — « Tu ne me, respondit Sabinus, coges fateri deos quos asseris? Ego potius cogam te coram universo hoc populo confiteri, esse Deum in coelo, nec ullum esse alium, nisi Christum Jesum Sabini Deum.»

§ 4. Tunc Praefectus vehementer commotus, jussit eum in armamentario suspendi et dissecari. Quo quidem modo sic excruciatus est sanctus Dei martyr, ut carnes ejus in solum conciderent. Et Praefectus, «Nondum, inquit, immolare vis deis?» — « Minime vero, respondit Sabinus. » Unus autem ex advocatis, qui astabant, nomine Bisambo: « Domine, inquit, non est amplius mentis compos, sed animam agit ac moritur. » Sabinus statim magna voce: « Sum, inquit, plane mentis compos, nec ullo modo sensum amisi (*a*). Quamobrem absit, ut a Deo qui me procreavit, abaliener.» — « Adhuc, inquit Arianus, audax es et obstinatus? Verum ego te hic non afficiam supplicio, Antinopolim petamus, et illic disces esse veros deos, quibus Imperatores sacrificare nos volunt.» Sabinus igitur ante Praefectum Antinòpolim ducebatur....

§ 5. Cum igitur Praefectus in tribunali sederet, jussit ad se sanctum Sabinum adduci, et sic eum est allocutus: « Tu quidem facinus et diis et Imperatoribus invisum et execrandum aggressus es, quippe qui, magiâ adhibita, nos in medio fluminis cohibuisti, et viribus tuis abusus es in me, quantum tibi collibuit. Quare si quid ego quoque possum, in te id exercebo.» Tum quaternas jussit faces accensas inferri, et athletam Christi quaternis funibus extensum ad quatuor palos alligari, facesque ventri et lateribus ejus subjici, donec carnes ipsius, instar cerae liquefactae, defluerent. Quibus ille cruciatibus affectus nullam vocem emisit, sed perinde sustinuit omnem acerbitatem, ac si non ipse, sed alius pateretur. Arianus Praefectus: « Dic, inquit, mihi, stulte, quid sibi vult hoc, quod nihil sentis, cum tam

(*a*) Haec perperam Metaphrastes ex historia mutuavit (quod non raro factitantem deprehendimus) S. Asclae; vide MARTYROL. ILLUSTR. ad diem XXIII jan. Quaedam autem ut interpunctione indicamus, hinc, ab eodem Metaphraste excogitata, suadentibus Bollandianis, qui Acta haec per integrum resp[illegible]unt, exscindere visum est.

Digitized by Google

vehementer et acerbe torquearis? Quid expectas, aut in quem speras?» — « Spes meas, inquit sanctus Sabinus, in Deo meo Jesu Christo positas habeo, qui potest me ab inanibus tormentis tuis liberare, et regno suo aeterno dignum efficere. » — « Vis igitur, inquit Praefectus, misere interire? » Respondit Christi pugil: « Si moriar, rursum ut dixi, vitam habebo sempiternam. » Quibus verbis Praefectus furore concitatus, ad milites: « Ecce, inquit, Solem vobis et Lunam testor, me variis tormentis operam dedisse ut impius iste resipisceret: verum ipse, quemadmodum cernitis vos omnes, qui urbem incolitis, addùci non potuit, ut diis immolaret, ac servaretur, sed maluit cruciatibus mori. Oportet igitur in ipsum sententiam ferri. » Atque ita locutus, imperavit, ut in flumen projiceretur, et in profundo periret.

§ 6. Comprehensum igitur milites ad ripam fluminis perduxerunt, et saxum ingens pedibus ejus alligarunt, ut sic eum ex Judicis sententia in flumen projicerent. Cum autem quidam ex fratribus cibos attulissent, ut ederet: « Quid, inquit ille, charissimi fratres, laborem hunc suscipitis? Ego non vescar amplius cibo terreno, quippe qui pròpero ad illas èpulas, quas nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Cupio autem vos omnes, qui me sequimini, atque conspicitis, ita certare, ut digni efficiamini vitâ sempiterna. » Haec illum loquentem ministri in scapha navigii cum saxo, quod pedibus ejus suspenderant, imposuerunt. Cumque ad fluminis medium pervenissent, ille rursus magna voce multitudinem astantem et prospicientem allocutus est ad hunc modum: «Aspicite me, et mei mèmores estote, et cum die crastina quieveritis, tertia ab hinc die accedite a parte Boreae, quae respicit civitatem, et corpus meum in terram subductum reperietis. Volo autem, ut saxum hoc, quod pedibus meis suspensum est, simul cum meo corpore sepeliatis.» Haec cum dixisset sanctus Dei pugil Sabinus, sublatis in coelum oculis oravit: « Ago tibi gratias, Pater, et nomen tuum sanctissimum vèneror, qui largitus es mihi, ut te confiterer, et sanctum Filium tuum Jesum Christum, et Spiritum Sanctum tuum auctorem vitae, et praedicarem nullum esse Deum praeter te, neque in coelo, neque in terra, neque in mari. Qui servas omnes sperantes in te, suscipe animam meam in pace, et dignum me fac aeterno regno. » Haec locutum impii ministri in medium flumen projecerunt.

§ 7. Tertio autem post die factum est quod beatus Sabinus praedixerat. Accedentes enim ad locum a Sancto Sabino praescriptum, viri illi qui fuerant certaminis ejus spectatores, almas ipsius atque venerandas reliquias invenerunt. Et quidam ex ipsis zelo bono compulsi, vesperi eas suscipientes, clam propter metum Praefecti in domunculam comportaverunt, et unguentis conditas, in arca nova prope civitatem reposuerunt unâ cum ipso

Digitized by Google

lapide, quemadmodum ille praeceperat. Martyrio coronatus est sanctus Christi Sabinus 3 Idus Martii, regnante impio Diocletiano, immo vero Domino nostro Jesu Christo: cui gloria et imperium in secula seculorum, Amen.

VITA S. EUPHRASIAE NOBILISS. VIRG.

EX VITIS PATRUM ET INSIGNI MS. CODICE MUTATO STYLO PER LAUR. SURIUM DESCRIPTA

Floruit probabil. ineunte V Saec.

§ 1. Imperii habènas moderante Theodosio piissimo principe (*a*) in urbe regia Constantinopoli Senatorii ordinis vir fuit, Antigonus nomine, ipsi Imperatori et genere et consuetudine conjunctus. Erat is non sermone dumtaxat, sed etiam factis sapiens, ad bona semper adhortans principem, ut ad pietatis praescriptum Reip. negotia curaret. Inerat vero etiam illi erga miseros pia commiseratio, qua fiebat, ut benigne cunctis egentibus res necessarias suppeditaret. Princeps Theodosius, non modo ut parentem et senatorem, sed etiam ut Christianum et pium, semperque optima consulentem, illum valde charum habebat. Tantae autem illi suppetebant opes, ut Constantinopolis neminem illi divitiis et recte factis parem haberet. Accepit vero conjugem generis sui, id est, quae Imperatorem quoque sanguine contingeret, Euphrasiam nomine, matronam cumprimis religiosam, Deumque valde timentem, in templis assiduam, et Deo pias preces cum lacrymis offerentem. Multos illa inopes fecit locuplètes, multaque sacris aedibus et locis munera deferebat. Amabant illam impense Augustus et ejus conjux, tum quod suae esset familiae, tum quod moribus optimis, imprimisque honesta et religiosa videretur. Porro temporis successu nata est eis filia, quam Euphrasiam dici voluerunt. Ea prole aucti cum essent, dixit uxori Antigonus: « Nosti soror mea Euphrasia, quam prorsus nihil sit haec vita praesens, quam nihil quantumvis amplae facultates, quam nihil vanitas omnis mundi hujus praeterlabentis. Aetas hominis octoginta annis peragitur cum multis calamitatibus. Opes autem in coelo si recondantur, in infinita secula permanent Deum timentibus. Et ecce nos mundanis implicati curis et cogitationibus, illis nos aeternis divitiis privamus, opumque fluxarum

(*a*) Auctores communiter (excipe Bollandianos PP.) floruisse asserunt huj. S. Virginis parentes Theodosii Junioris tempore, quod minime congruit cum ejus aetate annorum triginta qua vitam explevisset anno ut ferunt plus minus CCCCXII; nam Theodosius II imperium iniit CCCCIX. Vel igitur obiit S. Euphrasia post CCCCXX, vel vixerunt ejus parentes regnante seniore Theodosio. Euphrasia, Eupraxia alicubi legitur.

Digitized by Google

circumscripti fallaciâ, tempus omne vitae nostrae inaniter transmittimus, nulla nostris animabus lucra acquirentes. »

§ 2. Haec cum dixisset Antigonus, Euphrasia respondit: «Quid vis igitur, mi domine, ut faciamus? » Cui Antigonus: « Unam jam, inquit, Dei beneficio filiam habemus. Ea nobis sufficiat, nec deinceps nos hujus seculi miseriae et calamitati misceamus. » Tum vero Euphrasia surgens, manibus sursum erectis, ductisque ab imo pectore suspiriis, dixit Antigono: « Benedictus Deus, qui te suo timore dignatus est, veritatisque notionem tibi praestitit. Equidem, domine mi, crebro rogavi Deum, ut suae gratiae lumen tibi aspiraret: sed id tibi indicare ausa non fui. Quando vero tuipse prior hac de re verba fecisti, liceat mihi tua pace dicere, quae volo. » Cui Antigonus : « Dic, ait, soror mea, quicquid visum erit. » Et Euphrasia: « Nosti, inquit, mi domine, jam olim dixisse Apostolum: *Tempus breve est, reliquum est, ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint: praeterit enim figura hujus mundi:* (1 *Cor.* VII): *et mundus transit, et concupiscentia ejus* (I *Joan.* II). Quem enim usum habebit haec pecunia et tam amplae facultates? Non poterimus sane quicquam ex eis asportare nobiscum in tartara. Quod igitur consultissime constituisti, festina liberaliter ex his impartiri pauperibus, ne sine fructu id animo pertractasse videaris. »

§ 3. His auditis, Antigonus Deo grates laudesque agens, multa in egènos beneficia contulit, et admodum pie vitam suam instituens, postquam ab uxoris abstinuit commercio, uno dumtaxat anno supervixit, rebusque suis bene dispositis, in pace sepultus est. Fleverunt vero de morte illius Imperator et Augusta, quippe suae stirpis viri justi et religiosi, vicemque Euphrasiae dolebant, quae et ipsa eis esset cognata, et aetate juvenili. Annis quippe duobus et mensibus tribus vixerat cum marito suo. Porro annum unum continenter exegerant pariter, matrimonii consuetudine ultro sibiipsis interdicentes. Postquam autem sepulturae traditus fuit Antigonus, Imperator et ejus conjux multum incumbebant in Euphrasiae consolationem. Porro illa ad eorum se pedes abjiciens, atque cum lacrymis et multo gemitu filiam suam illis offerens: « In manus, inquit, Dei et vestras hanc orphanam commendo. Sitis, quaeso, memores Antigoni vestri, et hanc suscipite tuendam, ut non alios quam parentes suos vos sibi sentiat extitisse. » Ad has ejus voces multi ex iis, qui aderant, ubertim lacrymas fuderunt, nec ipsi principes a lacrymis abstinuerunt.

§ 4. Non multo post, cum jam nonnihil de luctu remisisset Euphrasia, suasit ei Imperator, ut filiam suam Euphrasiam cuidam Senatori ditissimo traderet uxorem. Fit contractus inter illos, et arrhas accipit Euphrasia. Interim differebantur nuptiae, donec puella adolesceret, cujus aetas id temporis vix quinquennii

Digitized by Google

spatia expleverat. Atqui Senator aliquanto post ad ipsius Euphrasiae senioris matrimonium coepit animum adjicere, persuasitque per matronas quasdam Imperatrici, ut nesciente Imperatore ea de re animum Euphrasiae solicitaret. Euphrasia ubi id cognovit, acerbissime flevit, parumque abfuit quin prae moerore e vita decederet, cogitabatque alio proficisci. Flensque acriter, dixit Euphrasiae filiae suae: « Filia mea, sunt nobis amplae facultates in Aegypto: eamus illuc, et paternas invisamus possessiones. Mea omnia, tua sint. » Ita ergo ab urbe regia discessit cum filia, nesciente Principe, venitque in Aegyptum, et illic morabatur, subinde invìsens praedia sua. Profecta autem est in interiorem Thebaidem cum procuratoribus et ministris suis, quibus cura et administratio rerum ipsius credita erat, illicque sacris locis inhaerens, in utriusque sexus monasteria multam vim pecuniae elargìta est, multasque fecit oblationes.

§ 5. Erat autem in quadam urbe monasterium foeminarum, in quo plus minus centum et triginta degebant. In eo coenobio nemo vel vinum, vel oleum, vel uvas, aut ficos aut poma in cibum sumebat. Erant inter eas quae ab ipsa infantia se ne novisse quidem poma assererent, eaeque interdum leguminibus, alias oleribus vescebantur, sed nullo oleo condìtis. Quaedam earum vesperi sumebant cibum, quaedam post biduum, nonnullae post triduum, balneas vero, quod et corporum nudatio abominabilis videretur, nec audire sustinebant. Cubabant omnes humi in cilicio, quod in latum unius, in longum trium esset cubitorum: nec erat requies diuturna. Vestes quoque habebant cilicinas quae in pedes usque se porrigerent. Laboris autem tantum quaeque sive operis suscipiebat, quantum vires paterenter. Si qua in morbum incidisset, nulla ei medicorum fomenta adhibebantur, sed pro maximo Dei beneficio accipiebat eam morbi molestiam, ferens aequanimiter, donec a Domino curaretur. Nulla ex eis e monasterio egrediebatur. Ad monasterii fores jànitrix erat quae si quid nunciatum esset, intro perferebat, respònsaque referebat. Multae illic curationes divinitus fiebant.

§ 6. Harum itaque venerabilem vivendi consuetudinem non mediocriter amans Euphrasia, crebro illas visitabat, offerens thymiama et cereos. Quodam autem die ait ad Abbatissam et primas ejus coenobii: « Exiguum volo munus conferre huic monasterio, nempe auri libras viginti vel triginta, ut oretis pro hac orba filiola mea et sitis memores Antigoni patris ejus. » Respondit Abbatissa: « Domina Euphrasia, ancillae tuae non habent opus reditibus, neque pecunias concupiscunt. Idcirco enim se cunctis mundi hujus facultatibus nudarunt, ut possint frui bonis sempiternis. Et haec nobis ratio est, cur nihil in terris habere, nihil possidere velìmus, ne scilicet ab illa coelesti beatitudine excludamur. Ne tamen ex nobis aliqua tibi moeroris offeratur materia, parum

Digitized by Google

aliquid olei ad lucernas, et thymiama in usum oratorii recipere non recusabimus: quod quidem tibi justitiae mercedem conciliabit. » His igitur oblatis, rogabat eas Euphrasia, ut orarent pro Antigono et filia sua Euphrasia. Accidit interea, ut puellae Euphrasiae diceret Abbatissa, tentandi animo: « Domina mea Euphrasia, diligis ne nos et monasterium nostrum? » Respondit illa: « Immo certe, ego amo vos, o Domina. » Rursus Abbatissa cum joco: « Si nos, inquit, amas, mane nobiscum, et utere nostro habitu. » Respondit puella: « Revera si scirem non aegre laturam matrem meam, non exirem e monasterio. » Et Abbatissa: « Plus ne nos, ait, diligis, aut vero sponsum tuum? »— « Sed neque ego illum novi, ait Euphrasia, neque ille me: Vos autem et novi, et amo. Sed dicite, quaeso, mihi: Vos quem diligitis: me ne, an illum potius? » Abbatissa respondit: « Nos te diligimus et Christum nostrum. » Tum puella: « Ego vero, inquit, et vos diligo, et Christum vestrum.» Sedebat interim mater ejus, et cum audiret hos necdum septennis puellae sermones, ex ejus oculis lacrymarum imbres manabant: aitque ad illam: « Veni filia, eamus hinc, nam vesper incumbit.» At illa respondit: « Ego hic manebo cum domina Abbatissa.» Ait vero illi Abbatissa: « Abi hinc domina Euphrasia, hic enim nemo manere potest, nisi se Christo devoveat. » Ad quam puella: « Et ubi, inquit, est Christus? » Tum Abbatissa Dominicam ei imaginem ostendit: quam cum illa esset exosculata, « Revera, inquit, ego me Christo voveo, nec ulterius cum Domina matre recèdam. » Jam vesperascebat, et neque mater ejus, neque Abbatissa ei persuadere poterant, ut se domum conferret. Tum vero Abbatissa ait ad matrem ejus: « Domina mea, patiaris hanc puellam apud nos morari. Video enim coelestis gratiae lumine ejus mentem perfusam. » Surgens itaque mater Euphrasia, apprehensamque filiam ducens ad imaginem Salvatoris, sublatis in coelum manibus cum lacrymis, ita precata est: « Domine Jesu Christe, suscipe curam infantulae hujus, te enim concupivit, seque tibi commendavit. » Conversa autem ad filiam, dixit: « Deus qui fundavit montes immobiles, te in suo timore confirmet. » His dictis, tradidit eam Abbatissae, flensque recessit, et tundens pectus suum, omnes ad lacrymas commovit.

§ 7. Altera die Abbatissa eam adduxit in oratorium, et cum fudisset preces ad Dominum, monastico illam habitu induit, dicens: « Rex seculorum et Domine Dominorum qui in ea coepisti opus bonum, tu illud perfice usque in finem. Praesta ita, ut vivat convenienter mandatis tuis, et inveniat semper fiduciam in conspectu tuo. » Dixit autem illi Euphrasia mater ejus: « Vis ne filia hoc habitu vestiri? » Et illa hilariter respondit: « Etiam Domina mater. » Ut enim ex Abbatissa et sororibus audivi, hunc habitum arrhabonis loco praebet Christus diligentibus se. Ait vero mater:

«Christus igitur, cui desponsata es, ipse te servet et dignam faciat thalamo suo.» Et haec cum dixisset, valedixit Abbatissae et sororibus filiamque deosculans, egressa est, et per monasteria proficiscens, praestabat eleemosynas pauperibus. Jam ubique ejus optima conversatio apud omnes divulgabatur, et quam liberaliter res suas conferret monasteriis et sacris locis. Paucis inde elapsis diebus, Abbatissa illam ad se evocavit, dixitque ei secreto: «Domina mea Euphrasia, habeo quod indicem tibi, sed quaeso ne perturbèris. Vidi, enim, in somnis Antigonum maritum tuum in magna gloria, rogantem Christum, ut ab hac mortali vita transferaris ad illam sempiternam, liceatque tibi deinceps esse cum illo, et frui eâ gloriâ, qua ipse frùitur ob merita vitae optime transactae.» Haec ubi didicit Euphrasia, multum exhilarata est, quippe quae optaret e rebus humanis excedere, et esse cum Christo. Mox igitur accersitae ad se filiae suae dixit: «Ego jam vocor a Christo, sicut mihi indicavit domina Abbatissa, et prope adest finis vitae meae. Itaque tibi, filia mea, omnes patris tui et meas facultates trado in manus, quas tu eâ pietate dispenses, ut possis esse consors haereditatis sempiternae.»

§ 8. Ad haec Euphrasia, ingemuit et flevit, dicens: «Hei mihi, quia peregrina sum et orphana.» Dicit ei mater ejus: «Cum habeas Christum, nec peregrina es, nec orphana. Matris autem officia omnia erga te et studia exequetur domina Abbatissa. Tu jam festina implere quod pollicita es. Deum time, et dominas sorores venerare, serviens eis cum omni humilitate. Cave, ne unquam cogites in animo tuo: Regio sum prognata sanguine, nec me istis servire par est. Sis interim pauper in terris, ut quandoque dives efficiaris in coelis. Absque intermissione roga Deum pro me et pro patre tuo, ut inveniamus misericordiam apud illum, et ab gehennae suppliciis servemur.» Haec cum praecepisset filiae suae, tertio post die defuncta est, et in eodem monasterio sepulta. Postquam autem rescivit Imperator illam migrasse ad Dominum, accito ad se Senatori, cui ejus desponsa erat filia, ait eam degere in monasterio. Ille vero rogavit Imperatorem, ut missis ad eam literis, juberet eam venire Constantinopolim et celebrare nuptias. Ubi autem Imperatoris literas accepit Euphrasia, legit eas ridens, moxque sua manu hunc in modum illi rescripsit: «Domine Imperator, ita ne suades ancillae tuae, ut repudiato Christo, homini corruptibili et quem paulo post vermes edent, conjungar: qui hodie est, cras vero nusquam apparet? Absit haec tanta perversitas ab ancilla tua. Oro igitur domine Imperator, ne tibi deinceps vir ille hac de re molestus sit. Ego enim me Christo devovi, et fieri non potest, ut illum abnegem. Precor autem Imperium tuum, ut sis memor parentum meorum, nostrasque opes et facultates dispenses in pauperes et Christi Ecclesias. Servos vero omnes manumittas, et patris mei

actoribus praecipe, ut debitum omne remittant agricolis jaminde ab obitu patris mei usque in praesens, ut sine solicitudine possim servire Christo, cui me totam commisi. Ora pro ancilla tua, oret etiam Christo amabilis domina mea Augusta pro ancilla sua. » Deinde obsignans epistolam, tradidit illam veredario. Cum autem Imperator et Augusta eam legissent, ubertim fleverunt, convocansque mox Senatum omnem et patrem ejus, cui desponsa fuerat Euphrasia, jussit Imperator, ut in praesentia omnium epistola recitaretur. Quod cum fieret, omnes lacrymati sunt, dixeruntque: « Revera haec est Antigoni et Euphrasiae filia qui tibi Imperator sanguine conjuncti fuere. » Revera religiosorum parentum religiosa filia: sanctae radicis sanctus est ramus, simulque omnes ejus nomine Deum glorificarunt, et pro ea oraverunt: nec unquam postea visus est importunus senator ille. Imperator autem omnia pie disponens, et res puellae benè distribuens, et ipse vitâ functus est, et sepultus cum patribus suis in pace.

§ 9. Euphrasia vero se totam componebat ad voluntatem Dei, et quidem supra vires sese affligebat. Erat enim annorum duodecim, quando pro pietate sacra suscepit certamina. Et primo quidem a vespera in vesperam jejuna permansit: postea biduo triduoque abstinebat a cibo. Nulla praeter illam mundabat triclinium, lectulos sororibus ipsa sternebat, aquam hauriebat e puteo, et in coquinam apportabat. Et haec omnia faciebat libenti et jucundo animo. Postquam autem ad vicesimum aetatis annum pervenit, jam sancti Spiritus eam confirmante gratiâ, praevalebat. Erat sane valde speciosa, utpote regio procreata stemmate. Cum vero rursus illi tentatio accidisset, et ad Abbatissam retulisset, illa dixit: « Noli timere filia, Dominus tecum est. » Erat autem in quodam monasterii loco acervus saxorum. Itaque Abbatissa eam probare volens, et ad obedientiae lucra majora provehere, dixit ei: « Tolle hinc saxa, et apud furnum depone. » Fecit hoc illa hilariter, arrèptaque in humeros, sola quo jussa erat, ea deportavit, cum in eis quaedam essent tanti ponderis, ut iis ferendis duae sorores vix sufficerent, nec interim dixit: Audjuvet me aliqua e sororibus, nec saxorum molem causabatur, nec sua proferebat longa jejunia, nec operis difficultatem: sed cum pia fiducia obedientiae officia implevit. Altera vero die rursum illi ait Abbatissa: « Non par est, filia, hic jacere saxa: reporta ea in locum pristinum. » Mox Euphrasia cum multa alacritate fecit, ut jussa erat. Hac ratione ad dies triginta eam occupavit, ut ejus patientiam probaret. At illa jucundo animo et psallens in illo opere versabatur, ita ut sorores omnes ejus obedientiam mirarentur. Non tamen deerant quae eam irridèrent: porro aliae acclamabant: « Viriliter age Euphrasia. » Et illa quidem rursus, divini operis celebratione peracta, ad opus illud se accingebat, sed ait illi Abbatissa: « Cessa jam filia ab hoc

Digitized by Google

ministerio: porro accipe farinam, et coque panes in clibano, ut ad vesperam parati sint.» Illa studiose jussa complevit.

§ 10. At rursus malignus daemon eam nonnihil vacantem reperiens, hujusmodi ei somnium immisit, ut sibi videre videretur Senatorem illum, cui desponsa fuerat, cum militibus in monasterium intrantem, eamque inde vi auferentem. Quae humi cubans, cum eam vim et molestiam ferre non posset, exclamavit. Abbatissa vero et quaedam sorores expergefactae, ejus clamores audiunt, accurruntque ad eam, sciscitanturque cum eam excitassent, quaenam tanti esset causa angoris. At illa confestim somnium enarravit. Tum Abbatissa, sororibus omnibus excitatis, una cum illis pro Euphrasia in preces incubuit, donec dilucesceret. Deinde Euphrasia tenens manu codicem, caeteris sedentibus, stans legebat usque ad horam tertiam. Tertiae vero precibus absolutis, ad sororum ministeria accessit, eis praeparans necessaria. Tot autem modis occupata, neque nocturnis neque diurnis aberat precibus, ac nihilominus sola omne ministerium, quod diximus exequebatur.

§ 11. Aderat autem rursus satan, et dormienti infestissimum se exhibens, maximum ei certamen attulit. Illa quamprimum Abbatissae suas angustias detexit. Quae cum pro illa rogasset, ait ei: « Filia mea, certaminis hoc tempus est. Cave, ne ille iniquus enervet animum tuum, et perdas omnes labores tuos. Si ad breve tempus illius impetum sustinueris, ubi se senserit victum, cum ignominia iterum a te aufugiet.» Dixit autem ei etiam soror Julia: « Domina et soror mea, si in hac aetate cum illo non confligimus, eumque profligamus, quas ad bellandum vires in senectute habiturae sumus?» Cui respondit Euphrasia: « Vivit Dominus, soror mea Julia, si jusserit domina Abbatissa, tota hebdomadâ ne panem quidem sumam, donec eum, Domino adjuvante, superem.» Ad quae Julia: « Equidem, ait, totius hebdomadae inediam ferre non possum: tu si potes, et in terris et in coelis beata eris.» In hoc vero monasterio nulla hactenus totam septimanam absque cibo transigere potuit, demptâ dominâ Abbatissâ. Deinde iterum ad Abbatissam veniens Euphrasia, confessa est nocturnam daemonis tentationem, rogavitque eam, ut liceret ipsi totâ hebdomadâ ab omni cibo abstinere.» Cui Abbatissa: « Fac, inquit, filia, quicquid te posse videris, et Deus omnipotens qui te creavit, robur addat tibi, et conferat tibi ex illo cruento hoste victoriam.» Itaque totâ coepit septimanâ se inediâ conficere, nec tamen quicquam de psallendi officio remittere, nec sororum ministeria omittere: adeo ut omnes ejus tolerantiam mirarentur, simulque et formae elegantiam, et aetatis juventutem.

§ 12. Erat autem in illo monasterio soror quaedam, Germana nomine, quam ignobili genere, nempe matre ancilla, ortam dicebant. Ejus animum vastabat livor et invidentia adversus

Digitized by Google

Euphrasiam, insurgensque clam contra illam in culina, ait: « Tu quidem, Euphrasia, ex praescripto dominae Abbatissae semel tantum cibum capis in septimana, quod nos non possumus assequi. Si igitur illa nos quoque ad id adigere voluerit, quid faciemus?» Respondit Euphrasia: «Domina soror, domina Abbatissa jussit, ut unaquaeque certamen suscipiat pro viribus, nec illa mihi temere aut absque necessitate hoc jugum imposuit. » Ait illi Germana: « O te impostricem, omni vafricie et calliditate instructam: quis non videat hoc animo et consilio te isthuc facere, ut decedenti Abbatissae tu succèdas? Ego vero credo in Christum, quod numquam te Deus Abbatissae honore dignabitur. » Haec cum audivisset Euphrasia, ejus se pedibus prosternens, ait: « Ignosce mihi, domina mea, et ora pro me; peccavi enim in Deum et in te.» Ubi autem res haec ad Abbatissae notitiam pervenit, coram omnibus jussit adesse Germanam, dixitque ei: « Ancilla nequam et aliena a Deo, quid tibi nocuit Euphrasia, ut ejus bona studia velis interturbare? » Itaque aliena sis a sororum congregatione, quia indigna es ministerio et earum convictu. Euphrasia vero multum deprecabatur Abbatissam, ut ei veniam daret, sed flectere eam non potuit, donec exacti essent dies triginta. Trigesimo autem die videns Euphrasia se nihil rogando proficere, assumens Juliam et seniores ejus loci sorores, orabat, ut pro Germana apud Abbatissam intercederent. Quod cum illae fecissent, Abbatissa rursus coram omnibus eam accersivit, aitque illi: « Nonne debuisti perpendere cum animo tuo, quod Euphrasia, cujus optimos conatus impedire voluisti, cum esset Imperatoribus sanguine juncta, tamen humiliavit sese, et Christi amore tibi inservivit? » Tandem omnibus pro ea supplices preces Abbatissae offerentibus, eam in gratiam recepit.

§ **13**. Porro diabolus odio inflammatus in Euphrasiam, quadam nocte phantasmata et errores seculares in illam immisit. At illa repente exiliens, seseque consignans, egressa est foras, stansque sub dio, expandit manus suas in coelum, rogavitque Deum, ut ab ipsa malignum daemonem amoveret. Interim Abbatissae nunciatur Euphrasiam agere sub dio. Illa quamprimum eo properavit, dixitquae ei: Confirmet te Deus, et det tibi tolerantiam in timore suo. Omnes quoque sorores orabant Deum pro illa, et condolebant juventuti ejus. Erat enim annorum plus minus vigintiquinque. Cum autem in decimum usque diem sic stetisset, oravit Abbatissa cum sororibus, ejus patientiam volens explorare. Ut autem dies triginta completi sunt, mirari coepit Abbatissa: dixeruntque ei sorores: « Revera, Domina mater, dies quadraginta in hac statione permanere decrevit, quemadmodum tu aliquando fecisti. » At illa respondit: « Dominus illam suo in timore corroboret. » Post dies autem quadraginta, etiam aliis quinque ita stetit: sed tandem nimium debilitata, cecidit in terram, et instar mortuae jacebat. Itaque sorores accurrentes, eam

Digitized by Google

intulerunt in triclinium, sed neque manus, neque pedes ejus flectere potuerunt: adeo instar ligni aridi tabefacta visebatur, nec ejus vox ulla audiebatur. Abbatissa vero cibum illi offerens, ait: « Filia mea Euphrasia, sume hanc escam in nomine Domini mei Jesu Christi. » Quod cum illa fecisset, vires recepit.

§ **14**. Alio quoque tempore cum Julia ascendit in tertium solarium. Ibi tum eam corripiens improbus daemon, deorsum praecipitavit. Exclamante autem Julia, sorores advolarunt, existimantes se illam exanimem reperturas. At illa surgens, occurrit eis, duxeruntque illam intro ad Abbatissam. Cui sciscitanti, num aliqua parte corporis laesa esset, respondit: « Vivit Dominus, Domina mater, nec quemadmodum ceciderim novi, nec ut surrexerim. » Ut autem cognovit Abbatissa ab editissimo loco eam decidisse, nec tamen vel parum laesam esse, glorificavit Deum, dixitque ei: « Perge, filia, ad opus tuum, et Dominus erit tecum. » Iterum autem malignus hostis eam extinguere volens, cum ea ferventem ollam teneret, in qua coquebat olus, ut jam coctum olus in vas effunderet: obligatis ejus pedibus, eam supinam praecipitavit, atque in ejus faciem ebulliens olus effùdit. Quod cum cernerent sorores, valde animis consternatae sunt. Illa vero exiliens et ridens, dixit eis: « Cur sic animo turbatae estis? » At Abbatissa videns nihil ei incommodi accidisse, inspexit in ollam: cumque id quod remanserat, ebullire cerneret, multum admirans, ait ad eam: « Deus te servet filia, et tibi perpetuam suo in timore praestet tolerantiam. » Euphrasia vero asserebat se non aliter sensisse, atque si frigida aqua perfusa fuisset. Ingressa porro oratorium Abbatissa, convocavit primarias sorores, aitque illis: « Sane advertistis Euphrasiae divinitus magnam collatam gratiam, quippe quae nec praecipitio tam immani, neque ex ferventi olere aliquid passa est detrimenti. » Responderunt illae: « Revera Dei famula est Euphrasia, et Dominus curam ejus gerit, qui eam in hujusmodi tentationibus servavit illaesam. »

§ **15**. More autem comparatum erat apud incolas ejus civitatis et regionis, ut si quos haberent infantes morbis affectos, eos ad illud monasterium adducerent curandos. Clarebant enim illae sorores miraculis, et Abbatissa illos infantes ad se recipiens, in oratorium ferebat, fundebantque pro eis preces ad Dominum, et mox sanabantur. Eos autem matres illorum sanos reducentes domum, glorificabant Deum. Porro in ipso monasterio quaedam erat mulier, a primis aetatis initiis a daemone nequissimo et primario obsessa. Eam namque parentes ejus commendaverant Abbatissae, et erat vincta catenis, spumabatque et stridebat dentibus, tetrosque edebat clamores, ita ut iis auditis, omnes timore nimio corriperentur. Et frequenter quidem Abbatissa cum sororibus pro ea Domino preces obtulerat, sed curata non fuit: nec ulla ausa erat eam accedere, ut vel cibum ei offerret. Alligabant

Digitized by Google

autem escam et potum virgae atque ita procul porrigebant: interdum quidem iis vescebatur, plerumque vero in offerentium facies rejiciebat. Contigit autem, ut ostiaria nunciaret Abbatissae, adesse prae foribus monasterii foeminam, gestantem parvulum quemdam surdum, mutum et paralyticum. Dixit itaque Abbatissa Euphrasiae: « Ito filia, et affer huc infantem. » Quod cum illa faceret, videretque puerum trementem et valde misere affectum, miserta illius, consignavit eum, et dixit: « Qui te creavit fili, ipse te sanet: » sicque eum adducebat ad Abbatissam. Interim salus redditur puero, et coepit loqui et pedibus suis velle ingredi. Id ut vidit Euphrasia, terrefacta deposuit eum in terram. At ille cucurrit ad matrem suam. Vidit id janitrix, et currens indicavit Abbatissae. Illa jubet acciri matrem pueri, aitque illi: « Cur nos soror tentare voluisti? » Quae dixit: « Per Christum, Domina mea, neque ambulavit, neque vel loqui vel audire potuit puer usque in praesens: sed cum accepisset eum haec domina soror, mox locutus est. » Dicit ei Abbatissa: « Accipe igitur eum sanum, et vade in pace. » Illa abiit cum puero, dans gloriam praepotenti Deo.

§ **16**. Deinde Abbatissa convocans sorores primarias, ait ad illas: « Ecquid vobis videtur de Euphrasia?» Illae responderunt: « Profecto Dei famula est.» Jussit igitur illam adesse Abbatissa et dixit ei: «Filia mea Euphrasia, volo ut huic daemoniacae quae apud nos est, cibum praebeas, si tamen non times illam.» Cui Euphrasia: « Non timeo, inquit, Domina mea, quicquid etiam jusseris. » Tulit igitur Euphrasia in vasculo quodam legumina et panem et attulit daemoniacae. At illa stridens dentibus et valde fremens, impetu facto irruit in eam, apprehendensque vasculum, confringere illud voluit. Euphrasia vero ejus tenens manus, dixit: « Vivit Dominus, si tu id feceris, ego te humi prosternam et tam dire flagellabo, ut deinceps numquam ausura sis aliquid tale attentare.» Videns illa Euphrasiam superiorem, quievit. Tum vero Euphrasia coepit illi blandiri et dicere: « Sede mea soror, et sume cibum, nec quicquam turberis.» Non recusavit illa, sicque quotidie ex ejus manibus cibum potumque recepit. Cum autem id vidissent sorores, orabant Dominum pro illa: si vero illa indignari et commoveri coepisset, dicebant ei sorores: «Cessa, soror, et noli maligne te gerere. Alioqui si id senserit Domina Euphrasia, acriter te virgis caedet.» Quibus auditis, illa modeste se gerebat.

§ **17**. Rursus autem Germanam invidia momordit, aitque ad sorores: « Ita ne praeter Euphrasiam nulla alia inveniri potuit quae huic mulieri escam porrigat? Date mihi cibos, et ego illi offeram.» Sumptum igitur cibum attulit ad eam et dixit: « Accipe, soror, et còmede.» At illa in eam repente insiliens, vestes ejus discerpsit; cumque eam humi prostravisset, coepit ejus carnes

Digitized by Google

manducare. Clamore igitur excitato, cum nulla eam ausa esset accedere, Julia ad Euphrasiam pròpere cucurrit, inventaeque in culina dixit: « Festina, Domina soror; nam daemoniaca Germanam propèmodum enecavit.» Currens ergo Euphrasia, apprehendit illius guttur et manus, Germanamque misere laceratam et cruentam eripuit, dixitque: «Ab hac hora si in sorores malignam te praebueris, non tibi parcam neque miserebor, sed dominae Abbatissae virgâ caedam te atrocissime.» Illa vero sedens, ilico cessavit. Mane facto, expleto sacro ministerio, sororibusque ab oratorio egredientibus, Euphrasia abiit ad daemoniacam. At illa suam lacerarat vestem, illique in terram projectae insidens, colligebat stercus et edebat. Id cernens Euphrasia, flevit, Abbatissaeque nunciavit. Illa vero jussit ei aliam dari vestem et eâ indui. Accepit ergo Euphrasia tunicam et vasculum cum legumine et pane, dixitque illi: « Cur te sic turpiter dehonestasti soror? Accipe hanc vestem et indue te, ac deinde comede cibos hos.» Sumpsit illa et comèdit ac bibit, eamque Euphrasia induit, non cessans pro ea gemitus, lacrymas et preces fundere usque ad vesperam, ut Dominus eam sanitati restituere dignaretur.

§ **18**. Mane autem Abbatissa ad se vocavit Euphrasiam, eique dixit: « Cur me celasti, filia, quod pro hac vexata preces Deo offerre voluisti? Si mihi id communicasses, ego tecum pariter laborassem.» Cui Euphrasia respondit: « Ignosce mihi, Domina. » Vidi enim illam turpiter se nudasse, maleque affectam, et doluit vicem ejus. Ait rursus Abbatissa: «Habeo quippiam quod te nosse velim: sed cave ne fallente daemone, animo efferaris. Ecce Christus tibi potestatem contulit hunc daemonem ejiciendi.» Audiens hoc Euphrasia, caput cinere conspersit, humique se abjiciens, clamabat: « Quae sum ego misera et immunda, ut hunc profligem daemonem, quem vos tam diuturni temporis precibus ab ea depellere non potuistis? » Dixit ei Abbatissa: « Te filia sustinebat hoc opus. Nam in coelis amplissima tibi merces reposita est.» Itaque Euphrasia ingressa in monasterium, coram altari se prostravit, petens divinitus sibi praestari opem et auxilium. Deinde e pavimento surgens, jussu Abbatissae adiit daemoniacam: sequebanturque eam sorores omnes, ut rei exitum contemplarentur. Dixit igitur daemoniacae Euphrasia: « Sanet te Dominus Jesus Christus qui creavit te: » moxque signum crucis in ejus frontem impressit. Exclamavit autem daemon: « O impostricem et fallacem. Tot annos in hac habitans, numquam potui ab ea exclùdi, et haec impura et luxuriosa me vult ejicere?» Cui Euphrasia dixit: « Non ego te expello, sed Christus omnium Dominus.» Respondit daemon: « Ego hinc non emigro immunda: neque enim tibi me expellendi facultas data est.» Respondit Euphrasia: «Ego plane immunda sum et omni malignitate plena, ut tu quoque assevèras: at tu nihilominus Christo jubente discede. Nam si

Digitized by Google

accepero virgam Abbatissae, egregie te flagellabo.» Cum vero ille obluctaretur, nec vellet egredi, corripuit Euphrasia Abbatissae virgam, dixitque ei: « Aut exi hinc, aut certe ego te cruciabo. » Ait daemon: « Qua ratione ab illa possum discedere?» Mox Euphrasia coepit caedere, et cum tertio percuteret, dixit: « Missum fac hoc Dei plasma immunde spiritus. Increpet te Dominus Jesus Christus.» Respondit daemon: « Si exiero quo iturus sum?» Illa dixit: « In tenebras exteriores, in ignem aeternum, in supplicia nullum finem habitura, quae sunt parata tibi et patri tuo diabolo et cunctis ejus voluntatem facientibus. » Interim sorores omnes intendebant in eam, nec audebant propius accedere: eratque acre illud Euphrasiae cum refractario et pervicace daemone certamen. Suspiciens igitur in coelum, dixit: « Domine Jesu Christe, noli me pudore afficere in hac hora, nec me sinas superari ab hoc impuro daemone.» Tum vero spumans et stridens daemon, cum ingenti clamore abscessit: et mulieri integra est sanitas restituta. Duxerunt autem eam in oratorium, dantes gloriam Deo pro tanto miraculo. Prius autem illam Euphrasia aquâ abluerat et vestibus induerat, atque sic adduxerat ad Abbatissam. Non solum autem nihil hinc elata est Euphrasia, sed magis etiam sese humiliavit, noctes sine somno transigens, et integris septimanis, uti consueverat, jejuna permanens, ac nihilo secius sine defectu et cum omni humilitate, mansuetudine et animi jucunditate sororibus cunctis officiose inserviens.

§ **19**. Accidit interea Abbatissae somnium vel visio in somnis unde non mediocriter fuit perturbata, nec tamen cuiquam explicare voluit quid vidisset. Cumque diu apud se rem tacitam haberet, tandem sorores primariae eam obnixe rogarunt, ut visionem ediceret, causamque suorum gemituum, quibus ipsae pariter affligerentur, non reticèret. Tum vero illa dixit: « Euphrasia nos deserit, cras hinc migratura ad Dominum. » Sed nemo id illi indicet, ne moerore afficiatur. Coeperunt autem multis horis misere ejulare sorores. Una autem e sororibus ut id audivit, accurrit ad furnum, invenitque Euphrasiam, adjuvante illam pro consuetudine sorore Julia, panes coquentem, aitque illi: «Nòveris domina Euphrasia, intus apud Abbatissam sorores tuâ causâ in magno luctu versari. » Quo audito, Julia et Euphrasia pariter obstupuere: cumque diu stetissent attonitae, tandem ait Julia: « Fortassis perlatum est ad Dominam Abbatissam, sponsum illum tuum mittere huc homines qui ex mandato Imperatoris te extrahant e monasterio: et hac causâ lamentis se afficit cum sororibus.» Respondit Euphrasia: « Vivit Dominus meus Jesus Christus, etiamsi omnia mundi regna et ipsius quoque terrae fundamenta commoveantur, non mihi tamen persuadere poterunt, ut ipsum Dominum meum derelinquam. Sed quaeso te, Domina soror, ito percontatum, dum interim coquuntur panes, quae sit

harum causa lacrymarum, ne aegre sit animo meo. Abiit Julia, auscultansque foris, audivit Abbatissam somnium referentem hoc modo: «Videbam quasi duos egregia formâ viros huc adventantes, mihique dicentes: Dimitte Euphrasiam, ut eat nobiscum. Rex enim illâ opus habet. Iterum vidi etiam alios venientes atque dicentes: Assume Euphrasiam et adduc eam tecum ad Dominum. Ego itaque tuli eam, unàque properavimus cum viris illis: cumque venissemus ad portam quamdam, cujus splendorem enarrare non sufficio, ea nobis ultro aperta est. Porro intro ingressae, vidimus palatium incredibilis elegantiae, thalamumque sublimem et solium nuptiale non manufactum. Et ego quidem non potui ad interiora penetrare, sed illam secum abducentes, Domino offerebant. Illa vero statim eum adoravit, osculàtaque est pedes ejus immaculatos. Vidi illic angelorum myriades et turbas sanctorum innumerabiles, in Euphrasiam suos obtutus defigentes. Ecce autem mater Domini adveniens, tulit eam secum, ostenditque ei palatium et thalamum et nuptiale decus, coronamque illi praeparatam. Audivi autem vocem dicentem: Euphrasia, haec est merces tua. Et nunc quidem redibis ad tua, sed post dies decem revocaberis huc et fruèris his bonis per infinita secula. Cum sit autem nona dies, posteaquam haec visio mihi oblata est, cras morietur.»

§ **20**. Haec cum audisset clam Julia, pectus faciemque suam verberans et flens amarissime, rediit ad Euphrasiam. Quod illa cernens, dixit ei: « Conjuro te per Filium Dei, soror Julia, ut indices mihi, quid audieris et quamobrem ita plangas. » Illa respondit: « Hodie namque ab invicem separabimur. Ut enim audivi, cras excèdes e vita.» Hoc illa audiens, angore correpta, cecidit in terram, rogabatque Dominum, dicens: « Cur Domine abominaris me peregrinam et orphanam? cur me despicis pie Jesu? Ecce nunc tempus adest quo confligere me oportebat cum improbo daemone et anima mea a me repetitur. Miserere mei Domine Jesu Christe et pàtere me adhuc annum unum permanere in hac vita, ut plangam peccata mea. Sum enim Domine expers poenitentiae et omni pietate destituta. Nemo in inferno confitebitur tibi, non est in sepulcro poenitentia, non possum post mortem quicquam lacrymis proficere: sed vivens confitebitur tibi et laudabit nomen sanctum tuum.» Haec illam dicentem quaedam e sororibus audivit et retulit Abbatissae: quae jussit illam ad se adduci, dixitque ei acerbe ploranti: « Quid habes filia? quid ita ingemiscis?» Illa respondit: « Ploro, Domina mea, quia scivisti mihi supremum impendere diem, nec mihi indicasti, ut lugerem peccata mea. » Haec dicens, procidit in pavimentum, tenensque pedes Abbatissae, ait: « Miserere mei Domina, et ora pro me, ut Dominus vel unius anni mihi spatia impertiatur, ne me sine poenitentia decedentem tenebrae

Digitized by Google

comprehendant.» Respondit Abbatissa: «Vivit Dominus, filia, quia beatorum concilio dignam te fecit rex tuus Christus:» narravitque ei somnium, rogabatque eam, ut pro ipsa rogaret Dominum quo ejus particeps esse mereretur.

§ 21. Paulo post acris febris Euphrasiam invasit, sororumque ministerio in valetudinarium perducta est, ubi usque in vesperam cum illa permansere. Vesperi autem, cum hora cibi sumendi adesset, jussit omnes discedere Abbatissa, solam Juliam secum retinens, ne Euphrasia sola relinqueretur: clausisque ostiis, usque in lucem alterius diei erant apud illam: dixitque ei Julia: « Domina soror, ne sis quaeso mei immemor. Tu scis, quam semper tibi individua adhaeserim in terris: ora Dominum, me sinat unquam separari a te, sed ut jubeat me tecum hinc egredi cum bona fiducia. » Die illucescente, Abbatissa omnes adesse jussit, Euphrasiâ extremum jam trahente spiritum. Accurrunt omnes, valedicunt Euphrasiae, cum lacrymis dicentes: «Memento nostri, Domina soror.» Postea venit etiam illa, a qua daemonem expulerat, et osculans manus ejus, dicebat: « Per Deum et hasce manus a me daemon exclusus est. » Cum autem ei multum lugenti et beneficia ipsi ab ea praestita commemoranti Euphrasia respondere non posset, dixit Abbatissa: « Filia mea, non te miseret hujus? Cur nihil ei loqueris tam valde propter te afflictae? » Tum illa respiciens in eam, dixit: « Quare me sic luges, soror mea? Sine me jam quiescere, nam plane deficio viribus. Time Deum tuum, et ille te servabit ab omni malo. » Deinde Abbatissam intuens, « Ora pro me, inquit, nam in magno certamine versatur nunc anima mea. » Orante igitur Abbatissa, et sororibus dicentibus, Amen, virgo sanctissima reddidit spiritum, anno aetatis suae trigesimo, còndítaque est in sepulcro matris suae, et sorores glorificabant Deum, quod promeruissent sororem habere apud illum. Porro Julia magistra ejus, triduo flens, ab ejus monumento non recessit. Illa enim docuerat eam literas et psalterium, et praecipuo eam complectebatur amore. Quarto autem die exhilarata Julia, dixit Abbatissae: « Ora pro me, Domina, quia vocat me Christus, pro me peccatrice beata Euphrasiâ intercedente. » Et haec dicens, osculata est sorores omnes, et die quinto obiit, atque apud Euphrasiam humata est.

§ 22. Post dies triginta Abbatissa majores natu sorores ad se èvocans, ait: « Eligite vobis matrem, quae meo loco praesit vobis. » Responderunt illae: « Cur id ita jubes domina mater? » Dixit eis Abbatissa: « Vocat me Christus, flexus precibus dominae Euphrasiae: qua rogante, etiam Julia ejus consors esse meruit et ingredi in illud tabernaculum non manufactum. Itaque et ego festino, ut possim digna haberi illarum in coelis consortio.» Quod cum audivissent sorores, elegerunt Theogeniam, ut ipsis praeesset. Abbatissa tunc cunctis valedicens, ingressa est oratorium,

Digitized by Google

clausisque ostiis praecepit, ne qua illarum ante alterius diei ortum introiret. Itaque mane intrantes, invenerunt eam obdormiisse in Domino: hymnumque Deo dicentes, posuerunt eam in Euphrasiae sepulcro. Deinceps vero nullam aliam illic condiderunt. Multa vero ad illud monumentum facta sunt hodieque fiunt miracula, multaeque curationes. Clamabant vero expulsi daemones: Etiam post obitum adversum nos praevales Euphrasia. Festinemus igitur etiam nos hujusmodi vitam obtinere, sectari benignitatem, humilitatem, obedientiam, laborem, mansuetudinem, longanimitatem, ut ad beatissimam supernorum spirituum sodalitatem et immensa illa gaudia pertingere mereamur.

IN EXILIUM

S. NICEPHORI PATRIARCHAE CONSTANTINOP.

ET IN TRANSLAT. SS. EJUS RELIQUIARUM

ORATIO THEOPHANIS PRESBYTERI *

Vixit a 758 ad 828.

§ 1. Plurima profecto diversis occasionibus atque temporibus, in gentibus et civitatibus praeclara facinora, ad eximias Dei maximarumque rerum demonstrationes, facta sunt, quibus vera ipsius cognitio perspicue fuit confirmata: quemadmodum in psalmis canitur: *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam* (*Psalm.* 18). Quibus verbis etsi perpetua illa Dei virtus rerum omnium, atque universi orbis conservatrix ac moderatrix indicatur: non minus tamen, immo vero magis etiam significantur ea, quae nostris temporibus in primis excellentia atque admirabilia gesta sunt ab eàdem ipsa divina virtute, quae eximiâ potentiâ suâ cuncta gubernat, ac regit. Siquidem non in una parte, neque in gente minima, aut contemnenda, ejusmodi bonorum munera viguerunt: sed publice et passim et in proprio atque electo Christi clero, qui Apostoli Petri verbis merito vocatur regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Verum quoniam rerum maximarum argumenta praestantissimos requirunt enarratores, qui dicendi vi eas valeant explicare, ne inornatâ orationis tenuitate earum amplitudo imminuatur: ego, qui orationis laboro paupertate, vehementer a scribendo deterrebar: sed tamen assiduis me ad munus hoc suscipiendum adhortantium precibus non potui non obtemperare. Dei igitur, qui dicendi

* Alius hic est ac S. Theophanes Chronographus Constantinopolit.

Digitized by Google

facultatem elargitur, benignitate confisus, ad scribendum accedo, adjuvante me precibus suis, orationemque moderante divino patre Nicephoro, qui se nobis maximum ad dicendum argumentum praebuit.

§ 2. Cum praeclare res nostrae sese haberent, et ex utilitate ac dignitate gererentur, tunc nimirum, cum unus in Ecclesia sensus vigebat, et impia cuncta ac peregrina dogmata, tamquam scelera atque piacula detestanda rejiciens, omnes haereticorum nugas ad nihilum redigebat, Nicephorus Imperii sceptra moderabatur, et Nicephorus sacram excelsae, atque urbium reginae civitatis sedem obtinebat, qui luminis instar perpetuo fulgentis, universum orbem terrarum virtutum radiis illuminabat. Jam et in principe ac beata Trinitate una et èadem essentia, et in unâ Dei Verbi carnem induti personâ duae naturae, et duae voluntates clarissime fuerant opportunis Conciliis constitutae et declaratae, contrariis opinionibus rejectis atque improbatis: et utilis sacrarum imaginum usus jam inde ab initio institutus, et per manus traditus, in omnibus Ecclesiis ornate decoreque demonstrabatur: quemadmodum proximis temporibus, sanctorum patrum concilium celebrantium suffragiis, divinitus fuerat comprobatus.

§ 3. Verum posteaquam Nicephorus Imperator, una cum filio, hujus vitae finem sortitus est, et ad Michaëlem ejus generum Imperii gubernatio pervenit, crudeliter frendens invasit hunc valde saevus immanisque Leo *, ex Armenia genus ducens, qui et defectionem a Deo, et adversus Imperatorem, apud quem in honore erat, minime obscuram aut tectam tyrannidem machinabatur. Quod quidem illi e sententia successit. Nam per vim sibi Imperium vindicavit. Caeterum haud aliter duxit potentiam suam fore diuturnam, nisi contra nos audacter bellum susciperet, et venerabilium imaginum interitum omni studio atque arte moliretur. Ad hunc enim furorem atque dementiam a daemonibus, a quibus instruebatur, et falsis vatum mendacium somniis, et incertis temporum promissis misere compulsus erat. Impium autem atque audax facinus ad optatos exitus se perducturum non speravit, nisi praeclarum Ecclesiae ducem, et ab omni reprehensione remotum, rectae doctrinae regulam, Nicephorum e sacra sede exturbaret, ut propriae malitiae propugnaculum Ecclesiam constitueret, et, nemine conatibus suis repugnante, omnia ex sententia sua, et eorum qui sibi favebant, tuto moderaretur **.

§ 4. Primum igitur tempus observabat, ut eum artibus ac dolis in sententiam suam adduceret, fingens sese in recta dogmatum

* Leo Armenus furibundus iconomachus.

** Nicephorus, patre Theodoro, Imperatoris Constantini Copronymi Cancellario, doctrinae pietatisque dotibus, cunctos Byzantinae Ecclesiae post Chrysostomum Praesules superavit.

Digitized by Google

exercitatione versari. Verum cum vir ille divinarum rerum peritissimus et prudentissimus, tum multis sermonibus, tum Scripturarum testimoniis, tum longissimi temporis consuetudine comprobatum imaginum usum demonstraret, nec tamen insolentem hominem a proposito posset dimovere, tunc dolus qui antea latùerat, in apertum erùpit. Mores enim ferinos nomini congruentes gerebat. Itaque tamquam perniciosus quidam aper, aut saevissimus leo, immanisque fera, salutaribus magistri documentis sic aures occlùdens, ut aspis incantationibus, nihil movebatur: sed obstinatius insaniebat. Statim igitur et pietatis zelo, et praestantioris auxilio confirmatus vir, cui a victoria nomen erat, et propterea Nicephorus vocabatur, strenue adversus impietatem, et Tyrannum impietatis defensorem instruitur: coactisque primariis sacerdotibus, viris tum vita, tum doctrina probatis, qui simul pro pietate pugnare parati erant, de communi sententia inique se gerentem Imperatorem, licet frustra, coarguerunt, et tamquam contumeliosum Dei rerumque divinarum hostem judicarunt. Quamobrem arrogans et superbus ille confestim et simulationem, quam occultabat, aperire. et reconditam malitiae rationem, tamquam redundantem quandam corruptorum humorum ex cruditate copiam, evomere, aut deformes et imperfectos ex abortu foetus in lucem edere coactus est. Tyrannicâ igitur audaciâ celeberrimum Patriarcham, e sede sua depulsum, in exilio vivere compulit: ne illud quidem vèritus, si nihil aliud, quod impositione et obsignatione manuum ipsius (quod fieri non debuit) Imperii coronam acceperat. Verum, ut verisimile est, defectionis et tyrannidis lubrico lapsus, simul cum pietate prudentiam et rationem ac mentem amiserat. Itaque nefanda impietatis atque audaciae facinora aggrediebatur.

§ 5. Patriarcha vero, ut pacifici magistri discipulus, ab Ecclesia discessit tristis et lacrymabundus, ut qui sponsam immaculatam, sibi a Deo traditam, discessu suo moerentem ingemiscentemque relinqueret. Populum autem et gregem suum opportunis sermonibus instruebat et cohortabatur, ut integram in vinculo pacis fidem observaret. At ille insaniens et furore percitus, pietatem pro viribus pergebat insectari: nec contentus iis quae in Patriarcham divinum commiserat, adhuc malitiae suae spectacula lamentationibus et gemitibus digna in plures edebat. Omnes qui recta veritatis dogmata complexi cum magistro consenserant, primarios sacerdotes, monachosque et praestantes in populo, tum viros, tum etiam foeminas, non ferendis poenis atque suppliciis afficiebat. Alii enim ipsorum plagis ac tormentis crudelibus excruciabantur. Alii fame et siti in carcere diu premebantur. Multi sine ulla veniae spe mittebantur in exilium. Non pauci spoliabantur fortunis ob id solum quod erant pietatis studiosi. Quidam etiam, ut fama est, clam necabantur. Nonnulli

Digitized by Google

igitur magistratus et in dignitate constituti et sacerdotes et monachi et ex reliqua multitudine, partim imperantis vi pertracti, illi adhaerebant: partim metu, partim ignaviâ, partim adulatione, partim gloriae cupiditate corrumpebantur. Sed maxima pars stabiles et constantes in fide animos conservabat. Tunc in sacra regiae civitatis sede tres veri pastoris adversarii, ordine unus post alium, impie consederunt, Theodorus, Antonius et Joannes: qui tamquam graves quidam lupi, passim Ecclesiam laceraverunt ac devorarunt. Et aliis in locis et civitatibus, ejusdem opinionis sacerdotes, ac duces imperiti et nullius pretii homines, Ecclesiis praefecti sunt: qui execrabile ac detestandum sectae suae decretum impie et stulte confirmantes, variis modis ita conati sunt imaginum usum abrogare, ut quantum in ipsis fuit, nullum earum vestigium relinqueretur quod vel Dei Verbi carnem induti, vel sanctissimae Dei Genitricis, vel coelestium Angelorum, aut totius reliqui sanctorum atque justorum ordinis speciem prae se ferret.

§ 6. Erat autem admodum absurdum et grave, videre passim sacrosancta templa ab obscuris et execrandis hominibus, pulchritudine sua et veteribus ornamentis spoliari. Atque ista quidem mali dominatio gravissimas calamitates invexit et cuncta permiscuit ac perturbavit, non exiguo aut brevi temporis intervallo Imperatoris ròbore munita, sed triginta prope annorum spatio. Quorum cum quatuordecim in exilio divus pater Nicephorus transegisset, ab hac mortali vita migravit ad immortalem: et sepultus est juxta templum sancti martyris Theodori in monasterio, quod ipse a fundamentis construxerat. In hoc enim, cum esset mulctatus exilio, piam et sacram vitam traduxit et virtutum studio mentem suam diligenter excoluit atque expurgavit, seque purum Dei rerumque divinarum templum exhibuit, cum similis esset angelorum: et simul tum monasticae, tum pontificiae vitae dignitatem virtutibus suis exornavit.

§ 7. Hactenus commemoravimus, quemadmodum beatissimus Nicephorus, ut optimus gubernator, munus ecclesiasticum sapienter administrarit: et tam vitae honestate quam cognitionis excellentiâ et sensus omnes et animum recte ad pietatem instituerit: et quod ad fidem pertinet, tranquille semper cursum tenuerit: et legitimas vitae civilis institutiones observarit: et quemadmodum invidia quae recte facta carpere consuevit, livore commota, cum Christi gregem optimis quibusque auctum atque ornatum institutis intuèri non posset, Leonem Imperatorem, perniciosum animae propriae inimicum, impulerit, ut novarum rerum in religione studio adversus Deum insurgeret et pro viribus res sanctas atque divinas contumeliis afficeret et contaminaret et ad extremum e sacra sede divinum hunc virum exturbaret atque in exilium ejiceret: ubi virtutibus et contemplationibus

Digitized by Google

animum excolens et cum Deo versans, bene beateque vitam traduxit. Nunc autem tempus est, ut cum providentia Dei, qui mortis umbram in matutinum splendorem et tenebras in lucem convertit, moerorem atque tristitiam in gaudium laetitiamque commutavit, in reliqua orationis parte breviter demonstremus, quemadmodum sacrum illius corpus, in regiam urbem translatum sit. Hoc enim nobis potissimum proposueramus, licet in aliis rebus recensendis simus immorati.

§ 8. Posteaquam enim, defuncto Theophilo, Imperium ad ejus uxorem Theodoram et filium eorum Michaëlem admodum adolescentem delatum est, in pietatis studium curamque maxime incubuit foemina vere Dei munere (ut nomen ejus indicat) data, ex omnibus praeclaris et magnis facinoribus, quibus principes probari solent, nullum praestantius existimans quo tutius sibi imperium confirmaret, aut virilem in foeminea persona fortitudinem exerceret, quam si pietatis et religionis cultu Deum sibi propitium redderet. Id autem nullo pacto facilius aut commodius posse contigere quam si perturbationem in Ecclesia jamdiu excitatam sedaret, et partem in illo morbo laborantem reduceret ad sanitatem: ut qui inter se animis essent abalienati, conciliarentur, atque idem omnino sentirent. Sic enim fore, ut cum una esset omnium sententia, atque idem sensus, vera sincèraque fides, Apostolorum patrumque institutis, tamquam solidis fundamentis inhaerens, firma atque immobilis conservaretur: et sibi deinceps Imperii gubernatio facilis ac tolerabilis permaneret. Haec igitur cum illa vere animo excellens, ac mente fortis Regina ingenio suo excogitasset et prudentiâ considerasset, re cum illis qui erant in magistratu et dignitate constituti, communicata, accersit cum ipsis eos qui inter monachos praestabant, et de imaginum instauratione quaestionem proponit. Cumque idem omnes sentientes comperisset, diuturnoque ejus rei desiderio tenèri, atque animo excruciari propter religionis in ea re mutationem, postulavit, ut se patrum etiam auctoritatibus ad veritatem confirmarent, quas variis in libris invenissent: mandavitque quo in loco palatii praefinito coetus ecclesiasticus universus cogeretur et ad populum ea de re quam apertissime verba faceret. Tanta autem multitudo confluxit, ut numero comprehendi non posset. Convenerunt enim non solum illi qui mentem sanam impietatis temporibus conservarant, verum etiam complures ex iis qui cum pietatis hostibus consenserant, quique sacerdotiis et Ecclesiis regendis ab ipsis electi fuerant: e vestigioque mutatâ sententiâ, eos qui sanctas imagines oppugnarant, anathemati subjecerunt.

§ 9. Qua quidem celeri et inspirata rerum commutatione, Joannes qui tunc impie munus pontificium administrabat, stupore et mentis caligine captus, parum abfuit, quin sibi ipse manus afferret, mortemque conscisceret. Hic enim sceleris caput et

Digitized by Google

summa fuerat: qui cum impie sentiret et apud Imperatorem auctoritate posset antea plurimum, eos mendaciis et dolis, imprudenter inconsiderateque confictis, in impietatis barathrum impellebat. Eo igitur propter flagitia quae in Deum admiserat, uno omnium consensu et cunctis tum magnorum Imperatorum, tum universi coetus Ecclesiastici suffragiis a sacra sede cum ignominia ejecto, Methodius vir et vitâ et doctrinâ valde probatus et qui pro veritate et religione permulta certamina et longum exilium pertulerat, atque inde plagis et carcere diu cruciatus redierat, omnibus in dignitate constitutis approbantibus, electus est qui sacram reginae urbium civitatis sedem obtineret. Tunc Niceae secundum divinitus electum sanctum oecumenicum Concilium, quod Irenae Imperatricis, verum ab ipsa pace nomen habentis et Tharasii maximi beatissimique Patriarchae studio celebratum est, merito firmam obtinuit auctoritatem ac robur, cum omnes quae, Deo aspirante in ipso decreta fuerant, comprobarent. Tunc omnes Ecclesiae suum ubique decus receperunt et venerabilium imaginum splendore fuerunt, illustratae: ejectisque illis qui eas nefarie insectabantur, sacerdotes in eis ac duces, recti dogmatis studiosi, sunt constituti.

§ **10**. Quadriennio igitur post, sacratissimus Methodius, divino plane Spiritu impulsus, opportune sapienterque piam Imperatricem Theodoram admonuit, non esse ex Imperii et Reipublicae dignitate, quod venerandus et inter Patriarchas illustris Nicèphorus qui pro gloriosae sinceraeque fidei defensione a sacra sede depulsus, in longissimo exilio defunctus erat, negligeretur: sed omni studio curandum esse, ut divinum corpus ipsius in civitatem reportaretur. «Alioquin ingrati animi vitium, inquit, non evitabimus, si post mortem etiam ipsum in exilio, tamquam jure damnatum, reliquerimus: praesertim cum non ignoremus, eos qui ex genere erant Joseph, in benedictionis parte posuisse, ut patris ossa post quadringentos fere annos ex Aegypto in Chananitidem exportarent. Quod cum ita sit, nos qui sumus pietatis filii, diutius privari patièmur patris illius praesentiâ, a quo divinis documentis enutriti sumus? Haec quidem omnium quas intuetur sol, urbium praestantissima et regia civitas, sacri ducis atque pastoris sui reliquias sanctas desiderat quas pie conservet et colat. Sponsi sui praesentiâ fruatur rursum ipsius Ecclesia amantissima, et quo vivo injustissima Imperatoris manu spoliata fuit, mortui corpus, annuente studiosâ pastoris Imperatrice, complectatur. Cernis quemadmodum hic populus, qui per te securus in vera religione conquiescit, incredibili studio post mortem etiam, spiritu vocem ejus audire concupiscit? Quod si tabernaculum ejus tantum ad se relatum aspexerit, se illum ipsum recepisse spirantem existimabit et tamquam thesaurum aliquem pretiosissimum recondet et observabit.» His precibus et cohortationibus

Digitized by Google

celerrime ac libentissime inclyta annuit Imperatrix. Perspicuum est enim, inquit, hoc apud omnes posteros et mihi et liberis meis honori futurum.

§ 11. Tunc sacer civitatis Antistes cum sacerdotibus et monachis, universoque populo ad sancti Theodori templum accedit, in quo reliquiae jacebant, easque cum veneratione et lacrymis complectens, tanquam sanctum ipsum viventem sic allocutus est *: « O vir beatissime, qui eisdem laboribus et aerumnis, quibus sanctus Joannes Chrysostomus, affectus es, sicut eodem religionis studio et dicendi libertate praestabas, quique pariter et sede privatus et mulctatus exilio, et idem triginta trium annorum spatium extorris tum vivus tum mortuus transegisti **: nunc te nobis tui amantissimis restitue, atque hinc discèdens, ad propria redi, ut te nunc, ut ipsum olim, populus tui studiosissimus cum gaudio suscipiat. Tibi jam a Deo alienus Imperator viventi adversatus est et inconsiderate ab Ecclesia te dèpulit: sed dignas furore suo poenas dedit, miserandoque exitu Imperio simul et vitâ privatus est, audaciaeque suae debita praemia tulit. Hodie Imperatores, Deo propter morum pietatem charissimi, mortuo Ecclesiam reddunt quam uti filii per Evangelium effecti, mecum constituunt non habentem maculam neque rugam, qualem tuis ornatam et confirmatam institutis reliquisti. Aspice et vide congregatos filios qui ex propinquo venerunt, cum reliqui procul tuum ad se reditum expectent: quos tu, velut orphanos, noli tua moerentes absentiâ relinquere. Habeat civitas tua loco muneris pretiosissimi tuum beatissimum tabernaculum quo magis, quam Imperii amplitudine, ornata glorietur et gaudeat. » Haec voce flebili supplicans sacratissimus Patriarcha Methodius, nocturnum psalmorum cantum et mysticum sacrificium cum populo fideli perficiens, praeclarum e tumulo corpus retexit, quod undeviginti annorum spatio integrum omnino purumque manserat: et in arca ab ipso compositum et sacerdotum manibus sublatum, cum luminibus et frequenti psalmorum cantu in navim ad hoc paratam illatum est.

§ 12. Sed cum fretum trajecisset et ad urbis litus appropinquasset, Dei curâ Michaël Imperator juvenis et amplissimis dignitatibus praestantes viri et patricii et rèliqui cives laeti, facesque manibus tenentes, obviam processerunt et arcam illam pretiosam cum fide ac veneratione humeris suis subeuntes, ad magnam usque gestarunt ecclesiam, ex qua, pontificia dignitate spoliatus, ejectus fuerat. Atque inde rursum, assiduis item diurnis nocturnisque psalmorum cantibus vicissim utentes et cum omni luminum genere per mediam urbem ipsum gestantes, in

* Ad S. Episcopum ab exilio post mortem in Sedem suam restitutum apostrophes, ac peroratio; item in postremo §.

** Annos 14 ab Ecclesia sua exulavit; eam rexerat circiter 13. Translatio Reliquiarum anno peracta DCCCXLVI.

Digitized by Google

sanctorum Apostolorum templo collocarunt. Tanta autem erat concurrentis populi virorum et foeminarum atque aetatum omnium multitudo, ut numerari non posset. In biviis enim et porticibus premebantur et ubique per vim sibi exitum parabant: adeo, ut quamvis multae propter Imperatores et sacerdotes variis temporibus celebritates extiterint, nulla tamen cum hac conferri queat. Nonnulli etiam in via spiritibus immundis vexati, dum ab aliis comprimerentur, miserandas atque maledicas voces emittebant: quorum e numero quidam ab ipso curati sunt. Populi igitur impetu vix evitato, sanctum eximii Patriarchae corpus in celeberrimo Apostolorum templo, sacris mysteriis Deo peractis, in sepulchro recens constructo, manibus ipsius Methodii compositum est, 3 Idus Martii quo quidem die in exilium etiam ejectus fuerat, ut utràque re sit memorabilis.

§ **13**. Nos autem, o patrum sanctissime, o sacrorum praecònum decus qui digni facti sumus, ut te et terrestrem haberemus civem et coelestem apud Deum intercessorem, ad arcam tuam cum desiderio accedimus, eamque cum omni veneratione complectentes, has tibi voces effundimus: O sublimium et arcanorum mysteriorum inspector et contemplator: o divini aspectus atque splendoris glorià abunde propter mentis puritatem illustrate; o patriarcharum atque pontificum societatis particeps qui et nomine et re simul cum illis victoriae praeconia et praemia, aerumnis et periculis superatis, percepisti: suscipe benigne sinceri cordis erga te fidem et affectionem, vicissimque tuas pro nobis ad Deum puras castasque preces exhibe: ut Ecclesia sancta in tranquillitate versetur et fides integra custodiatur. In perpetuum nobis Deum propitium redde et nos qui jucundissima tua monumenta, qui pulcherrima ad salutem instituta variis in libris a te relicta perlegimus, in recta dogmatum doctrina firmos immobilesque conserva et in omni temporum varietate constantes, ut omnem reliquam vitam exemplo tuo sancte transigamus, ut Deo chari simus et quae justis promissa sunt, bona consequamur. Illius misericordià ac munere qui propter nos homo fieri et carne indutus perspici non est dedignatus, Christus Deus noster qui colendus et adorandus est cum Patre, qui est ante principium et divino Spiritu, qui est ejusdem cum illis essentiae, auctorque vitae etc.

Digitized by Google

MARTYRIUM

S. ET GLORIOSI LONGINI CENTURIONIS

SIMEONE METAPHRASTE AUCTORE *

I. Chr. Saeculo.

§ 1. Cum Deo Verbo propter eam quae ex inobedientia nobis fuit importata a bonis prolapsionem, visum esset fieri sicut nos, et voluntaria cruce et morte propter nos fuisset condemnatus propter suam in nos misericordiam: et chorus quidem discipulorum, timore amicitiae Christi esset oblitus: qui autem in eum caedem spirabant Judaei, eum jam morte damnassent; unus erat etiam Longinus e Synagoga Judaeorum et constitutus fuerat Centurio cujusdam numeri militum. Cum autem executioni esset mandata scelerata sententia et ipse Christus in ligno esset affixus, medicans sumptum ex ligno gustum, admirandus hic Longinus habebat crucis custodiam sibi commissam cum suis militibus. Signis autem et prodigiis quae circa crucem facta sunt, ad veritatem deductus, omni excusso metu, libere Christum ipsum et Deum confessus est in medio synagogae Judaeorum, Vere, dicens, filius Dei est hic.

§ 2. Postquam sepulturae mandatum fuit vivificum Christi corpus, ut nos a peccati sepulcris evocaret et ad antiquam revocaret beatitudinem, Longino rursus jussit Pilatus, vitae sepulcrum tuèri custodiâ militari. Et ille quidem fecit id quod erat imperatum, etsi non esset ejusdem de Christo cum Pilato sententiae, ut jam didicimus. Cum autem peractum esset magnum mysterium Resurrectionis, et milites miracula; quae erant majora quam ut ea caperet humana cogitatio, principibus sacerdotum et presbyteris Judaici coetus annunciassent, hoc illi ignominiam ed dèdecus sibi afferre existimantes et miraculum volentes extinguere, pecuniis persuaserunt militibus, ut calumniarentur Christi Resurrectionem. Illi igitur ad Pilatum accedentes, falsam dixerunt esse resurrectionem. Verum non sic Longinus: sed mendacii

* Cujus hodie Rom. Martyrolog. sub LONGINI MILITIS appellatione meminit, eumdem esse ac LONGINUS CENTURIO a Graecis XVI oct. celebratus, de quo haec Acta ex Lipomano Surius atque ex Metaphraste Lipomanus, innuit Baronius in Notis hac die. Longa et docta, hac de re, a Bollandianis instituitur disquisitio, qua haec tantum colligere licet: alium *Centurionem* fuisse, alium *Militem* latus Domini confodientem; utriusque Acta, de illo scilicet Graeca, de hoc Latina esse simul confusa, nomen denique *Longini* neutro probabiliter esse proprium, sed cognomentum ex λόγχη *lancea* Circa ea quae Mantuae, Ulyssipone et in Sardinia de Longini vel Militis vel Centurionis Reliquiis praedicantur ambigere fas sit; " Corpus Romae asservari, *ait Baronius*, percepi, in Ecclesia S. Augustini. „ De cujusdam S. Longini brachio in Vaticana Basilica asservato extat monumentum. Inventarium sub num. Cod. illius Biblioth. 3536.

Digitized by Google

quidem fuit praeclarus confutator, verax autem testis veritatis, ut qui non sustinuerit calumniari Christum tanquam furto surreptum: sed linguà et mente liberâ eum verum esse Deum praedicarit et e mortuis esse excitatum affirmaverit. Quo factum est, ut et ipse Pilatus et Judaeorum synagogae principes, invidiam qua prius movebantur in Christum et quem in eum animo concipiebant furorem, eum nunc in Longinum transferant, ei adeo irascentes, ut quicquid pateretur Longinus, existimarent eum non satis daturum esse poenarum. Hinc ea res venit ad aures Longini et eorum ira fuit ei significata. Quapropter magis volens abjici cum Christo quam habitare in tabernaculis Judaeorum, cum veste et cingulo dignitatis, ipsam quoque simul quamprimum exuit militiam. Et acceptis duobus militibus qui habebant eumdem zelum pro Christo et veritate, declinat cum populo congressionem et cum Deo solo et secum versatur.

§ 3. Nec multum intercessit temporis, et relictis Jerosolymis, venit in Cappadociam, praeco simul et apostolus Christi admirabilium operum, et quae sunt praeter opinionem cum illis duobus militibus effectus. Cum autem eorum nihil latèret Judaeos, utpote quod fama ad omnes Longinum transmitteret, et perinde ac allata perniciter omnem percurreret regionem, ii simul convenientes persuadent Pilato, ut de Longino maledicat, et significet Caesari, quod aliena sentiret ab Imperio Romanorum, et quod neglectis armis, Christum praedicet quemdam regem Gentibus: et sic omnes in suam rèdigens potestatem, attrahat ad illius fidem. Eorum autem, ajebant, quae dicuntur, signum est, quod universam Cappadociam ea implevit doctrina. Cum his literis simul etiam emittunt pecunias, in aures Caesaris volentes irrepere, ut Longini mortem facile emerent. Quod quidem processit etiam ut videbatur Judaeis. Et Roma statim in Judaeam ad Pilatum mittuntur literae, quae Longinum morte damnabant. Pilatus ergo acceptis literis, eas statim tradit Judaeis, et ad beati viri caedem àlacris àlacres emittit. Illi autem cum totam, quae intercedebat, regionem maxima pervasissent celeritate, veniunt in Cappàdocum regionem: et cum audiissent Longinum in quodam agro paterno agere vitam ab omni negotio remotam, statim veniunt in agrum, et cum Longino sermones conferunt, nescientes eum esse, propter quem tam magnos labores suscepissent, et iter confecissent. Unde etiam illum ipsum rogabant, quisnam esset Longinus, et in quonam praedio habitaret. Longinum enim studebant clam aggredi, timentes ne salutem sibi fugâ quaereret. Ignorabant autem eum magis studere ut caperetur, quam illi ut caperent. Imitabatur enim mortem illius voluntariam, quem cum vidisset in cruce, Deum fuit confessus: et quomodo Christus propter nos, ita Longinus propter Christum caedem sitiebat.

§ 4. Cum ergo Spiritus Sanctus illâ horâ ei omnia significasset,

Digitized by Google

sensim ad ipsos conversus, miti et leni voce dicit: Sequimini, et ipse eum quem quaeritis ostendam. Tunc ergo veluti apud se laetans ille beatus et futuri gaudium praecipiens. et ante martyrium mortem martyrii amplectens, haec secum dicebat: Nunc videbo coelos apertos. Nunc aspiciam gloriam Patris. Nunc, sicut primus martyr Stephanus, ipse quoque dicam: Domine Jesu Christe, accipe spiritum meum: quem clarissima voce audivi mortem ad se vocantem. Nunc supernam Jerusalem, angelorum quidem patriam, totius autem chori sanctorum metropolim, cum victoriae plausibus, et canticis, et gloriosis trophaeis, ascendam. Nunc exuo e luto confectam tunicam, et lamentabilia depono carnis vincula. Nunc liberor ab interitu et corruptione, et laetus induo incorruptionem. Egredior e vita caduca et momentanea, et ex tempestate, cujus sunt magni fluctus et gravia naufragia, et venio ad verum et solum portum, in quo vita est ab omni tristitia remota et aeterna.

§ 5. Haec cum apud se locutus esset Longinus, eos, qui ad ipsum venerant, statim ducit in domum suam, et cum hospitio praeclare accepisset, incipit deinde rogare post coenam cur venissent, et quaenam esset tanta Longini inquisitio. Illi autem, cum sacramentum, tamquam aliquod pignus. ab eo accepissent, non esse publicaturum, quae ei dicerent, neque secretum esse aperturum, dicunt quae Pilato scripta fuerant a Caesare, et quod venissent, ut Longini cum duobus militibus capita amputarent. Cum autem scivisset, quinam essent cum ipso morituri, illi scilicet qui Judaicae mercedi Christum proposuerant, significavit eis, qui non diu ante ab eo discesserant, ut primorum bonorum essent sibi socii. Cumque semel atque iterum eos, qui missi fuerant a Pilato, hospitio magnifice accepisset, postridie eos ducens in agrum, expectabat eos, quos accersiverat. Cum autem accepisset eos jam appropinquare, statim annuntiat iis qui missi fuerant a Pilato: Ego sum, qui a vobis quaeror, Longinus. Illi autem primum quidem non credebant. Quomodo enim existimassent eum esse, qui erat passurus, cum eum viderent tam laetum ad periculum? Postquam autem recte sciverunt illum esse, et nulla eis fuit relicta dubitatio, aegre ferebant, et a conscientia multas plagas accipiebant, quid non quidem dicentes, quid non autem facientes, cum esset adhuc recens recordatio, ut qui pro bonis essent malas reddituri gratias? «O infelicem, dicebant, coenam. O grave hospitium. Curnam, o chare Longine, hoc tibi coeptum venit in mentem, ut eos, qui venerant ad tui caedem, domus tua acciperet? Mors tibi evadit hospitium, et teipsum mensae appones, eos praeter opinionem inveniens latrones, qui hospitio a te fuerunt accepti. Quid faciens, sic molestiâ affecisti eos qui te sunt occisuri? Abi ergo, accepta mercede hospitii, nempe mortis remissione. Non sustinemus ensem tibi

inferre: caedem molientem manum tuo capiti afferre formidamus: communem salem reverèmur: nos pudore afficit mensa: ad caedem torpet manus: abhorret animus morte afficere benefactorem. Facilius est periculum, quod nobis est a Pilato paratum, quam vulnera conscientiae. Parati sumus omnia pati potius, quam Longino tales referre gratias. »

§ 6. Sic quidem milites dicebant Christi martyri valde miserabiliter. Caeterum non poterant Longino persuadere: sed eis fortiter respondet vir vere generosus: «Cur magna mihi bona invidetis, quibus vos inviti me estis remuneraturi? Cur meam mortem defletis tam miserabiliter? Cur tristes estis propter meam perpessionem? Non est hoc mihi mors, sed vitae primitiae. Mihi revera potius est mors, quae hic est conversatio, quoniam non assisto meo Domino, nec fruor eâ quae est illic beatitudine. Habetis, o amici, habetis apud vos solatium, prope est vobis consolatio. Quem enim propter finem lugetis, eum vos post finem beatum reputabitis. Sufficit autem hoc ad afferendam animi tranquillitatem, scire amicum fore multorum bonorum participem: quomodo est invidorum, vel odio potius habentium hominum, studere eum privare splendore. Nolite deflère eum qui deficit: sed gratias agite ei qui accipit. Non mihi illius gloriae detrimentum afferatis, quam ego vidi elementa moventem. Non negaverim eum, quem Dei semel filium suum confessus. Timeo ne creatam naturam inveniam accusatricem, si in eum appaream infidelis, propter cujus passionem coelum quoque ipsum est affectum tristitiâ, et sol contraxit radios, et lux diei miserabiliter deducta fuit ad noctem.»

§ 7. Haec adhuc dicente Longino, et eis, qui missi fuerunt a Pilato persuadente, ut facerent quod eis fuerat imperatum, veniunt milites, qui cum eo morte damnati fuerant. Ille autem laeto et àlacri vultu eos intuens, et dexteram eis injicit, et collum amplectitur, et oculos suaviter deosculatur, et, Salvete, inquit, o Christi commilitones, et haeredes regni, salvete. Jam enim aperta est porta, quae est in coelis, et angeli sunt nostras accepturi animas. et oblaturi Filio Unigenito. Ecce, et lampades video, et appàrent mihi bravia, cum quibus sistendi sumus ad judicis tribùnal. Sed enim si quid vobis est imperatum, dicebat eis, qui missi fuerant, id implete. Deinde etiam conversus ad domus curatorem, jubet vestem mundam ad se deferri, ut qui jam esset vocatus ad nuptias et thalamum, et eo festinaret. Porro autem cum induisset vestem, et manu ostendisset tumulum, in quo volebat poni corpus, in genua cum iis duobus, qui erant cum ipso, inclinatus (o beatum finem) perègit certàmen: et amputatis eorum capitibus, illi ascribuntur in choros martyrum et Apostolorum, illorum quidem fortitudinem, horum vero zelum pro Christo ostendentes.

Digitized by Google

§ 8. Quid vero post haec est consecutum: Martyricum illius Longini caput cum statim accepissent ii, qui eum interfecerant, ad fidem plene faciendam, quod Longinus esset mortuus, id portant ad Pilatum, ut qui scirent se nullo alio dono, quam eo magis illi gratificaturos. Ipse autem statim convocavit Judaeos, magna secum voluptate afficiendos, ut qui Longini valde mortem sitirent, et eam emissent pecuniis. Quod quidem cum factum fuisset, ut eis placebat, jubet rursus indigna Pilatus: et ante portam civitatis per ignominiam fuit projectum pretiosum ejus caput. Sed is, cui visum fuerat pati pro nobis, ejus, qui propter ipsum fuerat passus, ne nunc quidem est oblitus: sed veluti perpetuo apparentem quamdam facem iis qui aderant cernendam praebebat ante civitatem, et in sterquilinio jacentem tamquam in domo regia conservatam, tuto protegebat, non solum non permittens, ut aliquid pateretur a fimo: sed etiam liberans alios, ne aliquid propter id paterentur. Quaedam enim mulier vidua, quae morte maritum amiserat, cum filio autem unico conflictabatur, et praeter viduitatem sustinuerat etiam oculorum orbitatem, malo fide superato, cum filio vadit Jerusalem, sanctorum, quae ibi erant, locorum contactu et adoratione, quos amiserat corporis duces, sperans se recuperaturam. Cum autem a filio deducta terram caperet et pulverem, et imponerent oculis, adjicitur viduitati et oculorum orbitati (Qualia sunt Dei judicia!) alia quoque gravis calamitas. Morbus enim quidam invadens puerum, qui pro amissis oculis fuerat ei alius oculus, repente (proh dolor) abripit a sinu matris.

§ 9. Statim ergo duplices ad eum accedunt tenebrae, et vitae lux simul extinguitur cum luce oculorum: eratque omnino infelix illa immobilis, tanquam aliquo fulmine, perculsa calamitate. Cum autem paulopost a malo ad se rediisset, deflebat miserabiliter, et miserandas voces emittebat ad Dominum.

§ 10. Interim autem dum fuisset in somnum resoluta, divinus ei appàret Longinus, et omnia dicit quae ad ipsum pertinebant quae in cruce Salvatoris nostri facta fuit, confessionem, mortem qua a Caesare et Pilato fuit condemnatus, capitis amputationem, et alia quae martyr propter Christum sustinuit magnifice. Quin etiam dicit ei: « Oportet te observare meum caput multo fimo tectum, ad tuorum oculorum curationem. Nam si illud attigeris, lux statim te sequetur. Porro autem ego quoque tibi addùcam puerum cum gloria, qui, quem propter eum accipis, dolorem consoletur.» His verbis mulier animo recreata, et corpore satis corroborata, properabat ad opus. Cum autem deducta jam pervenisset ad locum, in quo sciebat caput esse repositum, prompto et àlacri animo fodiebat manibus. Et cum veluti quemdam thesaurum caput invenisset, simul cum ejus inventione, suam quoque lucem invenit: et aspicit solem, aut etiam ipsum caput

cernit tanquam lucidam stellam, apparuisse. Deinde id ardenter complexa, cum expurgasset, et unguentis unxisset honorifice, revertitur ad eum qui illam hospitio exceperat, pretiosam illam afferens margaritam.

§ **11**. Sequenti autem nocte divinus rursus accèdit Longinus, laeto vultu subridentem, et quasi sponsalibus vestimentis nitentem filium suum inducens, suaviterque et paterne eum amplectens, et dicit ei: « Ecce quem lugebas, filium, o mulier: ecce quantus sit nunc ejus honor et gloria, et teipsam consolare. Deus enim ipsum retulit in numerum militiae sui regni: egoque nunc eum habeo acceptum a Salvatore, nec a mea unquam recedet dextera. Accipe ergo meum caput et corpus tui filii, et sèpeli in eadem arca, et ne amplius lugeas filium tuum unigenitum, neque te verberet cor tuum. Nam magna gloria et laetitia, et magnis laudibus celebrandae choreae, et festa celeberrima ei data sunt a Deo qui eum accepit.» Haec cum audiisset mater, statim surgit, et acceptum martyris caput, reddit ejus patriae (Pago autem nomen est Sandiale) et cum corpus filii capiti martyris lubenter apposuisset, et in loco insigni honeste composuisset, haec apud se dicebat: « Nunc scio quod iis qui Deum diligunt, omnia ad bonum conferunt. Quaerebam oculos carnis, ego autem accepi etiam oculos spiritus. Me afficiebat tristitiâ jactura filii, sed ecce eum habeo haeredem, Deo cum gloria regia assistentem, et nunc noctu et interdiu mihi matri blande arridet, conglorificatus honoribus prophetarum et martyrum, et cum eis exultans et regni coelorum praeclarum ferens trophaeum inter angelos.»

VITA S. ABRAMII CONFESSORIS ET MARIAE NEPTIS EJUS

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE, QUI EAM EX S. EPHRAEM VIDETUR INTERDUM FUSIUS, PLERUMQUE COMPREHENSIUS DESCRIPSISSE. EST HAEC HISTORIA MULTO ELEGANTIUS LATINE CONVERSA, QUAM ILLA, CUJUS AUCTOR FERTUR S. EPHRAEM. *

Floruit saeculo IV. — Nat. Syrus.

§ **1**. Virorum virtutis studiosorum vita, et eorum quae ab eis gesta fuerunt, narratio, omnibus quidem qui pie vivere studuerunt, tanquam utilis et jucunda, summo studio est expetenda:

* Abramii (vel Abrahae) patriam. *Syriam audacter* (ajunt Bollandi continuatores) *Baronius nominat et auctorem Vitae B. Ephremum Diaconum fecit.* At *audacius* ipsi (*vide Jos. Assemani in* Biblioth. Orient.) cum bona meritissimorum venia, Baronio contradixisse videntur, ac perperam S. Eremitae statuisse aetatem biscentorum annorum posteriorem.

Digitized by Google

maxime autem iis qui virtutem exercent, et qui beatam illam Dei mandatorum semitam ingredi decreverunt. Fiunt enim eis veluti quidam duces itineris, ut quod ipsi prius confecerint, et re ipsa experientiâ ostendere possint iis qui sequuntur: ubi quidem oporteat aliquid remittere de ingressus vehementia, ubi autem rursus gradum accelerare et intendere. Sicque certam virtutis viam et facilem illis faciunt qui eam aggrediuntur. Quoniam autem ex iis maxime insignis Abramius, non solum cum esset adhuc superstes, sed nunc quoque oratione veluti quadam expressus imagine, id plene praestare potest: res ejus nunc a nobis narrandae sunt pro viribus: ut sequamur, et quoad ejus fieri poterit, imitemur vestigia ejus virtutis.

§ 2. Hic ergo secundus Abraam, et cum primo conferendus, ex nobili quidem radice germinavit ramus nobilis. Nam fuerunt quidem ei parentes clari genere, vitâ autem illustres, et qui divitiis et gloriâ mundana sibi summopere placebant. Cum autem viderent puerum ab ineuntem aetate omnem virtutem exercentem tenebantur quidem vehementi igne in eum amoris et desiderii. Sunt enim talia eorum qui genuerunt, viscera: et natura est eis insitum, ut virtus filiorum majorem in eis incitet flammam naturalis charitatis et affectionis. Quamobrem cum esset eorum in eum amor et insatiabilis, et longe ardentissimus, desiderabant videre fructus pulchri hujus germinis: ut cernentes tanquam imagines filii nepotes, sui in eum amoris sedarent vehementiam, et simul successioni generis hoc jàcerent fundamentum. Itaque studebant, ut et filius duceret uxorem, et alligaretur vinculis matrimonii, et ad praecipuas et maxime illustres mundi proveheretur dignitates. Abramio autem nihil horum erat curae. Nam ea delegerat quae parentum animo plane adversabantur: et ecclesiam quidem, tanquam sponsam quandam, sibi desponderat, ei, ut solent sponsi ardentes, noctu, et interdiu assidens, et animum simul et aures demulcens iis qui in ipsa fiunt ad Deum, hymnis et melodiis. Unum vero verum honorem, ad Deum existimabat profectum. Magistratus autem et potestates et honorum altitudinem, et dignitatum magnitudinem, et si quid aliud mundanum et terrenum, existimabat omnia ludibrium et scenicam actionem quae nihilo melius sunt affecta, quam somnium et umbra.

§ 3. Cum autem parentes instarent et vehementissime urgèrent, ut uxorem duceret, quinetiam mater videns eum differentem, saepe lacrymas emitteret ex oculis quae sunt certa signa flammae internae, et quae, si quid aliud, filii valde possunt animum infringere: nesciret vero egregius Abramius quid faceret, cedit matris precibus et jussis patris, et jugum accipit matrimonii, ut qui sciret hoc esse unum ex Domini praeceptis, patri et matri parère. Nam ad illum quoque transire honorem pulchre

Digitized by Google

sciebat, a quo profectum est praeceptum: et qui est communis omnium et primus pater, et opifex, et praecipua causa, ut simus et vivamus. Sed mihi arrigantur omnes aures ad audiendum: jam enim in animo Abramii incipiunt oriri radii gratiae. Sex quidem praeterierant dies, ex quo peragebatur convivium, et celebrabantur nuptiae, et canebatur hymenaeus: septimo autem, in quo erat eis solvendum matrimonium, fit res quaedam admirabilis, et quae vix credi possit. Nam sedebat quidem ad mensam cum sponsa splendide admodum Abramius, tanquam sponsus re vera in thalamo suo: tumultu autem et plausu tota domus perstrepebat, mensaeque et convìvis erant omnes intenti: occultus autem amator nostrae salutis, et spiritalis ac divinus animarum nostrarum prònubus et sponsus Christus, illarum scilicet, quae sunt dignae thalamis suis, dulci quodam radio coelestis et ineffabilis splendoris sensim immisso in thalamum, suavi et allicienti luce oculos illustravit Abramii, veluti ad se accersens, et ipsum per lucem attrahens. Illius enim animae aperte amabat pulchritudinem, et volebat eum collocare in longe melioribus thalamis.

§ 4. Hujus autem lucis dulcedine summe captus Abramius, ut quae ei per oculos ad animum affluxerat, et ineffabili jucunditate et splendore cor habens repletum, neque cibum neque potus volebat sumere: sed stabant immoti ejus oculi, ad lucis illius speciem intuentes, et apud se optabat, ut cito solveretur convivium. Quo quidem ut desiderabat, soluto, et singulis convivis domum reversis, tacite domo egreditur, a nullo alio, nisi a solo Deo, qui eum vocabat, visus. Et cum circa duo stadia abesset a civitate, pervenit ad quamdam cellam, quae pulchre erat posita ad quietem et silentium. Eam autem, quam jucunde est ingressus! Aliquid enim ei ostenderat, quae apparuerat visio, quod spectabat ad ejus habitationem. Deinde, ut assolet in rebus hujusmodi, cum domi frequentissime nominaretur sponsus, et essent omnes occupati ad illi inserviendum, ipse autem minime adesset, statim recordati sunt parentes prioris filii sententiae, et illius in Deum propositi, et magnae adversus nuptias constantiae: neque eam rem poterant aliud vocare, nisi apertum secessum. Et ideo scrutabantur, non theatra solum, et fora, et regiam, et domos amicorum, sed solitudines, et montes, et monachorum habitacula, et sicubi esset aliquis locus aptus ad secessum et silentium. Cum multi ergo ubique quaererent Abramium, decimoseptimo die postquam secesserat, invenitur in dicta cella, nullum habens, qui simul habitaret, sed ipse solus inclusus. Atque illos quidem, qui ipsum invenerant, invadit stupor commixtus laetitiâ et tristitiâ: ut qui laetarentur quidem, quod invenissent adolescentem: stupèrent autem tam repentinam ejus mutationem, et statim ab initio susceptam vitam illam solitariam,

et remotam ab omni consuetudine et societate: dolerent vero propter Abramii jacturam, quod talis scilicet adolescens sic ante tempus se a mundo removisset, et rebus quae ad mundum pertinent.

§ 5. Ille autem cum eos sic vidisset affectos, placide et benigne eos alloquens: «Neque tristitiâ, inquit, affici oportet, nec admirari: sed Deo potius agere gratias, et ejus ineffabili benignitati et clementiae, qui me sapienti quadam et arcana providentiâ a mundi subduxit nequitia. Orate ergo, inquit, amici mei et fratres, deinceps orate, ut bonum ejus jugum portem usque ad finem, et non onus ejus leve abjiciam: sed semper sequar legem, et illius praecepta et voluntatem.» Deinde etiam vehementer rogavit, ne illuc assidue venientes, suum desideratum obturbarent silentium et impedirent profectum ejus ad meliora. Illi quidem cum haec audiissent et vidissent, sunt reversi. Ille vero obstructo aditu domunculae, et relictâ parvâ quadam fenestrâ, per quam panis solum et aqua ei praeberetur, soli decaetero orationi vacabat et jejunio. Cum in his autem esset Abramius, et hanc philosophicam exerceret vivendi rationem, de eo spargebatur fama in omnes partes, et magna hominum multitudo confluebat ad illum spectandum, desiderans ab illo aliquam consequi benedictionem. Decimo autem anno postquam secessisset, decedunt quidem ejus parentes: ad eum autem deferuntur illorum divitiae, et omnium paternarum facultatum fit haeres Abramius. Ille vero, cum jam olim tales curas jussisset valere, cuidam ex suis amicis committit, ut curam gerat haereditatis, mandans, ut pars ejus maxima consumatur in egènos. Quod quidem cum factum fuisset, ut jusserat, et pulchre profuse fuissent ejus divitiae, et opem tulisset multis pauperibus, solutus omni curâ fuit Abramius. Nam in hoc ille perpetuo incumbebat, ut ejus animus occuparetur in nulla re mundana terrena, sed eum totum haberet ad coelum extensum, semperque levem et sublimem ad spiritalia.

§ 6. Cum ergo tamquam possessionem pretiosissimam desiderasset nil possidere, nihil aliud habere sustinuit, praeter ea sola, quae sunt corpori necessaria. Ea autem erant, pallium et cilicium quibus erat indutus, et storea ad brevem corporis accubitum, et poculum, quo modicam sumebat aquam. Sed quo magis egebat iis quae pertinebant ad usum corporis, eo magis abundabat bonis animae, in orbe virtutum, qui eum circùmdabat, semper resplendentem humilitatem habens, et charitatem, quas cujuslibet boni matres esse definiunt. Hinc aequalem quidem communiter in omnes ostendebat charitatem. Proximi autem salutem semper suae praeponebat. Quae vero ex ejus labris procedebant quam non poterant animam demulcère, et attrahere ad virtutem? Nam valde quidem docte adhortabatur: reprehendebat autem paterne et amanter: mansuetudoque et

Digitized by Google

gratia undique in eo florebat, internam animi constitutionem perfecte aperiens. Merito autem admirabitur quispiam ejus in certaminibus fortitudinem et constantiam. Nam cum ante mortem continuos quinquaginta annos transegerit in exercitatione, numquam molliter aut segniter aggressus est labores, neque quicquam remisit de ei ab initio tradita regula abstinentiae: sed perinde ac si spiritales labores recens attingeret, ita ad certamina accedebat quotidie, seipsum in dies superans. Non erat autem Dei omnino permittere, ut talis lux sub modio latèret: neque fieri poterat, ut qui erat hujusmodi, et perinde ac clara quaedam et illustris civitas, veluti in quodam monte rerum maximarum et pulcherrime gestarum, positus erat, absconderetur. Nec ergo fuit absconsus. Sed quomodo nuper ipse Dominus discipulis, ita etiam nunc illorum imitatori desuper apostolicum committit ministerium, et ejus honorat virtutem chrismate sacerdotii, et sudoribus monasticae exercitationis athletica etiam certamina adjungit, et laboribus abstinentiae praeter opinionem et admirabiliter annectit coronas martyrii. Quonam modo autem, deinceps exponam.

§ 7. Lampsaci, quod est oppidum ad Hellespontum, erat quidam magnus vicus, et frequens populo, qui vocatur Taenia. Quoniam autem qui in eo vico habitabant, tenebantur a gravi errore gentilium, magna quidem multitudo sacerdotum, et diaconorum ab episcopo ad eos mittebatur: plurimi quoque ex iis, qui vitam susceperant monasticam, ab eo constituti erant vici magistri. Sed nemo eos poterat convertere ab errore: immo piis potius illi inferebant tormenta et supplicia, neque erat ullum poenae genus, quod non terribiliter eis intentaretur. Cum ergo dubitaret Episcopus, quidnam oportèret facere, ut qui errabant, errorem agnoscerent, et rem aliquando cum suis communicaret, venit eis interim in mentem Abramii admirabilis. Tum non expectans ipse aliorum de eo testimonia, eis statim ostendit, quid de illo esset sibi persuasum, dicens: « Credite mihi, filii, dicturo teste veritate, quod in tota vita numquam mihi contigit videre talem virum, et qui in tanta virtute viveret et pietate. » Cum ii autem, quae ab ipso dicta fuerant, una voce confirmassent, ipse rursus: « Venit, inquit, mihi in mentem quaedam cogitatio: ea est autem, ut arbitror, divinioris cujusdam providentiae, eum initiare Chrismate Sacerdotii, et ei tradere vicum, qui est ad Hellespontum. Forte poterit, opem supernâ ei ferente gratiâ, et multos deducere ad agnitionem veritatis.» Haec dixit, et e cathedra statim surgens Episcopus, vadit ad beatum Abramium cum universo clero. Et jam solitis dictis precibus postquam eum in Christo salutasset, et osculum dedisset, de vico ei exponit omnia. Praeterea autem eum quoque valde rogavit, ut illorum susciperet praefecturam. Ille vero cum primum quidem

Episcopum advenisse aegre tulisset, ut qui putaret se esse indignum, ad quem tantus vir accederet: deinde etiam quae dixerat, graviter accepisset, propter magnam illam cordis contrititionem et moderationem, et quod se nulla re putaret esse dignum, ea respondit, quae et tali vitae conveniebant, et tantae humilitati: «Quis ego sum, Domine mi, dicens, ut sacerdotii tantam subeam magnitudinem, et gravis populus mihi committatur docendus? Sine, per Christum, sine me acerbe mea deflere peccata.»

§ 8. Cui rursus Episcopus respondens: «Recte scio, recte scio, inquit, o chare fili Abrami, quod gratiâ, quae tibi data est a Spiritu, potens es et verbis et factis. Ne ergo dubitaveris ad munus accedere, quod erit quidem causae tantae animarum utilitatis, magnas autem apud Deum tibi conciliabit remunerationes.» Illo vero persevèrans in prioribus: «Sine rogo, rursus dicebat, sine me mala propria deflere.» Ille vero respondens, acrioribus eum verbis excepit: «Ecce, dicens, cum mundum, et quae mundi sunt omnia relìqueris, et quid non laudabile quidem exercùeris, quodnam autem Dei praeceptum non accurate servaveris? id quod est praecipuum, nescio quomodo imprùdens praetermisisti, nempe obedientiam.» Haec cum ille audiisset B. Abramius, oculos suffusus lacrymis, et ex imo graviter suspirans: «Quis ego sum, Domine, Domine mi, inquit (ut rursus repetam ea, quae dicta sunt) ut de me talem susceperis cogitationem, et me, qui sum vilis et abjectus, sic tota manu contendas attrahere ad tantam virtutis altitudinem?» Episcopus autem: «Quoniam, inquit, qui sibi quidem soli vivit, et solum curat, ut res suae recte se habeant, sibi soli parat utilitatem. Alios autem corrigere et animarum sibi creditam curam gerere, quantum habet emolumentum, et quantum charitatis in Deum indicium? Quod autem id sit majus quovis alio cultu Creatoris et Domini, addùcam tibi illius ipsius testimonium: Si enim diligis me, Petre, inquit, pasce oves meas. Quamobrem Deo tantae sunt curae greges, ut maximum signum in ipsum dilectionis, eorum curam esse statuat.» Talibus consiliis, monitis et sermonibus persuasus Abramius, Episcopum ad urbem est secutus. Cumque ille in ipso, quae par erat, peregisset, et sic eum perfectum creasset sacerdotem, et deinde cum toto clero et populo eum deduxisset, propositam illinc viam iniit, multas interim fundens lacrymas, et supernum invocans auxilium.

§ 9. Cum autem venisset in vicum, et eum invenisset jacentem in profundis tenebris impietatis, et ut dicit divinus Paulus, gloriam Unigeniti mutatam in similitudinem sculptilis, sic Deum precabatur in contritione cordis: «Benigne et clemens Domine Deus, quique es solus bonus, qui es solus patiens, qui es solus misericors; qui creasti hominem benignitate ineffabili, qui intelligis in omnia opera ejus, et corda et renes

examinas, et intelligis ejus cogitationes: ne despicias tuum figmentum, opus tuarum manuum, sed libera eos a tyrannide inimici, et da eis veritatis tuae agnitionem. Tu enim scis quod non propter humanam gloriam, sed propter animarum salutem suscepi hanc curam et hoc ministerium.» Cum sic ergo esset precatus, et aliquas accepisset pecunias, quae remanserat apud amicum, cui curam commiserat facultatum, ex ipsis aedem extruit oratoriam longe elegantissimam. Postquam autem finitum fuit aedificium, incruentum in eo sacrificium Deo offerebat, et similes prioribus rursus fundebat preces: «Collige, Domine, dicens, oves tuas errantes in hanc mandram recenter aedificatam, aperiens eis viam salutis per tui agnitionem, ad gloriam tui gloriosi nominis. Tu es enim Deus et miserationum, qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat.» Cum has ei preces obtulisset, et cor deinde vir sapiens confirmasset, et fuisset repletus zelo et desiderio, obiens statuas daemonum, eas omnes diruit, et humi evertit.

§ **10**. Cum autem post haec accessissent quidam ex infidelibus, ut illis sacrificarent statuis et eas precarentur, vidissentque gravi casu corruisse, non ignorarunt hostem: statimque correptis lignis et lapidibus, repente in sanctum irruerunt: nec prius cessarunt eum petere et crudelissime percutere quam eum vidissent plane defecisse et extremam jam agere animam. Recesserunt enim, existimantes eum mox esse moriturum. Ille autem cum circa mediam noctem recreatus esset ab illis intolerandis doloribus, vix tandem surgens, in templum est ingressus: et cum se pronum humi dejecisset, flens graviter et fronte solum verberans, acerrimo et maximo studio fundebat preces pro illorum salute, ut depelleret impietatis nubem quae eos detinebat et pure aspicerent ad radios veritatis. Mane autem cum illi venissent in templum et offendissent sanctum in eo precantem, priorem rursus saevitiam et rabiem in eum ostenderunt: et cum eum rursus variis modis et vehementer cecidissent, vinculis et funibus omni ex parte comprehensum, trahunt per medium vicum et in eum omni ex parte lapides nive cadente densiores conjecerunt, ignorantes stulti, pro quali gratia, pro quali pro ipsis precatione, qualem reddiderint ei remunerationem. Ille ergo tunc quidem ab eis relictus est semimortuus, jam a plagis dissolutus et in terram fluxionibus. Cum autem media nocte ad se rediisset, dicebat: «Domine, quousque obliviscèris mei in finem? Quousque avertis faciem tuam a me? Quousque opera manuum tuarum despicis quae pereunt?» Haec Deo dicebat, et verba miscebat lacrymis. Deinde autem vix tandem e solo surgit, perinde ac si non esset confectus tot plagis et vulneribus, et in dictum templum rursus ingreditur.

§ **11**. Die autem sequenti belluae illae Christi inimicae, cum

Digitized by Google

illic rursus venissent, et eum orantem invenissent, ne tunc quidem potuerunt id ferre moderate: sed cum ei plagas priores, aut etiam multo majores imposuissent et eum similibus vinculis alligassent et traxissent, procul a vico projecerunt. In his ergo se tres annos deinceps fortiter gessit Abramius, non fractus, non cedens, nec ulli male imprecans: sed odio charitatem adjungens, irae mansuetudinem, maledictis benedictiones, admonens, consulens, adhortans, senes, adolescentes, omnem, ut semel dicam, aetatem, ut patres, ut filios, ut fratres, nihilque omnino ostendens quod sit pusilli et abjecti animi: sed re ipsa implens quae sunt divini Davidis et inter necessitates et afflictiones meditans praecepta Domini. Propter haec in ipsum floruit ejus sanctificatio. Nam cum repente convenissent illi qui nuper erant impii et infideles (Est autem hoc Dei omnino qui docet hominem scientiam et illius gratiae in Abramium), omnesque qui illum vicum habitabant, congregati essent, et ut est consentaneum in coetu multitudinis, sermones omni ex parte haberentur, res Abramii in medium adducebatur et omnium animi implebantur admiratione. Itaque cum prae stupore in magnam adducti essent dubitationem: Videtis, dicebant inter se invicem, qualia a nobis facta sunt adversus Abramium: ille autem quam benigne et clementer in nos se gerit, quamque fortiter ac generose tulit mala quae sunt illata? Omnino nisi esset vere Deus aliquis aeternus et immortalis qui potest pro laborum meritis reddere remunerationes, non ostendisset tantam pro ipso tolerantiam. Porro autem deorum nostrorum imagines videtis quam facile et citra ullum laborem evertit, neque ullus ex iis diis potuit a se propulsare injuriam?

§ **12**. Haec illi quidem inter se dicebant: Deus autem verbis finem imposuit convenientem. Ii enim protinus incitati animis, dixerunt: Adeste omnes, ad hujus boni viri genua procidamus, consentientes Deo qui ab ipso praedicatur. Quae simulatque dixissent, concurrunt protinus ad templum, tamquam unâ linguâ et animâ clamantes: Gloria tibi Deo coeli, qui misisti servum tuum Abramium, ut nos a simulacrorum liberaret caligine. Quod quidem cum ille beatus vidisset praeter omnem spem, ineffabili in corde repletus laetitiâ, repente tempus quoque arripit: et, O patres in Domino et filii et fratres, inquit, adeste et Deo simul reddamus gloriam qui tam admirabiliter et arcane illuminavit vestros animae oculos: et accipite signaculum spiritus. Accedite ad ipsum et illuminemini: et vestri vultus pudore nequaquam afficientur. His verbis conjungit etiam doctrinam veritatis. Et cum quomodo credere oporteat, verbis esset persecutus, eos in filiorum adoptionem adsciscit per baptismum, cum essent numero circa mille. Et deinceps erat multus in eis quotidie admonendis et docendis. Illi autem tamquam bona terra et pinguis et aquis

Digitized by Google

irrigua, reddiderunt fructus multiplicatos divinorum seminum. Atque annus quidem in his fuit consumptus ab Abramio.

§ **13**. Deinde timens, ne, dum in vici curis versaretur et tumultibus, sibi aliqua re indulgèret ex iis quae ad victum pertinent: cumque jam videret gregem perfectum et absolutum in divinis mandatis, statuit ad priorem reverti solitudinem. Cum noctu itaque surrexisset, dicebat: «Domine, qui es solus bonus qui solus es immemor acceptae injuriae qui hanc recens collectam multitudinem solvisti a vinculis adversarii, et per eam, quam in te habent, fidem tuo colligasti vinculo: conserva hunc parvum tuum gregem invictum ab insidiis daemonum, eos tanquam armis muni tua protectione et eum accinge forti tuâ potentiâ: te autem propitium ego quoque miser inveniam, quando judicium pones in spem et misericordiam tuam in trùtinis. Ad peccati rationem nihil mihi imputetur a tua benignitate hic meus recessus. Tu enim es occultorum cognitor et cordium examinator, et tu e longinquo cognovisti cogitationes meas quod propter te, et tui amorem suscepi hanc peregrinationem: et ecce me subduco ab iis omnibus quae ad victum pertinent, ne si ad aliquid horum, tanquam ad scopulum impegero, in medio mari curarum mundanarum subeam naufragium.» Atque sic quidem finem acceperunt ejus preces: et cum Dominico signo vicum muniisset et eum Deo commendasset, se clanculum pròripit ad secessum.

§ **14**. Mane ergo cum de more venissent vicani ad templum Dominicum, ut benedictionem Pastoris assequerentur, cumque eum ibi non invenissent, illos invasit confusio, moerorque et animi aegritudo. Eum igitur diligenter quaerunt, non parvam terrae partem obeuntes. Sed reversi vacuis manibus, cum calidis lacrymis accedunt ad Episcopum, et apud eum deflent, se esse privatos suo Pastore. Ille autem sauciatus paribus telis aegritudinis, eum quoque quaerit similiter. Postquam vero et ipse cognovit se ea facere quae erant inutilia (tuto enim propter quietis ac silentii cupiditatem latebat Abramius), tunc, sui cleri acceptâ parte aliquâ, cum venisset ad vicum, primum quidem illorum animos satis consolatur qui aegreferebant Pastoris absentiam. Deinde cum eos elegisset qui erant virtute insigniores: et alios quidem Presbyteros, alios autem Diaconos constituisset, et alios cooptasset in alios sacros gradus: et iis veluti quamdam tradidisset regulam et formam glorificationis quae fit in ecclesia, et eis precatus esset vitam pacatam et a molestia liberam, recèdit. Quae quidem nee divinum quidem latuerunt Abramium. Sed ipse quoque, cum in eo, in quo latebat, loco haec per spiritum cognovisset, ab illius vici curis animum liberavit. Nam etsi trahebatur amore solitudinis, curis tamen gregis rursus erat vinctus vinculis insolubilibus.

§ **15**. Cum ergo quod ad haec attinebat, quieto esset animo,

Digitized by Google

et Deo, ut par erat, egisset gratias, rursus revertitur ad vetus illud habitaculum. Et cum ei contiguam aedificasset domunculam et obstruxisset aditum, priori se tradit solitudini. Quaenam autem sunt deinde consecuta et quosnam ei tendit laqueos qui rebus ejusmodi invidet inimicus, non est praetermittendum. Erat quidem nox media, cum consuetas preces funderet Abramius: Praeses autem tenebrarum, susceptâ personâ luminis et eam ipsam lucem esse simulans, ad eum emittit vocem, tanquam ex magna multitudine, dicentem: Beatus es senex Abrami, vere es beatus: et nemo in rebus divinis fuit tam perfectus, sicut tu. Ille autem cum rem minime ignoraret, sed eum illum esse cognosceret qui decepit primum hominem, ei suggerendo quod futurus esset Deo similis et sciret hanc lucem esse veluti quandam escam vanae gloriae: Compescere, dixit: te increpat Christus Deus. o maligne. A me cito recède: absit enim, ut me aliquid aliud esse putem nisi terram et cinerem. Haec dixit et in fumum statim fuit dissoluta phantasia luminis et manifestus fuit actus simulatus et scena abjecit personam. Sic ergo pudore affectus, eum contraria ratione aggreditur: sicut illic per adulationem, ita hic per timorem eum conans supplantare.

§ **16**. Non multum enim intercessit temporis, et rursus ab eo cernitur manu tenens secùrim: et videbatur quidem mediam tecti trabem dissecare, graviter autem concutere et movere domunculam, et multitudinem in Abramium quasi magno quodam studio convocare, et ad summam eum graviter perturbare. Ille autem hic quoque rursus idem erat, hostem minime ignorans. Visione itaque nihil territus, Omnes gentes me circumdederunt, sensim apud se dicebat, et in nomine Domini ultus sum eos. Talibus adversus inimicum carminibus Abramius, talibus armis est usus. Quid ille ergo? In eum rursus bellum gerit postea, ut qui vehementi igne videretur comburere stoream. Ille autem nihil affectus ea visione, interrito vultu, eum invasit, dicens: *Super aspidem et basiliscum* ingredieris, *et conculcabis leonem et draconem (Psal.* 90). Deinde venit tempus comedendi: et ille quidem solam sibi aquam apponit: malignus autem mutatus in adolescentem, manu tangit poculum, illud conans evertere. Divinus autem Abramius nihil perterritus, constanti vultu aquam accepit. Vide autem mihi maligni impudentiam. Saepe repulsus, ne sic quidem recedebat, sed rursus in unum ex iis qui sancto ministrabant, veste et formâ seipsum mutans, cum sanctus tunc comederet, lucernam ei apponebat. Deinde etiam videbatur talia canere: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini* (*Psal.* 118). Hic autem vere beatus, erat plane surdus, ut qui aures ad haec obstrueret, donec sumpsit illud modicum cibi. Post hanc autem parvam corporis curationem, crucis signo munitus: « Si beatos, inquit, nosti eos qui diligunt Dominum, cur non

Digitized by Google

cessas assidue eis exhibere molestiam?» Ille autem respondens, vel invitus suam confitetur malitiam, et dicit: « Quoniam eos bonum exercere video, nec possum pati id videre. » Haec cum dixisset, statim abiit.

§ **17**. Nondum autem quinque dies intercesserant, cum denuo eum aggreditur hic saevus hostis cum maligna quae erat circa ipsum, catervâ, et consuetis suis machinis et importunitate. Videbantur autem funibus domunculam omni ex parte comprehendisse, et totis manibus eum trahere, et se invicem adhortari, ut fieri solet in multitudine: Videte, dicentes, ut eum de propinquo projiciamus praecipitio. Ille autem (O interritum animum, O generosum spiritum) ne sic quidem pertimuit importunum inventum: sed dicebat, Circumdederunt me, sicut apes favum: et exarserunt sicut ignis in spinis: et in nomine Domini ultus sum eos. Haec ille quidem apud se dicebat. Illi autem cum magno fugati sunt timore, tanquam egregii alicujus Imperatoris, ne minas quidem solas sustinentes. Atque sic quidem sacrosanctus Abramius qui ad spiritalis philosophiae tantam ascenderat altitudinem.

§ **18**. Porro autem in iis quae de illo narrantur, haec quoque addere oportet: quae quod attinet ad admirationem, nulli cedunt ex prioribus quod scilicet non solum laetum radium semper e vultu emitteret, etsi non esset robusto corpore, immo a magna abstinentia videretur consumptus, et liquefactus: sed etiam quod tempore ultimae migrationis et resolutionis, is rubor, quem habuit in juventute, suam non ignoraret naturam, cum adhuc vigeret, et floridus in genis insideret: et quod est his longe pulchrius, panni, quibus erat indutus, toto illo tempore, quo se exercuit (in exercitatione autem vixit Abramius quinquaginta annos) non cesserunt prolixitati temporis, nec effluxerunt, sed perpetuo floridi ac recentes tegebant sancti corpus. Nunc autem tempus est transeundi ad admirabilem illam narrationem quae ejus ex Deo zeli, et apostolicorum viscerum, et bonae affectionis est maxime insigne. Id autem principio quidem tristitiâ et dolore afficiet auditores: postremo autem multa voluptate, et animi tranquillitate animas implebit: et persuadebit ne despèrent homines, etiamsi ad summam deducti fuerint improbitatem. Ita autem habet:

§ **19**. Mortuus est Abramii secundum carnem frater: mortuus est autem, unica relicta filiâ. Ea vero erat plane infans, et ambobus parentibus orba: mater enim jam ante erat mortua. Illam ergo accipientes qui ad ipsam attinebant, jam septimum annum agentem ducunt ad patruum, nempe ad divinum Abramium. Qui et fratris jacturam consolans, et misertus puellae tenerae aetatis et orbitatis, supinis eam accipit manibus: et ei attribuit domunculam quae erat extra cellam: eamque decaetero prospiciebat ex fenestra: et eam sacras docebat literas, optimamque

Digitized by Google

viam ei indicabat: necnon confirmabat et excitabat ad certamina spiritalia: ac in summa, puellae erat veluti quaedam aquila quae pullum alis sustinet, allevatque, et portat, et cum eo scindit aërem: sicque eam docebat volare ad virtutis altitudinem. Illa autem, etsi esset aetate tenera et immatura, ad haec tamen incrementum accipiebat, et majorem, quam licebat pro aetate, ostendebat virtutem. Propter quae toto corde et visceribus exultabat Abramius, non secus, atque pater propter suam filiam: et rogabat, ut sine offensione posset cursum perficere exercitationis. Laetabatur autem omnino, quod in ea aetate tantum valeret in rebus spiritalibus, et in eis esset adeo studiosa et diligens.

§ **20**. Cum ea autem esset ejusmodi, et in tanta haberetur admiratione, ubi processit aetate, et jam pervenit ad annum vicesimum, vir quidam habitu quidem monachus, mente autem perditus et sceleratus, lege amicitiae accedens ad beatum, cum eam aspexisset oculis impudicis, turpem quoque ei injicit amorem cum eo congrediendi. Erat autem hoc omnino ars et astus maligni, ut tantam virtutem efficeret ludibrium obscoenae libidinis, et sacrosanctam Abramii animam superaret per maximam animi aegritudinem et calamitatem. Ab impudico ergo amore coacta virgo, seipsam edùcit extra domunculam, et cum scelerato illo et execrando congressa, acri expletâ cupiditate protinus fuit animo saucia: et, propter ea quae admiserat, vehementer compuncta, seipsam deflebat, valde miserabiliter clamans: Hei mihi miserae, hei mihi quae Dei templum violavi, quae pollui illam regiam imaginem, quae inquinavi figmentum ejus manuum. Hei mihi miserae, hei omnium infelicissimae foeminarum quod violavi pactum cum Deo conventum, quod omne praeteritum tempus exercitationis brevissima vendidi voluptate. Hei mihi quod omnia quae a me antea fuerant aedificata, inania evaserunt et irrita. Quibus oculis ego coelum intuebor, cum eos habeam caecutientes impudicis aspectibus? Quanam linguâ Deum precabor, vel quaenam labra movebo ad supplicationem, cum ea feram inquinata libidinosis et verbis et osculis? Quomodo autem patruum alloquar quae transgressa sum illius mandata quae non servavi ei facta promissa quae sum improba, scelerata et execranda, corporeque pollùta et animo? Hei mihi, quid de me fiet? Quo me vertam? Cur sum adhuc superstes? Utinam mors ad me venisset ante libidinem. Utinam prius rapta fuissem ex corpore, ut mortis donum haberem puritatem corporis. Nunc autem quinam fontes lacrymarum mihi poterunt tantas sordes abluere? Despèrans ergo suam salutem, aufùgit in civitatem quamdam Aesum nomine quae àberat duorum dierum itinere: et diversans in quodam diversorio, cum mutasset habitum, et vestem sumpsisset secularem, erat cuivis volenti prompta ministra iniquae voluptatis.

§ **21**. Cum illa ergo sic se haberet, et sic esset proposita ad

lascivos illiciendos oculos, Abramio quiescenti in interiore cella existit tale somnium: Videbatur ei draco ingentis magnitudinis, et aspectu horribilis, a sua caverna prorepsisse, et veniens ad ejus domunculam quae intus erat, columbam devorasse: deinde rursus suam repetiisse speluncam. Ille ergo excitatus prae timore, tristi animo erat, et conturbato: et suspicans illam visionem significare persecutionem aliquam adversus Ecclesiam, decaetero erat vehementius intentus orationi, rogans, ut ei aperte revelaretur visio. Non diu autem tardavit eventus: sed tertio die postea videbatur rursus videre illum draconem emersisse ex eo loco, quem subierat: et cum ad eum prorepsisset, et ejus pedibus caput submisisset, illum quidem protinus esse disruptum: columbam autem, quam fuisse ab eo devoratam praecedens ostenderat somnium. totam puram et immaculatam e medio ejus ventre evolasse. Haec cum vidisset, et existimasset visionem significare aliquem lapsum animae fratris sui, conturbatus, et animi aegritudine affectus, prospiciens e fenestra: Maria, Maria mea, inquit, quid est o filia, quod tibi tantam attulit socordiam, ut totos hos duos dies non mòveris os ad laudes, non reddideris consuetas glorificationes, non petieris doctrinam, non eloquiorum illorum auditionem quae fuerunt melle et favo ori tuo dulciora?

§ 22. Cum haec dixisset fratris filiae, et nihil ab ea audivisset (Quomodo enim, cum illa in diversorio versaretur in amoribus et comessationibus?), aperte cognovit visionem de ea significare: et protinus gravissimo dolore affectus, et in visceribus supra modum cruciatus, suspirio veluti quodam fumo ex interna flamma emisso, Deum rogabat, ut ea resipisceret et exurgeret, et rediret ad priorem probae vitae institutionem *. Nam etsi tunc ignorabat, quomodo abscessisset, et locum, in quo Maria versabatur: quod tamen latenter recessisset, et propter visionem illam quae apparuerat, non bonam spem de ea conceperat. Duos itaque annos Deum pro ea rogavit. Somnii enim duplex visio, biennium temporis significabat. Circa finem autem secundi anni revertitur quidam amicus qui ad eam quaerendam fuerat ab ipso missus, ubinam versaretur fratris filia et apud quem et quomodo, omnia aperte significans Abramio. Ille vero statim nihil cunctatus, sed multum valere jubens et senium et exercitationem et silentium, monasticumque habitum et incessum, ut liberaret animam a laqueis diaboli, cum vestem induisset militarem et in sinum nummum unum immisisset (tantum enim erat ei opus), et equum conduxisset et eum quamprimum conscendisset, ipse quoque instar primi Abrahae, viam iniit quae ducebat ad diversorium. Nam ille quidem expeditione suscepta adversus quinque reges, Lot fratris filium servavit a captivitate. Hic autem, cum in certamen processisset contra adversarium, et

* Nota Abramii industrem zelum ut neptem a turpi abstrahat vitae licentia.

Digitized by Google

eum vi expugnasset, reduxit sui fratris filiam ad priorem virtutis exercitationem.

§ 23. Cum pervenisset itaque ad diversorium, non secus ac venator peritus huc et illuc observabat, sicubi posset praedam parumper aspicere. Verum tempus ab eo terebatur, et eam quam quaerebat, non poterat aspicere. Illa enim pudicos tantum vitabat oculos, quantum contra accurrebat ad lascivos et impudicos. Cum ergo sic eam non posset intuèri, excogitat rem quamdam quae vel sola potest ostendere magnum illius zelum et quemadmodum, ut servaret animam, a nulla re omnino abstinebat. Amatoris quidem simulat et habitum et mores, qui eo pervenerat, ut esset, sicut angeli, prope expers materiae: et fingit se amare amore carnali. Itaque sensim accedens ad dominum diversorii: « Audio, inquit, apud te esse puellam insigni pulchritudine quae praeest diversorio et volentes admittit amatores. Illius igitur ego quoque captus amore, huc accessi. » Praefectus autem diversorii intuens ad canos Abramii, rem vero ignorans et nesciens quidnam sibi volens se amare simularet, animo quidem eum abominabatur et eum magnae damnabat impudicitiae et intemperantiae, quod nec in tanta quidem senectute et canitie sustineret esse temperans, sed ejus mores adeo discreparent ab aetate. Ne autem privaretur mercede quam propter puellam erat habiturus, visum est illi senem provocare et incitare, atque ad majorem accendere libidinem, dicens esse quidem puellam elegantem et pulchram et aliis foeminis tantum praestantiorem, quantum est rosa laetior caeteris floribus: nomen autem ei esse Mariam.

§ 24. Haec cum dixisset dominus diversorii, audito nomine, Abramius aperte cognovit hanc esse illam, neque dubitabat amplius. Manu igitur in sinum immissa et nummo soluto domino diversorii, jubet parari coenam et introduci puellam. Coenâ itaque opìpare paratâ, diversorii dominus ad eam educit puellam quae valde erat delicata, mollis et dissoluta. Quam cum vidisset sic meretrice ornatam Abramius, corde medio sauciatur: et conabatur quidem cohibere lacrymas, ne actum prodentes, puellam effugarent, earum tamen minime poterat sistere fluxionem, victus a doloris necessitate, unde etiam guttatim lacrymabatur, in alteram partem convertens faciem et a genis repellens lacrymas. Ut autem hujus rei omnem auferret suspicionem, amatoriis apud eam verbis utebatur, annuebatque et suaviter arridebat, et alia omnia faciebat quae possunt provocare et ad amorem accendere. Illa autem vicissim Abramio offerebat osculum et arcte collum ejus amplectebatur. Interim vero cum sensim redolentem castorum et exercitationi deditorum membrorum fragrantiam sensisset, et vitae prioris esset recordata et boni castitatis, et a quantis bonis excidisset misera, valde lacrymabatur et ingemiscebat, et, «Vae mihi miserae, dicebat, vae mihi quae sum implicata

tot funibus peccatorum. Hei mihi quid agam? Quomodo me nunc terra non dèvorat?» Propter quae in magnam adductus dubitationem dominus diversorii, ut qui nihil sciret eorum quae praecesserant «Maria Domina mea, dicebat, hoc totum biennii tempus jam tecum degens, nunquam te vidi ad tantam adductam tristitiam et animi aegritudinem. Prae dubitationem itaque deficio et contremisco, cogitans, undenam et quonam modo haec dicere tibi venerit in mentem.» Illa autem, tamquam ei causam significans: «Utinam, inquit, duobus annis ante decessissem. Sic enim fuissem omnino inter beatas.»

§ **25**. Propter haec vèritus divinus Abramius, ne ipse evaderet manifestus, deinde aufugeret filia ejus fratris, ut quam magna illa mordèret poenitentiam et quae non amplius ferret eum intueri, cujus praecepta tam aperte contempsisset: et sic aufugeret praeda ex mediis ejus manibus, priusquam totam escam devoraret et propterea volens omnem auferre suspicionem, petulantiores mores amatoris suscipiens: «Rèprime, dicebat, o mulier, haec tristitiae verba. Non enim ideo huc convenimus, ut recordareris eorum quae fecisti.» Et conversus ad dominum diversorii: «Amice, inquit, affer nobis cito quae parasti, ut ambo collaetemur:» e longinquo enim; ut vides, accessi propter ipsam. Laute itaque exhibito convivio, qui totos quinquaginta annos ne sustinuerat quidem aspicere mulierem et nec panem quidem, nec aquam, quae sunt maxime necessaria, sumpserat ad satietatem: vinum bibit et vescitur carnibus, et convivatur cum meretrice. Nam beatum quoque sciebat Paulum, ad quem ipse intuebatur, et cujus viscerum et zeli contendebat esse imitator, se aliquando purificasse et caput etiam rasisse, Timotheum etiam circumcidisse, et ita ne Judaismo quidem pepercisse, ut infideles animas attraheret ad pietatem.

§ **26**. Cum sic ergo essent convivati, se invicem manu accipientes, in intimam ingrediuntur domunculam. In ea autem stabat quidam lectus, molliter stratus ad quietem, in quo cum molliter sedisset Abramius qui semper terrâ usus erat pro strato «Sine, inquit puella, ut tibi solvam calceos.» Ille autem jubet prius: vectem obdi foribus. Cumque illa instaret vehementius, ut prius solveret calceos, beatus Abramius non sustinuit. Tandem ergo persuasa, cum ostium tuto clausisset, ad sanctum accessit. Postquam vero eam per manum cepit Abramius, et vidit eam non posse amplius effugere et jam praedam esse retibus irretìtam, tunc amatoris personam depònens, et abjiciens omnem scenam et simulationem, qui intrinsecus latebat, aperit Abramium: et ablato pileo quem habebat in capite et graviter suspirans: «Cor meum, inquit, Maria, nescis quisnam ego sim? Non agnoscis cognatum? Quid est, anima mea, quod tibi accidit? Quis est, qui te traxit ad interitum? Ubi nunc est ille angelicus habitus

virginitatis? Ubi est vita cruci affixa? Ubi est lacryma compunctionis? Quomodo tantarum virtutum altitudine descendisti ad ultimum barathrum deceptionis? Cur mihi non statim significasti atrocem illam pugnam inimici? Cur non de gravi illo lapsu e vestigio triumphasti? Omnino ego et charissimus Ephraem lacrymis et precibus pro te apud Deum intercessissemus. Cur te tantum elongasti a nobis et cur a te *oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde* (*Ps.* 30)? Cur te adeo cepit desperatio, quae est maligni hamus inevitabilis, ut nec tibi quidem peperceris deinceps, sed inverecunde feceris ea quae sunt turpissima et inimici plagis tuas adjeceris: cum oportèret potius exurgere, et propter ea quae admiseras, magnam ostendere poenitentiam? Non nosti Dei in nos viscera, et quemadmodum nostri curam gerit magis quam mater, ut qui nos velit congregare (idque cum saepe a nobis contemnatur, et despiciatur) non secus ac gallina pullos suos sub alis? Propterea ergo rogo te, ini viam quae ducit ad meliora. Rogo, inquam, per meos canos, per labores propter te susceptos et illas intolerabiles animi aegritudines, et hunc moerorem et confusionem, redi ad priorem vivendi rationem. Concede mihi, ut paululum respirem, et ne cum dolore meam senectutem transmittas ad inferos.»

§ **27**. Haec filiae fratris dicens Abramius, videbatur surdo canere. Deorsum enim in terram inclinatâ facie et prae magno illo pudore ejus voce repressâ, stabat terram intuens: ex quibus significabatur angor et animi perturbatio. Quamobrem ille eam sic confusam recreans, cum magna lenitate et moderatione: «Cur, inquit, o filia, tu mihi non respondes? Nescis propter te tantum iter esse ingressum? Nescis me propter te et propter tuam salutem haec omnia simulasse, vestem militarem, amorem, esum carnium, quem scis nihil aliud nosse, praeter cellam et silentium? Non est ullum peccatum humanum *, pro quo desperare oporteat. Nullum est animae vulnus adeo immedicabile quod non curetur, ustum pulchro igne poenitentiae. Super me sit tua iniquitas, o filia. Ego pro te Christo reddam rationem. Solum veni mecum, et ad solitudinis revertamur habitaculum.» Ad haec illa vix humile quippiam et triste et veluti aegritudine animi emortuum submisse loquitur: «Cum ad te et vultum tuum ne oculos quidem habeam qui possint intuèri, o venerande pater, ut qui sint tecti propter tantum pudorem, quomodo potero ad Deum accedere, a maligno graviter animo sauciata et scatens tam multis peccatorum ulceribus?» Ille autem verba ejus excipiens: «Super me, inquit, o filia, sit iniquitas tua, et onus collo meo erunt tuae actiones: solum revertamur ad priores nostras habitationes. Ecce enim dilectissimus quoque Ephraem, pudore propter te afficitur et animi aegritudine. Concede ergo nobis, ut respiremus et ab

* Sperandae criminum per poenitentiam veniae argumenta.

Digitized by Google

hoc gravi propter te liberemur moerore.» His puella valde animo contrita, cadit ipsa quoque, non secus ac meretrix illa, ad pedes praeceptoris, acerbe deflens et eos irrigans fluviis lacrymarum.

§ **28**. Cum ii ergo ita se haberent, et ille quidem apud eam uteretur admonitionibus et in bonam terram sic seminaret: illa autem lacrymis quodammodo irrigaret semina, ut fructus cito proferrent et hinc poenitentiam ostenderet et contritionem, nox jam deducta erat ad matutinum: et ipse quidem fratris filiam jubebat sequi ad montem. Cum illa rogasset autem, quidnam de vestibus et auro et argento et stragulis vestibus deinceps faceret (erat enim splendide et sumptuose ornata), ut convenienter divino praecepto omnia relinquat, divinus admonet Abramius et eum solum sequatur et contendat ad veras illas vitae futurae divitias. Eâ ergo acceptâ, egreditur clam e diversorio: et cum ipsam equo imposuisset, ille praecedebat pedes, equum manu trahens. Cum autem fuissent in monte, mutant ordinem domuncularum: et eam quidem quae erat exterius, ipse statuit habitare: filiae autem fratris tribuit interiorem. In qua cum se coërcuisset et fores occlusisset domunculae, illic fuit perpetuo, precibus, jejuniis et lacrymis delens labes peccatorum animae. Etenim ut quae nuper resipuisset a vitiis corporis, sic ea semper habebat prae oculis inferne versantia animam et admodum acerbe pungentia conscientiam, etsi Deus saepe ei ostenderet peccatorum remissionem, nec hoc solum, sed etiam eam tanta impertiret fiduciâ, ut et assidue miracula et a morbis et vitiis liberationes per eam ostenderet. Propter quae corde laetabatur Abramius et Deo agebat gratias quod spe minime esset frustratus, sed susceptorum propter ipsam laborum fructus ferret suavissimos.

§ **29**. Atque ille quidem cum ad profundam pervenisset senectutem, e vita excedit et ad aeterna transit tabernacula, ad efferendum corpus magna undique confluente multitudine, atque ejus pannorum et ciliciorum parum quid attrahere unoquoque contendente, ad cujusvis boni thesaurum, ad mala omnia propulsanda. Quinto autem anno post illius mortem, moritur etiam fratris filia. Quae cum animam desiderato Domino tradidisset et jam esset mortua, in sepultura, in ejus vultu suavissima quaedam florebat gratia: et illinc quidam micabat radius, apertum signum ejus animae splendoris: In Christo Jesu Domino nostro.

Digitized by Google

VITA S. HERIBERTI ARCHIEP. COLONIENSIS

AUCTORE RUPERTO ABBATE TUITIENSI *

Floruit ineunte Saec. XI. — Nat. Germanus.

§ 1. Anno ab incarnatione Domini nongentesimo nonagesimo, Romanorum regente imperium Ottone tertio, insigni metropoli Germaniae Coloniae Agrippinae pontifex a Deo datus est sanctus Heribertus, vixitque in eadem sede laudabiliter annos vigintitres, menses duos, dies ferme vigintiduos. Huic donum gratiae, in ipso ejus ortu praesignare dignatus est Deus. Namque cum noctu materno funderetur ex utero, lux immensa caelitus in loco effulsit; pater ejusdem infantuli et cum eo quidam ex amicis, Judaeus tamen, qui tunc venerat ad eum pro consuetudine colloquii, sive negotii familiaris, dormientes horâ ipsa qua in lucem prodibat, unum idemque vident somnium: et evigilantes, continuo loquebantur ad altèrutrum, quasi proprium singuli narraturi visum, quippe qui nescirent commune fuisse. Narravit prior Judaeus et deinde ipse paterfamilias idipsum, et non aliud se vidisse, vehementer admirans testatus est. Erat autem hujuscemodi somnium: Cubiculum in quo mulier decumbere pròximaque partui non ignorabatur, a fronte aperiri, admissumque jubar infulsisse velut solis meridiani. Porro vigilantes eàdem hora circa parturientem de more aderant sexus illius personae sèdulae et ipsae corporalibus, ut jam dictum est, oculis viderunt miraculum caelitus infusae claritatis. Adhuc enim loquebantur illi somnium quod viderant, miraculum et felicitatem partus non vanis praesagiendo conjecturis: cum ecce una ex illis gaudio et pavore simul attonita, bonum patri nunciavit nuncium, videlicet elegantis filii exortum et in ortu ejusdem editum mirae suavitatis et circumfusae magnae lucis divinum miraculum. Hoc igitur quis dubitet conferendae illi gratiae fuisse signum, significans quod copiosius illuminaret illum lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?

§ 2. Tali, ut dictum est, cum praesagio puer hic, beatae praedestinationis filius, in Wormatia Galliarum urbe (*a*) ortus est. Porro illuc, scilicet in Gallicum Wormatiae territorium, genus ejus maternum de fonte Alemannico casibus adversis derivatum fuerat. Siquidem avia ejus materna nomine Emma, Regimboldi nobilissimi Alemannorum comitis filia extitit, et ab Hunnis depraedantibus e castro patris cum duabus sororibus

* Immodica et commentitia Scriptoris fuit hic compescenda verbositas.

(*a*) Veterum Vangionum urbs, vulgo *Worms*, ad Rhenum, Spiram inter est ac Moguntiam notissima.

Digitized by Google

extracta, atque in praedictae urbis territorio captiva violenter abducta est. Quam vir quidam nobilis ut vidit, protinus instinctu Dei, sine quo nec passer unus in terram cadit, formam captivae liberalem miseratus est, eamque redemit. Quid multa? Providente Deo, ut radix servaretur, de qua nasciturus esset fructus, qui permaneret in acquisitione salutis, pater ejus puellae, dum forte pergeret ad curiam Imperatoris, in domo ejusdem viri nobilis hospitium habuit. Illic inter multa colloquia filiam recognovit, gratulatus est, eamque viro, qui redemerat, postulanti conjugem, cum dote multa tràdidit. Ex illis nata nuptiis sancti hujus mater est. Hoc idcirco non praeterire libuit, quia nonnihil spectat ad laudem et gloriam Dei, quod amaritudo illa tantis superata est benedictionibus dulcedinis, ut redempta captivitas, talem tantumque partu ederet civem coeli.

§ **3**. Igitur prospiciente proposito Dei, qui et ante tempora sanctos omnes in suo quemque tempore vocavit, vocatus est Heribertus, non solum, ut per baptismi gratiam justificaretur, verum etiam ut honore pontificalis gratiae magnificaretur. Hujus nimirum magnificentiae praeparatio in eo extitit, quod in eadem ecclesia Wormatiensi studiis liberalibus traditus est. Tanta quippe facilitate divinae pariter et humanae philosophiae fluenta potavit, ut dubitandum non esset, eum intrinsecus doctorem habere Spiritum Dei: maxime quia cum spiritu scientiae clarescebat in eo spiritus pietatis et timoris Domini, a quo sanctus omnis ad sapientiam ascendere incipit, sicut scriptum est: *Initium sapientiae timor Domini*. Hoc perpendens vir venerabilis Hildebaldus, qui tempore illo pontifex erat ejusdem Ecclesiae, et prudentem adolescentem cognoscens ex studiis ipsius, sicut Scriptura dicit: *Ex studiis suis cognoscitur puer, utrum munda sint opera ejus* (*Prov*. xx), gaudebat in eo, spe bona rèputans, quod homo hic utilis foret Ecclesiae. Itaque in ea, cui praeerat, sede jam paratum sibi a Deo sperans successorem, bene agentem condigna laude confortare studebat. Denique defuncto tunc temporis ejusdem Ecclesiae praeposito, protinus hunc subrogavit. At Deus, in alio firmamenti sui loco stellam istam figere, et super alterius ecclesiae candelabrum lucernam istam ponere disposuerat.

§ **4**. Proinde ut longius innotesceret, qui longius erat expetendus, Otto Romanorum Imperator tertius, de viro illustri, quis vel qualis esset audivit, et inclinante cor ejus Deo, sicut scriptum est: Cor regis in manu Dei: adeo viri probitas illi complacuit, ut eum suo lateri sociaret, primumque cancellarium sibi constitueret. A quo etiam persuasus hic beatus, jugum Domini, scilicet presbyterii honorem, alacriter suscepit, socio Brunone, qui postea Romani dignitate pontificii functus est. Attamen tunc idem Bruno, ut presbyter fieret, non cito acquievit, humiliter excusans veluti majorem suis meritis accipere gratiam. Sane

Digitized by Google

uterque laudabilis, et hic qui animo àlacri cito acquievit: et ille, qui primo stupefactus, rem arduam refugere tentavit. Nam et Centurio, qui dicenti sibi Domino: Ego veniam, et curabo puerum tuum jacentem in domo paralyticum: respondit dicens: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus* (*Matth.* VIII): statim ab eodem Domino secundum fidei suae humilitatem laudatus est: et Zachaeus, qui dicente illo, *Zachaee, festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere: statim festinans descendit, et excepit illum gaudens:* secundum charitatis suae laetitiam dignus judicatus est, cui diceret Dominus: *Quia salus hodie huic domui facta est* (*Lucae* XIX). Verum hic quoque, qui presbyteratus officium rogatus, cito, ut jam dictum est, subiit, adhuc excellentiorem pontificii gradum postmodum sibi oblatum suscipere humiliter recusavit. Defuncto namque paulo post Ecclesiae Wirzeburgensis Episcopo, optabat Imperator ut illi subrogaretur. Recusavit, ut jam dictum est, indignum se pròfitens, et in fratrem suum, nomine Henricum, tamquam seipso longe digniorem, mox eamdem transferri obtinuit electionem. Factumque est, et frater ejus ecclesiae jam dictae praesèdit: ipse autem in humilitate et dilectione sua, praefinito sibi a Deo, tempori et loco servatus est. Interea Romano Pontifice defuncto, jam dictus Bruno sedem sortitur Apostolicam, agnominatus Gregorius *, vixitque in ea annos ferme duos, et menses novem, undecimus supra Brunonem alterum, qui et nonus Leo dictus est.

§ 5. Non multo post Colonia metropolis vidua facta est, defuncto Evergèro ejusdem civitatis Archiepiscopo. Ecce autem dum eligere conantur successorem, sciderunt unanimitatem, clerusque et populus graviter dissentiebat ab invicem. Nam alium clerus, aliumque sua electione poscebat populus: et intantum processit partium diversarum conflictus, ut prope ad arma concurreretur. Itaque velut absente Jesu, navicula in medio mari jactabatur fluctibus. Sed laborantibus velocius succurrit ipse, et venit ad eos supra mare. Nam his, quem non probante populo clerus eligebat, videlicet Wezelinus, domus sancti Petri praepositus, repente silentium flagitans, per voluntatem Dei sic omnes alloquitur: «In causa ista, Patres et domini, non sua singuli, sed pariter ea quaerentes, quae Domini sunt, melius quoad possumus ineamus consilium. Nam praeesse vobis nec ipse cupio, nec alteri invideo: sed in hac re liber ab utroque, scilicet invidià et ambitione, alium vobis notum designo, qui dignus sit, videlicet illustrem Heribertum, valentem secundum Deum et secundum seculum, utpote Christo devotum, et Imperatori charum. Solvamus ergo litem, in hujus dignissimi concedendo electionem.» Vix ille

* Hujus nominis V, Othonis III Imp. nepos, anno electus DCCCCXCVI, primus Papa natione Germanus.

haec dixerat, raptimque ex ore ejus, Heribertum universa turba conclamabat. Una omnium vox, una voluntas, quos eàtenus discordantes, nunc miro modo in uno absente homine vinculum pacis alligabat. Ita Domino imperante, cessavit ventus et tranquillitas facta est. Nam quod naviculae Coloniensis Ecclesiae, dum illis discordiae fluctibus jactaretur, tam cito, ne ad arma perveniretur, subventum est, misericordiae divinitatis ascribi debet. Porro meritorum beati viri in hoc quoque evidens astipulatio est, quod oblato ad electionem nomine ipsius, animosa cleri et populi discordia quievit, et pax reddita est.

§ 6. Et quidem Beneventi ubi tunc Imperator commanebat, pontificalis ei honor datus est VII idus Junii: et exinde Romam profectus pallium ab Apostolicae Sedis Praesule accepit. Cum Coloniam accederet, jamque in vicino adesset, dignum memoriâ est, qualiter Apostolicae doctrinae recordatus est, qua dicitur: *Obsecro autem vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine* (*Ephes.* IV). Nam vere humilis et mansuetus, pallio missionis Apostolicae praemisso, ipse indutus linea, discalceatusque, lento pede secutus est, cum frigus hyemale pro tempore calceatis quoque permolestum esset. Attendebat etiam vocationem suam, quod non ad regna gentium, sed ad ministerium vocaretur sanctorum Christi discipulorum. Et quamvis ad insignem jam veniret suam civitatem Coloniam, tali schèmate confitebatur cum beatis patriarchis, quorum Apostolus meminit, quod peregrinus et hospes esset super terram, patriam se quaerere significans meliorem, id est, coelestem, et eam, quam paravit illis Deus, civitatem. Venit itaque duce Spiritu Sancto, spiritu humilitatis, cum animo contrito, non tamen absque sancto et spirituali gaudio, et ipsa nocte natalis Domini consecratus est inter Missarum solemnia, quae ex more celebrabantur paulo ante vel circa ortum diei. Venerant quippe ad hoc ipsum cum eo plures episcopi. Jam vero in illa consecratione ejus quis divinam ordinationem non miretur? Quis non vereatur hic altitudinem consilii divini, quo ita fieri complacuit? Denique totum illud officium matutinum sanctis pastoribus ovium Christi Spiritus Sanctus composuit, quorum nimirum mysticum exemplar pastores illi fuerunt, qui nocte illa vigilantes et custodientes vigilias noctis supra gregem suum, circumfulgente se claritate Dei, nuncium bonum, gaudium magnum nati Salvatoris, quod ad sanctis angelis primi audierant, videre meruerunt, sicut sanctum ejusdem Missae narrat evangelium.

§ 7. Sed quis unquam sanctorum aedificatus in monte virtutum, verboque et exemplo lucens ad aedificationem videntium et audientium, nullam ab ingratis et invidis passus est tribulationem? Quis inter supernarum gaudia gratiarum propriam non habuit mensuram ejusmodi lacrymarum, quas

Digitized by Google

faciunt filiis lucis habitatores Cedar, id est, tenebrarum? Nam hoc est quod in Psalmo gementes singuli dicunt: *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis impugnabant me gratis* (*Ps.* 119). Et quamvis tribulentur, non tamen permittuntur tribulari sine mensura, id est, supra id, quod sustinere possunt. Item ipsi dicunt: *Domine, Deus virtutum, cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura (Ps.* 79). Oportebat igitur et hunc sanctum, cujus anima, regis Dei civitas supra montem posita, qui lucerna erat super insignis ecclesiae candelabrum constituta: oportebat, inquam, et hunc pati adversa inter prospera virtutum, quibus intus proficiendo ardebat, et inter radios signorum, quibus foris ad gloriam Dei lucebat, sicut protinus narrationis ordo monstraturus est. Quomodo autem vel qualem per occasionem adversitas in eo rèperit àditum? Videlicet per mortem Imperatoris saepedicti: cujus, dum adviveret, amicitia pro muro illi esse poterat contra adversarios, quos contra eum postmodum invidia suscitavit. Qui nimirum Imperator si, ut in caeteris, ita et in causa per quam mortem incurrit, consilium beati viri attendisset, multo melius sapientiae appropinquásset, et non poenituisset eum, quemadmodum ipsa sapientia dicit: *Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebis* (*Eccl.* XXXII), Quod quia non fecit, incidit in insidias mulieris malae, videlicet ejus, cujus virum Crescentium, sibi rebellantem, captum jusserat capitalem subire sententiam. Et ab illa non praecavens, quamvis a sancto viro saepius esset commonitus, venèno intra cubiculum dormiens infectus est. Obiit itaque Romae anno post ordinationem beati viri tertio. Ierat autem nunc quoque sanctus idem cum illo, utpote ad disponenda pernecessarius maxima regni negotia. Cui cum die sequenti confessus fuisset pestem quam perceperat, seque mori persentiret, id quoque supremum ab eo postulavit, quatenus corpus ejus Aquisgrani sepeliendum transferret. Hoc agere insistens vir fidelis, regalia quoque penes se habuit, et electioni non interfuit novi principis Henrici, tunc Bajoariorum Ducis: quem secundum seculi dignitatem locupletissimum, et literarum studiis non tenuiter instructum, principes regni regem sibi elegerunt. Haec fuit occasio, quam adversus illum rapere potuerunt adversarii. Et haec quidem regalia repetìta, cito reddidit: sed quia novi, ut jam dictum est, principis electioni non interfuit, extunc illi suspectus erat. Unde et idem rex obtrectatoribus sancti pronius aurem praebebat: denique impacato semper eum odio (*a*) persecutus est, donec a

(*a*) Simultates quidem extitere, non odium. Vir enim sanctus Henricus hic fuit, de quo agemus XV jul. Susurrones infensum in Heribertum, quasi dignitati suae detrahentem et ipsi adversum utpote aliarum partium studiosum Imperatorem reddere conabantur. Vide infra § 22.

Digitized by Google

Domino redargui meruit paulo ante obitum sancti, quod in suo loco praesens narratio non praeteribit. Nunc memorabilium ejus ad laudem Domini miracula percurramus.

§ 8. Subsecuta postmodum siccitas, peccata populorum vehementer arguebat, ut fere omnis herba praemortua, omnis ager exustus, non qualemcumque famem, sed famem mortiferam jamjamque minaretur. Denique cum siccitate pestilentia quoque saeviebat, multique moriebantur, multi adhuc aegra vix trahebant corpora. Erat ergo piissimo pontifici non parva vel qualiscumque solicitudo: sed et in solicitudine compatientis animi tribulatio, et in tribulatione jugis et lacrymosa oratio. Unde meruit et populum reconciliare Deo, sicut de sacerdote magno et digno quidam sapiens dixit: *Et in tempore iracundiae factus est reconciliatio* (*Eccli.* XLIV), et inter reconciliandum, glorioso glorificari miraculo. Indicto jejunio triduano, luctuosus ibat populus per urbem foecundam tot sanctorum, et ad singulorum patrocinia locorum fideliter atque suppliciter lacrymosas fundebat preces, quatenus ab imminentibus, jamjamque praesentibus malis eriperetur. Erat autem publicus cleri et populi, monachorum quoque atque sanctimonialium processus, et ex omni ordine utriusque sexus, linguâ quidem diversâ, sed una intentione et eodem sensu concrepando kyrie eleison, altitudo coeli pulsabatur. Inter omnes et prae omnibus moestus et supplex tristium filiorum spes et pater patriae procedebat Archiepiscopus, ita vulnerato corde tantisque cum gemitibus, ut miro modo consolatione sua dignum eum Deus judicaret.

§ 9. Cum igitur oratorium sancti Severini litania solemnis egressa, beati Pantaleonis adiret oratorium, ecce nivei candoris columba, videntibus multis, caput ejus circumvolitabat, eademque repente dispàrens, iterum visibilis comparebat. Videbant eam multi, sed non omnes: quia videlicet non terrena species, sed coelestis erat gratia, quam aliquibus videre donatum est. Ut autem ventum est ad locum, ubi jam dictus confessor Domini Severinus in transitu beati Martini voces angelorum psallentium audire meruit: vident èminus eamdem columbam caput beati viri tertio circumvolantem, quae et pròtinus in sublime elevata, coelos petiit, nec ultra comparuit. Verissime cum signo hujusmodi orantem pariter et gementem prae omnibus hunc designabat Spiritus Sancti gratia, et de isto quoque quodammodo idipsum dicebat, quod de alio quodam non ignoto, sed eximio propheta, dictum sacra narrat pagina: *Hic est fratrum amator et populi sui: hic est, qui multum orat pro populo et pro civitate ista* (2 *Mach.* XV). Nimirum et iste vir in populo suo mitissimus apparuit, secundum similitudinem columbae mitis et simplicis, sancto redundans spiritu pietatis: atque idcirco gemitus et oratio ejus perire non potuit. Nam ubi ad prandium

Digitized by Google

ventum est, cum ipse appositis cibis fere jejunaret, ita tamen more suo, et tunc maxime jejunium dissimularet: quibusdam ad ipsum respicientibus, et cum dolore loquentibus, quod ea die profusis tam multorum lacrymis necdum propitiato Domino coelum aperiretur, dignum memoriâ verbum respondit beatus vere mitis, vere mansuetus, « Vestri, inquit, o charissimi, pastoris est culpa, quod coelum dèsuper tam ferreum est, quod multitudo viscerum Domini et miserationum ejus continuerunt se super vos. Nisi enim Dominus meis irritatus esset sceleribus, qui inter ipsum et vos debebam stare medius: jam dirupisset coelum, et beneficium ejus descendisset, et stillasset super vos.» Haec eo dicente, pariter quasi quidam sanguis fluebant animae vulneratae ex oculis lacrymae: quas erumpentes, et cum impetu currentes coram multis volebat quidem, sed non poterat, continere. Lacrymis ergo victus, caput super mensam declinavit in manibus, et cum fortissimo spirituum Deo forti humilitate atque ardenti oratione luctabatur. Erat autem horâ eàdem tanta coeli serenitas, ut nulla in aëre nubes apparèret: cum ecce subito fragore magna pluviae vis inundando erùpit, ita ut prius imbrium crepitus audiretur, quam vir sanctus caput ab oratione sublevaret. Cuncti protinus circumsedentes, a mensa sese excusserunt, et prosilire conati sunt, ut in laudem Christi tantique ejus pontificis hymnis personarent, et signa ecclesiastica concrepare facerent. At ille vir providus et humilitatis suae custos vigilantissimus, terribiliter adjurando illos, hoc fieri vetuit, vixque obtinuit, ut interim quidem a semetipso qniescerent, Dei vero laudem ac gratias Christo agendas numquam tacerent. Nec vero insufficiens pluvia tunc extitit: sed ita uberrime terram irrigavit, ut jam praemortuas sègetum radices ad foecunditatem repararet.

§ **10**. Interea cum multis et magnis misericordiae operibus insisteret pauperum pater, viduarumque et orphanorum quotidianus provìsor, incumbebat animo ejus cura continua, servituris Deo monachis construere coenobium: quorum ordo videlicet profitetur, quia pauperes sunt, pauperes voluntarii, nihil in hoc mundo habendo proprium. Habuerat autem Imperatorem Ottonem, dum adviveret, hujusce rei monitorem. Denique cum novissima profectione Italiam ingrederetur rempublicam dispositurus, beatum virum habens in comitatu, cunctis prospere succedentibus, tractans cum viro Dei de salute animae suae, et quodammodo dicens: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi:* consilium hoc accepit, quatenus ob salutem suam coenobium construeret monachorum in honorem sanctae Dei Genitricis, omniumque Sanctorum. Hoc ìnito salubri consilio, necessaria protinus ab hanc rem praedia Christo delegavit, quae et beato viro in manum dedit, cum pollicitatione vel sponsione

Digitized by Google

hujusmodi, ut quoniam vita mortalium incerta est, si quem ex ipsis necessitas mortis praeoccuparet, alter quicumque superstes existeret, votum perficeret. Cum ergo beatus Heribertus propositum electo in loco construere optaret coenobium, et nusquam locum reperiret, quem aptum putaret satis et idoneum: convertens sese ad Dominum sanctamque ejus Genitricem in jejuniis et orationibus, postulabat sibi ipsius revelari voluntatem. Fecit hoc instanter, et non ante destitit, donec suis condignum meritis responsum coelitus accepit. Denique nocte quadam, dum post vigilias fatigata sopòri membra dedisset, ecce adest per visum illa beata angelorum et omnium Regina Sanctorum: quae stellato sedens solio, latum et amplum coelorum cum Filio suo possidens regnum, non parvipendebat etiam hoc parvum, quod sibi in terris fideli devotione offerebatur domicilium. Et assistens, « Scias, inquit, o Heriberte, exauditas esse orationes tuas: jam ecce venio ad te, ut indicem tibi, votum, quod mente geris, quo in loco perficias. Ego enim sum Maria Mater Domini. Surge ergo, et Divitense castrum petens (*Duitz*), locum in eodem mundari praecipe: ibique monasterium Deo, mihi et omnibus Sanctis constitue: ut ubi quondam abundavit peccatum et cultus daemonum, ibi justitia regnet in multitudine Sanctorum.» His dictis, misericordiae Mater disparuit, beato scilicet viro evigilante atque ita relabente a dulcedine tantae visionis. Erat autem in eodem castro sita chors, pertinens ad servitium episcopii. Surgens igitur, et gratias Deo corde et ore devotissime agens, confestim praedictae chortis ministerialem accersivit, jussitque quantocyus locum emundari, quoniam Regis coelorum et Genitricis ejus jam deberet curia fieri. Factumque est, et exportata rerum omnium quae multa erat, copiâ, citius quam sperari poterat, locus emundatus est. Quid multa? Jactis fundamentis, alacriter atque celeriter structura speciosa surrexit.

§ **11**. Operandi virtutes hic beatus a Spiritu Sancto, dividente singulis prout vult, gratiam habuit, sed gloriam semper fugit: quippe qui egregie custos humilitatis, nolebat, immo fugiebat justitiam suam ab hominibus videri. Denique talium maxime operum luce, sanctorum vita coram hominibus innotescit. Hujus rei clarum satis et èvidens indicium est quod cum gratiam hanc haberet, ut jam dictum est, numquam tamen precem ad Dominum fudisse reperitur pro cujuslibet operatione virtutis: sed nihilominus per eum nonnulla facta sunt miracula ejusmodi, nonnumquam invito, nonnumquam et nesciente ipso, sicut sequens sermo declarabit. Verumtamen in hac laudatione humilitatis hujus, nihil magnorum Sanctorum auctoritati vel gloriae derogavit qui opus hujus gratiae fusis persaepe precibus impetrasse leguntur. Omnia namque tempus habent, dicit Ecclesiastes. Denique sicut de generibus linguarum quae ab eodem spiritu dantur, dicit

Digitized by Google

Apostolus: Quia linguae in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus, ita et de operatione virtutum recte dicas quia virtutes ad testimonium sunt, non fidelibus, sed infidelibus: et ibi summopere sanctis optandae sunt, ubi ignorantiam veri Dei habens, ad fidem eruditur populus. Unde sanctum Elisaeum laudabiliter egisse animadvertimus qui dicente sibi Elia, *Pete quod vis, antequam tollar a te:* protinus petens, *Oro*, inquit, *ut fiat spiritus tuus duplex in me*. Videbat namque miserabilem Israël, sequentem fornicationem impiissimae Jèzabel, claudicare in duas partes, sequendo Baal idolum Jèzabel, et haesitando post Deum patrum suorum qui unus et verus Dominus Deus est: et non posse populum eumdem in suum restitui gradum, nisi per multarum operationem virtutum. Proinde rem difficilem quidem postulavit, attamen quia non suam, sed Dei gloriam et communem quaerebat populi salutem, factum est quod petivit et duplex spiritus Eliae super eum requievit. Duplum namque donum spiritus in operatione virtutum ille accepit. Nam si Scripturam consulas, et diligenter computes, Elias quidem octo, Elisaeus autem circiter sexdecim miracula operatus est. Igitur et illi laude digni sunt sancti qui per charitatem vel propter aedificationem infidelium, fusis ad Deum precibus, virtutes operati sunt: et hic atque caeteri jure honorandi sunt, quicumque propter humilitatis custodiam quodammodo fugere studuerunt datam sibi caelitus et ultro prosequentem, eamdem virtutum gratiam. Sed jam earumdem virtutum sancti hujus narrationem ingrediamur.

§ **12**. Die solemni hic sanctus Dei, sermonem de more faciebat ad populum. Erat autem dies ille Palmarum, quo videlicet die rex coelorum sanctam ingressus est civitatem Jerosolymam, sedens super pullum asinae: nimirum ob contemptum superbiae regum terrae, de qualibus Psalmista dicit: Hi in curribus et hi in equis: subjungens protinus, Nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus: in quo videlicet nomine tunc ille passurus advenit, clamantibus turbis: Benedictus qui venit in nomine Domini. Erat ergo sermo in ore ejus tempori et rei congruens, videlicet quomodo diabolus per seductionem primi hominis, atrium hujus mundi tanquam fortis armatus occupaverit et quomodo superveniens fortior filius Dei, per humilitatem crucis et passionis suae fortem illum vicerit, et universa ejus vasa, id est, nos homines ab eo, jure victoris, tulerit. Ecce autem in maxima turba audientium quidam aderat, ab eodem forti et tenebrarum principe corporaliter obsessus et ob hoc nexibus duris obstrictus. Jam antea per multa sanctorum loca fuerat deductus, ut meritis sanctorum liberaretur et non provenerat illi optata salus: quia videlicet liberatio ejus, beatissimi hujus meritis per Dei providentiam reservabatur.

§ **13**. Cum igitur sermo ejusmodi ab ore beati viri proflueret,

Digitized by Google

non sustinuit virtutem virtutis fortitudo inimici qui ad singula dicta, tanquam ad tòtidem verbera, vehementius ejulabat, dentibusque miserrimi hominis tanquam suis in semetipso stridebat, audiens illas, quibus a Christo victus narrabatur, historias. Itaque qui jam notus fuerat multis homo captivus, omnibus innotuit, dum clamoribus cunctorum silentia turbaret, atque ad audiendum Dei verbum intentam totius regionis multitudinem solus inquietaret. Ad clamores ejus maxime, vir ille misericors, totus intendit: et sermonem quem habebat in ore, pròsequi non praevalens, quoniam magnitudine compassionis occupabatur, orabat tacitâ mente, ut in uno manifestaretur homine virtus liberatoris qui totum mundum liberavit. Haec tacitus orans, iterum atque iterum de industria repetebat capitulum, victoris Christi gloriam et victi diaboli referens ruinam: ita ut mente excessisse videretur, unam eamdemque toties iterando sententiam, flens pariter, et uberibus, quod perpulchrum est, lacrymis perornans oris eloquentiam. Non ergo sustinuit, ut jam dictum est, ille hostis antiquus, sed virtute verbi omnipotentis coactus effùgit, liberumque quem diu possederat, hominem relìquit. Illo namque exturbato, is qui vinctus a multis tenebatur, placido sermone: «Obsecro, inquit, solvite me, ut ea quae beatus ille pontifex loquitur, possim et ego quietus audire.» Cum haec primo diceret, putabatur adhuc in illo nequam hostis fallere: sed loquebatur homo constantius, iterum atque iterum se liberatum asserens beati pontificis meritis et sana verba proferre. Solverunt ergo illum et stabat sana mente, cum audientibus reliqua sermonis intentius audiens. Testes atque miratores virtutis erga beatum virum tanti extiterunt, quanti illum sermocinantem tali in loco circumstabant, qui et diligenter attenderant ejus intuitum gestumque lacrymosum, cum nihil quidem labiis pro liberatione captivi diceret et tamen liberationem ejus tacitae orationis virtute perficeret.

§ **11**. Aliud sub eodem tempore actum est virtutum ejus indicium, in quo amplius splenduit desursum qui humilitatis studio apud se premebatur deorsum. Tres namque ex eis qui male habebant, ob meriti ejus testimonium caelica visio direxit ad illum, tanquam ad salutis medicum. Primus illorum, coenobii, supra jam memorati quod idem sanctus construxerat, Abbas nomine Volbertus extitit, vir venerabilis qui capitis oculorumque duro ac diùtino vexabatur incommodo. Huic unâ noctium divinitus per visum intimatum est, ut ex aqua qua sanctus Dei pontifex post Missarum celebrationem manus de more lavisset, caput sibimet oculosque perfundendo fovèret, indubitanter credens quod pròtinus sanitatem recepturus foret. Credidit ille, quippe qui prae multis aliis familiariter conscius erat vitae illius sanctissimae. Venit ergo, prius tamen ab eodem accersìtus, ut saepe

Digitized by Google

solebat accersiri et requìri de monasterii jam dicti necessariis rebus. Cumque ad celebranda Missarum solemnia pontifex de more pararetur, accèdens propius, ut erat familiaris, visum retulit, aquam de manibus jussu ejusdem sibi, ut praemonstratum fuerat, dari poposcit. At ille quasi vehementer commotus et quodammodo suae mansuetudinis oblitus, repulit a se hominem velut delirium et amentem qui nesciret aut non vidisset Rhenum pro foribus suis praeterfluentem, in quo non solum capite et oculis, sed et toto posset corpore, quantum vellet, mundari. Repulsus ille, perstitit non incredulus visioni, et a ministris ejusdem pontificis clam sibi quod petebat, reservari obtinuit: moxque ut caput et oculos ex aqua illa perfùdit, integram sanitatem recepit. Post hunc quaedam mulier quae multo tempore caeca fuerat, visum pene eundem vidit. Dictum namque illi est quodsi ex vino quo idem sanctus Dei post Dominici corporis et sanguinis communionem digitos de more lavisset, sibimet oculos intingeret, amissum protinus lumen reciperet. Credidit illa, dansque operam, ut ostensum posset remedium consequi, protinus ut oculos vino intinxit, lumen optatum recepit.

§ **15**. Alia deinde mulier, diu paralytica, per visum commonita est, quatenus beati viri benedictionem expeteret, confidens de virtute Christi quod per meritum beati pontificis infirmitate propulsa, confestim sanitas succederet. Illa nihil dubitans, virorum manibus sese deferri postulavit et secus viam collocari, qua transiturus esset vir Dei. Itaque illo praetereunte clamavit, benedictionem petens in nomine Domini. At ille paululum subsistens, cum ex praesentibus cognovisset quod paralytica esset et quod benedictionem postularet, stans èminus, elevata manu signum crucis edidit: statimque reddita sanitas dissoluta membra solidavit, et quae aliorum manibus devecta fuerat, surgens ad propria remeavit incolumis. Ita miro modo qui apud se latère volebat, magis ac magis ex Deo clarescebat et vox veritatis implebatur, dicentis: Non potest civitas abscondi supra montem posita: et nemo accendit lucernam et in abscondito ponit, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.

§ **16**. Aliquando quidam familiaris clericus et in ministerio quotidiano necessarius, valida febre correptus, gravissime vexabatur, ita ut pene a cunctis vita ejus desperaretur. Erat autem tunc sanctus pontifex cum Imperatore in profectione, et de Vangionum civitate cum illo Moguntiam proficiscebatur, habens clericum jam dictum secum in itinere, ut semper foris et intus obsequio ejusdem consuetudinaliter utebatur. Cum ergo febris illum iter agendo corripuisset et pene usque ad mortem fatigaret, patri, semper pium super afflictos habenti affectum, cum eodem pietatis affectu solicitudo quoque familiaris obsequii non parva pro tempore et re suborta est. Accessit ad lectulum,

Digitized by Google

suumque pronius visitavit infirmum, paterne percontans, si quid vellet, si quid saltem gustare praevaleret. Ille ut ardebat valido aestu febrium, nihil praeter aquam se posse professus est. Qua cum benedictione concessa, ipse de more solemnia Missarum ingressus est. Nihil quod audiretur foris, pro virtutis operatione, ut sibi aegroti concederetur salus, oravit, sicut jam superius dictum est, quia numquam pro hujusmodi signis aut virtutibus precem manifestam fudit. Orabat tamen, Deo quidem loquens, sed hominibus tacitus et maxime in ejusmodi causis evangelicum consilium observabat Domini, dicentis: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum, et clauso ostio ora Patrem tuum.* Clauso namque oris ostio, orabat pro talibus, ut cum provenisset virtutis effectus, ipse nihil egisse putaretur: atque ita justitia ejus non videretur ab hominibus. Quid multa? Peractis Missarum solemniis, dum suum rursus visitaret aegrotum, ille jam sine dubio meritis ejus de magnis febrium ignibus ac suspicionibus mortis instantis ereptus, adeo convaluerat, ut aviditatem quoque ciborum adeptus, rogaret sibi transmitti pulmentum de mensae ipsius apparatibus. Factum est, et exinde usque ad satietatem refectus, adeo de infirmitate convaluit, ut proxima die cum aliis proposito itinere Moguntiam praeiret et episcopalis obsequii munia ex integro, ut erat solitus, adimplèret.

§ **17**. Idem familiaris clericus, postmodum domus S. Petri praepositus, plurima de eodem patre magna et magnifica noverat et narrare consueverat. Quorum plèraque cum ob brevitatis studium praeterita sint, unum est quod silentio transire non libuit: quia vere signum magnum est et evidens quod oratio ejus vere ignis fuerit, et ante oculos divinitatis velut lampas ardens et lucens, charitas ejus extiterit. Nocte quadam, cunctis circa ipsum dormientibus, lumen quod de more coram ipso positum fuerat, ut toto noctis spatio lucèret, extinctum est. At ille jam dictus familiaris clericus repente somno excitatus consurgens et hac illacque sub horridulo silentio circumspiciens, dum pro recuperando lumine solicitus trèpidat, rem divinam et memoriâ dignam, ut ipse cum juramento testabatur, conspicatus est. Nam inter ipsas noctis tenebras, ecce de lectulo, in quo beatus pontifex pervigil orabat expansis manibus, lux immensa refulsit: cujus etiam magnitudine invalescente, nec manus easdem, ut ipse fatebatur, videre aut discernere potuit. Hoc nimirum signo satis claruit quod vere filius esset lucis, et quia oratio ejus vere ut ignis peccata consùmit, et potestates tenebrarum vincit. Nec vero illa tantum vice, sed et multoties cum post matutinales hymnos, psalmorumque continuas decantationes lumen materiale alicubi reconderetur, lumen spirituale pontificem sanctum secretius orantem ita circumfulsit, ut putaretur adesse praesentia solis meridiani.

Digitized by Google

§ **18**. Jam de humilitate ejus gloriosa signa praemissa sunt quia in operatione virtutum et Patris qui in coelis est, glorificationem quaerebat et sic operantem, sciri vel videri se ab hominibus refugiebat. Porro ipsa humilitatis virtus, tunc demum dulcis et sua perfectione laudabilis est, quando is qui intus plenus Deo, creatori suo sese subjicit in confractione cordis, foris quoque ad infimorum condescensionem hominum semetipsum quanto major est, tanto amplius pro eo et tempore submittit. Libet igitur narrationi huic inserere rem gestam, magnae humilitatis exemplum ferentem et testimonio utilem, ut maxime in sacris rebus nulla Ecclesiastica dignitas qualemcumque despiciat pauperem fidelem. Simul quia plerique salutarium sacramentorum ministri nimium peccant, dum sacra venditant, cunctaque quaestus causâ faciunt, libenter hoc illis exemplum ingerendum est: quia videlicet peccatum quoque illorum vehementer haec res gesta redarguit, in qua sanctus iste magna, ut jam dictum est, laude refulsit. Pauperi cuidam ex his quos pater sanctus ope quotidiana sustentabat, infantulus natus erat. Is quia pauper erat et quia nihil quaestus in manu habebat, contemnebatur a sacerdotibus, per totam urbem Coloniam puerulum illum circumferens et eidem filiolo regenerationis gratiam offerri postulans. Defessus ergo et contemptus, ad sanctum recurrit pontificem, et quod tali in re contemptus esset, magna et flebili voce conquestus est. Ille ut vere sapiens, «Currens, inquit, affer illum ad me; ego enim eum habeo baptizare *.» At ille: «Suscipe, inquit, ergo eum tu quoque de sacro fonte, et compater meus esse dignare.» Baptizavit itaque pauperculum, mir pro personis nostrae salutis appendens sacramentum: suo nimirum facto et exemplo tantae civitatis tam multos redarguens presbyteros quod ausi fuissent fidem Domini nostri Jesu Christi habere in acceptione personarum, judicantes, ut ait Apostolus, apud semetipsos et facti judices cogitationum iniquarum. «Etenim, inquit, si introierit in conventum vestrum vir, annulum aureum habens, in veste candida: introierit autem et pauper in sordido habitu et intendatis in eum qui indutus est veste praeclara et dicatis ei, Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis, Tu sta illic: aut, Sede sub scabello pedum meorum: nonne judicatis apud vosmetipsos et facti estis judices cogitationum iniquarum? Quod si in quovis judicio jure haec auctoritas Apostolica redarguit acceptores personarum: quanto magis in dispensatione sacramentorum quae de coelo gratis profluxerunt, vir sanctus exemplo suo redargùere debuit paupertatis contemptum?»

§ **19**. Quadam postmodum die, cum celebrata statione apud S. Severinum, reverteretur, multa cleri et populi turbâ comitatus,

* Quorumdam e Clero qui in ipsis ministrandis Sacramentis promptiores erga divites sunt erga misellos ignavi, *acceptio* reprehenditur *personarum*.

transibat exiguum jam dicti pauperis tugurium. Ille ut praetereuntem vidit, non parum àlacri usus confidentiâ, prorupit, frenum equi corripuit, simul clamans et adjùrans per nomen Christi et per majestatem divinae charitatis, ut paululum subsisteret et vel modicum quid de compatris sui apparatu perciperet: memor foederis, quod secum pepigisset in jam dicta regeneratione vel susceptione filìoli: pontifex magnus ad hujusmodi tugurium compatris digressus, optimum sumpsit convivium, panis videlicet frustum, et gallinae pullum, necnon et tenuis cervisiae poculum. Talis causa sit, talis pietatis custodia, talis charitas, ubi vel quoties sacerdotalis dignitas, pro accipiendo munere ad pauperes sese inclinat. Haec pro humilitatis ejus testimonio vel exemplo dicta sint.

§ **20**. Porro de misericordia, quam magnam in pectore ejus domum sibi aedificaverit, quam vere misericors et misericordiae filius fuerit, testes erant pauperum multitudines, et pene innumerabiles esurientium cunei: quos non uno tantum tempore vel anno, sed pluribus episcopatus sui annis, fame per totum pene orbem grassante, de multis regionibus confluentes, paterno affectu et materna pietate in magna benignissimi cordis sui latitudine suscipiebat, dispertiens illos per episcopii sui possessiones, quantum cujuscumque fundi facultatem sustinere posse perpendebat. Verum praeter quotidiana haec pietatis ejus experimenta, quamdam aliquando memoriâ dignam rem gessit, in qua propter abundantiam misericordiae, prope mendacii sive simulationis ac duplicitatis iniquitatem incurrisse possit existimari. Sed nos ejusmodi rem gestam commemorantes, simul ad memoriam revocemus illud dictum Sapientis: Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Res hoc modo gesta est: Clericus quidam ex pauperibus, qui, ut jam dictum est, ad beati pontificis curam et eleemosynam confluxerant, non contentus stipendio charitatis, quod sibi ex illo die porrigebatur, usque in Saxoniam transvolaverat, et otiositatem sectatus, quae, ut ait Sapientia, multam docuit malitiam, furtum perpetraverat. Denique tres noctu effringens ecclesias, cum vasis et vestibus sacris exinde sublatis, sacrilegus Coloniam versus repedaverat. Illic deprehensus, immo subsequentibus e vestigio his qui damnum pertulerant, judici ejusdem civitatis reus repraesentatus fuerat. Nec erat dubia sententia, quin sicut habet forensis lex, convictus fur sacrilegus, statim suspendio interiret. At tum sanctus pater in ipsa urbe praesens aderat. Audito ergo quod acciderat, confestim judicem ad se èvocat, jubetque tamquam furti vindex animosus, ut furem secum in suam praesentiam dedùcat: « Non, inquit, hodie quicquam cibi aut potus percipiam, donec in conspectu meo ille mortis reus appareat.» Factumque est, et coram adductum, quamvis torvis oculis aspiciens, « Te, inquit, vivere fas non est, cui

mors tanto acquisita scelere, jam debita jamque parata est. » Haec palam cunctis minaciter elocutus, optimo illum executori, scilicet pauperum provisori, reum committens, secretius edixit, ut necessariis sumptibus ubertim reficeretur *. Ipse ad prandium discumbens, quae sola causa poenam illius differre videbatur, assidente omni frequentiâ, cunctisque ad epulandum intentis, ipse propositi non immemor, jam dictum provisorem pauperum clam advocans, clamque auri insusurrans: « Educ, inquit, clericum, meumque sessuro illi sterne quantocyus equum, tuque pariter adèquitans, deducito ultra sylvam proximam: dansque illi libram argenti, illo in salutem dimisso, tu quantocyus revertens, coram astabis. » Factum est, ut imperavit. Et ministro, qui redierat coram astante, ipse simulata severitate: « En, inquit, ubi est reus ille? » Haec dicens, videbatur, immo videri volebat, de poena illius jam maturanda tractare. At ille voluntatis ejus simul et facti conscius, tristitiam simul et pavorem confingens: « Fugâ, inquit, mi Domine lapsus est.» Tunc et ipse discurrens, fictumque metum verbis atque questibus depròmens, cunctos qui aderant, attonitos reddidit. Quem sanctus pontifex quasi vehementer increpitans et minaciter objurgans, conversus ad populum, spectaculi causâ confluentem, «Ecce, inquit, reus ille effugit, evasit. Ite, currite, quàtenus retractus ex fuga, debitam quantocyus poenam solvat. » Hoc insigne pietatis egit memorandus hic fraternae salutis artifex, simulator fidelis, et, si dici fas est, splendide mendax: de cujus tali commento si cuiquam mendacii notâ non carere videretur, iterum atque iterum decantare licet: haec iniquitas melior est, quam benefactum ejus, qui dum justitiae zelum simulat, crudelitatem exercet.

§ **21**. Inter tot ac tanta pietatis opera servus Christi quasi male operans, persecutionibus, ut jam superius praelibatum est, non carebat. Nec mirum. Dicit enim Apostolus, immo is, qui in Apostolo suo loquitur Christus: Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur. Oportebat ergo et istum, quoniam pie in Christo vivebat, persecutionem pati: et quia navim in mari, id est, ecclesiam in hoc seculo regendam susceperat, oportebat eum fluctibus turbari et moveri. Persecutionem patiebatur ab invidis, quorum moribus ipse minime conveniebat. Illis namque gravis erat etiam ad videndum, et ubi sanctius atque reverentius coram Domino, humilis et parvus in oculis suis, procedebat sive astabat, ibi amplius invidis displicebat. Erat vero vultu valde reverendus, et earum, quae in mente illius regnabant, virtutum quaedam majestas forinsecus in facie quodammodo visibiliter sentiebatur, maxime cum sancto altari assisteret, sacris Missarum solemniis intentus. Tunc etenim tam reverendus apparebat, ut in faciem ejus intendere volentes, quadam velut

* **Nota piam simulationem qua Clericum reum mortis liberat a supplicio.**

Digitized by Google

magisterii dignitate subditos terreret, nisi quos dilectio confortabat, quae sola Dei et sanctorum ejus aspectu digna est. Hoc amplius indignantes invidi, execrabantur, procaciter ad alterutrum loquentes, et daemonem eum esse dicebant, quem constabat esse angelum Domini. Videte, ajebant, daemonem, quomodo se in effigiem transfigurat angeli, ita ut nemo nostrum faciem ejus intueri possit. Et quid mirum, si Veritas verum dixit, et secundum dictum ejus locuti sunt domestici falsitatis? Dixit enim: *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* (*Matth.* x).

§ **22**. Porro majores fluctus illi excitabat in Imperatoris animo ventus contrarius, quia videlicet suspicionem, quam contra sanctum virum in initio regni sui, sicut jam supradictum est, mente conceperat, invidi jam dicti semper augère laborabant detractoriis susurrationibus. Denique res eousque processit, ut jam dictus Imperator, nimio contra illum furore succensus *, Coloniam peteret, hoc propositum habens, ut eum pontificatu amoveret: aut certe, si hoc rationabiliter fieri non posset, quolibet modo injuriose illum et indigne tractaret. At vero Deus, non permisit procellam hanc hucusque procedere, ut perficeret Imperator, quod intenderat: sed occurrens subvenit ambobus, videlicet, et ei, qui patiebatur immeritus, et illi, qui de innocentis conscientia male sentiens, peccabat errore deceptus. Causa, propter quam tali cum animo Imperator Coloniam properabat, hujusmodi extiterat. Imperator exercitu commoto, Comitem quemdam Ottonem, seculi dignitate praepollentem, in castro, quod dicitur Hamerstein, sito supra Rheni litus, obsederat. Is namque Otto episcopatum Moguntinum multa infestatione saepius pèrvagans, ferro et igne populabatur, odio magno contra ejusdem civitatis praesulem vehementer inflammatus. Fuerat namque ab illo propter illic illicitum connubium judicio generalis concilii anathematizatus. Cum ergo querimoniâ ejusdem praesulis excitatus Imperator, praedicto in castro illum obsedisset, venerabili huic viro demandavit, quatenus et ipse cum suis ad hoc negotium festinus adveniret. At ipse tunc immensis vexabatur febribus: et idcirco adimplere non valuit, quod imperabatur. Quam impossibilitatem ejus causam ut audivit Imperator, non credidit, videlicet antiqua suspicione praeoccupatus, et putans illum semper exosa sui habere tempora imperii. Respondens igitur magno cum spiritu iracundiae: Si, inquit, ad me dedignatur venire, ipse eum, quia aegrotat, habeo visitare: atque cum hac iracundia mox, ubi hostem expugnavit, Coloniam, ut jam dictum est, properabat, imminentibus nimiumque sese ingerentibus invidis supra memoratis, qui satis ardentem furoris ejus ignem

* Inimicitiam, ut jam ad § 7 monuimus, auctor exaggerat Imperatoris Henrici in S. Episc. Vide tamen infra ut pium Principem a sancto Praesule veniam petentem describit.

Digitized by Google

magis ac magis perflabant, linguis malevolis detrahendo innocenti viro Dei.

§ **23**. Sed quia tempus erat jam consolandi, terminumque ponendi fluctibus illis, et tempestati diutinae adversitatis, prospiciens de coelo Dominus, statuit procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus. Nam ipse nocte qua Coloniam ingressus et officiosissime a viro Dei erat susceptus, cum se sopori dedisset, videt in somnis quemdam quasi venerabilem virum, pontificali veste ornatum, qui illum sic allocutus est: « Cave, inquit, o Imperator, ne posthac amplius pecces in conservum meum Heribertum. Scito illum Deo esse acceptum : in quem si quid admiseris, tu sine dubio portabis judicium.» Nimirum gratia miserentis Dei, taliter praemonendo Imperatorem, ignorantiae ejus pepercit: quia videlicet in eo, quod virum ejusmodi suspectum habebat, non malitia, sed ignorantia peccabat. Siquidem ejusdem Imperatoris animam timor Domini possidebat, neque scienter disponere aut judicare quicquam in regno cupiebat, per quod coelestis offenderetur majestas. Denique cum aliquid de regni negotiis dispònere aut judicare intenderet, dispositiones omnes sive judicia sua precibus et eleemosynis praeveniebat: quatenus mens ejus et actus coelesti regimine gubernaretur, ne quando exorbitaret agendo vel judicando, quod divinis contrairet legibus. Recte igitur secundum intentionem suam divino, ut jam dictum est, oraculo praeventus et servatus est, ne tantorum meritorum pontificem injuriando, ut opposuerat, ipse reus judicio divinitatis existeret.

§ **24**. Quid multa? Mane facto, cum Imperator mente mutatus virum Dei advocasset, et id, quod coelitus evenerat, quod superno respectu rex compunctus fuerat, vir sanctus adhuc ignoraret, ac perinde lacrymosis oculis apud illum querelam depromeret, causas requirens, propter quas sibi tamdiu Imperator infestus existeret, repente, quod non sperabatur, idem Imperator exurrexit, et virum Dei amplexatus est. Ille admirans, haec pariter consolationis ab eodem dicta accepit: «Ex quo ad regni fastigium, Deo donante, conscendi, detrahentium linguis nimium credulus fateor, venerande pater, te exosum habui, et hanc odii trabe in oculo gestans, et ideo nihil videns, iniquum de te judicium habui, tuamque justitiam, immo Dei gratiam in te fulgentem, videre non merui. Porro, te tacente, coelum clamat super te, tuamque causam defendit apud me. Nam ipse, qui de sanctis suis curam habet semper et habuit, sicut scriptum est: Non reliquit hominem nocère eis, et corripuit pro eis reges, dicens: *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari* (*Psalm.* 104): ipse me pro te corripuit, ut sciam, quod inter electos ejus computatus sis. Indulge ergo, precor te, quod in te malignatus sum, vel quod te servum Dei tangere deliberavi: quia

Digitized by Google

peccatum meum cognosco, nec amplius addam adversari tuae sanctitati. » His dictis, semel et iterum ac tertio sanctum pontificem deosculatus est. Profecto Imperatorem, dignum et ecclesiasticum virum, ut erat eruditus, et literarum scientiâ ad unguem perfectus, arbitrari licet evangelii memorem fuisse, ubi primus Apostolorum Petrus trinae negationis culpam, trinâ dilectionis delevit confessione, tertio respondens: *Tu scis, Domine, quia amo te* (*Joan.* XXI). Pulchre igitur et digne trinum dedit osculum dilectionis et pacis, sub testimonio sanctae Trinitatis: atque hac dulcedine gratiae et honoris, praeteritae infestationis amaritudinem superavit. Nec moratus, virum Dei, jam amicus amicum, prope se residere fecit. Haec videntes adversarii, qui quasi tempus opportunum nacti, adversum illum convenerant, suasque diu linguas ad accusandum acuerant, confusi, pròtinus in fugam conversi sunt. At vero caeteri benedicebant Dominum, veritatem magnificantes Scripturae dicentis: *Quia cor regis in manu Dei est* (*Prov.* XXI).

§ **25**. Nec contentus hac satisfactione rex religiosus, adhuc de judicio divino erat solicitus. Etenim is, in quem peccatum aliquod commissum est, praeceptum quidem vel consilium habet evangelicum, ut peccanti in se ex corde suo dimittat: sed adhuc timendus est ille, qui legem dedit, quique per prophetam dixit: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei* (*Zach.* II). Bene ergo solicitus, et praeterita reconciliatione non contentus, nocte sequenti, finitis matutinorum solemniis, assumpto uno ex clericis, idem Imperator cubiculum sancti pontificis adit: sed non ibi quiescentem, verum in proximo S. Joannis oratorio vigilantem, ut solebat, et orationibus insistentem rèperit. Protinus abjecta chlamyde, solo stratus ante pedes ejus, in spiritu humilitatis et in animo contrito se suscipi postulat, et ea potestate, quam sacerdotibus suis Dominus contulit, veniam sibi dari cunctorum, quae in ipsum commiserat. Nec moratus omnipotentis Dei famulus, Imperatorem prostratum a terra sublevat, et absolutio culpae secundum fidem regis in coelo et in terra peracta est. Erat autem hoc servo Domini initium sempiternae consolationis, quippe qui de ista valle lacrymarum protinus ascensurus erat ad gaudium divinae visionis. Etenim hoc idem vir Domini, revelante sibi spiritu, praenoscens, ait in illo secreto inter caetera ad eumdem Imperatorem: « Nòveris certissime, quia post discessum nostrum, quo nunc separandi sumus, nostras invicem facies jam in hoc seculo nequaquam videbimus. » Eo magis Imperator corde compunctus, iterum in amplexus et in oscula ruit, flens pariter et cuncta pene membra, manus et oculos, collum quoque fixis demulcens osculis. Hoc facto, clam ad cubiculum rediit, moestam reportans memoriam prophetiae beati viri, quam et postmodum, transitu ejusdem subsequente, veram

Digitized by Google

fuisse comperit, et ipse, ut audierat, ore proprio denarravit. Nec sui vero transitus tantummodo, sed et obitus Imperatoris prophetico spiritu hic sanctus vir Dei praescius extitit, quod postmodum suo loco praesens narratio non tacebit.

§ **26.** Igitur post discessum Imperatoris beatus Heribertus, longa in hoc seculo peregrinatione fatigatus, cum suspirans prospiceret mansionem aeternam patriae coelestis, tandem febre corripitur: et ecce servus Domini pro ipsa expectatione pervigil, sentire sese arbitratus est, quod jam veniret, jamque pulsaret Dominus, ut sibi aperiretur. Erat autem tunc temporis in quadam suae dioecesis villa, quae Nussia dicitur. Cum igitur urgente atque ingravescente molestiâ vexaretur, pròpere Coloniam mittens, Abbatem Eliam accersivit. Quo veniente, ipse, secundum praeceptum Apostoli, sacro est unctus oleo in nomine Domini, pariterque corporis et sanguinis Dominici sacramentis munitus, tunc demum carinae illatus est, ut Coloniam deduceretur. Tunc in Apostolorum principis oratorium jussu suo delatus, atque coram altari sanctae Crucis, quod ad medium situm est, depositus, prout valuit, capite oculisque ac manibus in coelum protensis, prolixius oravit. Aderant namque tam ex clero quam ex populo quamplurimi, mirantes pariter et compuncti pro suavitate orationum et pietate supplicantis. Oratione ergo bono cum odore ac religioso exemplo completa, in cubiculum oratorio conjunctum delatus est. Praedictus Abbas ab eodem pro consolatione retentus, continuis duabus noctibus, ubi parum quid somni percepisset, visionibus clarissimis instruebatur, quod eàdem infirmitate sine dubio idem foret e corpore migraturus.

§ **27.** Cum ergo absque dubio per praesentis aegritudinis molestiam pulsaret Dominus, hic servus fidelis aperire illi properabat, lumbis jamdudum praecinctis, et lucernis clare ardentibus. Distribuebantur omnia, quae superfuerant, pauperibus, ut profecturus ad aeterna tabernacula, pauper ipse grata vice reciperetur. Residebat autem ad caput lectuli frater ejus Comes, nomine Gezemannus, profusas lacrymas atque amarissimos continuans gemitus, velut qui in magno pelago tempestatem circumspiciens, fractoque gubernaculo naufragus periclitaretur. Cui vir piissimus valde compatiens: «Quid, inquit, frater mi, tam miserabili temetipsum afficis ejulatu? Parce, quaeso, lacrymis et gemitibus: quia sperantibus in se non deerit consiliarius et consolator Deus. Tu ergo jacta cogitatum tuum in illo: et quia cunctis in hoc seculo vivendi tempus breve est, et migrare oportet, nunc interim praeparare, et miserere animae tuae, ut dignus habearis seculo venturo. Praeparationis hic modus tibi pernecessarius et optimus est, ut de rebus tuis quoad potes, pauperibus impertiendo, amicos tibi facias: ut cum defeceris, sicut ait Dominus noster, recipiant te in aeterna tabernacula.» Haec et hujusmodi salubria

Digitized by Google

monita danti, ille respondit: «Ista, Domine mi, Deo aspirante, libenti animo agere curabo: sed tuus ab hac vita discessus, fratris tui orphanitas et inconsolabilis animae meae viduitas est. Nosti praeterea quia majestas imperialis tuis omnibus propinquis adversa semper extitit, et dum adviveres, tunc quoque nobis propter ipsum periculosus erat status vitae praesentis. Ecce autem refugium nostrum, murus et antemurale nostrum cadit, dum tu ab hac vita discedis, cujus muniebamur virtute et gratiâ, magnisque apud Deum et homines meritis pervulgatis. » Ad haec vir Dei spiritu prophetico praedoctus: « Regem, inquit, immortalem modis, quibus jam dixi, stude tibi efficere propitium: de isto autem homine communis necessitas finem factura est, ut et ipse viam universae carnis ingrediatur. Noveris enim quia post obitum meum, trium non pèraget annorum curriculum.»

§ **28**. Post haec, morbo invalescente, jamque non incerto ejus transitu, spirituales ipso jubente a fratribus exequiae psalmorum decantationibus inchoantur. Ipse quoque pectoris anhelantis, quoad poterat, citharam extendebat, pariter psallens et quodammodo dicens: *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exultationis et confessionis* (*Psal.* 41). Interea pauperum procuratorem, cui curam illorum ipse commiserat, inter moerentium catervam còminus sibi assistere vidit: « Et quid, inquit, nunc agunt fratres mei? Num illorum servitio deest aliquid?» Dicebat autem de pauperibus. Etenim illos humili conscientiâ fratres suos, immo et dominos et patronos apud Deum aestimare consueverat. Cum ille cuncta quae sibi assignata fuerant, se expendisse, jamque nihil superesse respondisset, protinus ecclesiae praepositum, et civitatis accersiens advocatum, his illos allocutus est: «Audistis, charissimi, immo et vigilanter audire debetis Scripturam dicentem: *Quia foeneratur Domino, qui miseretur pauperi:* et quia *sicut ignem extinguit aqua, ita eleemosyna resistit peccatis* (*Proverb.* XIX et *Eccli.* III). Ego si quid exempli boni secundum verba haec vobis praebui, si quid in pauperibus seminavi, nunc jam reposita compensabitur merces, et messis, quam acquisivi, nunc jam recipienda est, sicut item scriptum est: *Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (2 *Cor.* IX). Jam enim vobiscum diutius non ero hic, ubi seminatur. Migrandum est, et jam hora instat, ut eam illuc, ubi metitur, propria corporis mei, prout gessi, recepturus. Vos igitur tanquam filios charissimos pater moriens et ultimum spiritum trahens, hac novissima testatione convenio, quatenus pauperum memores sitis, atque hoc animae meae solatium impendatis, ut quoadusque successor episcopus subrogetur, constitutum a me pauperibus refrigerium, vestra suppeditante curâ, non desit. » His auditis, vehementer compuncti sunt, seque hoc libentissime acturos spoponderunt, eo

magis abeuntem congemiscentes, quod factis praeteritis perpendebant convenire verba novissima, respicientes qualis erat, qualiter vixerat, quanto sibi semper studio misericordiam thesaurizaverat, et instantis horae necessitatem finemque, in quo laus omnis canitur, quam sapienter providerat.

§ **29**. Et quia de successore mentionem fecerat, altius in planctum excitati, velut pupilli jam deserti, percontabantur et quaeritabant, quisnam tanto Praesule viduatam recepturus foret matrem ipsorum Ecclesiam. Ille, ajebant, virtute venerabilis est, et ille alius utcumque idoneus est : atque ita diversorum qualitates perpendendo, solicitudinem suam invicem anhelando conferebant. At ille prophetico, ut jam supra dictum est, praedoctus spiritu: «Neque illum, inquit, neque hunc, quem putatis: sed Pillegrinum habebitis episcopum, et hic in hac ecclesia pontificatus officium brevi tempore administrabit.» His dictis, carne solutus, de vitae praesentis angustia ad aeternae patriae sempiternam consolationem ascendit, fructum percipiens perpetuae jucunditatis. Migravit autem septimodecimo Calend. Aprilis, sepultusque est in Divitensium castro, in oratorio sanctae Dei Genitricis quod ipse condidit, multis deinceps ibidem coruscans miraculis ad laudem Domini nostri Jesu Christi. Ubi cum sanctum corpus ejus humatum fuisset, tunc demum reminiscens is qui villicus sancti pontificis extiterat in chorte ipsa, in qua jam dictum per superius memoratam revelationem constructum erat oratorium, admirando divinam providentiam, dicebat: Locus hic, in quo corpus hoc sanctum sepultum est, tumulus erat omni tempore herbidus, semper mundus et amoenus, omniumque oculis jugiter gratiosus. Quod nimirum laudibus proficit beatissimi viri, cujus futuris exequiis servandisque reliquiis taliter sese loci facies, jubente Deo, praeparavit, ut semper servaretur viridis ille sinus terrae, in quo requiescere haberet possessor sempiternae viriditatis, cui reposita erat haereditas incorruptibilis, incontaminata, et immarcescibilis.

§ **30**. Interea tumulus beati viri, locus (ut erat) apparebat esse refugii fidem habentibus, et ex quacumque necessitate confugientibus ad protectionem Dei coeli: et velut quidam rivus paradisi, gratia curationum exinde fluebat ubertim. Sanabantur infirmi, illuminabantur caeci, erigebantur contracti, currebant claudi, paralytici curabantur, daemones de obsessis corporibus effugabantur. Unum autem inter caetera contigit infra tricenarium funeris, quod pro sui magnitudine, non praeterire, immo et inprimis narrare dignum est. Res enim gesta, est valde mirabilis, et pene esset incredibilis, si non ex sanctis canonicisque constaret scripturis, angelos quoque qui utique spiritus sunt, et carne non teguntur, interdum visos et auditos fuisse ab hominibus sensibus corporeis. Siquidem hoc accidit, ut spiritus beati

Digitized by Google

hujus viri, jam carne solutus, homini viventi visibiliter apparèret, sermonemque conferret: cujus videlicet sermonis subsecuta veritas testatur, non phantasticum, sed verum et divinum fuisse quod ostensum est.

§ **31**. Res igitur hoc modo tràditur gesta: Vir vitae venerabilis Volpertus, coenobii, quod ab eodem sancto pontifice constructum fuerat, pater primus, recenti tanti praesulis obitu magis excitatus, quotidianis maximeque nocturnis pèrvigil insistebat orationibus. Stabat autem ipse prope sepulcrum beati Antistitis, et quem viventem dilexerat, eidem sepulto mente et corpore ardenter inhaerebat. Cum igitur locus intremuisset tam valide, ut tota monasterii fabrica funditus quati videretur, mortalis, ut erat homo, inhorruit quidem, sed non modicam habens fidem, coeptam continuabat orationem, cornu altaris apprehendens. Iterum a parte orientali murus templi cum magno sonitu intremuit, et omnia circumstantia moveri visa sunt. Ecce autem et sepulcrum beati viri patefactum est, et sanctus Dei ègredi visus est. Isque stans prope virum jam dictum, leniterque tangens illum, quid operaretur, sciscitatus est. Sed et Daniel in visione angelica conturbatus, eodem qui apparuerat satagente, confortatus est. Cum igitur et istum beatus pontifex alloqui inciperet, tangens prius latera ejus baculo pontificali, cum quo fuerat tumulatus, vires ille resumpsit, et ad interrogata respondere praevaluit. Nam sic ex visione et ex praedicto fragore fuerat tremefactus, ut non stare praevalèret, immo et vix ad sedendum virtus sufficeret. Cum ergo percontanti quid operaretur, breviter pro se respondisset, confestim is qui apparuerat, intulit haec: « Orationibus, frater mi, sèdulus vigilanter insiste, et vivorum atque mortuorum parentum vel familiarium tuorum salutem exòrans, mei quoque memoriam abundantius habe. Scito enim et veritatem loquenti mihi praebe fidem, quia obitus mei die tricesimo qui nunc imminet, mecum pransurus es.» Hoc ille audito, pene exanimatus resèdit in eodem loco. Tandem vero spiritum paulatim attrahens, respiravit, baculoque innixus surrexit, et corpore ac mente tremens, vix ad lectulum pervenit. Mane facto seniores tantum, et qui magis spirituales esse videbantur, secretius advocavit, et quae viderat, quaeque audierat, cuncta per ordinem rètulit. Illi rem non ut erat attendentes, et longe minus quam erat aestimantes, suo sensu loquebantur, dicentes ei nihil aliud fuisse quam quod est humanae consuetudinis: scilicet quem viventem dilexerat, eumdem mortuum prae oculis cordis cogitatione continuâ versabat, et cogitationes vigilantis curamque dilectionis, quam erga illum habebat, sequebantur hujusmodi somnia. At ille audiens haec, nihilominus sciebat, quid vel qualiter vidisset: magisque suae conscientiae, quam aliorum credebat opinanti ignorantiae.

Digitized by Google

§ **32**. Obitus beati viri dies instabat tricesimus, et praedictus monasterii pater ad eumdem diem copiosas pauperibus impensas praeparabat. Oportebat autem illum propter hocipsum exire ad quamdam suae vel Ecclesiasticae possessionis villam quae ferme decem milliaribus a monasterio procul aberat, ubi quae necessaria erant futuro diei, praeparare praesens ipse properanter jussit. Hoc facto, navem conscendens, velociter per alveum Rheni ad monasterium revertebatur. Jam horâ sextâ rogabatur a comitibus, ut prandèret: quoniam et ipsis ita jucundum de more erat, et hora satis opportuna commonebat. Ipse quoque non abnuens, immo et ex charitate juventuti famulanti condescendens, praemisit opus Dei, sextamque horam de more, cum duobus qui obsequio ejus aderant fratribus, canere incepit. At ubi ventum est ad lectionem, quam nos Capitulum dicimus: haec autem erat, *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur: quod enim mortuus est etc.* respondentibus illis, Deo gratias: continuo spiritum exhalavit. Sic ille venerabilis pater qui nunc taliter discesserat, revera feliciter ad aeternae vitae prandium coenamque immortalitatis invitatus processerat, veram visionem suam, verum oraculum illius, exitu suo comprobans qui dixerat illi, Quia die obitus mei tricesimo mecum es pransurus.

§ **33**. Allatum itaque defuncti corpus, prope sepulcrum ejusdem vatis sui, videlicet sancti praesulis, cum libitìna * depositum est. Ecce autem inter exequiarum vigilias pauper quidam, a cunabulis contractus, quem idem sanctus pontifex, dum adhuc viveret, alebat, inter sepulcrum sancti et hujus defuncti feretrum tristis prorepserat, et inter duos mortuos, suae inopis vitae patronos, jacens, tota nocte se illis superstitem esse deplorabat. Viderunt illum qui coram Deo vivebant, et eàdem clementiâ, qua viventes in carne victualem illi praebebant alimoniam, defuncti iidem mirabilem totius corporis ejus operati sunt medelam. Denique circa lucis exortum, matutinos fratribus hymnos persolventibus, repente is qui contractus jacuerat, vehementer exclamavit, velut ad succurrendum sibi, videlicet virtute invisibili concussus, nervisque solutis in longum extensus. Quo ejus clamore audito, nonnulli ex fratribus seniores accurrunt, videntque illum extensum jacère, rivumque tetri sanguinis per pavimentum. Allata protinus aquâ, refocillatus est, et post pusillum sanus surrexit, ac permansit incolumis. Hujus opus virtutis recte utriusque ascribi debet meritis. Caeterum a beati praesulis transitu, intra paucorum dierum decursus, viri pariter et mulieres ferme quadragintaquinque diversis incommodis liberati sunt ad sepulcrum ejus gloriosum, laudantes nomen Domini nostri Jesu Christi.

* *Libitìna* mythica Diva sepulcris praesidens. Ponitur hic pro fèretro, sive lectica mortuaria.

Digitized by Google

VITA S. GERTRUDIS VIRGINIS

CONSCRIPTA AB AUCTORE QUIDEM ANONYMO, SED QUI TESTETUR EA SE SCRIBERE QUAE PARTIM IPSE VIDERIT, PARTIM AB IDONEIS TESTIBUS AUDITIONE ACCEPERIT. PORRO STYLUS IN GRATIAM LECTORIS MUTATUS EST PER LAURENTIUM SURIUM.

Vixit a 626 ad 659 — Ex Brabantia.

§ 1. Et quidem quod ad Gertrudis genus et familiam attinet, longum est ea hic recensère: praesertim cum in tota Europa apud omnes pervulgata sint clarissimae stirpis hujus et loca et nomina. Ad alia igitur accedamus: Cum in paternis aedibus versaretur sacra puella Gertrudis, ad pedes beatae memoriae parentis suae Ittae, die ac nocte verbi Dei sapientiam meditabatur, Deoque chara et hominibus grata ac amabilis, coaetaneas suas longe anteibat. Fuit vero hoc primum illius in Christi servitio initium, quemadmodum ab homine veraci et justo qui praesens illic aderat, cognovi: Cum pater illius Pipinus regem Dagobertum in suas aedes ad splendidas epulas invitasset, quidam eo adolescens advenit, filius ducis Austrasiorum, isque tum a rege, tum a parentibus S. Gertrudis eam sibi conjugem dari petiit, suam illis, ut est seculi hujus more comparatum, vicissim amicitiam et studium promittens. Et regi quidem jucundus fuit hic sermo, hortabaturque patrem puellae, ut ad ipsius conspectum puella una cum matre adduceretur. Venerunt illae, tametsi ignorarent, quam ob causam rex illas acciri voluisset: inter edendum autem cum ex puella rex sciscitaretur, num illum adolescentem auro fulgentem et sericis comptum vestibus, vellet habere sponsum, illa indignabunda, etiam adhibito jurejurando, respondit: « Ego neque hunc, neque quemvis alium mortalem hominem, sed Christum Deum ac Dominum meum volo sponsum habere. » Quae cum audivisset rex et pròceres ejus, stupebant ad tam tenerae puellae sermonem, divino utique instinctu prolatum: porro adolescens pudefactus, recessit cum indignatione. At illo posthabito, sancta Dei puella ad matrem se contulit.

§ 2. Ab illo autem die animadverterunt parentes ejus, regi illam non mediocriter charam esse. Elapsis inde annis quatuordecim, Pipinus vitâ functus est. Tum vero matri viduae Gertrudis sedula adhaerebat, ejusque jussis officiose, sobrie et caste inserviebat. Cum vero mater ejus quotidianas susciperet curas et cogitationes de familia et filia Gertrude, vir Dei Amandus Episcopus ad ejus venit aedes, verbum Dei praedicans: Rogavit autem

Digitized by Google

eam, ut sibi et filiae, Christique familiae coenobium construeret. Postquam igitur a sancto Episcopo rem ad animarum salutem pertinentem didicit, mox sacro accepto velamine, facultates suas omnes, seque Deo obtulit. Res ea male habebat antiquum humani generis hostem diabolum qui ab initio semper pios omnes stimulante invidiâ, insectatus est. Itaque incitavit quorumdam animos in illam, idque adeo, ut ab illis qui ad exequendam Dei voluntatem adjutores se ei praebere debuerant, non parum molestiae pateretur, immo multas perferret injurias, multa afficeretur ignominiâ, et rebus necessariis privaretur una cum sancta Gertrude filia sua. Quae quidem si nos singulatim commemorare velìmus, nimium prolixi futuri sumus. Quanta vero ejus animi fuerit erga Deum devotio, quam divinis flagrarit desideriis, sequentia declarabunt.

§ **3**. Ne enim animorum corruptores, Dei famulam Gertrudem ad illecebrosas hujus mundi voluptates vi adhibita pertraherent, arrepta forfice, capillos ejus ita abscìdit, ut coronae similitudinem referre viderentur. Interim laetabatur sancta Gertrudis et gratias agebat Deo, quod in hac vita momentanea pro Christi amore coronam in capite suo repraesentare meruisset, ut in illa vita sempiterna coronam perpetuam ob corporis et animae integritatem digna esset percipere. Praestitit autem Deus ejus pacem ab adversariis et pars diaboli victa est. Deinde vero mater ejus Christi sacerdotibus eam tradidit, a quibus cum sodalibus sacrum acciperet velàmen: eamque toti illi sanctimonialium congregationi voluit esse praefectam. Erat enim sancta virgo Gertrudis magna morum continentiâ praedita, mente sobria, verbis et sermone moderata, aetatem senilem jam moribus praesèferens. Fervebat amore Christi sponsi sui, vultu pulchra, sed pulchrior mente: castitate integra, larga eleemosynis, jejuniis et orationibus dedita, pauperum et peregrinorum solicite curam gerens: erga senes quidem et aegros humana et pia, porro juvenibus strenuam se exhibens erga res divinas. Atque hoc pacto, summo studio creditum sibi officium exequebatur. Porro per nuncios suos, boni testimonii viros, tum Sanctorum patrocinia, tum sacros codices ab urbe Roma et regionibus transmarinis, gnaros quoque homines qui divinae legis cantica, sibi suisque meditanda, interpretarentur, meruit obtinere.

§ **4**. Caeterum mater ejus Itta, rebus his ad huc modum compositis, plena jam dierum, cum etiam nepotes suos vidisset, non minor annis 60 ab obitu mariti sui Pipini anno 12 Deo et sanctis angelis spiritum suum commendans, migravit ad Dominum, atque in Nivellensi monasterio sub B. Petri Apostoli tegmine honorifice tumulata est *. Cum autem matre defuncta S. Gertrudis totum regiminis pondus in se solam recepisset, cogitabat secum

* Colitur solemniter Beatae tit. Itta in oppido Brabantiae *Nivelle* VIII maji.

Digitized by Google

de rerum coelestium contemplatione, cupiebatque sine rerum temporalium strepitu illi uni vacare. Itaque foris quidem bonis et fidelibus fratribus, intus vero, id est, intra monasterii septa spiritalibus sororibus rei familiaris curam demandabat, ut posset ipsa liberius die ac nocte in sancto agone persistere, et vigilando, orando, sacris incumbendo lectionibus et jejuniis, adversus spiritales nequitias dimicare. Et hac quidem ratione eousque progressa est, ut pene omnem scripturam divinam memoriae commendarit et obscura allegoriae mysteria, sancto revelante Spiritu, luculenter auditoribus explanarit. Extruebat vero etiam divorum templa, aliaque egregia aedificia, simulque orphanis, viduis, captivis, peregrinis et clericis victum quotidianum liberaliter subministrabat. Minime vero hoc loco id praetermittendum arbitramur quod ipsa nobis veluti terrore correpta retulit. Cum ad altare S. Sixti martyris orationis causâ assisteret, vidit super se descendentem sphaeram igneam sane luculentam, adeo ut tota basilica ejus splendore irradiaretur dimidiae ferme horae spatio, quae sensim disparens, eo rediit, unde processerat. Postea quoque, etiam aliis sororibus cernentibus, rursus eodem modo super ipsam lux illa apparuit.

§ **5**. Ablegaverat quandoque nonnullos pro sui coenobii utilitate. At illi cum jam mare navigarent, in praesens vitae discrimen conjecti sunt. Tum illi in S. Gertrudis memoriam redeuntes, periculum omne evaserunt. Primo quidem illi tranquillum sensère pelagus: deinde autem procul conspiciunt quasi navim quamdam mirae vastitatis, a latere ad ipsos accedentem: cumque ad illos appropinquasset, ingens orta tempestas est, et fervescens mare, horrendis agitabatur fluctibus. Ecce autem immanis quaedam et terribilis bellua ab illis conspicitur, non quidem tota, sed solo dorso e mari èminens. Ea re perterriti nautae et jam salutem omnem desperantes, falsis diis vota nuncuparunt. Porro illi quos S. Gertrudis miserat, nomen Christi invocantes, putabant se jam ad supremam hujus vitae horam pervenisse: unusque ex illis exclamavit: «Gertrudis, àdjuva nos, uti pollicita es.» Cumque id ille tertio diceret, cetus ima pelagi petivit, et illi cum multo gaudio, reddita maris tranquillitate, eàdem nocte in portum appulerunt. Ita Christus precibus S. Gertrudis pauperes suos a praesentissimo mortis periculo liberavit. Haec quidem nos ab illo habemus qui praesens interfuit.

§ **6**. Cum porro aliquot fluxissent anni et sacrum sanctae virginis corpusculum, multa abstinentiâ multisque vigiliis attenuatum, acri insuper aegritudine fatigaretur, Domino revelante didicit prope adesse suam e corpore migrationem. Itaque ex consilio servorum et ancillarum Dei, Abbatissae honore et officio sese Christi amore abdicans, quantum quidem ad rerum externarum curam attinet, neptem suam Wilfetrudem quae ab ipsis

prope incunabulis apud ipsam ad monasticae regulae praescriptum educata et sacris literis imbùta fuerat, suo loco invitam coëgit Abbatissae ministerium exercere. Agebat tum Deo sacrata puella Wilfetrùdis vicesimum aetatis annum, antiquo Francorum stemmate prognata. Erat illa quoque eleganti formâ, familiae chara, lenis erga subditos, rigida superbis, suavis eloquio et Dei proximique amore fervens, corporisque integritate conspicua. Effecerat autem pater ejus qui eam dolebat id vitae genus complexam, ut reges et reginae, itemque antistites, diaboli id invidiâ agente, primo quidem blanda persuasione, deinde vero etiam vi eam e coenobio extrahere niterentur, res coenobii illius, cui sancta virgo praeerat, sibi scelerate vendicantes. Sed Domini misericordiâ et sanctorum precibus munita, omnes suos adversarios, Christo cui se devoverat adjuvante, mirabiliter superavit. Tantam enim illi gratiam Christus contulit, ut qui prius, prava inflammati cupiditate, ejus accusatores et facultatum monasterii direptores fuerant, multa in eam usi liberalitate, ejus extiterint defensores, omnesque sacrae aedes praeclare instauratae sint. A suscepta autem Abbatissae functione anno undecimo, diebus amplius quinquaginta morbo compellente decumbens, solito nihilo minus more largas eleemosynas in pauperes et inopes conferebat. Tandem omnibus, ut sacrum monet evangelium, debita remittens, et ab omnibus pacem ac benedictionem recipiens, cum inter religiosas Dei ancillas fide et spe in Christum munita vixisset, anno aetatis suae tricesimo laetum Domino reddidit spiritum, nono Calend. Decembris, atque in B. Petri Apostoli basilica summo studio in sepulcro marmoreo condita est. Sed his obiter commemoratis, eo unde sumus digressi, revertamur.

§ 7. Itaque beatissima Gertrudis, posteaquam se Abbatissae administratione abdicavit, trimestri fere spatio perpetuis vacabat precibus et sacris exhortationibus, Deique verbum tum sibi, tum suae curae creditis annunciare non destitit. Erat interim spe gaudens, in rebus duris et adversis patiens, mente invicta, vultu placida et serena, valde sitiens supremum vitae suae diem, quippe quae peroptaret e carcere ad regnum, e tenebris ad lucem, a morte proficisci ad vitam. Degebat inter mortales solo corpore: nam animo quotidie transibat ad coelestia, continuis precibus et abstinentiae afflictioni singulariter addicta. Et licet tenero esset corpusculo, attamen asperis illud ciliciis macerabat, nihil sibi in hac vita refrigerii aut laxamenti indulgens, ut posset illic beatissima frui quiete, ubi justi fulgebunt sicut sol, nempe in regno coelorum. Cum autem ad supremum vitae diem venisset, plane decrevit, ne quidquam omnino, id est, nullum neque laneum neque lineum indumentum ejus corpusculo adhiberetur, praeter velum quoddam pene nullius pretii, quod quaedam peregrina sanctimonialis ante complures dies illi pro benedictione miserat,

Digitized by Google

ut illo caput ejus tegeretur: porro in sepulcro cilicium poneretur: nec alio operimento se contegi voluit, nisi cilicio, quo erat induta et panno veteri quo cilicium illud tegebatur. Dicebat enim, superflua nihil neque viventibus, neque morientibus posse conferre: quod quidem ita se habere, etiam sapientes affirmant.

§ 8. Cum jam prope adesset dies migrationis ejus, uni ad se accìto e fratribus dixit: «Abi celeriter ad illum peregrinum monachum qui Ultanus dicitur, degitque in monasterio quod Fossuense appellant, dicasque illi: Virgo Christi Gertrudis misit me sciscitatum ex te quo sit die ab hac luce decessura, valde enim se formidare dicit, pariterque laetari. Porro ab illo auditurus es quae ad me responsa referre debeas.» Abi igitur nihil haesitans. Fecit ille quod jussus erat: responditque ei servus Christi Ultanus: «Crastino die intra Missarum solemnia Christi virgo Gertrudis e corpore abscèdet: dicas vero illi, ne quicquam trepidet ad suum obitum, sed laeta proficiscatur, sancto Patritio episcopo cum beatissimis angelicis spiritibus cum ingenti gloria ipsam excepturo.» Interrogante fratre, num haec divinitus ipsi essent revelata, ille respondit: «I pròpere, certus illam cras Domino spiritum reddituram. Quid praeterea ex me requiris?» Abiit itaque frater et omnia ordine enarravit sanctae Gertrudi. Illa quasi e somno evigilans, gratias egit Deo quod per servum suum ipsam dignatus esset consolari: multumque illâ promissione exhilarata, totam noctem cum sororibus in psalmis et precibus duxit insomnem: die autem postero qui erat Dominicus, hora circiter sexta, ut vir Dei praedixerat, sacratissimum Christi corporis et sanguinis viaticum accepit: cumque sacerdos precem illam quam Secretam vocant, absolvisset, anno aetatis suae tricesimotertio, 16 Calendas Aprilis, gratias agens piissimo Creatòri quod a corporis corruptione alienam ipsam ad suum regnum vocare dignaretur, feliciter in Domino obdormivit.

§ 9. Tum vero ego una cum fratre Richino accersìtus eo sum, ob sorores, ejus moerentes obitu, consolandas. Dixit autem ad me frater ille: «Sentisne aliquid?» Respondi: «Nihil èquidem sentio, sed sorores video moestissimas.» Hoc cum dixissem, suavissimus erùpit odor, tanquam fragrantium unguentorum, totam complens cellulam, ubi sacrum virginis corpusculum jacebat: inhaesitque diu illa miri odoris suavitas nostris naribus, etiam posteaquam e cella digressi eramus. Impletis autem funeris officiis, in cistella, quam ipsa olim sibi paraverat, a sacerdotibus et Christi ancillis cum divinis laudibus sacrum beatissimae virginis corpusculum honorifice conditum est: ubi quotidie orantibus multa divinitus praestantur beneficia. O nimium felices illos qui in hoc seculo degentes, vitam aemulantur angelicam et licet corpore agant inter homines, at mente et animis in illa aeternitate figuntur, rerumque divinarum et coelestium contemplatione perpetuo

Digitized by Google

occupantur. Fecit hoc Christi famula Gertrudis, cujus vitam scribimus: nam tametsi corpore versaretur inter homines et famulorum famularumque Christi esset moderatrix qui ejus ditione continebantur: at tamen internae et sempiternae vitae cogitationem et studium numquam abjecit, nihilque de statu rectitudinis suae, nihil de morum gravitate, nihil de disciplinae regularis severitate remisit. Itaque hoc apud omnipotentem Dominum promeruisse illam perspicuum est, ut non exiguae per illam virtutes fiant, ut ejus vita hominibus innotescat, planumque fiat quantum possit precibus efficere apud Deum: praesertim cum virtutes et signa quae Dominus, prout fides petentium exigit, ad ejus monumentum dignatur operari, veritati testimonium perhibeant: e quibus nonnulla referemus.

§ **10**. In Trevirensi monasterio Abbatissa fuit, Modesta nomine, ab infantia sua Deo consecrata et sanctissimae Gertrudi virgini singulari amicitiâ devincta. Multis quidem a se invicem milliaribus corpore disjunctae erant, at amor eas sibi mutuo praesentes semper exhibebat. Unum enim Christi jugum ambae ducebant et sinceris mentibus Domino pari studio serviebant. Post multum vero temporis Modesta Abbatissa, coenobii sui templum precandi animo ingressa, cum se ante aram beatissimae Mariae virginis prostravisset, atque inde, finita precatione, surrexisset, subito vidit ad dextrum altaris latus sanctam Gertrudem astare eo in habitu quo uti consueverat: audivit etiam illam sibi dicentem: « Soror Modesta, nihil de hujus visionis veritate ambigas, sed certo nòveris, me hodie migrasse e vita. Ego enim sum Gertrudis quam summopere amasti.» His dictis, ab ejus oculis disparuit. At illa secum tacita cogitabat quid sibi ea vellet visio: nihil tamen illo die cuiquam indicare voluit. Altera autem luce venit ad monasterium ejus Trevirensis episcopus Clodulphus: ex quo illa inter alia percontabatur de S. Gertrude quo habitu vel forma corporis illa fuisset. Ille mox ordine exposuit et staturam corporis ejus et formae elegantiam. Itaque ex ejus verbis cognovit sacra virgo Modesta veram sibi oblatam fuisse visionem, aitque ad Episcopum: «Confiteor nunc tibi, Domine Episcope, quod hactenus celavi, revelatum mihi esse, hesterna die, horâ quasi sexta ex hac luce illam abiisse.» Episcopus diem et horam annotavit, et rem ita se habere, ut Abbatissa dixerat, comperit.

§ **11**. Anno ab obitu sanctissimae virginis Gertrudis decimo, in Nivellensi coenobio ignem tanta vi erupisse ferunt, ut nemo non desperaret illum a quoquam extingui posse: Christique ancillae quae in eo degebant, extra murum ad loca vicina confugerant. Ille autem, cui monasterii cura demandata erat, repente oculos suos elevans, vidit S. Gertrudem stantem in suprema refectorii parte, ea formâ et habitu quo fuerat vivens, suoque velo a domo flammas abigentem. Quod ut vidit, non solum nihil

Digitized by Google

perterritus est, sed multo etiam perfusus gaudio, hortabatur socios, ut constanter agerent: festinusque sursum ascendit, ut rei exitum spectaret: et ecce miro modo repente vident omne ab illo monasterio profligatum incendium.

§ **12**. Nimium prolixi erimus, si omnia commemorare velìmus quae ad ejus sacras reliquias divinitus declarantur miracula. Satis itaque sit compendio dixisse, quotquot cum fide ejus implorant patrocinia, eos omnes Dei benignitate inde incolumes redire. Ad lectulum quoque ejus, in quo post longas vigilias et prolixas preces fessa membra nonnihil refovère solita erat, qui postea in S. Pauli ecclesiam translatus est, permulta signa edita sunt. Cum autem post Wilfetrudem Agnes quae etiam fuerat S. Gertrudis alumna, Abbatissae locum obtinuisset et in S. Gertrudis honorem templum construxisset, ejusque lectulum in illud intulissent, eàdem nocte cum multa solemnitate vigilias ibi celebrarunt sacrae virgines: expletisque nocturnis precibus, lampades omnes, demptis septem quae semper illic ardebant, extinxerunt: et ecce mane illuc reversae, lampades extinctas ardentes viderunt. Quae res mox longe lateque divulgata est. Begga quoque venerabilis matrona, S. Gertrudis germana soror, monasterium construxit, petiitque ab Agnete, quam diximus, Abbatissa et ejus sororibus sacras virgines et reliquias, ut coeptum posset opus absolvere. Dataeque sunt ei sacrae reliquiae et libri sanctarum scripturarum et ejusdem habitus aliquot religiosae sorores quae illic monasticae religionis prima jàcerent fundamenta: addita est etiam pars quaedam lectuli ejus, in quo S. Gertrudis soror ejus, supremum Christo reddiderat spiritum: quem lectulum piissima Begga curavit reponi juxta altare S. Genovefae virginis: ad quem certe innumera facta sunt miracula, Christo glorificante sponsam suam, cui est cum Patre et Spiritu Sancto honor et gloria in secula seculorum.

DE S. ALEXANDRO

EPISC. JEROSOLYMIT. ET MARTYRE

EX ECCLESIAST. HIST. EUSEBII LIB. 6, CAP. 9.

INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO ANGLO.

Binâ confessione gloriosus — Sub Severo circa 205 et sub Decio 251.

§ **1**. Cum Narcissus * non amplius propter ingravescentem aetatem ministerio praeesse posset, Alexander alterius ecclesiae Episcopus, divinâ providentiâ per revelationem, quae noctu ipsi secundum quietem apparuisset, ut cum Narcisso in ministerio

* De S. Narcisso vide ad diem XXIX oct.

ecclesiae fungendo conjungeretur, accersitus est. Unde Alexandrum, cum tanquam divino quodam oraculo ex Cappàdocum regione, ubi primum in episcopatus gradu fuisset locatus, Jerosolymam tum voti, tum locorum visendorum causâ contenderet, illius ecclesiae fratres eum excipiunt benignissime et non amplius domum reverti permittunt: idque propter aliam revelationem, ipsis itidem noctu visam; quae quidem, voce evidentissima profusa, eis qui erant inter illos ob virtutem spectatissimi, perspicue significavit, ut extra portas civitatis egressi, eum episcopum admitterent qui ipsis a Deo antea designatus erat. Quo ad hunc modum gesto, Jerosolymitani communi episcoporum consensu qui finitimas ecclesias procurabant, necessario illum apud se manere coëgerunt. Idem ipse Alexander in suis epistolis quas ad Antinoïtas scripsit quaeque adhuc apud nos extant, Narcissi collegae sui in praefectura ecclesiae Jerosolymitanae gerenda mentionem facit, ista in extrema illa epistola ad verbum scribens: «Salutat vos Narcissus qui hic ante me episcopatus locum occupavit, et centum jam et sedecim annos praetergressus, mecum in eodem ministerio quorundam precibus conjunctus fuit: qui obsecrat vos, ut idem meum sentiatis eademque sitis voluntate.»

§ 2. Alexander Jerosolymitanae ecclesiae episcopus in Palaestina rursus, ubi Caesareae propter Christum praesidis tribunali stetisset et magnam fuisset ex secunda fidei suae confessione commendationem adeptus, jam extrema senectute et veneranda plane canitie eximius, carceris cruciatu denuo afflictatus est. Quo quidem, post praeclarum et illustre testimonium fidei Christianae praesulis tribunali datum, morte in carcere consopito, Mazabanes successor ejus in episcopatu Jerosolymitano declaratur.

S. ANSELMI LUCENSIS EPISC.

ENCOMIUM

EX MENOLOGIO BENEDICTINO *

Consecratus anno 1073, obiit 1086 — Nat. Italus.

§ 1. Anselmus patriâ Mantuanus, Lucensem Pontificatum virtute meruit, sanctitate exornavit, multo nomine de Ecclesia universa meritissimus. Eum Gregorius VII Pont. Max. Regum terror, Schismaticorum malleus, tanti fecit, ut gravissimis in Ecclesiae

* Surianae Collectioni hoc breve elogium addendum selegimus; *Vita* enim, quam Bollandista exhibent, a domestico S. Anselmi Presbytero fusâ narratione conscripta, fines nos transcendere cogeret quibus, absque Surii detrimento, decet nostra haec volumina contineri.

Digitized by Google

negotiis ejus maxime consilio atque operâ uteretur. Sed is non tam òneris quam honoris fastidiens, susceptâ ad visitanda sanctorum aliquot limina, voti caussâ, peregrinatione, nescientibus qui cum ipso erant cognatis ac familiaribus, abdicato a se Pontificatu, Monachum in celeberrimo S. Benedicti Padolyronis, agri Mantuani, Coenobio professus est. Sed a Gregorio Papa non multo post, ad subeunda Ecclesiae onera repetìtus, invitus ac reluctans Lucensi Cathedrae denuo impositus, ut Monachica tamen studia atque exercitia negligeret, seu cucullum exùeret numquam animum induxit, neque alio in habitu ut sepeliretur, moriens cavit.

§ 2. Schismaticos verbo, scriptis exemploque aggressus, admirabili potentiâ, auctoritate et gratiâ triumphavit, confuditque, ac suum, si ita numini visum, mille periculis ac mortibus caput generose objiciens, ferventissimo odiis in Ecclesiam ejusque verum Pontificem Henrico Caesari (*a*) se se opponere, temeritatem exprobrare, conatus execrari et quibus posset modis obtundere nihil vèritus, in Gilbertum, imperatoriae factionis idòlum, religiosissima contorquens tela, frendente Henrico, verbis scriptisque vehementibus fidelium animos ad ejus detestationem eversionemque concitavit. Eo autem in primis de Republica Christiana, et Romana Ecclesia meruit, cum ejus benedictione et oratione munitus Catholicorum exercitus prodigiosam maximeque memorandam de ingentibus schismaticis copiis victoriam reportavit, tam validae viri unius preces fuerunt quibus tanta vis hostium obtereretur. Nec minus etiam a morte in eosdem potens innumeris et gravissimis coruscans miraculis, schismaticos plurimos ad Ecclesiae gremium reduxit, considerantes eum tantòpere a Deo honorari, qui pro Gregorio VII stare et pugnare ad mortem usque numquam desiit.

§ 3. Cum felicissime ad aeternitatis coronam et propugnatorum Ecclesiae praemia migrasset, ejus sacrum corpus in Monasterio primum suo S. Benedicti conditum, postea Mantuam translatum, summoque cum honore et civium gratulatione, in Ecclesia Cathedrali ibidem repositum, aeterna cum Haereticorum, nostri etiam temporis, Gregorio VII hostiliter adversantium confusione, dormienti similius quam mortuo in hodiernum usque diem, cernitur integerrimum atque incorruptum. Fuit Anselmus celeberrimae illius Principis, Romanae Ecclesiae donatricis Mathildis instructor sanctissimus (ab Alexandro Papa, Ildebrandi decessore destinatus), conscientiaeque arbiter, ac vitae moderator, ut ad ipsum etiam pertinere ejusdem de Ecclesia merita videantur, cujus sane laudes nulla satis posteritas queat celebrare.

(*a*) Henricus Imp. huj. nominis III. ut Germaniae autem Rex, IV. Dissidio fere perpetuo avulsus a Rom. Pontifice, quod Episcopos et Abbates partim pecuniâ simoniacà, partim auctoritate constituere auderet, quam potestatem vulgo *investituram* appellabant.

Digitized by Google

VITA S. CYRILLI EPISC. JEROSOLYMIT.

QUAM EX ECCLESIAST. HIST. SCRIPT. COLLEGIT JOH. GRODECIUS

Sedit. annos 36. — Obiit anno 386.

§ 1. Cyrillus Jerosolymitanus inter veteres Ecclesiae Patres, sanctos illos vere Catholicae et Apostolicae doctrinae assertores ac propugnatores, clarissimus Antistes recensetur. Nam et compluribus ex illis Ecclesiae columnis aequalis, multis etiam antiquior fuit: doctrinam vero orthodoxam communem cum omnibus catholicis habebat. Claruit temporibus Constantii Imperatoris et aliquot ejus successorum; quod multis in locis plerique scriptores Ecclesiasticae historiae, ut Socrates, Theodoretus, Sozomenus et alii demonstrant, et honorificam semper illius faciunt mentionem. A quibus etiam Nicèphorus id accipiens, et catalogum Patrum, qui circiter tempora Sardicensis Concilii floruerunt, quod de Constantii et Constantis voluntate institutum erat, longâ serie recensens: inter caeteros aequales Cyrilli, magnae auctoritatis una cum illo et clarissimos fuisse sanioris doctrinae defensores, commemorat Paulum Constantinopolitanum, Athanasium Alexandrinum, Antonium Aegyptium, una cum universo Aegyptiorum monachorum coetu. Deinde subdit: Multi denique spectati alii viri eisdem annis viguère, atque in ecclesiis Dei enituère: inter quos praecipue eruditione et eloquentiâ floruit Eusebius Emesènus Episcopus, Titus Bostrensis, Serapion Tmuaeus, Basilìus Ancyranus, Eudoxius Germanicensis, Acacius Caesareensis Eusebii successor, Cyrillus, qui post Maximum Jerosolymitanam administrabat ecclesiam, et Theodorus Perinthius, tum et Ephraem Syrus. Haec et alia permulta scribit eo in loco Nicephorus de claris et catholica pietate excellentibus illius seculi viris inter quos cum et Cyrillus Jerosolymitanus recenseatur, quae sit et quanta illius auctoritas, facile quivis perspicere potest. Legitur quoque de eodem Cyrillo, non modo aliis virtutibus, vero Episcopo dignis, illum fuisse praeditum, verum etiam dono prophetiae non caruisse. Nam cum Julianus Imperator (ut scribit in Eccl. hist. Socr lib. 3, c. 20, secundum quosdam 17), Judaeis templum Jerosolymis instaurare jussisset, et de publico sumptus subministrasset: tunc temporis Cyrillus illic episcopus, memor vaticinii Danielis prophetae, quod et Christus in sanctis evangeliis confirmavit, ac multis futurum praedixit, quod in eo templo lapis super lapidem non maneret: « Hoc, inquit, Servatoris oraculum adimplebitur. » Cum hoc dixisset Episcopus *, noctu

* Nota ad confusionem Judaeorum et Juliani Apostatae instaurationem templi molientium, terraemotum nova opera evertentem, ac mirificam deinde signi S. Crucis apparitionem.

Digitized by Google

terraemotus magnus factus, lapides fundamentales veteris templi structurae evulsit, ac cunctos una cum contiguis aedificiis dispersit. Et cum multi ad miraculum Judaei convenissent, ignis coelitus delapsus, cuncta artificum instrumenta consumpsit. Sequenti vero nocte signa crucis, instar radii solaris splendentia, vestibus illorum impressa comparuerunt, quae extergere nullo pacto potuerunt. Haec adeo stupenda prodigia unum illud Cyrilli verbum, divino planeque prophetico spiritu prolatum, consecuta sunt.

§ 2. Neque vero his tantum in terra prodigiis praedictionem ejus confirmare, verum etiam in coelo majori miraculo Episcopatum illius Deus illustrare dignatus est. Nam illo praeside sacrorum Jerosolymis, signum Crucis in coelo ex lumine, super sacrum montem Calvariae diebus Pentecostes, horâ fere diei tertiâ apparuit: et sole tunc lucente, radios Solis, illius Crucis fulgores longe praecelluerunt, ita ut lucis illius excellentiâ universus populus concitatus, maxima cum admiratione signum illud Filii hominis aliquandiu spectaverit. Nam et magnitudine Crux illa fuit tanta ut quindecim stadia excederet, ab ipsoque sacro Golgotha ad montem usque Oliveti protenderetur: et luce tanta, ut non modo Christiani omnes istic illustratos sese confirmatosque sentirent: verum etiam Judaei ac Gentiles advenae, ab erroribus tenebrarum aversi, illuminarentur, et Crucifixum, verum esse Deum profiterentur. Quemadmodum ipse Cyrillus optime id describit in epistola sua, quam de eodem admirando signo ad Constantium Imperatorem dederat: et Nicephorus in Historia Eclesiastica idem pluribus commemorat. Ita sane tum coruscabat Jerosolymis verbum Dei multo amplius, quam hisce nostris postremis temporibus apud nos, non modo praedicatione Cyrilli, verum etiam virtute Dei sequentibus tam admirandis signis.

§ 3. Successit autem Cyrillus in ea sede Episcopo Maximo, et ipse quoque istic maximus fidei catholicae defensor erat. Sic enim scribit Theodoretus: «Primatum autem Jerosolymorum post Macarium illum, cujus saepe a me facta est mentio, obtinuit Maximus, vir ob certamina pro pietate suscepta egregie nobilitatus. Cujus et oculus dexter èrutus fuit, et dextri pedis flexus prorsus labefactatus. Isto ad vitam immortalem translato, Cyrillus àlacris et promptus doctrinae Apostolicae propugnator, in episcopatus gradu locatur.» Haec ille. Qua de causa maximas etiam passus est persecutiones ab Arrianis. Nam cum animadvertissent illum vehementer haeresibus obstare, et Apostolica dogmata adeo strenue tuèri, congestis quibusdam calumniis, in quodam conciliabulo suo accusare illum, et deinceps, ita ut alios permultos catholicos episcopos, more suo deponere non dubitarunt: idque ex negotio pietatis illius erga egènos quaesito praetextu, ut auctor est Sozomenus lib. 4, cap. 25 (secundum Chrystophorsonum

Digitized by Google

24 Ecclesiast. hist.). Caeterum episcopi catholici centum quinquaginta, qui non ita multo post Seleuciam ad Synodum convenerant, depositionem illam ratam non habuerunt, ut testatur Theodoretus in Christophorsoni versione, lib. 2, cap. 27 Ecclesiast. hist,: immo ipsum potius adversarium illius et auctorem depositionis Acacium, quam Cyrillum, ab illa Synodo excludere maluerunt. Nicephorus vero de ejusdem Seleucianae Synodi Actis et de Acacianis scribens: «Neque eamdem, inquit, cum aliis fidem profiteri, neque ad objecta crimina respondere sustinuère. Quinetiam ad Cyrilli Jerosolymitani causam audiendam invitati, quem ipsi episcopatu abire jusserant, non adfuère: neque enim qui eos cogeret, aderat quisquam. At alteri illi (nempe Catholici) non modo libere haec egèrunt: sed Acacium et quicumque ad eum confugissent (quippe qui intentata eis crimina diluere timuissent) dignitate privarunt. »

§ 4. Ex his patet, quanta fuerit Cyrilli integritas, quem ne accusare quidem coram legitimis judicibus adversarii veritatis audebant, sed tantum apud suos sectarios: quorum adeo tum creverat potentia et audacia, cum intelligerent Imperatorem suarum esse partium, ut ipsi nihilominus quos semel inique deposuissent, iniquius vi et armis de suis sedibus exturbarent, et alios pro arbitrio suo substituerent. Quemadmodum accidit et Cyrillo, quo de sede Jerosolymitana dejecto, Heraclius est illi substitutus, ut ait Nicephorus: atque huic rursum successit Hilarius. Isti namque usque ad Theodosii imperium eam ecclesiam administrasse traditi sunt. Post quos D. Cyrillus deinceps sedem suam recuperavit. Quomodo autem his denuo ad sedem suam pervenerit, et quo pacto in ea sese gesserit, ex literis Synodi Constantinopolitanae, quae Nectario praeside sub Theodosio celebrata est, ad Damasum, Ambrosium, et reliquos episcopos Romae coactos, videre est, cum scribunt: « In ea vero ècclesia, quae aliarum omnium mater est, Jerosolymis reverendissimum et Deo amantissimum Cyrillum episcopum esse scimus, rite jamdùdum a provincialibus episcopis electum: qui sane diversis in locis plurimum adversus Arrianos decertavit. »

§ 5. Epiphanius quoque, lib. 3, Tom. 1, Haeresi 73, Cyrilli hujus meminit, quod praeter Acacium Arrianum, cum aliis quoque illius sectae episcopis contendere religionis ergo non dubitavit. Et Jeronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum de illo scribit: «Cyrillus Jerosolymae Episcopus saepe pulsus ecclesia et receptus, ad extremum sub Theòdosio principe octo annis inconcussum episcopatum tenuit.» Itaque ex his et aliis permultis Ecclesiasticorum Scriptorum testimoniis certum est, Cyrillum fortissimum Christi athletam, et orthodoxae fidei assertorem constantissimum, multis annis pro veritate decertasse, persecutiones varias pertulisse, atque hoc bonum certamen certasse a

Digitized by Google

primis fere annis Constantii Imperatoris, usque ad complures annos Theodosii: cursum autem suum tum demum consummasse, cum Theodosius, devicto Maximo tyranno, qui Romanum Imperium in Occidente invaserat, rebus Romanis recte constitutis, Constantinopolim reversus, filios suos Arsenio erudiendos traderet, ut scribit Nicephorus: « Eàdem tempestate Timotheus et Cyrillus, qui in Alexandrinae et Jerosolymitanae ecclesiae thronis enituèrant, vitâ defuncti, alter quidem Alexandriae Theophilum, alter autem Jerosolymis Joannem successorem habuit, usque ad tempora Anastasii et Innocentii Pontificum Romanorum. Joannis vero successor erat Jeròsolymis Nepos. Hactenus Nicephorus. Et Cyrillus quidem ita, ut legimus, bonum certamen certavit, cursumque vitae suae consummavit: decaetero autem reposita est illi corona justitiae, quam retribuet illi justus judex. Quam praeclaram autem et sanctam sui memoriam apud posteros etiam reliquerit Cyrillus, tum scripta illius quae extant: tum Orientalis Ecclesiae fasti seu calendaria, in quibus preces anniversariae et commemorationes Sanctorum descriptae sunt, abunde testantur.» Nam ut aliorum Patrum, qui in Sanctorum coetu clariores habentur, ita hujus quoque Cyrilli Jerosolymitani die 18 Martii in ecclesiis Graecis sancta celebratur memoria: ac scriptis quoque illius apud Graecos nomen sancti Patris praefixum ubique reperitur (*a*).

VITA ET MARTYRIUM

S. EDUARDI REGIS

UT IN ANTIQUIS MSS. EXEMPLARIBUS HABENTUR

SED PAULO LATINIUS HIC REDDITA PER LAURENTIUM SURIUM

Mactatus anno 978.

§ 1. Inclytus Rex Eduardus multa fuit generis claritudine, ab antiquis Britanniae regibus originem ducens: et quod longe illustrius est, in teneris annis a Dunstano sanctissimo pontifice Cantuariensi Christi sacramento regeneratus, coepit virtute et probitate pollère. Patrem habuit Edgarum regem, rebus et bello et pace gestis valde insignem: matrem vero Elfledam, praepotentis

(*a*) Praeter Epistolam ad Constantium de qua supra in § 2, scripsit Cyrillus cum adhuc presbyter esset octòdecim de Christianis dogmatibus, Sacramentis et ritibus aureos tractatus sive *Catechèses* quae sunt institutiones ad Catechumenos; accedunt quinque *Mystagogicae* scilicet ut graeca significatur voce quasi appendices Catechesum, seu institutiones ad *recens illuminatos*, et *mysteriis* jam *initiatos*, *Competentes* qui dicebantur. Harum quinque praesertim Mystagogicarum ut a se ingratam excuterent auctoritatem Calvinistae, vitiata chronologiâ, negarunt auctorem esse S. Cyrillum; at ab universa prorsus antiquitate, et recentiorum eruditorum validis eorum impudentia rejicitur argumentis. S. Cyrilli Catecheses Graecas a vetusto MS. Grodecius, allati elogii scriptor, latinitate donavit.

Digitized by Google

cujusdam Orientalium Anglorum Ducis filiam. Et quidem Edgarus postquam non pauca sibi ejus terrae loca subdiderat, et jam monarchiam obtinere videretur, solus imperio potitus, ubi prius multi regnaverant: hortantibus eum SS. Dunstano Cantuariensi et Athelwoldo Wintoniensi Episcopis, permulta monasteria illarum regionum, quas subjugarat, ab aliis vastata, suis impendiis jussit instaurari, nonnulla etiam nova a fundamentis extrui: ad quorum alia misit Abbates cum aliquot monachis, disciplinae monasticae convenienter victuris: ad alia vero sanctimoniales, Christo servituras. Omnibus autem praedia et villas attribuit, unde affatim eis suppeterent quae ad victum vestitumque pertinèrent. Et ipse quidem pius rex constituerat monachorum coenobia subinde invisere et fratres consolari. Porro reginam voluit idem praestare erga foeminas Deo sacratas. Habebat autem ex altera conjuge etiam filium Ethelredum. Interim Eduardus major natu filius, optimae indolis puer, lasciviam omnem et illecebrosas vitae hujus voluptates respuens, ita se erga Deum, et homines comparare studuit, ut Deo quidem ante omnia mentis et corporis integritate sectanda placeret: hominibus vero gratum et amabilem se exhibèret. Erat vero etiam multa industriâ et prudentiâ conspicuus. Iis permotus pater ejus Edgarus, illum post se voluit regni sceptra tenere: ac deinde compositis regni rebus, piissimus rex vita functus est anno a Christo nato DCCCCLXXVII regni vero sui XVI mensis Julii die octavo.

§ 2. Eo defuncto, Eduardus ex patris voluntate a S. Dunstano et quibusdam regni proceribus rex creatur. Ipso autem consecrationis ejus tempore quidam regni optimates illi se opposuerunt. Id ut vidit S. Dunstanus, nihil a sententia sua dimotus, vexillum S. Crucis quod pro more ante illum ferebatur, in medio statuit, et cum caeteris regni episcopis Eduardum regem consecravit: eumque quoad vixit, sane paterno amore complexus est, quippe quem a primis aetatis annis in filium adoptaverat. Ubi igitur ad regni gubernacula Eduardus rex pervenit, a rege regum Christo opt. max. in viam justitiae et veritatis dirigebatur, et cum esset regia majestate sublimis, in dies studebat animi humilitate fieri submissior. Et ut regni negotia prudenter curaret, noluit in consilium adhibere juvenes aut minus sapientes: sed ejus quem diximus, sancti pontificis Dunstani monitis obtemperabat, et ex illius aliorumque religiosorum et spectatae integritatis virorum consilio, in judiciis sententiam promebat. Paternis quoque vestigiis insistens, tam rebus bellicis quam Ecclesiasticis negotiis strenuum ac devotum intendit animum: hostibus quidem et flagitiosis hominibus severum et terribilem: piis vero, et illis praecipue qui essent sacris initiati, quemadmodum a patre didicerat, benignum se praebebat, et ab omni illos infestatione tuebatur. Erat praeterea haec illi quotidiana exercitatio, inopes alere,

Digitized by Google

pauperes beneficiis fovère, nudos tegere, in maximis lucris ponere quicquid in miseros contulisset. Magna tunc apud Anglos laetitia, inconcussa pax et tranquillitas, multa rerum opulentia existebat. Videbant enim regem suum in tenera adhuc aetate talibus studiis deditum: tum quoque cunctis affabilem, castitate venerabilem, facie jucundum et decorum, consilio et prudentiâ spectatissimum.

§ 3. Torquebatur interim invidiâ coluber tortuosus, totius boni aemulus, ejusque felices conatus et communia regni totius gaudia interturbare modis omnibus annitebatur. Itaque odio inflammat animum novercae ejus Elfridae quae aegre ferebat Eduardum suo filio Ethelredo antelatum. Convertitur interim ad callida consilia mulier detestabilis, et tandem quod animo secum diu tractarat, quibusdam suis consiliariis, et regni primoribus exponit, communicatoque cum illis consilio, orat et obtestatur, ut ipsi faveant, cogitentque viam, qua Eduardum regni sede deturbare, suumque filium Ethelredum in ejus locum sufficere possint. Illi vero in Eduardi necem pariter conspirant, ejusque celeriter illi afferendae machinas excogitant. Jam tres annos et menses octo Eduardus regno potitus erat, et ecce die quodam cum canibus et equitibus in sylvam, cui villa Werham àdjacet, venationis causâ proficiscitur. Erat id temporis ea sylva bene grandis, tametsi hodie rara tantum spineta et nucum arbores neglecto situ, campis late patentibus, illic visuntur. Cum autem in ea venatione aliquandiu haesisset, incessit animum illius cupido invisendi fratrem suum Ethelredum. Amabat enim illum sincere et ex animo. Porro sylvae illi adjuncta erat domus novercae ejus ubi Ethelredus educabatur eo in loco, quem incolae Corph vocant qui ab ea, quam diximus, villa tribus abest milliaribus, ubi nunc castrum sic satis egregium constructum est. Eo igitur iter intendens Eduardus, paucos sibi comites adhibuit qui tamen ludendi causâ hac illac dispersi, regem solum reliquère. At ille cum jam èminus domum novercae cerneret, illuc ut agnus mitissimus solus ire perrexit, nihil quicquam sibi metuens, quippe qui neminem se vel minima re laesisse vel offendisse meminisset. Nunciatur interim reginae illum adventare. Illa vero plena dolo et iniqua in piissimum adolescentem cogitatione, ad complenda animi sui desideria opportunum tempus adeptam se gaudens, obvia mox cum satellitibus et suae nequitiae administris, tanquam ejus adventu sibi gratulans, illi procedit, blande et comiter salutat, invitat ad hospitium. Illo recusante ingredi, tantumque fratrem se videre et alloqui velle affirmante, regina ad alia se transfert machinamenta, jubet absque mora potum regi offerri. Adfertur potus, rex nihil mali suspicans, admovet ori poculum, et ecce unus ex reginae administris, caeteris ad audendum promptior, et ad scelus patrandum immanior, cum prius

Digitized by Google

teterrima simulatione regem osculatus esset, quemadmodum Judas Christum, rege summis labris potum degustante, in illum cruentissimus latro insiliit, cultelloque ejus viscera transfixit. Ille tam atroci accepto vulnere, paululum inde deflexit, et mox ex equo, quo sedebat, exanimis corruit. Incidit tam barbarum facinus in annum Christi DCCCCLXXVIII, et quod dictu quoque nefas est, in sacrum Quadragesimae tempus, nempe diem XV Calendas Aprilis. Nos quidem pie credimus divinae providentiae mirabili dispensatione id ita accidisse ad majorem militis sui gloriam, ut qui annuo Quadragesimae jejunio carnem suam macerando, aliaque pietatis opera exercendo, pro laudibili more et instituto Christianorum ad sacratissimum Dominicae resurrectionis diem sese praeparabat, bono fine consummatus, cum bonorum operum fructu in coeleste illud palatium a Christo susciperetur. Ubi vero cognovit regina illum de equo cecidisse mortuum, jubet corpus exanime projici in vicinum domicilium, ne tantum scelus innotesceret. Obtemperant crudeles ministri sceleratae mulieri, et sacrum corpus per pedes contemptim arreptum, eo, ubi illa jusserat, abjiciunt, et vili stramine tegunt.

§ 4. In illa autem domuncula mulier erat a primo ortu caeca quam regina alebat. Ea cum proxima nocte illic apud sacrum corpus sola pernoctaret, ipsâ intempestâ nocte immensa lux domicilium illud complevit, et caeca illa mulier Dominum deprecans, meritis sancti regis lumen diu desideratum obtinuit: in cujus rei memoriam eodem in loco postea a Christianis templum aedificatum est. Illucescente autem die, cum rem gestam ex foemina didicisset crudelis regina, multum anxia timere coepit caedem, cujus ipsa auctor fuerat, propalatum iri. Mox igitur praecipit tolli sacrum corpus, et in paludes dèprimi, ne posset ab ullo unquam reperiri: nec hoc contenta, palam edicit, ne quis regem extinctum ploret, nec de illo omnino loquatur. Deinde proficiscitur ad quemdam suae ditionis locum qui decem aberat milliariis, ne posset in ipsam patratae necis ulla cadere suspicio. Ethelredus autem adeo moerebat ob crudelem fratris sui caedem, ut neque lacrymas cohibère, neque ullam posset consolationem admittere. Id moleste ferens atrox regina, furore correpta, cum non haberet ad manus alia, candelis tamdiu verberavit illum, donec ejus ululatum compesceret. Jam annus fere elapsus erat, et volens praepotens Deus martyrem suum mundo innotescere, et quanti apud ipsum meriti esset, declarare, corpus ejus venerabile quibusdam fidelibus, devote illud inquirentibus, revelare dignatus est. Nam eo in loco, ubi in paludem depressum erat, columna ignea coelitus demissa apparuit, et suis radiis omnia circumquaque illustravit. Viderunt id pii quidam viri in vicina villa (nam saepe lux illa extitit), et in unum collecti, transtulerunt sacrum corpus in villam suam. Fit magnus hominum

Digitized by Google

concursus, plangentium obitum piissimi regis et fidissimi protectoris sui: deportaturque cum multo gemitu venerabile corpus ad templum beatissimae Mariae Virginis, et in ejus orientali parte officiosissime sepelitur Idibus Februarii: ubi lignea aedicula a viris religiosis aedificata, hodieque cernitur, et fons eo loco, ubi prius jacuerat, dulces et perspicuas jam inde ab illo tempore emànat aquas, diciturque fons S. Eduardi, ubi sane multa aegris quotidie praestantur beneficia in laudem et gloriam Christi.

§ 5. Jam vero famâ divulgante, per Britanniam reginae fraus et impietas propalatur, rex innocens laudibus in coelum tollitur, virtutes et merita ejus ubique celebrantur. Pervenit etiam ad aures comitis Alferi, sacrum corpus regis coelesti indicio repertum: isque mirifice exhilaratus, et domino suo tanquam adhuc superstiti fidelem cupiens navare operam, ad locum insigniorem illud transferre decrevit. Itaque episcopos, abbates et regni pròceres, quotquot sibi adjungere potuit, hortatur ut in eamdem curam una secum incumbant. Misit etiam nuncium ad Wilfredam abbatissam coenobii Wiltoniensis, orans ut cum virginibus suis tanti regis exequiis non desit. In eo autem monasterio erat regis Eduardi soror, virgo admodum venerabilis, multa vitae et morum integritate pollens. Convenientibus igitur Episcopis, Abbatibus et aliis permultis cum multa veneratione et studio, comes Alferus e Dorsata multos utriusque sexus homines collegit, et ad eum locum, ubi sancti regis corpus humatum fuerat, cum magna devotione pervenit. Ibi tum sacrum illud corpus in tantae multitudinis praesentia detectum, adeo ab omni corruptione repertum est alienum, ac si die illo tumulatum fuisset. Quod ut viderunt episcopi et alii omnes, Deum hymnis et laudibus glorificarunt, qui sancti martyris innocentiam tam evidenti signo declararet. Porro soror ejus antedicta ad sacrum corpus accurrens, illud stringit amplexibus, religiose exosculatur, largis lacrymarum imbribus rigat faciem, nec satiari potest tantâ fratris sui gloriâ. Accedunt inde viri venerabiles, et cum ingenti cleri populique gratulatione illud sanctum corpus ad celeberrimum coenobium Scephtoniam deferunt: quod olim divae memoriae Elfredus rex, S. Eduardi àtavus, condiderat, et pro amore filiae suae Ailenae, quam coelesti sponso desponsam, in illud monasterium tradiderat, amplissimis auxerat donis et possessionis.

§ 6. Accurrebant interea permulti sexus utriusque homines, et in iis duo pauperes adeo contracti, ut vix manibus et cruribus per terram possent rèpere, Deum et S. Eduardum pro incolumitate reddenda exoraturi: cumque feretro propinquassent, et illi qui sacrum ferebant corpus, eis feretrum imposuissent, confestim cunctis aspectantibus sanitati sunt restituti. Fit repente clamor populi, S. Eduardi merita praedicantur. Ad reginam quoque

Digitized by Google

perferuntur tam praeclara miracula, et illa corde compungitur ob admissum scelus: ascensoque mox equo, veniam petitura, se accingit itineri, quod ducit ad corpus martyris. Ecce autem inter equitandum ita divinitus retardabatur, ut equus ejus retrocedere potius quam progredi videretur, nec ulla ratione efficere posset, ut is procederet. Animadvertens igitur pro suo immani facinore isthuc se perpeti, ab equo descendit, pro majori reverentia pedibus suis itura ad corpus sancti martyris: sed tunc quoque sensit se repelli retro, nec potuit voto potiri suo. Porro sacrum corpus ad locum destinatum perductum, a virginibus Christi honorifice exceptum, et ad summi altaris partem borealem reverenter admodum conditum est XII Calend. Martii: ubi deinceps multa sunt aegris divinitus collata beneficia: multa vero etiam miracula scriptorum negligentiâ non sunt literis annotata, neque nos alia de sancto Christi martyre referre voluimus, quam quae ab aliis bona fide conscripta invènimus, aut fidelium hominum relatione didicimus. Tandem anno Domini MI qui fuit 21 ab eo, quo illic corpus venerabile tumulatum fuit, elevatum est, incredibili odoris suavitate inde manante, et in locello accurate praeparato repositum, atque cum aliis sanctorum reliquiis in sanctis sanctorum honorifice collocatum. Nam et ipse sanctus rex cuidam in visione praeceperat, ut ejus coenobii Abbatissa indicaret fratri ipsius regi Ethelredo, ut alio sanctum corpus transferret: et ipse sacri pignoris tumulus quotidie mirabili facilitate a terra elevabatur, non obscuro utique argumento, sanctum regem sacras reliquias suas alibi velle transponi.

DE S. JOSEPH

PATRE PUTATITIO JESU CHRISTI

DE QUO ETSI SPARSIM APUD SANCTOS PATRES HABEANTUR NONNULLA, QUAE AD EJUS FACIANT COMMENDATIONEM, TAMEN QUIA NOS NON TAM ENCOMIA QUAEDAM, QUAM INTEGRAS HISTORIAS, UBI FIERI POTEST, EDERE CUPIMUS: OMISSIS ILLIS, PAUCA DUMTAXAT EX D. BERNARDO HUC ADSCRIBEMUS, NE TANTUM PATRIARCHAM NEGLEXISSE VIDEAMUR.

§ 1. Necessario fuit desponsata Maria Joseph, quando per hoc et a canibus sanctum absconditur, et a sponso virginitas comprobatur, et virginis tam verecundiae parcitur, quam famae providetur. Quid sapientius, quid dignius divina providentiâ? Uno tali consilio secretis coelestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama virginis matris. Alioquin quando

Digitized by Google

pepercisset justus adulterae? Scriptum est autem: Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Bene cum esset justus, noluit eam traducere: quia sicut nequaquam justus esset, si cognitam ream consensisset: sic nihilominus justus non esset, si probatam innoxiam condemnasset *.

§ 2. Cum ergo justus esset, et nollet eam traducere, voluit dimittere eam, Quare voluit dimittere eam? Accipe et in hoc non meam, sed Patrum sententiam. Propter hoc Joseph voluit dimittere eam, propter quod et Petrus Dominum a se repellebat, dicens: Exi a me, Domine, quia homo peccator sum; propter quod et Centurio a domo sua eum prohibebat, cum diceret: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Ita ergo et Joseph indignum et peccatorem se rèputans, dicebat intra se, a tali et à tanta non debere sibi ultra familiare praestari contubernium, cujus supra se mirabilem expavescebat dignitatem. Videbat et horrebat divinae praesentiae certissimum gestantem insigne: et quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expàvit Petrus potentiae magnitudinem: expavit Centurio praesentiae majestatem. Exhorruit nimirum et Joseph, sicut homo, hujus tanti miraculi novitatem, mysterii profunditatem: et ideo occulte voluit dimittere eam. Miraris, quod Joseph praegnantis sese consortio virginis judicabat indignum, cum audias et sanctam Elisabeth ejus non posse ferre praesentiam, nisi cum tremore et reverentia? Ait namque: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ideo itaque Joseph voluit dimittere eam.

§ 3. Sed quare occulte, et non palam? Ne videlicet divortii causa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir justus responderet populo durae cervicis, populo non credenti et contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate comprobaverat, nonne mox increduli et crudeles Judaei subsannarent illum, lapidarent illam? Quando namque veritati crederent tacenti in utero, quam postea contempserunt clamantem in templo? Quid facerent necdum apparenti, cui postmodum impias manus injecerunt etiam miraculis coruscanti? Merito ergo vir justus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occulte dimittere eam.

§ 4. Sin vero aliter quis sentiat, et Joseph sicut hominem dubitasse contendat: sed quia justus erat, noluisse quidem habitare cum ea propter suspicionem, nec tamen (quia pius erat) traducere voluisse suspectam, et ideo voluerit occulte dimittere eam: Breviter respondeo, etiam sic dubitationem illam Joseph fuisse necessariam quae divino meruit certificari oraculo. Sic quippe scriptum est: Haec autem eo cogitante, scilicet, quod occulte dimitteret eam, apparuit ei angelus in somnis, dicens: Joseph fili

* Cur S. Joseph Virginem cum vidisset uterum gerentem, vellet eam occulte dimittere.

Digitized by Google

David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Itaque propter istas rationes desponsata est Maria Joseph, vel potius, sicut ponit Evangelista, viro, cui nomen erat Joseph. Virum nominat, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat: vel potius, quia juxta alium Evangelistam, non vir simpliciter, sed vir ejus dictus est: merito appellatur, quod necessarie putatur. Debuit ergo vir ejus appellari, quia necesse fuit et putari: sicut et pater Salvatoris non quidem esse, sed dici meruit, ut putaretur esse, dicente hoc ipso Evangelista: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph (Lucae* III). Nec vir ergo matris, nec filii pater extitit, quamvis certa (ut dictum est) et necessaria dispensatione utrumque ad tempus et appellatus sit et putatus.

§ **5**. Conjice tamen ex hac appellatione, qua, licet dispensatoria, meruit honorari a Deo, ut pater Dei et dictus et creditus sit: conjice et ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas interpretari, quis et qualis homo fuerit iste Joseph. Simul et memento magni illius quondam Patriarchae venditi in Aegypto, et scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam adeptum, innocentiam assequutum et gratiam. Siquidem ille Joseph fraternâ ex invidiâ venditus, et ductus in Aegyptum, Christi venditionem praefiguravit. Iste Joseph Herodianam invidiam fugiens, Christum in Aegyptum portavit. Ille domino suo fidem servans, dominae noluit commisceri. Iste dominam suam Domini sui matrem virginem agnoscens, et ipse continens fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum. Isti datum est conscium fieri atque participem coelestium sacramentorum. Ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo. Iste panem vivum e coelo servandum accepit tam sibi, quam toti mundo. Non est dubium, quin bonus et fidelis homo fuerit iste Joseph, cui mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus et prudens, quem constituit Dominus suae matris solatium, suae carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidelissimum.

§ **6**. Huc accèdit, quod dicitur fuisse de domo David. Vere enim de domo David, vere de regia stirpe descendit vir iste Joseph, nobilis genere, mente nobilior. Plane filius David, non degenerans a patre suo David. Prorsus, inquam, filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione: quem tamquam alterum David Dominus invenit secundum cor suum, cui tuto committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum, cui tamquam alteri David incerta et occulta sapientiae suae manifestavit, et dedit illi non ignarum esse mysterii, quod nemo principum hujus seculi agnovit: cui denique datum est, quod multi reges et prophetae cum vellent videre, non viderunt: audire et non audierunt: non solum videre et audire, sed etiam

Digitized by Google

portare, deducere, amplecti, deosculari, nutrire et custodire. Non tantum autem Joseph, sed et Maria descendisse credenda est de domo David. Alioquin non esset desponsata viro de domo David, si non esset et ipsa de domo David. Ambo igitur erant de domo David: sed in altera completa est veritas, quam juravit Dominus David: altero tamen conscio et teste adimpletae promissionis *.

VITA B. JOANNIS SYRI CONF.

AB ADONE EPISCOPO CONSCRIPTA IN IPSIUS MARTYROLOGIO.

Floruit Saec. VI.

Apud Penarensem urbem (*a*) natale beati Joannis, magnae sanctitatis viri, qui de Syria oriundus, pervenit ad Italiam. Cumque quaereret locum habitationis suae, orationem fudit ad Dominum: « Te deprecor, Domine, qui lumen es verum, si prosperum facis iter meum, hoc mihi signum fiat. Ubicumque ambulavero, si Psalterium meum dedero, et eàdem die mihi redditum fuerit, ibi sit permansionis meae locus.» Factum est. Recepit eum hospitio matrona quaedam, cui vir Dei psalterium suum dedit, requisivit: eique mox a muliere redditur. Hoc itaque signo, ut stationem suam ibi vir Dei faceret, confirmatur, ac inde non longe plus minusve, quam duarum sagittarum progressus, habuit angelum Dei obvium, qui ei dixit: « Serve Dei, hic tibi locus permansionis a Domino parabitur.» Erat autem hyems, et sedebat vir Dei sub arbore. Venatores vero cum per locum transitum facerent, viderunt eum sedentem, atque arborem illam juxta illum foliis vestitam. Requirentes autem virum, quis esset, ob Domini servitium se de ultramarinis partibus locis venisse, morarique hic velle respondit. Nunciantibus igitur illis, famàque vitam beati viri longius spargente, tanta frequentia populi Dei undequaque illuc advènit, ut monasterio facto, congregatio magna servorum Dei simul habitantium ibi fieret. Cui praefuit multis clarus virtutibus beatus Joannes quadragintaquatuor annos: et requiescens in pace, depositus est XIV Calend. Aprilis, in loco, ubi praestantur beneficia Dei usque in hodiernum diem.

* Vide infra ad diem XXV 1. loco dissertatiunculam eximii Aloisii Lipomani: *S.* JOSEPH *Virginem permansisse.*

(*a*) Apud Vestinos in hodierno Aprutio vulgo *Civita di Penne.*

Digitized by Google

DE S. LANDOALDO

S. ROM. ECCLESIAE ARCHIPRESB.

AC DE S. AMANTIO DIAC.

Floruerunt Saec. VII. — Nat. Itali.

§ 1. Francorum regnum visum est florere, cum jugo Dominicae fidei colla passum est inclinare, et quod prius adorarat, incendere: quod incenderat, voluit deinceps adorare. Maximum autem accepit incrementum et firmum sub eo sancta Dei Ecclesia statum, cum Lotharius rex, juxta successione hinc quartus, monarchiam singulariter trium regebat regnorum, et cum quadragesimum agebat annum, quem Heraclius Augustus, sanctae Crucis relator, quartumdecimum. Hic sceptro suo nullius circumpositi sceptrum passus est occursare: sed quicquid pene Gallia et Germania regum et gentium continebat, suis habènis studuit coërcère. Hic filium suum inclytum Dagobertum Austrasiis praefecerat, ejusque dominio Germaniae regnum conjunxerat. Quorum fidelissimo tempore intantum exuberabit Christianitatis titulus ubique, ut pene rara aut nulla citra finitimos inveniatur hodieque ecclesia, quae non alicujus ejus sancti temporis nobis praetendat patrocinia. Sed ut sileamus interim de innumeris, sancti viri Eligius et Audoënus Palatinis inceptabant insudare curis, beatus Arnulphus cum Romarico jam tunc intererant regalibus consiliis : sanctus autem Amandus Aquitaniam nativitatis suae illustrabat auspiciis. Qui dum puer adhuc esset, patriam parentesque reliquit, Ogiamque insulam , ad Occidentem maris Oceani positam, expetivit. Illic a fratribus spiritualibus cum magno recipitur gaudio: et quia sacras literas didicerat, in Dei quotidie servitio majori fervebat desiderio. Post haec aetate quidem adultior, sed animi intentione ferventior, apud Turones sancti Martini petiit sepulcrum. Ibi ejus interventionis oravit auxilium, ut id sibi gratiae apponi postulet Dominum , quatenus peregrinationis totius vitae sibi concedat dependere cursum. Ab oratione surrexit, capitis comam sibi abscindi fecit, Clericatus adeptus honorem, omnem in clero gratiam peregrinando tamen, transcendit per ordinem. Bituricos deinceps adiit, cum beato Austrigisilo ejusque archidiacono sancto Sulpitio sanctissime conversatus, in cella, a se aedificata, per quindecim annos arctissimae vitae se addixit. Deinde Romam quoque regressus, et a B. Petro per visum monitus, ut Gallias praedicationis causâ repedaret: tandem

Digitized by Google

coactus a rege et sacerdotibus, episcopus ad praedicandum, ut tunc moris erat, est ordinatus. Circumquaque etenim paganorum errore adhuc impendente, necesse erat tam religiosis principibus, quam Domini sacerdotibus, alios ad verbum Domini annunciandum, baptizandumque populum, et confirmandum ordinare.

§ 2. Quod ut nemini videatur ambiguum, testis est Taxandria, post multos hinc annos a B. Lamberto idolorum culturis stirpitus liberata. Brachbantium quoque, multis erroribus gentilium irretitum, ab ejus successore S. Huberto ex parte correctum: Germania etiam pene tota, noviter non solum conversa, sed etiam novis episcopiis et ecclesiis illustrata pariter et ditata. Ex iis alios novimus praedicationi usque ad obitum institisse, alios vacantibus episcopiis aut abbatiis postea subrogatos esse, alios novis ecclesiis, episcopia nova instituisse. Beatus vero Amandus officium susceptum strenue implevit circumcirca positis, Vaccejam, id est, Vasconiam et Danubium ultra perreptans, verbum Domini annuntiavit, donec vires suas ad opus tam arduum videns non sufficere, Romam deliberavit iterato adire. Romanum universalem Pontificatum Martinus Papa tum administrabat. Cui B. Amandus votum, cujus obtentu venerat, exprompsit: qui ut sibi ad id opus peragendum suppetias mitterentur, poposcit. Destinati sunt ei plures, quorum nomina exciderunt, adjutores. Inter quos S. Landoaldus Archipresbyter, Amantius Diaconus: quos etiam comitatae sunt sanctae foeminae Vinciana et Adeltrudis, cum aliis viris et mulieribus septem. Per idem fere tempus Beatus Joannes Tungrensium vel Trajectensium feliciter regens pontificatum, mortem occubuit.

§ 3. Dagobertus rex, qui patre defuncto rerum potitus auspicabiliter successerat, B. Amandum evocavit, Trajectensium cathedrae praesidere fecit. Qui per triennium vicos et castra, verbum vitae annuntiando, circuivit: sed nil se proficere cernens, sacerdotes insuper et Levitas insultare sibi dolens, ad alia deinceps loca demigravit. Incompertum est deinde, quanta temporis intercapedine plebs Trajectensium fuerit usque ad B. Remaclum sine pastorali benedictione, nisi quia famâ ad nos usque perferente accepimus. B. Landoaldum illic remansisse, et per novem annos vices pontificis administrasse. Cui opinioni illud nos facile facit accedere, quia refertur idem B. Landoaldus specialem patronum nostrum, sanctum scilicet Lambertum, prima pueritiâ nutrivisse. Propter quod et illustris vir Aper, ejusdem pueri pater, praedium vocabulo Wentershovum, super Archa fluvium positum, eidem ad inhabitandum et ecclesiam construendam perpetuo jure concessit, et eumdem puerum, divinis dogmatibus imbuendum, cum eo manere constituit. Ubi dum artifices operi insistunt, et aquam, utpote de paludibus turbidam,

fastidiunt, B. Landoaldus cum puero Lamberto, invocato Christi nomine, cum crucis protensione fontem limpidissimum baculi impressione omnium usibus fecit ebullire, qui fidem dictis praebet usque hodie.

§ 4. Alio itidem tempore cum usui necessario ignis deesse videretur, accitus a viro sancto puer, ignem inferre jubetur. Coepit idem imperio reniti, et cur statim jubenti non satisfecerit, palam fateri. « Vas, inquit, domine, quo ignis opportune importetur, deesse vides, et quo hunc modo inferri jubes? Promptus quidem tibi obtemperare mihi est animus: sed ut votis tuis contraire videar, ipse vasis cogit defectus. » At pius pater, ubi haesitantis pueri animum persensit: « Placetne, inquit, fili paternae jussioni moram fieri, cum ea qua tègeris veste ignis satis commode queat inferri? » Qua puer motus increpatione, cum praeterea obedientiae exemplo cogeretur, imperio patris sane obtemperat, pauloque progressus, ignem requirens properat. Quo tandem invento, nil adesse videns, quo eo opportunius ferret, gremium prunis ardentibus laxat, easque nihil cunctatus infra collocat, et ita veste illaesa ad patrem usque deportat. Tunc vir sanctus novitatem miraculi secum altius considerare, felicisque pueri meritum perfectorum etiam non dubitat virtutibus comparare: quo quidem ardens elementum naturam suam vel ostendere timuit, vel omnino coactum est occultare. At ubi ad populares aures recens adhuc miraculum peraccessit, tum omnium ore puer extollitur: tum etiam res divinitus gesta, cum obedientis merito, jubentis imperio ascribitur. Itaque ex utriusque sanctitate, virtus eadem acta creditur. Sperabatur et alia multa per eorum meritum illic Christus miracula facturus.

§ 5. Quorum rumore Childericus rex, tunc sedem habens apud Trajectum, tactus compassione, sumptus necessarios mittebat ei quotidie. Sed quadam vice Adrianus, ejusdem beati viri ad regem internuncius, nimia auri et argenti pondera deportare creditus, a latronibus est interceptus, et in medio viae loco villari martyrium est assecutus. B. vero Landoaldus, cursum vitae praesentis explens, in senectute bona repausationem indeptus, hominem exuit, bravium coronae perennis accepit, sepultus in ecclesia, quam ipse aedificaverat, et in honore B. Petri per Calendas Decembris dedicaverat. Decessit autem quartodecimo Calendas Aprilis. Sed et comites peregrinationis ejus, supra denominati, suis, prout Christo libuit, temporibus, hac luce quique evocati, circa eum sunt in eadem ecclesia tumulati. Solus beatus nomine et merito Amantius, in eadem cum ipso theca, quia ejus ut fama fert, in baptismate filius extiterat, sepeliri est contentus. Plurimis deinde elapsis annorum curriculis, sanctus Florebertus, tertio loco post sanctum Lambertum regens Trajectense vel Leodiense episcopium, audita illic multitudine signorum, monitus

Digitized by Google

pariter responsis visionum, eos illinc cum digna reverentia transtulit, et eorum tumbas pro possibilitate sua decorari mandavit. Facta est autem haec translatio Calendis Decembris, quo die et dedicationem ejusdem ecclesiae supra diximus memoratam. Mansit vero honor, cultus et reverentia circa sanctorum corpora, quoadusque effera gens Nortmannorum, sedibus suis non contenta, totam pene Galliam perturbavit: et timore eruptionis eorum, ne sanctorum violarentur busta, terrae sunt a fidelibus remandata. Huic repositioni interfuit quidam Frangerus, homo nostra aetate senissimus, qui et ante infestationem paganorum, novem annis, villae ejusdem extiterat procurator et villicus. Hildebrandus quoque presbyter, quem propria manu ante annos tumulavit Sarabertus aeque presbyter, hujus notitiae relator fidelissimus, qui et haec, quae praemisimus, ab eodem Frangero commemorat multis attestantibus se audisse, et libellum de vita eorum pariter vidisse. Quem quia antiquaria manu commemorat scriptum et a stillicidio cerae pene infusum, lectòrem ejus non ignoramus fuisse perrarum. At vero quae hactenus paucis perstrinximus verbis, illinc se delibasse, nuperrimae vero incursione Hungrorum, propter incuriam custodiae, cum aliis rebus eumdem libellum deflagrasse. Sed haec hactenus.

§ **6**. Post Nortmannicam autem repulsionem, primus quidam Thietboldus locum praelibatum, ubi corpora sanctorum erant reposita, a Comite Flandrensi, Abbatiam sancti Confessoris Christi Bavonis tenente, accepit jure beneficii: post eum Adelgandus. Qui potius cogitantes, quae sunt mundi, quam quae Domini, aliquem reverentiae cultum Sanctorum parvipenderunt reliquum esse honori. Quocirca paulatim haberi coepit contemptui. Ut vero Aper, nostrae aetati finitimus, cum filiis locum precario sortitus est ipsum, jam ipsius Dei timore postposito, ecclesia ipsa non tantum Sancti honore condebito, verum suo omnino vacuata est ornamento. Wamboldus deinceps in dominio ejusdem successit villae, ubi et accepit locum sepulturae. Pro cujus tumulatione, filius deinde ejus Lambertus, cordis tactus est devotione, ut locum hunc deberet excolere, pariterque miraculorum, quae illic fiebant, suspensus admonitione. Namque domino praedium ipsum sibi tunc vendicante, a vicinis, praeeuntibus inimicitiis quibusdam, dissidente, familia ipsius villae telas et alias vestes, ad ecclesiam confugium faciens, super sanctorum tumbas abjecit. Presbyter e contra Sarabertus exinde ea deturbavit. Sed iis iterum a familia reportatis ibidem, et presbytero deterrito, ne ulterius resisteret eis, nox supervenit, familia ipsa dormitum se locavit. Mane expergefacti, vident insperato et sine sua laesione telas et quae deposuerant ambusta esse.

§ **7**. Est praeterea phylacterium quod vere dicitur S. Landoaldi fuisse proprium, in quo qui perjurare praesùmit, non

Digitized by Google

impunitus abscèdit. Familia plus 12 virorum, ac multorum Witgeri et Lamberti fratrum sacramento, ne aufugerent, in eo phylacterio est obstricta. Quod irritum ducens, insuper et thesaurum in eadem ecclesia dominorum suorum reconditum violando auferens, aufùgit. Sed mane circumcirca a persequentibus frustra requisita et a reverentibus sub arbore prope ecclesiam dormiens, salvo thesauro est reinventa. Alius quidam quodam flagitio vere impetitus, in eodem perjuravit. Eadem nocte cum domo et unico filio miser deflagravit. Et alia quoque miracula illic fieri contigit quae nunc dicere supersedeo. Quapropter idem Lantso venerabilem virum antecessorem nostrum, dominum scilicet Euradum, supplex adiit rogans, ut aut per se, aut per vicarios suos sanctorum corpora transferrentur, et unde ante Nortmannicam depositi erant infestationem, relevarentur. Saepius postulando, haec. iterans, tandem impetravit: et Bono Archidiaconus cum duobus Archipresbyteris, fidelibus utique viris, Thietboldo et Vhodone, sed et cum aliis ex monasteriis, sancti scilicet Trudonis, Belisiae et Tungris, illuc advenerunt, et cum litania solemni ex tumulis, quibus negligenter nimis squalebant, extulerunt. Invenerunt autem plures thecas: sed una erat, in qua S. Landoaldus archipresbyter et diaconus suus Amantius pariter tegebantur. Aderat et lapis ad capita eorum, nominibus ipsorum insculptus. Aliae continebant sanctas Adeltrudem et Vincianam quod indicabat crucicula quaedam argentea, pectori S. Vincianae superinventa. His retectis pariter et relatis, dum sanctorum corpora vino simul et aquâ diluerentur, avicula quaedam per fenestram feretro sanctorum illapsa, simul et importune aliquoties eis qui huic officio intererant, immersa, aliquoties in defossum devolans quo corpora sanctorum erant elata, omnibus astantibus et haec videntibus miraculum incussit pariter et horrorem. Nam et colore pulchritudinis erat diversae, sed antehac inviso et stridore vocis quidem dulcifluae, sed inaudito. Quae licet ab astantibus posset comprehendi, a nemine praesumpta est temerari. Quae quasi quibusdam plausibus laetitiae et sibilatione hac illac circumvolans et iterum feretro sanctorum insìdens, non destitit ab incepto, donec omnia competenti consummarentur officio.

§ 8. Eadem die caeca quaedam de villa Hasbina quae erat in vicinia, vulgante famâ quod sanctorum efferrentur corpora, accurrit celeriter cum candela. Biduum deinde sustinens et sanctorum patrocinia indesinenter exposcens, tertia die recessit clare videns. Sequenti igitur anno, uxor jam dicti Lantsonis, nomine Sigeburgis, morbo sic intèrcutis laborabat, crùraque ejus cum pedibus ita intumùerant, ut pene per totum annum nec saltem ecclesiam, nisi sella gestatoria eveheretur, intraverit, nec toro viri, nec convivio participata sit, edulium omne fastidierit, potum, excepta aquâ, universum execrata sit. Haec intempestae

cujusdam noctis visione subita semivigilans corripitur, atque in haec verba monetur: «Cum dominos dominasque nostras terrâ extuleris, cur et nos fideles eorum in luto delitescere sinis? Ego quippe sum Landrada: Adrianus martyr et Julianus, ipsi quoque sunt de societate nostra.» Hanc visionem illa viro intimavit et ut aut Episcopus, aut auctoritas episcopi ad sublevationem eorum invitaretur, rogavit. Ille praeterito anno ita in elevatione caeterorum questus est opsonatum, ut ei per manus haec inceptare nimis videatur arduum. Post dies aliquot apparente iterum eadem visione, ab eadem qua prius sanctimoniali secundum effigiem de negligentia corripitur, de contemptu confunditur. «Et quae, inquit, tot et tanta in medicos expendisti, nec curari meruisti, si nos ex luto efferres, jam sanari meruisses.»— «Et ubi, inquit illa, vos inveniemus?»— «Sella qua ad ecclesiam gestaris, inquit, tua nostra irreverenter deprimit busta: arca autem retro posita, nimium est nobis onerosa. Et si causaris quia episcopum aut ejus vicarios non merèris, e vicino Sarabertum saltem presbyterum habes et alios ad id perficiendum viros fideles.» Mane itaque, quid super his facto opus esset, deliberanti, adest quaedam ex gynecaeo ejus puella, cum eadem visione referens se monitam per haec eadem signa; ea nunc in villa Guodengohovo habitat. Sigeburgis autem domina ejus, cui haec demonstrabantur, a cujusque ore jurantis haec et obtestantis nos ista decerpsimus, adhuc vivit: «Vivit, inquam, et praesenti luce sana, et incolumis vescitur: nobilis persona, domus ampla, rem fideliter quaerentes scire, non sinit latère.» Quae cum omni festinatione mittens presbyteros qui haec explerent, accersire, interim ipsa pro obtentu recuperandae salutis non passa quiescere, fecit se ferri ad ecclesiam, et interim a loco denominato paulatim egerere terram. Et vix semìpedem terrae eruerant: et ecce sanctorum cisternae in ipsa pene superficie apparebant. Adveniunt et presbyteri, quicumque erant evocati: et retectis sanctorum sepulcris, repererunt nomina eorum exprompta in breviculis. Et dum quaeque digna translationi adimplent pro posse, ipsa jam dicta matrona quae operi insistebat attentius, subito conversa, rivos veneni et putredinis saniem ad sextarii mensuram videt excurrisse sibi ex cruribus. Quae admirata et de recepta sospitate hilarior reddita, domum pedes rediit, convivium hospitibus et domesticis opulenter apparavit, ipsa intersedit, nec edulium aliquod fastidiens, nec vini potionem vel alterius sorbitionis jam abhorrens. Fert autem fama multorum et ante nos et in praesentiarum, hanc beatam, dum sanctimonialibus Belisiae positis praefecta, suavissimos supernae contemplationis carperet fructus, sacratissimam virginem praeclaraeque nobilitatis Amelbergam sanctis instituisse moribus studiisque. Facta est vero haec translatio tertio Nonas Martii.

Digitized by Google

§ 9. Mulier quaedam S. Bavonis ancilla, Andresburgi eàtenus commorata, pro neglecto per annos censu, oculorum visu est mulctata. Quarto jam anno caecitati succumbens, decaetero emendationem pollicens, candelam sanctorum luminariis attulit, censum neglectum retulit, illuminata ilico sana recessit. Zubleva dicitur et alia villa: illic quaedam mulier sex annorum curriculo patiebatur hydròpis morbum. Videt in visu nocturno se illuc adduci cum oblatione et recepta regredi sospitate. Quod evigilans continuo explevit, in plaustro illo se deduci mandavit: et postquam sanitatem recuperavit, a domino suo Hildrado tradita Sanctorum juri, deinde recessit. Quidam Hildico nomine, omni dissipatus actione, sylvam ecclesiasticam saepius extirpans, increpatus tandem quadam die per nomen Sanctorum, ut saltem desisteret: cum monitores insuper suos cum sanctis, verbis vilibus annullaret: progressus sequenti die, ut itidem faceret, fagum cum securi ilico superbus conscendit et continuo inverso cadens collo, guttur liquidum, quod blasphemiam spiraverat, elisit, sicque pessimam vitam digna morte finivit. Presbyter Sarabertus equum, furtim nocte quadam latronibus subripientibus, perdiderat. Mane comperto ad notum praesidium cucurrit, candelam facere maturat. Quam ut sanctis attulit et precum suarum vota deprompsit, reversum equum foribus astantem reperit. Sic ergo copiosa quae per eorum Dominus merita dignatus est operari, miracula nos segnis tenacitate silentii perhorrescentes succingere, res quidem memorabiles, tamen paulo diffusa prolixitate signavimus. Praesenti vero tempore nihilominus apud nos gesta suppetunt adhuc perplura quae nostra itidem mandantes roboranda auctoritate, petistis huic quam breviter inseri schedae.

§ 10. Utile porro creditur, ad excitandas torpentium mentes, occulta Sanctorum miracula ad novam usque audientiam importare: quorum probata virtus, cursum festinantis animae ad superos sufficit inflammare. Quis enim auditis beati Landoaldi praeconiis, non statim meliore mente ad Deum èvolat, nisi quem ad supernam Jerusalem nec spes, nec voluntas excitat? Nota ejus merita et tot miraculis celeberrima quae cum prae magnitudine non capit Oriens, remotum usque ad Occidentem sunt porrecta. Nam praeter ea quae adhuc vivus egit, quis non miretur ad sepulcrum ejus tot fieri virtutes, quot veniunt languentes? Quae cunctis notissimae, apud Wintershovum tamen magis celebres habentur: ubi apud caeteros divulgata, visu teste, signa probantur. Cum igitur surdi et claudi et id genus male habentium circumquaque sancti merita faterentur, incongruum putabatur, sancti reliquias humili ecclesia detineri, raro adhuc honore venerari, officiumque divinum parvo presbyterorum conventu agi.

§ 11. Quae omnia animos fratrum in Gandensi * coenobio eo

* In Belgio.

concitaverunt, ut sui crederent esse periculi, reliquias diu neglectas, raro adhuc honore venerari. Accito ergo Womaro Abbate, quid agendum putet, unanimes exorant: ipsumque ad transferendas reliquias facile exorassent, nisi quod quaedam impedimenta sano negotio obstiterunt. Nam quidam clericus Ottonis junioris qui Francis Imperator praefuit, praedictam sancti Bavonis villam suo juri addicere praesumpsit, eamque dimittere rogatus, suam esse maluit. Cui injustitiae Imperator contraire monitus, ultro consensit, eo scilicet devotior quod noviter in fraternitatem fratrum susceptus, eorum etiam orationibus communicavit. Ita exclusa clerici praesumptione, S. Bavo sua recepit. Tunc Imperator ad transferendas reliquias operam dare exoratus, privilegio sui nominis locum prius ad honorem sancti Bavonis deliberare, dein ad exequenda fratrum desideria pari devotione coepit aestuare. Ita accepto ejusdem privilegio, data insuper a Papa Joanne auctoritate, pars fratrum non modica ad Wintershovum usque proficiscitur, et quid opus facto sit, ex arbitrio prudentiorum pensatur.

§ **12**. Erat in eodem procinctu presbyter quidam quo nemo praesentium rem melius noverat, Sarabertus nomine, sanctorum ibidem miracula eo magis expertus quo eos venerabatur attentius. Hunc misso legato rogant adesse: sanctos sibi insinuari et quae plurima noverat, eorum insignia revelare. Sarabertus e contra: «Signa, inquit, hic divinitus acta, adeo magna putantur, ut fide excedant audientium, nisi quod sana fides nihil impossibile credit apud Deum. Nam ad corroborandam virtutum seriem certa adsunt experimenta, infirmorum baculi, repentium scabella. Sed quia convenistis eas quae apud nos sunt reliquias cognoscere, en tria in publico scrinia quae a me audire cupitis, vosipsi potius visu teste perpendite. Si tamen ea quae ab antecessoribus comperta habeo, delectat in medium producere, illo in scrinio quod altius èminet, beati Landoaldi archipresbyteri integrum corpus cum beato Amantio diacono suo, claudi scitote. In secundo eidemque contiguo continetur soror ejus, beata Vinciana virgo, ab ineunte aevo integerrima, quae blandimenta mundi respuens, Româ hunc usque locum dilecti fratris secuta est vestigia. Illud autem paulo remotius scrinium, sanctam continet Landradam: quae immortali sponso copulata, exacto vitae suae cursu, virginitatis suae recepit coronam.» Qui ubi verbis fecit finem, fratres majori ardebant desiderio ad scrinia accedere, caute aperire, et quae narraverat, proprio visu cognoscere.

§ **13**. Et accedentes, invenerunt epitaphium dignissimi confessoris, ad caput ipsius in pretiosissimo marmore diligenter descriptum quod tamen per omnia perlegere nequiverant propter incendium paganorum olim factum, quod ideo videbatur ex parte confractum fuisse. Igitur beatum Landoaldum vitamque ejus

Digitized by Google

brevi epitaphio recolligunt, caeterasque Deo dilectas virgines proprio nomine ostendunt. Tunc consulto opus esse aestimantes, praedictum presbyterum aliosque huic operi idoneos advocant, et quomodo honestius sancti transferantur, eorum prudentiâ pertractant. Dato consilio, ordinatisque ad transferendum reliquias, circumfinitimus accurrit populus, humores subjiciunt, hilarique vultu, plurimis tamen gementibus, ad viciniam cujusdam agelli sanctos efferunt. Quo in loco dum antiqua horum miracula in medium revocarentur, hoc apud plerosque magis celebre putabatur quod nunc ita, ut accidit, evolvere locus ipse adhortatur. Itaque eventum rei paucis verbis absolvam. Erant quidam vesanae mentis, omnem circa regionem ferro igneque vastantes, incerti loco, caedis avidi, suam perfidiam humano sanguine vix temperantes. Qui depopulatis aliquot civium aedificiis, dum nec ecclesiis sanctisque parcunt, hos secum etiam ferendos loco praedicto auferunt. Dumque ad hunc locum ulterius progressuri perveniunt, rigescente gressu, totoque immobiles corpore, ultra progredi nequeunt: ubi vident illicito operi nullum cedere effectum, seipsos detestantur, injustum increpant negotium, sanctosque loco inviti restituunt. Deinde sanctis humiliter exoratis, maturabant discedere, alio quantocyus tendere, ne vindicta sui commissi traherentur membra, oculi damnarentur caligine. Haec olim ita peracta dum nunc populus in memoriam rèvocat, visum est eis Sanctos ob similem rei eventum inclamare, ut utrum reportari mallent quam transferri, aliquo dignarentur indicio revelare. Defixis in terram vultibus, alii pectora ferire, alii lacrymas fundere: plurimi tamen, quibus gravius erat Sanctorum praesentiâ viduari, altius coeperunt gemere.

§ **11**. Exacta igitur oratione, fratres qui iter citatum volebant, eundi moram increpabant, tollique reliquias, easque efferri imperabant. Subjiciunt rursus humeros, et quia in Sanctis ferendis nullus labor cessit oneri, conclamatum est, idque eis omnibus sane creditum, voluisse eos transferri. Cumque jam procul a monasterio sancti Trudonis agerent (ibi quippe primam mansionem elegerant), primus fratrum qui utilitatis causâ longius praeìerant, obviam venit, plurimusque senum juvenumque concursus diversa Sanctis donaria intulit. Nonnulli, quibus metalli copia aut pretiosae vestis ornamenta defuere, cereos aut sumptum lateri cinctum obtulerunt: alii quibus nec horum copia erat, seipsos in contritionem cordis dederunt. Qui vero opulentiores videbantur, ex hoc quod abundavit illis, misère: nihilominus eos aequiparantes qui licet modicum dederint, nihil tamen sibi detinuere. Visum est interea necessarium, in agello eodem moram fieri, tum propter adventantium donaria, tum quia res exigebat praedicari in populo verbum Dei. Cumque ad audientiam et nomina sanctorum et merita praeaccesserunt, omnes qui habebant infirmos, nihil

Digitized by Google

de salute eorum cunctati, adduxerunt. Videres contractos erigi, illuminari caecos, surdos tam recipere auditum, quam diversos languentes sospitatem. Neve haec miraculorum insignia posteritati succedentium viderentur abolita, eo in loco crucem erigunt ligneam, ob memoriam scilicet sanctorum posteris transmittendam.

§ **15**. Factum est autem ut unus qui cum caeteris circa locum sanctum discurrebat, puerulus cupiditate seductus, candelas et alia quae fideles cum magna devotione contulerant, furando auferret. Qua de re sine mora ab antiquo hoste miserabiliter est possessus, ac integro sensu penitus privatus. Inde parentes ejusdem pueri cum fletu nimio poenitentiam agentes et cum puero ad locum accedentes, atque furtum restituentes, integerrimam per Sanctorum merita impetraverunt sanitatem. Sed haec plenius describenda illis committo qui et partes reliquiarum habere meruerunt et in quorum agelli confinio ipsa et alia multa miracula, Domino auxiliante, facta sunt. His itaque peractis, cum reliquias susceptas ad monasterium sancti Trudonis festinarent deportare, non solum turba, verum etiam palliata monachorum processio cum cereis et id genus ornamentis obviam rùere, eas honeste suscipere, deinde intra monasterium summa cum devotione properabant inferre. Convenientibus autem in crastino turbis, pauca de Sanctis ad aedificationem astantium enarrantur : datàque tam populo benedictione quam ipsi ecclesiae reliquiarum portione, ad villam quam Andesbruken dicunt, proficiscuntur. Ubi quamdam matronam, Sigeburgem nomine quae locum eorumdem Sanctorum diu in praecariam tenebat, adeunt: plùrimaque cum ea tum de Sanctis tum de sua utilitate conferunt. Tum illa : « Ego, inquit, quae de istis sum experta in me, breviter tentabo evolvere, si tamen vobis est animus breviter dicenda attendere. Nam in priori elevatione sancti Landoaldi, cum me minus voluntariam exhibuissem, febribus correpta, per aliquot dies langui, morboque indies invalescente, offensam potius Sancti quam periculum mortis extimui. Eo infortunio in elevatione beatae Landradae cautior effecta, me totum ipsi virgini officiosam reddidi, ejusque suffragantibus meritis, sanitatem quam merito perdideram, recepi.»

§ **16**. Nautis igitur studiose navigantibus, cum jam quievissent, et in uno loco resedissent, accidit ut feretrum, in quo sancta Landrada continebatur, saltum cunctis cernentibus daret, ac se a sancto Landoaldo removeret, praebens mirabiliter tanto sacerdoti reverentiam et competentem honorem. Illud sane miraculum, quod non multo post in ipso itinere factum est de quodam nauta, necnon et illud, quod de illo homine per merita sanctorum contigit qui cor perditum et mentem per eorum misericordiam recepit, non est necesse isto in loco plenius perstringere,

Digitized by Google

cum alias diligenter sit descriptum. His ergo miraculis, ut simpliciter propter nescientes prosecuti sumus, ita peractis, in ipso sacratissimo Dominicae Annunciationis atque incarnationis die pervenerunt, Deo volente, ad sancti Bavonis monasterium quod rectissime vocatur Gandense coenobium. Et cum fideles quique ad beatas reliquias undique cum exultatione nimia confluerent, quaedam mulier aliorum manibus adducta, continuo est per eorum merita illuminata. Fratres vero devotissimi, merito in adventu Sanctorum gaudio magno prae caeteris sunt repleti, ac proinde solemni more vestiti, cum universo ecclesiastico ornatu, et infinito agmine undique confluentium populorum, obviam de longe psallendo venientes, easdem sanctissimas reliquias ovantes in humeros suos susceperunt, et in basilicam cum exultatione magna introduxerunt, anno ab incarnatione Domini nongentesimo octogesimo.

§ 17. Gloriosus in sanctis suis omnipotens Dominus, mirabilis in majestate sua, faciens mirabilia solus, dilectum suum Landoaldum, ejusque socios glorificavit multarum virtutum insignibus. Ipso enim qui futura praevidet, ordinante, ac domino Abbate Womaro jubente, cum omni diligentia pro possibilitate temporis positi sunt in crypta Sanctae Mariae Virginis honori dedicata quousque latius manifestarentur eorum merita, et meritorum testimonia. Interea Dominus sanctorum non immemor, coepit reliquias nuper delatas, ac sine debito honore depositas, miraculis multis glorificare, et quod verae reliquiae essent, cunctis manifestare. Nam caeci ibidem recipiebant, Deo annuente, visum, claudi gressum, manci restaurationem, atque variis oppressi languoribus perfectissimam coelestis medicinae recuperationem. Tunc Christianus populus, seu prope seu procul positus, cum cereis et variis oblationibus illuc venerunt, et coram ipsis reliquiis Deo incessanter pro necessitatibus vota voverunt. Igitur dum haec a Deo et per Deum agerentur in Gandavo, consurrexerunt adversus Dominum et adversus Christos ejus quidam in spiritu maligno, qui signa Domini videntes non videbant, et miracula Sanctorum audientes non intelligebant, et in eos, tanquam in mortuos malignantes, consilium et infamiam promulgaverunt usque ad Rhemensium archipraesulis audientiam. Abbas vero et fratres sancti Bavonis, excitati zelo domus Domini, et illorum spiritualis nequitiae mendacio et errori opponentes scutum fidei et gladium Sancti Spiritus, profecti sunt Rhemos statuta die concilii. Ubi lectis et relectis actibus Sanctorum, et veritate probata de Sanctis, auctoritate omnium episcoporum sancitum est ab omni conventu synodalium, exaltare Sanctos intra sanctuarium.

§ 18. Redeuntes igitur a concilio abbas et monachi, dominum Lindulphum Noviomensem episcopum adeunt, cum auctoritate archiepiscopi monent, orant et impetrant illum interesse statuto

Digitized by Google

die sanctorum elevationi. Gandavum inde perveniunt, Gandensibus de prosperitate sui itineris gaudium magnum inferunt, et venturae festivitati necessaria praeparare non desistunt. Circumfluens itaque fidelium multitudo maxima, non cessabat in thesauros ecclesiae, sicut olim ad arcam Dei, multa deferre: hinc viri, hinc foeminae quaeque pretiosa offerentes pro anima sua, tria decenter ex auro argentoque construxerunt scrinia. Floruit ibi divinae miserationis operatio: quia ad omnes male habentes coelestis confluxit medicatio: sanatis succedunt sanandi, et medicatis certatim se ingerunt medendi. Tertio igitur anno post adventum Sanctorum in Gandavum, Lindulphus Noviomensium episcopus, sicut promiserat, veniens, cum universo clero. ab Abbate et caeteris fratribus cum ingenti susceptus est gaudio. Aderant ibi primates regni et populi, convenerant sacerdotes et clerici, plures etiam de remotis mundi partibus, felici sanctorum rumore excitati. Et praeparatis quae necessaria erant, ad effectum solemnitatis, fratres solemniter accurati, observabant chorum in ordine suo, populus expectans stabat in gradu suo, cum idem pontifex totus festivus cum ordinibus sacris egreditur de sacrario. Stans autem in publico, monet populum et exhortatur, confidentiam cordis habere in Domino, quatenus inceptum opus, ejus digne perficeretur auxilio.

§ **19**. Et data omnibus benedictione, cryptam ingreditur, dispositâ monachorum et clericorum processione Ecclesiasticâ, cantantium et psallentium Deo cum omni reverentia. Apertisque sanctorum lòculis, cuncti primates cum pontifice desiderabilem cernunt thesaurum Domini, coelesti nimirum dulcedine delectati, quasi in paradiso deliciarum Dei essent conversati. Nam exhàlans subito de retectis sanctorum corporibus odor perfùdit ora et mentes omnium suavissimus. Unde maxima salus tam corporis quam animae emanavit astantibus. Coelestis interim cantilenae murmur auditur in scriniolis sanctorum. De quo certissime creditur, congratulari concivibus suis angelicos spiritus coelorum. O quam mirum et dulce spectaculum: dulce quidem coelestibus, mirum autem mortalibus. O beati et felices oculi, Sanctorum corpora intuentium: quorum proculdubio pretium erit aeternae salutis gaudium. Virtus enim divina in ossibus recondita vivificis, efflavit fragrantiam miri odoris et supernae dulcedinis quae in hominibus operata est salutem utriusque hominis. Pontifex igitur et monachi in incepto persistentes opere et officio, Sanctorum corpora condiebant more fidelium et more debito. Elevantesque ea de vilibus et antiquis eorum vasculis, transtulerunt in scrinia, noviter honorifice composita. Apertis deinde cryptae januis, maximo labore procedunt, patens monasterium intròeunt: sed nec ipse templi locus sufficiebat oblationes Sanctis deferentibus.

§ **20**. Tunc imperante episcopo, fortiter clamatum est in

Digitized by Google

populo, ut quantocyus ecclesiâ exirent sub dio, ne forte quisquam intus comprimeretur ab alio. Certatim vero proruentes, latam adjacentis prati planitiem petunt, si forte vel ibi liberiorem ad eos accessum habere possint. Qui autem Sanctorum ferebant corpora, cum difficultate erumpentes exibant, et trahendo magis quam ferendo in campum perveniebant. Videres illo multifluum concurrere populum, quasi de summis in praeceps concurrere congregationes aquarum. Ubi sacerdos ascendens in altum, annunciabat populis verbum Domini, et recitatis quibusdam beati Landoaldi miraculis, omnes qui àderant, fecit in Domino congratulari. Finitis ergo a sacerdote verbi Dei sermonibus, Sanctorum reportantur reliquiae, et populus praeiens et subsequens psallebat: Gloria tibi Domine. Pontifex vero prae foribus ecclesiae expectans, excepit Sanctos Dei omni devotione et debita veneratione, monachos et clericos monens in hymnis et confessionibus Deum benedicere. Et progressus, ubi in sancta sanctorum ascendit, composuit et ordinavit in thesauros Dei thesaurum a Deo concessum, conjungens Sanctos Sanctis in unica basilica, quos in coelesti Jerusalem cohaeredes Christi collocavit Deus omnipotens in aeterna gloria. Hinc pontificalibus infulis decoratus, celebravit, ad honorem Sanctorum, Deo Missarum solemnia, et omnibus felici more peractis, statuit et demandavit hunc diem solemnem agere omnibus annis, ad honorem Dei et Domini nostri qui Sanctos suos glorificat semper, et hic et in secula. Facta est autem haec sacratissima elevatio, a Lindulpho venerabili viro Noviomae civitatis episcopo, cum inenarrabili clericorum sive monachorum gaudio, necnon infinito coetu fidelium, anno incarnati Verbi nongentesimo octogesimosecundo.

VITA S. VULFRANNI SENON. EPISC.

AUCTORE JONA MONACHO FONTANELLENSI EJUS CONTEMPORANEO

Migravit anno 720. — Nat. Francus.

§ **1**. Beatus Vulfrannus Sènonum (*Sens*) pontifex, exordium nativitatis in territorio Vastinensi habuit, patrimonio nuncupato Mauriliaco. Fuit enim carnis origine nobilis, sed culmine mentis nobilior. Genitor quoque ejus, Vulbertus nomine, in aula regis Dagoberti et filii ejus Clodovei militari operi aevum impendit: praedictus vero Dei famulus in puerili aetate constitutus, ab ipso magistris catholicis traditus est, sacrarum literarum studiis imbuendus. Qui per omne pueritiae vel adolescentiae tempus exercens, usque ad virilem aetatem ab hac intentione animum non reflexit. Exin crescentibus meritis piae intentionis, clericatus

Digitized by Google

habitum sumens, parentum hortatu ac suffragii adminiculo fultus, in aula regum junioris Lotharii et Theodorici, ecclesiastici ordinis curae delegatus, divinis studebat attentissime inservire edictis, terrena videlicet transiliens, atque ad coelestia semper amanda, petenda et quaerenda pervolans. Sub horum tempore regum, electione populi Senonicae urbis, consensuque ac favore omnium, pontifex eligitur et benedicitur. Successit autem in ordine episcopatus venerabili Lamberto pontifici. Qui susceptum episcopatus gradum ad imitationem priorum sanctorum, virtutum ornabat operibus. Commissam namque sibi plebem et orationibus protegebat assiduis, et admonitione piâ ad coelestia anhelanda provocabat. Et, quod maxime doctores juvare solet, ea quae agenda dicebat, ipse prius agendo praemonstrabat. Erat enim divinae dilectionis igne succensus, patientiae virtute modestus, orationum devotioni solertissime intentus, affabilis omnibus qui ad se consolationis gratiâ veniebant. Erat abstinentiae castigatione insignis et gratiâ compunctionis semper ad coelestia suspensus.

§ **2**. Aliquot autem annis in praesulatu administratis, superno oraculo in visu admonitus, ut genti Frisonum verbum Domini antea illis inauditum evangelizaret, inito opere apostolico, proposuit ilico animo pluribus prodesse. Erat autem eo tempore in urbe Rothomagensi quae et ipsa mater est civitatum, praesul sanctissimae religionis et Abbas monasterii Fontanellae, famulus Domini Ansbertus, et ipse scientiâ literarum imbutus, sed et ecclesiasticis simul et monasterialibus disciplinis summe instructus, monachicum et nomen servans et habitum, in praedicto monasterio multorum pater extans monachorum. Hunc pontificem adiens Beatus Vulfrannus, suam ei patefecit voluntatem, ut praedicto populo, in tenebris ignorantiae sedenti, verbum vitae immortalis annunciaret. Nam et antea possessionem suam, quae vocatur Mauriliacus quae sita est in territorio Vastinensi (gall. *Milly* vel *Maurilly, en Gâtinais)*, per testamenti seriem praedicto sacro loco et ipsi sancto patri contradiderat. Necdum enim idem vir dei pontificatus conscenderat gradum. Intererat in hoc conventu, et confirmaverat cum aliis illustribus viris hoc scriptum sanctus Erenbertus, episcopus urbis Tolosae et monachus ejusdem coenobii Fontanellensis, cujus nunc ossa sacra in eodem monasterio virtutum gloriâ pollent. Nepos quoque praedicti sancti Vulfranni pontificis, nomine Mogislus, aliam largitionem edidit de patrimonio Maniaco sive villari, quod est situm in pago Meldunensi. Qui in praedicto monasterio monachus effectus, et regularibus subditus disciplinis, spretis terrenis, coelestia sperare didicit.

§ **3**. Sed his omissis, nunc intimandum, qualiter dictus sanctus praesul ex praefata Frisonum gente plurimam praedicando converterit partem ad Christum. Siquidem ad praefatum

Digitized by Google

Fontanellense monasterium perveniens, de eodem loco cooperatores verbi strenuos et ad praedicandum idoneos, utpote actione simul et eruditione praeclaros assumens, praeparatis omnibus quae navigantibus necessaria esse videbantur, in portu ejusdem monasterii navim ascendit, et per fluvium magnum Sèquanae mare introïens Gallicum, navigavit in Frisiam, et genti illius ac duci ejus Radbodo verbum Dei annunciabat, dicens deos non esse qui manibus hominum facti essent: Dei materiam, lignum vel lapidem esse non posse: quorum recisurae vel igne absumerentur, vel in vasa quaelibet, humano usui necessaria formarentur, et pedibus conculcata, in terram verterentur: Deum potius intelligendum majestate incomprehensibilem, humanis oculis invisibilem, omnipotentem, aeternum qui coelum et terram, maria et humanum genus creasset, regeret et judicaturus esset orbem in aequitate: cujus sedes aeterna, non in vili et caduco metallo, sed in coelis esset credenda. Haec et his similia prosequente inclyto Christi sacerdote una cum comitibus, libenter audiebatur, multique quotidie nobilium et infimorum, abrenunciata sorde idololatriae, fidei fonte abluebantur. Nec prohibuit praedictus dux verbum, ut si qui vellent audire, praedicaretur, inter quos et filius praedicti Radbodi ducis credens, baptizatus est, imposito sibi nomine sui genitoris a praefato pontifice, et ab eo de sacro fonte susceptus, adhucque in albis positus, carne solutus, mundus, ut creditur, transivit e mundo.

§ 4. Nec silentio est praetereundum, quod divina pietas per eumdem sanctum pontificem operari dignata est. Plurima enim virtutum miracula in itinere, dum ad eam iret, et in eadem gente, per eundem fiebant. Ex quibus unum memoriae tradere et posteris intimare, commodum duximus. Denique fratres qui eum familiariter novèrunt, et coram quibus patratum est, dicere solent, et maxime vir reverentissimus Wando, tunc temporis diaconus et cooperator in verbo Dei ejusdem praesulis, postea autem presbyter, et succedenti tempore ejusdem monasterii Fontanellensis Abbas, in quo educatus fuerat. Dum enim navigaremus, inquit, in Frisiam, positis nobis in medio mari, quod adjacet regioni Morinorum, affuit hora, in qua sacrificium Deo victimae salutaris immolandum erat. Tunc positis ancoris, navis immobilis permanebat. Et celebrante eodem sancto pontifice Missarum solemnia, ventum est ad locum, ubi minister patenam praesuli porrigere debuit: extensàque manu, expectabat horam, qua susciperet eam. Sed dum minister eam abluere vellet, in mare cecidit, prostratusque pedibus sancti pontificis, humiliter veniam precabatur, dicens quia dum eam abluere voluisset suis manibus, in maris elapsa profunda, ima petisset. Moxque idem vir Dei flectens genua sua ad patrem Domini nostri Jesu Christi, precabatur ejus clementiam, ut qui quondam coram patribus in mari

rubro fecerat mirabilia, propitius suis adesset precibus. Finita vero oratione, imperat diacono, ut in eum, in quem patena ceciderat, locum mitteret manum. Quo facto, mox ab imo maris èadem patena divinitus revecta, ejusdem ministri manui inhaesit. Quod videntes nautae caeterique navis comites, Dominum cunctipotentem totis viscerum praecordiis collaudaverunt, qui per servum suum tale dignatus est operari miraculum. Sicque commixtionem corporis et sanguinis idem sanctus praesul faciens, nomenque Salvatoris glorificans, sacrosancta Missarum solemnia complevit. Nec impar hic beatus pontifex in hoc facto fuit sancto Elisaeo prophetae, et beato patri Benedicto, per quos similia Christus fecerat miracula. Ad eorum enim preces ferrea de profundis aquarum remearunt instrumenta, et isto claro praesule orante, lanx aurea divinitus extemplo rediit ad supera. Divulgatumque est hoc miraculum et celebre factum apud incolas Galliarum et Germanorum, ad quos hoc factum pervenire potuit, usque in praesentem diem. Nam et ipsa patena in eodem coenobio Fontanellensi pro munere sacro servata tenetur, quam idem venerandus praesul cum calice suo ibidem largitus est, dum monachicum spondèret votum. Altare quoque consecratum, in quatuor angulorum locis et in medio reliquias continens sanctorum in modum clypei, quod secum, dum iter ageret, vehere solitus erat. Vascula quoque et instrumenta largitus est, et tabernacula ecclesiastici ministerii plurima.

§ 5. Aliud quoque ejusdem patris memorabile miraculum, sicut ab eis didicimus, coram quibus factum est, ob aedificationem posterorum narrare cur pigeat? Praedicante enim illo et docente praedictum populum Frisonum, contigit quadam die puerum quemdam ex ipsa gente Frisonum ortum, diis immolandum duci ad laqueum. Orabat autem S. pontifex incredulum ducem, ut hujus pueri sibi vitam donaret, nec hominem ad imaginem Dei factum, sacrificium execrabile daemonibus immolaret. Vocabatur autem idem puer Ovo. Respondebat autem dux patrio sermone, decretum esse lege perenni olim a praedecessoribus suis, omnique Frisonum gente, ut quemcumque sors elegisset, in eorum solemniis diis offerendum sine mora. At vero sanctus praesul dum persisteret in precibus, et praefatus pôpuli princeps ejus dignae petitioni satisfacere vellet, animosi gentiles, zelo vani erroris devicti: unanimes frustrabant ejus precem, dicentes: « Si tuus Christus de tormento mortis eum eripuerit, sit tuus, ejusque aevo perenni servus. » Ad haec S. pontifex: « Non hominum, inquit, in hoc facto, sed Domini Christi fiat voluntas. » Appenditur denique puer in patibulo, aspicientibus Christianorum simulque gentilium turmis, per duarum fere spatium horarum. Extemploque sacerdos Domini pro salute et vita non solum illius qui in tormento erat mortis constitutus, verum etiam pro obcaecato

populo qui satanae vinculis irretitus erat, flectens genua, ad Dominum fudit orationem: qua completâ ilico disrupta sunt vincula, quibus semivivi pueri guttur illigatum fuerat: sicque illaesus in terram ruit. Videbatur autem illi, ut post ipse narrabat, quasi sopore gravi teneretur oppressus, sanctique pontificis zona pectore circumligatus, sublevaretur omnis ejus corporis status. Apprehensàque ejus manu, pontifex sanctus ait: « In nomine Domini Jesu Christi exurge concite sanus. » Quo dicto, ilico incolumis surrexit, nullum illatae sibi poenae sentiens dolorem: atque ex hoc facto plurima Frisonum multitudo conversa est ad Dominum: credebantque et baptizabantur, quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam. Praedictus autem Ovo, lavacri salutaris undâ perfusus, atque a praefato pontifice Fontanellam perductus, literisque sacris eruditus, postea diaconus consecratus, deinde sequenti tempore a venerando pontifice Reginaldo urbis Rothomagensis presbyter ordinatur.

§ 6. Alios quoque duos adolescentes ex ipsa Frisonum gente, qui similiter ritu profano daemonibus erant immolandi, quorum unus vocabatur Turinus, alterque Ingomarus, deprecante claro pontifice Vulfranno, praefatus dux vitae donavit, et eidem gratuito munere contradidit. Qui divinis mysteriis imbùti atque in fide confirmati, in sanctaeque Trinitatis nomine baptizati, et a daemoniacae servitutis jugo erepti, libertate perenni donati sunt. Sicque a praedicto pontifice Fontanellam perducti, Hildeberto Abbati educandi traditi sunt. Qui sacris literis et coelesti disciplinâ eruditi, sub regimine et dominio ejusdem patris et successorum ejus, per plurima strenue militaverunt tempora, ibique in ditione ejusdem coenobii usque ad vitae suae metas permanserunt.

§ 7. Illud quoque stupendum et antea inauditum, et nisi Apostolo Petro, rarissime alicui sanctorum concessum miraculum, verax scribentis stylus pandat auribus fidelium. Mos pessimus, diabolica fraude inventus, praedicto incredulorum duci inerat, ut corpora hominum damnatorum, in suorum solemniis daemonum et non deorum execrabiliter saepissime diversis litaret modis: quosdam videlicet gladiatorum animadversionibus intèrimens alios patibulo appendens, aliorum vitam laqueis acerbissimis extorquens: praeterea et alios marinorum sive aquarum fluctibus instinctu diabolico submergebat. Erat in praedicta gente mulier quaedam vidua, duos charissimos habens filios qui ex sorte missa, daemonibus immolandi fuerant, et gurgite maris enecandi. Ducti namque sunt ad quemdam locum, bithalassi more aquâ inclusum, ut dum rheuma maris eumdem locum cooperiret, miserabiliter fluctibus absorberentur. Erat vero, ut fertur, unus aetate septennis, alterque quinquennis. Cumque rheuma maris tempore malaciae praedictum impleret locum, is, qui major natu erat, puerulus minorem fratrem ulnis nitebatur sustollere, dum jam

Digitized by Google

ingurgitarentur. Aderat namque ad spectaculum infandum praefatus dux incredulus cum innumera turba gentilium: sed nulla compassionis pietas vel miserantis affectus, ejus saxeum pectus emollire quivit. Sacer vero Vulfrannus pontifex eos sibi vitaeque donari rogabat, dicens non esse justum de hominibus ad imaginem Dei factis, ludum exhiberi daemonibus. Tunc dux incredulus: «Si Deus tuus, inquit, Christus eos de praesenti periculo liberaverit, ejus eos dominio perpetim concedo, sitque eorum Deus, et ipsi ejus perenniter servi.» Tunc S. pontifex Vulfrannus: «Secundum, inquit, tuum promissum fiat.» Orante autem eo Dominum, concite rheuma maris in altum se subrigens cumulum, Domino jubente, praedictum subito reddidit locum aridum, in quo stabant innocentes, in proximo morituri. Sicque S. pontifex de Domini pietate fisus, more Apostoli Petri, ad Dominum super aquas venientis, super undas maris ambulavit, aspicientibus gentilium turmis, donec ad praedictos puerulos perveniens, unum manu dexterâ, aliumque sinistrâ apprehendens, plantis tantummodo aquâ tinctis, quasi super humum gradiens siccam, sic aquas maris calcans, pueros praefatos, Deo donante, de periculo eripuit mortis, et flenti matri reddidit incolumes, ac sacro baptismatis fonte abluens, uni nomen suum imposuit, a quo apud incolas Frisonum hoc nomen enituit. Quo viso miraculo, plurima gentilium multitudo conversa est ad Dominum, credebantque et baptizabantur, quotquot praeordinati erant ad vitam.

§ 8. Praefatus autem princeps Radbodus, cum ad percipiendum baptisma imbueretur, percontabatur a sancto episcopo Vulfranno, juramentis eum per nomen Domini astringens, ubi esset major numerus regum et principum seu nobilium gentis Frisonum, in illa videlicet coelesti regione, quam si crederet et baptizaretur, percepturum se promittebat: an in ea, quam dicebat tartaream regionem. Tunc B. Vulfrannus: «Noli, inquit, errare inclyte princeps. Apud Deum certus est numerus suorum electorum. Nam praedecessores tuos principes gentis Frisonum qui sine baptismi sacramento decesserunt, certum est damnationis suscepisse sententiam. Qui vero abhinc crediderit et baptizatus fuerit, cum Christo gaudebit in aeternum.» Haec audiens dux incredulus (Nam ad fontem processerat, ut ferunt), a fonte pedem retraxit, dicens non se carere posse consortio praedecessorum suorum Frisonum principum, et cum parvo pauperum numero residere in illo coelesti regno. Quin potius non posse facile novis dictis assensum praebere: sed potius permansurum se in his quae multo tempore cum omni Frisonum gente servaverat. At B. pontifex: «Heu proh dolor, inquit, deceptum te video a seductore qui humanum decipit genus. Sed nisi poenitentiam ègeris, et credideris, et in nomine Trinitatis baptizatus fueris, januam regni perennis non intrabis, sed aeternae damnationis poenâ plectèris.»

Digitized by Google

Haec dicente et docente S. pontifice, multi Frisonum credebant et baptizabantur, praedicto rege in paganismo perseverante. Nam a sacro fonte infeliciter recessit, et jam Willebrordum, cognomento Clementem, episcopum et doctorem praefatae gentis accersiri fecit, ut ad ejus consulta simul cum B. Vulfranno in doctrina suae religionis concordante efficeretur Christianus. Sed quoniam, ut scriptum est, *in malevolam animam non introibit sapientia* (*Sap.* I): quia dubitando per omnia in fide catholica, et tentando sanctos antistites loquebatur, ideo obtinere non meruit, quod ficte quaerebat. Cum vero ejus legatum super hoc facto suscepisset, Willebrordus respondisse fertur: «Quia praedicationem sancti fratris nostri Vulfranni pontificis dux vester audire contempsit, meis quomodo obsecundabit dictis? Nam hac nocte vidi illum in visu catenâ religatum igneâ. Unde certum fore constat, damnationem illum jam subiisse aeternam.» Cumque iter carperet, quod ad domum ejusdem damnati ducis ducebat, nunciatur ei ipsum sine baptismi sacramento jam esse mortuum. Sicque coeptum dèserens iter, ad propria repedavit habitacula.

§ **9**. Venerabilis autem praesul Vulfrannus, cum tenuisset pontificatum Senonensis urbis, cum licentia regis Childeberti et Pipini principis, ad praedicandum praefatae Frisonum genti, sicuti divinitus sibi fuerat revelatum, animum convertit, qui erat annus Dominicae incarnationis septingentesimus, Pipini quoque principis annus 13. Quod opus per annos quinque infatigabiliter peregit, ad Fontanellam monasterium saepius revertens, ubi et monachicum assumpserat habitum. In eadem verbi Dei praedicatione occupatus, et in majori senectute jam positus (Nam et pedum dolore frequenter vexabatur) ordinato in episcopatu Senonicae urbis Gerico venerando pontifice, secessit ad praefatum Fontanellae coenobium, ibique regularibus subditus disciplinis, coronam expectabat aeternam. Nam et in hoc monasterio basilicam in honore S. Stephani primi martyris fabricavit, juxta quam mansionem eidem praeparaverant fratres: ubi divino cultui deditus, solicitus operis Dei curam exhibebat: quae distabat a basilica S. Apostoli Pauli passibus fere 30. Annis itaque pluribus expers erat lectuli. Cujus corpus sub monachali tunica cilicium tegebat. Nam et aegrotis medelam ita conferebat, ut quocumque quis languore detensus fuisset, si ab eo visitari, benedici ac contrectari meruisset, incolumitati mox pristinae redderetur. Vir namque venerandus Bertgandus monachus, patruus videlicet Wandonis Abbatis, ex ea passione, quae Graeco eloquio paralysis dicitur, ita subita membrorum dissolutione percussus fuerat ut et loquelam pariter et omne corporis officium amitteret. Ad quem cum B. Christi pontifex Vulfrannus visendum venisset, et oleo pontificali benedictione consecrato eum tetigisset, incolumitati mox pristinae redditus est, fugataque est ilico omnis

Digitized by Google

molestia corporis. His et hujusmodi miraculorum signis, qualis fuerit ejus vita, arbiter aeternus edocuit.

§ **10**. Cujus etiam doctrinam id maxime commendabat omnibus, quia non aliter vivebat, quam docebat. Nihil enim hujus mundi quaerere, nil amare curabat. Cuncta quae sibi a regibus vel divitibus seculi donabantur, mox hilariter pauperibus erogabat. Nunquam divitibus, honoris sive timoris gratiâ, si quae deliquissent, reticebat: sed aspera illos invectione corrigebat, atque ad eleemosynas operumque bonorum executionem et verbis excitabat et actibus. Denique cum sacrificium victimae salutaris Deo offerret, non elata in altum voce, sed profusis ex imo pectore lacrymis, Domino vota commendabat. Cumque docendo verbum Dei in praefata provincia degeret occupatus, divino admonitus oraculo, rediit ad venerabile coenobium Fontanellae, quia suae resolutionis diem jam proxime instare cognoverat: sicut ipse quoque tempore eodem nonnullis, sed verbis obscurioribus, quae postea manifeste intelligerent, solita sibi benignissima dilectione pandebat. Quibusdam hoc idem etiam manifeste revelabat. Reverso autem eo ad coenobium Fontanellae, acri coepit ardore febrium fatigari, et per aliquod tempus eàdem corporis laborabat molestiâ: in quo toto ipso tempore et conditori gratias agere, et fratres publice ac privatim non praetermittebat docere. Admonebat namque eos, ut virtutem dilectionis et pacis ad invicem et ad omnes servarent. Instituta quoque disciplinae regularis, quae a sanctae recordationis patre Wandregisilo didicerant, vel in ipso viderant, in patrumque praecedentium factis sive dictis invenerant, indefessa instantiâ sequerentur. Denique subjunxit, diem sui obitus in proximo imminere. Cumque haec et hujusmodi plura sanctae exhortationis verba inter sacra Missarum solemnia eis loqueretur, atque percepta ejus benedictione, de suo tam cito responso tristes flentesque existerent, rediit ad stratum, quod juxta ecclesiam S. Stephani martyris in mansiuncula sua fratres ei praeparaverant. Ibique languore corporis, quem diu protraxerat, per dies ingravescente, septimo, ut sibi divinitus promissum fuerat, die, postquam obitum suum Dominici corporis et sanguinis perceptione munivit, soluta ab ergastulo corporis anima sancta, ducentibus angelis, aeternae felicitatis gaudia et consortia civium petiit supernorum.

§ **11**. Obiit vero venerandus pontifex 13 Calend. Aprilium, anno Dominicae incarnationis DCCXX. Sepultusque est, primo quidem in ecclesia B. Pauli Apostoli juxta sacerdotem Domini Wandregisilum, in dextera parte: in quo loco jacuit per annos 9 Sanctus quoque pater Wandregisilus requievit in eadem basilica annis 40. Ansbertus annis 2. Translati quoque sunt inde in basilicam B. Petri Apostoli a S. Baino episcopo urbis Tarvennae, et rectore Fontanellensis coenobii, sub anno regiminis sui 5, qui

erat annus ab incarnatione Domini DCCXXIX. Qui ita integri ab omni corruptione cum vestimentis, quibus induti fuerant, reperti sunt, quasi eodem die sepulturae fuissent traditi. Haec ergo dies, cunctorum votis praestolata, advenerat: sacerdotes monachi, clericorumque chori una cum fidelibus aderant plebibus. Tunc cum hymnorum laudibus tumuli aperiuntur, de quibus tantus ineffabilis fragrantiae odor prodiit, ut mira dulcedine non solum in ecclesia circumstantem populum, verum et in atriis sitam repleret plebem. Illati sunt autem in ecclesiam B. Petri Apostoli, et positi in absida ejusdem in orientali parte, ubi signis et miraculis coruscant.

VITA S. CUTHBERTI EPISC. LINDISFARN.

AUCTORE VEN. BEDA PRESBYTERO. EXTAT TERTIO TOMO OPERUM EJUS.

Obiit anno 687. — Natione Anglus.

§ 1. Principium nobis scribendi de vita beati Cuthberti, Jeremias propheta consecrat, qui anachoreticae perfectionis statum glorificans, ait: Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius et tacebit: quia levabit se super se. Hujus namque, boni dulcedine accensus vir Domini Cuthbertus, ab ineunte adolescentia jugo monachicae institutionis collum subdidit: et ubi opportunitas juvit, arreptâ etiam conversatione anachoreticâ, non pauco tempore solitarius sedere, atque ob suavitatem divinae contemplationis, ab humanis tacere delectabatur alloquiis. Sed ut haec in majore aetate posset, superna illum gratia ad viam veritatis paulatim a primis jam pueritiae incitaverat annis. Siquidem usque ad octavum aetatis annum, qui post infantiam pueritiae primus est, solis parvulorum ludis et lasciviae mentem dare noverat: ita ut illud beati Samuelis tunc de ipso posset testimonium dici: « Porro Cuthbertus necdum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini. » Quod in praeconium laudis dictum est pueritiae illius, qui aetate major, perfecte jam cogniturus erat Dominum, ac sermonem Domini revelata cordis aure percepturus. Oblectabatur ergo, ut diximus, jocis et vagitibus, et juxta quod aetatis ordo poscebat, parvulorum conventiculis interesse cupiebat, ludentibus colludere desiderabat. Et quia agilis naturâ, atque acutus erat ingenio, contendentibus ludo saepius praevalere consueverat: adeo ut fessis nonnumquam caeteris, ille indefessus adhuc, si quis ultra secum vellet certare, quasi victor laetabundus inquireret.

Digitized by Google

Sive enim saltu, sive cursu, sive luctatu, seu quolibet alio membrorum sinuamine se exercèrent, ille omnes aequaevos, et nonnullos etiam majores, a se gloriabatur esse superatos. Cum enim esset parvulus, ut parvulus sapiebat, ut parvulus agitabat: qui postmodum factus vir, plenissime ea, quae parvuli erant, deposuit. Et quidem divina dispensatio primitus elationem animi puerilis digno se paedagogo compescere dignata est. Nam sicut beatae memoriae Trumwine Episcopus ab ipso Cuthberto sibi dictum perhibebat, dum quadam die solito luctamini in campo quodam non modica puerorum turba insisteret, interesset et ipse, et, sicut ludentium levitas solet, contra congruum naturae statum variis flexibus membra plerique sinuarent, repente unus de parvulis triennis ferme, ut videbatur, accurrit ad eum, et quasi senili constantiâ coepit hortari, ne jocis et otio indulgeret, sed stabilitati potius mentem simul et membra subjugaret. Quo monita spernente, luget ille corruens in terram, et faciem lacrymis rigans. Accurrunt consolaturi caeteri: sed ille perstat in fletibus. Interrogant quid haberet repentinum, unde tantis afficeretur lamentis. At ille tandem exclàmans consolanti se Cuthberto, «Quid, inquit, sanctissime antistes et presbyter Cuthberte haec et naturae et gradui tuo contraria geris? Ludere te inter parvulos non decet, quem Dominus etiam majoribus natu magistrum virtutis consecravit.» Audiens haec bonae indolis puer, fixa intentione suscepit, illo nimirum spiritu interius ejus praecordia docente, qui per os infantis extrinsecus ejus auribus insonuit. Nec mirandum cuiquam, parvuli lasciviam per parvulum potuisse, Domino agente, cohiberi; qui ad prohibendam prophetae insipientiam, ore subjugalis muti rationabilia verba, cum voluit, edidit: in cujus laude dictum est veraciter: Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.

§ 2. Verum quia omni habenti dabitur et abundabit, idest, habenti propositum amoremque virtutum, harum copia superno munere donabitur: quoniam puer Domini Cuthbertus quae per hominem accepit hortamenta, sedulo corde retinebat, etiam angelico visu et affatu confortari promeruit. Nam subito dolore genu correptum illius, coepit acri tumore grossescere: ita ut nervis in poplite contractis, pedem primo a terra suspensum, claudicans portaret: dehinc ingravescente molestiâ, omni pene privaretur incessu. Qui die quadam deportatus foras a ministris, atque sub divo recumbens, vidit repente venientem de longe equitem albis indutum vestimentis et honorabilem vultu: sed et equum, cui insidebat, incomparandi decoris. Qui cum adveniens, mansueto illum salutaret alloquio, addidit quasi per jocum inquirere, si aliquod tali hospiti vellet praebere obsequium. At ille: «Jam, inquit, promptissime tuis cuperem devotus astare obsequiis, si non, exigentibus culpis, hujus compede languoris retinerer. Diu

namque est quod molestiâ genu tumentis oppressus, nulla cujuslibet medicorum industriâ possum sanari.» Qui desiliens equo ac genu languidum diligentius considerans: «Coque, inquit, triticeam in lacte farinam, et hac confectione calida tumorem superunge, et sanaberis.» Et his dictis, ascendens equum, abiit. Ille jussis obtemperans, post dies paucos sanatus est: agnovitque angelum fuisse qui haec sibi monita dedisset, mittente illo qui quondam Raphaëlem archangelum ad sanandos Tobiae visus destinare dignatus est. Quod si cui videtur incredibile, angelum in equo apparuisse, legat historiam Machabaeorum, in qua angeli in equis et ad Judae Machabaei et ad ipsius templi defensionem advenisse memorantur.

§ 3. Ab hoc autem tempore devotus Domino puer, sicut ipse postea familiaribus suis attestari solebat, saepe in angustiis se vallantibus orans Dominum, angeli meruit opitulatione defendi: necnon etiam pro aliis in periculo constitutis, quia benigna pietate supplicabat, exaudiebatur ab illo qui clamantem pauperem exaudire et ex omnibus tribulationibus ejus consuevit eripere. Est denique monasterium non longe ab ostio fluminis Tini ad meridiem situm, tunc quidem virorum, nunc autem mutato, ut solet, per tempora rerum statu, virginum Christo servientium nobili examine pollens: qui videlicet famuli Christi dum ligna monasterii usibus apta per memorati alveum fluminis delonge ratibus veherent, jamque e regione ejusdem monasterii vehendo devenirent, ac rates ad terram educere conarentur, ecce ventus subito ab occasu intempestivus assurgens, abripuit rates, atque ad ostium fluminis trahere coepit. Quod videntes e monasterio fratres, emissis in fluvio naviculis, eos qui in ratibus laborabant, adjuvare nitebantur: sed vi fluminis ac ventorum violentiâ superati, nequaquam valebant; unde facta desperatione humani adjutorii, confugerunt ad divinum. Egressi namque de monasterio et labentibus in Oceanum ratibus, collecti in primo obice, flectebant genua, supplicantes Domino pro his, quos in tantum mortis discrimen jamjamque irruere cernebant. Sed provisione divina, quamvis diu precantium, vota sunt dilata, ut videlicet quanta esset in Cuthberto virtus precandi patesceret. Stabat enim in altera amnis ripa vulgaris turba non modica, in qua stabat et ipse: quae cum, aspectantibus cum tristitia monachis, raptas porro per mare cerneret rates, adeo ut quasi quinque aves parvulae (quinque enim erant rates) undis insidentes apparerent, coepit irridere vitam conversationis eorum, quasi merito talia paterentur qui communia mortalium jura spernentes, nova et ignota darent statuta vivendi. Prohibuit probra deridentium Cuthbertus: «Quid agitis, inquiens, fratres, maledicentes his quos in letum jam trahi videtis? Nonne melius esset et humanius, Dominum pro eorum deprecari salute quam de illorum gaudere

Digitized by Google

periculis?» At illi rustico et animo et ore stomachantes adversus eum: «Nullus, inquiunt, hominum pro eis roget, nullus eorum misereatur Deus: qui et veteres culturas hominibus tulere, et novas qualiter observare debeant, nemo novit.» Quo accepto responso, ipse oraturus Dominum, genua flexit, caput in terram declinavit: statimque retorta vis ventorum, rates cum his qui ducebant, gaudentibus integras ad terram ejecit et juxta ipsum monasterium in loco opportuno deposuit. Videntes autem rustici, erubuerunt de sua infidelitate: fidem vero venerabilis Cuthberti extunc laude digna praedicabant et deinceps praedicare nullatenus cessabant: adeo ut frater quidam nostri monasterii probatissimus, cujus ipse haec relatione didici, sese haec ab uno ipsorum rusticae simplicitatis viro et simulandi prorsus ignaro, coram multis saepe assistentibus audisse narraverit.

§ 4. At ubi gubernatrix vitae fidelium gratia Christi voluit famulum suum arctioris propositi subire virtutem, altioris praemii gloriam promereri, contigit eum remotis in montibus commissorum sibi pecorum agere custodiam. Qui dum nocte quadam, dormientibus sociis, ipse juxta morem pervigil in oratione duraret, vidit subito fusum de coelo lumen, medias longe noctis interrupisse tenebras: in quo coelestium choros agminum terras petisse, nec mora, rapta secum animâ claritatis eximiae, supernam redisse ad patriam. Compunctus est multum hoc visu Deo dilectus adolescens ad subeundum gratiam spiritualis exercitii, ac promerendae inter magnificos viros vitae felicitatisque perennis: confestimque Deo laudes, gratiarumque referens actiones, sed et socios ad laudandum Dominum fraterna exhortatione provocans: «Heu miseri, inquit, qui somno et inertiae dediti, non meremur semper vigilantium ministrorum Christi cernere lucem. En ipse cum modico noctis tempore pervigil orarem, tanta Dei magnalia conspexi: aperta est janua coeli et inductus illuc angelico comitatu spiritus cujusdam sancti qui nunc, nobis in infima caligine versantibus, supernae mansionis gloriam ac regem illius Christum perpetuo beatus intuetur. Et quidem hunc vel episcopum quemlibet sanctum, vel eximium de fidelium numero virum fuisse existimo quem tanto splendore lucis, tot ducentium choris angelorum coelis illatum vidi.» Haec dicens vir Domini Cuthbertus, non parum corda pastorum ad divinae laudationis reverentiam accendit, agnovitque mane facto antistitem Lindisfarnensis ecclesiae Aidanum, magnae utique virtutis virum, per id temporis quo viderat, raptum de corpore coelestia regna petisse: ac statim commendans suis pecora quae pascebat, dominis, monasterium petere decrevit.

§ 5. Cumque novum vitae continentioris ingressum sedulo jam corde meditaretur, affuit superna gratia quae animum ejus arctius in proposito firmaret, ac manifestis edoceret indiciis,

Digitized by Google

quia quaerentibus regnum Dei et justitiam ejus, ea quae ad victum pertinent corporis, beneficio divinae provisionis adjiciuntur. Quadam namque die, dum iter solus ageret, divertit horâ tertia in villam quam eminus forte positam reperit: intravitque domum cujusdam religiosae matris familias, paululum ibidem quiescere desiderans, et jumento potius, cui insedebat quam sibi alimentum poscere curans; erat enim tempus incipientis brumae. Suscepit ergo eum mulier benigne, rogavitque solicite, ut prandium parare atque illum reficere liceret. Negavit vir Domini: «Non possum, inquiens, adhuc manducare quia dies jejunii est.» Erat namque sexta sabbati qua plerique fidelium ob reverentiam Dominicae passionis, usque ad nonam horam solent protelare jejunium. Perstitit in rogando mulier, hospitalitatis studio devota: «Ecce, inquiens, itinere quo vadis, nullum viculum, nulla hominum habitacula reperies; et quidem longum restat iter, neque ante solis occubitum valet consummari. Unde precor, antequam egrediaris accipias cibos, ne tota die jejunium sustinere, vel etiam procrastinare cogaris.» At ille, quamvis multum rogante foeminâ, rogantis instantiam religionis amore devincens, jejunus viam repetiit, jejunus diem duxit ad vesperam. Cumque instante jam vespera, cerneret se iter quod proposuerat, eodem die non posse finire, neque ulla in proximo hominum hospitia, ubi manere posset, adesse: ecce subito iter faciens, vidit juxta pastorum tuguria quae aestate infirmiter posita, tunc jam deserta patebant. Huc propter manendum ingrediens, equum, in quo venerat, alligavit ad parietem, collectumque foeni fasciculum quem tecto ventus abstulerat, edendum illi apposuit: ipse orando hôram ducere coepit. At subito inter psallendum vidit equum, elato sursum capite, tecta casae carpentem ore visumque trahentem, atque inter cadentia foena tecti, involutum pariter decidere linteum: volensque dinoscere certius quid esset, finita oratione, accessit et invenit involutum linteo dimidium panis calidi et carnem quae ad unam sibi refectionem sufficere possent, laudemque decantans beneficiis coelestibus: «Deo, inquit, gratias qui et mihi pro ejus amore jejunanti et meo comiti coenam providere dignatus est.» Divisit ergo fragmen panis quod invenit, partemque ejus dimidiam equo dedit: reliquum suo esui reservavit: atque ex illo jam die promptior factus est ad jejunandum quia nimirum intellexit, ejus dono sibi refectionem procuratam in solitudine, qui quondam Eliam solitarium quia nullus hominum aderat qui ministraret, ejusmodi cibo per volucres non pauco tempore pavit, cujus oculi super timentes eum, sperantes autem in misericordia ejus, ut eripiat a morte animas eorum et alat eos in fame. Haec mihi religiosus nostri monasterii quod est ad ostium Wiri fluminis, presbyter nomine Ingwald qui nunc longae gratia senectutis magis corde mundo coelestia quam terrena carnalibus

Digitized by Google

contemplatur aspectibus, ab ipso Cuthberto, jam tunc episcopo, se audisse perhibuit.

§ 6. Interea venerabilis Domini servus, relictis seculi rebus, monasterialem properat subire disciplinam, utpote coelesti visione ad appetenda perpetuae gaudia beatitudinis incitatus, ad tolerandam pro Domino esuriem sitimque temporalem, epulis invitatus coelestibus. Et quidem Lindisfarnensem ecclesiam multos habere sanctos viros quorum doctrinâ et exemplis instrui posset, noverat: sed famâ praeventus Boisili, sublimium virtutum monachi et sacerdotis, Mailros petere maluit: casuque contigit, ut cum illo perveniens, equo desilisset, ingressurusque ad orandum ecclesiam, ipsum pariter equum et hastam, quam tenuerat manu, ministro dedisset (necdum enim habitum deposuerat secularem), Boisilus ipse prae foribus monasterii consistens, prior illum videret, praevidensque in spiritu, quantus conversatione esset futurus quem cernebat, hoc unum dixit astantibus: Ecce servus Dei: imitatus illum qui venientem ad se Nathanaël intùitus, Ecce, inquit, vere Israëlita, in quo dolus non est; sicut religiosus ac veteranus Dei famulus et presbyter Sigfridus solet attestari qui eidem Boisilo haec dicenti inter alios astabat, tunc in ipso monasterio adolescens, primis adhuc monachicae vitae rudimentis institutus, nunc in nostro, id est, Giruensi monasterio perfectum in Christo agens virum et inter aegra spiritus extremi suspiria laetum vitae alterius sitiens introitum. Nec plura loquens Boisilus, pervenientem mox ad se Cuthbertum benigne suscepit, causamque itineris exponentem quia videlicet monasterium seculo praetulerit, benignius secum retinuit; erat enim praepositus ejusdem monasterii. Et post dies paucos adveniente viro beatae recordationis Eata, tunc presbytero et Abbate monasterii ipsius, postea Lindisfarnensis ecclesiae simul et ejusdem loci antistite, indicavit ei de Cuthberto, et quia boni propositi animum gereret exposuit, obtinuitque apud eum, ut accepta tonsurâ, fratrum jungeretur consortio. Et egressus monasterium, confestim aequalem caeteris fratribus vitae regularis observantiam tenere, vel etiam arctioris disciplinae studiis supergredi curabat, legendi videlicet, operandi, vigilandi atque orandi solertior. Sed et juxta exemplum Samsonis fortissimi, quondam Nazaraei, ab omni quod inebriare potest, sedulus abstinebat, non autem tantam escarum valebat subire continentiam, ne necessariis minus idoneus efficeretur operibus. Erat enim robustus corpore et integer viribus, atque ad quaecumque volebat, aptus exercitia laboris.

§ 7. Cumque post aliquot annos regi Alchfrido placeret, pro redemptione animae suae locum quemdam regni sui, qui vocatur Inrhipum, ad construendum ibidem monasterium Eatae Abbati donare, tollens idem Abbas quosdam e fratribus secum, in quibus et Cuthbertum, condidit ibi quod petebatur monasterium,

Digitized by Google

atque eisdem, quibus antea Mailros, institutis disciplinae regularis imbuit: ubi famulus Domini Cuthbertus suscipiendorum officio praepositus hospitum, probandae suae gratiâ devotionis, angelum Domini suo suscepisse fertur hospitio. Exiens enim primo mane de interioribus monasterii aedibus ad hospitum cellulam, invenit inibi quemdam sedentem juvenem: quem hominem aestimans, solito mox humanitatis more suscepit. Nam lavandis manibus aquam dedit, pedes ipse abluit, linteo extersit, fovendos humiliter manibus suo in sinu composuit, atque ut horam diei tertiam etiam cibo reficiendus expectaret, rogavit: ne si jejunus iret, fame pariter et frìgore lassaretur hyberno. Putabat namque hominem nocturno itinere simul et flatibus defessum niveis, illo requiescendi gratiâ diluculo divertisse. Negavit ille et se cito iturum, quia longius esset mansio, ad quam properaret, respondit. At Cuthbertus diu multumque rogans, tandem adjuratione addita divini nominis, ad manendum coëgit: statimque ut expletis horae tertiae precibus, vescendi tempus aderat, apposuit mensam, sumendas obtulit escas, et, Obsecro te, inquit, frater reficias, dum rediens calidum panem affero. Spero enim quia jam cocti sint. At ubi rediit, non invènit hospitem quem edentem reliquerat. Explorat vestigia quâ ierat, sed nulla uspiam invenit. Recens autem nix terram texerat quae facilime viantis iter pròderet, et quo declinasset, monstraret. Stupefactus ergo vir Dei et secum quaerens de facto, reposuit mensam in conclavi. Quod ingressus, continuo obviam habuit miri odoris fragrantiam. Circumspiciens autem, unde esset orta tanta nidoris suavitas, vidit juxta positos tres panes calidos insoliti candoris et gratiae, pavensque, talia secum loquitur: Cerno quod angelus Dei erat, quem suscepi: pascere, non pasci, veniens. En panes attulit, quales terra gignere nequit. Nam et lilia candore et rosas odore et mella praecedunt sapore. Unde constat quia non de nostra tellùre orti, sed de paradiso voluptatis sunt allati. Nec mirum quod epulas in terris sumere respuerit humanas qui aeternae vitae pane frùitur in coelis.

§ 8. Itaque vir Domini de ostensa miraculi virtute compunctus, majorem ex eo virtutum operibus curam impendebat. Crescentibus autem virtutibus, crevit et gratia coelestis. Denique saepius ex eo tempore angelos videre et alloqui, sed et esuriens, cibis, speciali munere a Domino praeparatis, meruit refici. Nam quia affabilis et jucundus erat moribus, plerumque dum ad exemplum vivendi praesentibus patrum praecedentium gesta referret, etiam quid sibi doni spiritualis superna pietas contulerit, humiliter interserere solebat. Et aliquando quidem palam, aliquando autem velate quasi sub persona alterius, id facere curabat. Quod tamen qui audière quia de seipso dixerit, intelligebant, juxta exemplum magistri gentium qui modo aperte suas virtutes

Digitized by Google

replicat, modo sub praetextu alterius personae loquitur, dicens: Scio hominem in Christo, ante annos quatuordecim, raptum usque ad tertium coelum; et caetera illius loci (1 *Cor.* XII).

§ 9. Interea quia fragilis est et more freti volubilis omnis seculi status, instante subito turbine, praefatus Abbas Eata, cum Cuthberto et caeteris quos secum adduxerat fratribus, domum repulsus est, et locus monasterii quod condiderat, aliis ad incolendum monachis datus. Nec memoratus athleta Christi mutatione loci mutavit mentem ab arrepto semel proposito militiae coelestis, verum diligentissime, juxta quod et ante facere consueverat, beati Boisili dictis pariter auscultabat et actis. Quo tempore, sicut Herefridus familiaris ejus presbyter et Abbas quondam monasterii Lindisfarnensis, ipsum referre solitum testatur, morbo pestilentiae, quo tunc plurimi per Britanniam longe lateque deficiebant, correptus est. At fratres monasterii illius totam, pro ejus vita et salute precantes, duxere noctem pervigilem. Omnes enim quasi hominis sancti necessariam sibi ejus adhuc in carne praesentiam rebantur. Quod dum ipsi mane quidam de illis indicaret (nam eo nescio fecerant), respondens statim: «Et quid jaceo, inquit?» Neque enim dubitandum est, quia tot taliumque virorum preces Deus non despexerit. Date baculum et càligas. Statimque exurgens coepit tentare incessum, baculo innitens: et crescente per dies virtute, sanitatem quidem recepit: sed quia tumor qui in fèmore apparebat, paulatim a superficie detumescens corporis, ad viscerum interiora prolapsus est, toto pene vitae suae tempore aliquantulum interaneorum non cessabat sentire dolorem, videlicet ut juxta Apostolum, virtus in infirmitate perficeretur. Quem cum famulus Domini Boisilus a valetudine sanatum cerneret, ait: «Vides frater quia liberatus es a molestia qua laborabas. Et dico tibi quod eâ ultra jam tangendus non es, neque hoc moriturus in tempore: simulque moneo, ut quia me mors vicina praestolatur, discere a me aliquid, quandiu docere valeam, non omittas. Non enim plus quam septem dies sunt, quibus mihi ad docendum sanitas corporis et linguae suppetat virtus.» Respondit Cuthbertus, nihil haesitans de veritate dictorum illius: «Et quid, rogo, mihi optimum est legere quod tamen unâ valeam consummare septimanâ?» At ille: «Joannem, inquit, evangelistam. Est autem mihi codex, habens quaterniones septem quos singulis diebus singulos possumus, Domino adjuvante, legendo et quantum opus est, inter nos conferendo percurrere.» Factumque est ut dixerat. Quam ideo lectionem tam citissime complere volebant, quia solam in ea fidei quae per dilectionem operatur, simplicitatem non autem quaestionum profunda, tractabant. Completa ergo post dies septem lectione, memorato morbo arreptus vir Domini Boisilus, diem pervenit ad ultimum: et hoc magna cum exultatione transcenso, ad gaudium perpetuae lucis intravit;

ferunt illum his septem diebus omnia Cuthberto quae futura restabant, exposuisse. Propheticus namque, ut dixi et mirae sanctitatis erat homo.

§ **10**. Denique praefatae acerbitatem pestilentiae triennio, priusquam veniret, Eatano Abbati suo praedixit fuisse futuram, nec se illâ tollendum celavit, ipsum vero Abbatem suum non eâ moriturum, sed illo potius morbo, quem dysenteriam medici appellant, veridico, ut rerum exitus docuit, sermone praemonuit. Sed et Cuthberto inter alia, quia episcopus esset ordinandus, insinuavit. Unde idem Cuthbertus, postmodum in secessu anachoreseos positus, dicere quidem nulli volebat, quia episcopum eum praedixerat futurum : sed tamen visitantibus se aliquoties fratribus, solebat multo cum dolore protestari, quia etiam si fieri possit, ut in caute permodicam domunculam habens deliteam, ubi circumferentes me undique fluctus Oceani tumescentes, a cunctorum mortalium visu pariter et cognitione seclùdant: nec sic quidem liberum me ab insidiis mundi fallentis aestimo, sed ibi quoque, quia qualibet ex causa philargyria me tentans abripere possit, vereor.

§ **11**. Post obitum vero dilecti Deo sacerdotis Boisili, memoratum Praepositi officium Cuthbertus suscepit, et per aliquot annos spirituali, ut sanctum decebat, exercens industriâ, non solum ipsi monasterio regularis vitae monita simul et exemplum praeferebat, sed et vulgus circumpositum longe lateque, a via stultae consuetudinis, ad coelestium gaudiorum convertere curabat amorem. Nam et multi fidem, quam habebant, iniquis profanabant operibus, et aliqui etiam tempore mortalitatis, neglecto fidei, quo imbuti erant, sacramento, ad erratica idololatriae medicamina concurrebant, quasi missam a Deo conditore plagam, per incantationes vel alligaturas, vel alia quaelibet daemoniacae artis arcana, cohibere valerent. Ad utrorumque ergo corrigendum errorem, crebro ipse de monasterio egressus, aliquoties equo sedens, sed saepius pedes incèdens, circumpositas veniebat ad villas, et viam veritatis praedicabat errantibus: quod ipsum etiam Boisilus suo tempore facere consueverat. Erat quippe moris eo tempore populis Anglorum, ut veniente in villam clerico vel presbytero, cuncti ad ejus imperium, verbum audituri, confluerent, libenter ea quae dicerentur, audirent: libentiusque quae audire et intelligere poterant, operando sequerentur. Porro Cuthberto tanta erat docendi peritia, tantus amor persuadendi quae coeperat, tale vultus angelici lumen, ut nullus praesentium làtebras ei sui cordis celare praesumeret, omnes palam quae gesserant, confitendo proferrent (quia nimirum haec eadem illum latère nullo modo putabant) et confessa, dignis (ut imperabat) poenitentiae fructibus abstergerent. Solebat autem ea maxime loca peragrare, illis praedicare in viculis, qui in arduis asperisque

Digitized by Google

montibus procul positi, aliis horrori erant ad visendum, et paupertate pariter ac rusticitate sua doctorum prohibebant accessum: quos tamen ille, pio libenter mancipatus labori, tanta doctrinae excolebat industriâ, ut de monasterio egrediens, saepe hebdomadâ integra, aliquando duabus vel tribus, nonnumquam etiam mense pleno domum non rediret: sed demoratus in montanis, plebem rusticam verbo praedicationis simul et exemplo virtutis, ad coelestia vocaret.

§ **12**. Cum vero sanctus vir in eodem monasterio virtutibus signisque succresceret, fàmaque operum ejus circumquaque crebresceret, erat sanctimonialis foemina et mater ancillarum Christi, nomine Ebbe, regens monasterium, quod est in loco, quem Coludi urbem nuncupant, religione pariter et nobilitate cunctis honorabilis: namque erat soror uterina regis Oswini. Haec ad virum Dei mittens, rogavit, ut se suumque monasterium gratiâ exhortationis invisere dignaretur. Nec negare potuit, quod ab eo charitas ex ancillae Dei corde poposcit. Venit igitur ad locum diesque aliquot ibi permanens, viam justitiae, quam precabatur, omnibus actu pariter et sermone pandebat. Qui cum more sibi solito, quiescentibus noctu caeteris, ad orationem solus exiret, et post longas intempestae noctis vigilias, tandem instante hora communis synaxeos domum rediret, quadam nocte unus e fratribus ejusdem monasterii, cum egredientem illum silentio cerneret, clanculo secutus ejus vestigia, quo ire, quidve agere vellet, dinoscere quaerebat. At ille egressus monasterio, sequente exploratore, descendit ad mare, cujus ripae monasterium idem superpositum erat: ingressusque altitudinem maris, donec ad collum usque et brachia unda tumens assurgeret, pervigiles undisonis in laudibus tenebras noctis exegit.

§ **13**. Appropinquante autem diluculo, ascendens in terram, denuo coepit in litore flexis genibus orare. Quod dum ageret, venère continuo duo de profundo maris quadrupedia, quae vulgo Lutrae vocantur. Haec ante illum strata in arena, anhelitu suo pedes ejus fovere coeperunt, ac villo satagebant extergere. Completoque ministerio, percepta ab eo benedictione, patrias sunt relapsa sub undas. Ipse quoque mox domum reversus, canonicos cum fratribus hymnos hora competente complevit. At frater, qui eum de speculis praestolabatur, perculsus pavore ingenti, vix prae angustia premente domum nutante gressu pervenit: primoque mane accedens ad eum sese in terram stravit, veniam de reatu stulti ausus cum lacrymis flagitavit, nil dubitans illum nosse, quid ipse noctu egerit, quidve pateretur. Cui ille: « Quid habes, frater? Quid fecisti? Num nostrum iter nocturnum lustrando explorare tentasti? Sed ea solum conditione tibi hoc indulgeo commissum, si promiseris te, quae vidisti, nulli ante meum obitum esse dicturum. » In quo nimirum

praecepto ejus secutus est exemplum, qui discipuli in monte gloriam suae majestatis ostendens, ait: « Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat. » Promittentem ergo quae jusserat, fratrem benedixit, pariterque culpam et molestiam, quam temerarius incurrerat, abstersit: qui virtutem quam viderat, ipso vivente silentio tegens: post obitum ejus plurimis indicare curabat.

§ 11. Coepit interea vir Dei etiam spiritu prophetiae pollère, ventura praedicere, absentia nunciare. Quodam enim tempore pergens de suo monasterio, pro necessitate causae accidentis, ad terram Pictorum, qui Niduari vocantur, navigando pervenit, comitantibus eum duobus e fratribus, quorum unus postea presbyterii functus officio, virtutem miraculi, quam ibidem vir Domini monstravit, multorum notitiae patefecit. Venerunt autem illo post natalis Dominici diem, sperantes se, quia undarum simul et aurarum arridebat temperies, citius esse redituros, ideoque nec cibaria secum tulère, tamquam ocyus reversuri, sed longe aliter quam putabant, evenit. Nam mox ut terram tetigère, tempestas fera suborta est, quae iter eis omne remeandi praecluderet. Cumque per dies aliquot ibidem inter famis et frigoris pericula laterent (quo tamen tempore vir Dei non marcida luxu ocia gereret, nec somnis vacare volebat inertibus : sed pernox in oratione perstare satagebat) aderat sacratissima Dominicae apparitionis dies. Tum ille socios blando, ut jucundus atque affabilis erat, sermone alloquitur: «Quid, rogo, tantâ ignaviâ torpemus, et non quacumque iter salutis inquirimus? En tellus nivibus, nebulis coelum horrescit, aër flatibus adversis furit, fluctibus aequor, ipsi inopiâ deficimus, nec adest homo qui reficiat. Pulsemus ergo Dominum precibus, qui suo quondam populo maris rubri viam aperuit, eumque in deserto mirabiliter pavit: orantes, ut nostri quoque misereatur in periculis. Credo, si non nostra fides titubat, non vult nos hodiernâ die jejunos permanere, quam ipse per tot ac tanta suae miracula majestatis illustrare curavit: precorque, eamus alicubi quaerentes, quid epularum nobis in gaudium suae festivitatis praestare dignetur.» Haec dicens, eduxit eos sub ripam, ubi ipse noctu pervigil orare consueverat. Eo advenientes, invenerunt tria frusta delphininae carnis, quasi humano ministerio secta et praeparata ad cocturam, flexisque genibus, gratias egèrunt Domino. Dixit autem Cuthbertus: «Videtis, dilectissimi, quae sit gratia confidendi et sperandi in Domino. Ecce et cibaria famulis suis praeparavit, et ternario quoque numero, quot diebus hic residendum sit, nobis ostendit. Sumite ergo munera quae misit nobis Christus, et abeuntes reficiamus nos, maneamusque intrepidi. Certissima enim nobis post triduum serenitas coeli et maris adveniet. Factum est, ut dixerat: manente triduo

Digitized by Google

tempestate praevalida, quarto demum die tranquillitas promissa secuta est, quae illos secundis flatibus in patriam referret.

§ **15**. Quadam quoque die, cum praedicaturus juxta consuetudinem suam populis de monasterio exiret, uno comite puero, jamque diu gradiendo fatigatis non parum adhuc restaret itineris, quousque ad vicum, quo tendebant, pervenirent, ait ad puerum, tentans eum: « Dic age sodalis, ubi hodie refici disponas: an habeas aliquem in via, ad quem divertere valeas, hospitem. » At ille respondens ait: « Et haec ipsa mecum, inquit, tacito in corde tractavi: quia nec viaticum ituri tulimus nobiscum, neque aliquem in itinere notum habemus qui nos suo velit recipere hospitio: et non parum adhuc itineris superest, quod jejuni sine molestia complere nequimus. » Cui vir Domini inquit: « Disce, filiole, fidem semper et spem habere in Domino: quia nunquam fame perit qui Deo fideliter servit. » Et sursum aspectans, vidensque aquilam in alto volantem: « Cernis, inquit, aquilam illam porro volantem? Etiam per hujus ministerium possibile est Domino, nos hodie reficere. » Talia confabulantes, agebant iter juxta fluvium quemdam, et ecce subito vident aquilam in ripa residentem, dixitque vir Dei: « Vides ubi nostra, quam praedixi ministra residet? Curre, rogo, et quid nobis epularum, Domino mittente, attulerit inspice, et citius affer. » Qui accurrens, attulit piscem non modicum, quem illa nuper de fluvio prehenderat. At vir Dei: « Quid, inquit, fecisti fili? Quare ministrae suam partem non dedisti? Seca citius medium, et illi partem, quam nobis ministrando meretur, remitte. » Fecit, ut jusserat, sumptàque secum parte reliqua, ubi tempus reficiendi aderat, diverterunt ad proximum vicum: et dato ad assandum pisce, se pariter et eos, ad quos intrabant, gratissimo refecere convivio, praedicante Cuthberto verbum Dei, atque ejus beneficia collaudante, et quia beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas. Ac sic resumpto itinere, ad docendum eos, quos proposuere, profecti sunt.

§ **16**. Verum quia paulo superius, quantum idem venerabilis Cuthbertus adversum simulatitias diaboli fraudes valuerit, exposuimus: nunc etiam, quid adversus verum apertumque ejus furorem valeat, explicemus. Erat praefectus Egfridi Hildmer nomine, vir religiosis cum omni domo sua deditus operibus, ideoque a beato Cuthberto specialiter dilectus, et cum itineris propinquitas congrueret, crebro ab eo visitatus. Cujus uxor cum eleemosynis et caeteris virtutum fructibus esset intenta, subito correpta a daemone, acerrime coepit vexari: ita ut stridendo dentibus, voces miserabiles emittendo, brachia vel caetera sui corporis membra in diversa raptando, non minimum cunctis intuentibus vel audientibus incuteret horrorem. Cumque jacèret explosa, et jam jamque videretur esse moritura, ascendit ejus equum, et

concitus venit ad hominem Dei, precatusque est eum, dicens: «Obsecro, quia uxor mea male habet, et videtur jam proxima morti, ut mittas presbyterum qui illam, priusquam moriatur, visitet, eique Dominici corporis et sanguinis sacramenta ministret: sed et corpus illius hic in locis sanctis sepeliri permittat.» Erubescebat enim eam confiteri insanam, quam vir Domini sobriam semper videre consueverat. Qui cum ab eo parumper diverteret, visurus quem mitteret presbyterum cum illo, cognovit repente in spiritu, quia non communi infirmitate, sed daemonis infestatione premeretur conjux, pro qua supplicabat. Reversusque ad eum: «Non, inquit, alium mittere, sed ipse ad visitandam eam tecum pergere debeo.» Cumque agerent iter, coepit flere homo, et dolorem cordis profluentibus in maxillam lacrymis prodere. Timebat enim, ne cum eam daemoniosam inveniret, arbitrari inciperet, quia non integra Domino, sed fide ficta servisset. Quem vir Domini blande consolatus: «Noli, inquit, plorare, quasi inventurus sim conjugem tuam, qualem non velim. Scio enim ipse, quamvis te dicere pudeat, quia daemonio vexatur: scio etiam, quia priusquam illo pervenerimus, fugato daemonio, liberabitur, ac nobis advenientibus cum gaudio occurrens, has ipsas habenas sanissima mente excipiet, nosque intrare citius obsecrans, ministerium, quod consueverat, nobis sèdula impendet. Neque enim tali tormento soli subjiciuntur mali, sed occulto Dei judicio aliquoties etiam innocentes in hoc seculo non tantum corpore, sed et mente captivantur a diabolo.» Dumque haec et hujusmodi verba in consolatiorem et eruditionem illius perorante Cuthberto, appropinquarent domui, fugit repente spiritus nequam, adventum Spiritus Sancti, quo plenus erat vir Dei, ferre non valens. Cujus soluta vinculis mulier, quasi gravi expergefacta de somno, surrexit continuo, ac viro Dei gratulabunda occurrens, jumentum quo sedebat, per frenum tenuit: moxque ad integrum recepto vigore mentis et corporis, eum cito descendere, atque ad benedicendam domum suam precabatur ingredi, devotumque illi ministerium praebens, testabatur palam, quomodo ad primum freni ejus tactum, omni se molestiâ priscae vexationis absolutam sensisset.

§ **17**. Cum ergo venerabilis Domini famulus, multos in Mailrosensi monasterio degens annos, multis virtutum spiritualium claresceret signis, transtulit eum reverendissimus Abbas ipsius Eata in monasterium quod in Lindisfarnensium insula situm est: ut ibi quoque regulam monachicae perfectionis et Praepositi auctoritate doceret, et exemplo virtutis ostenderet. Nam et ipsum locum tunc idem reverendissimus pater Abbatis jure regebat. Neque aliquis miretur, quod in eadem insula Lindisfarnea, cum permodica sit, et supra episcopi, et nunc Abbatis et monachorum esse locum dixerimus: revera enim ita est. Namque una eademque

Digitized by Google

servorum Dei habitatio, utrosque simul tenet, immo omnes monachos tenet. Aidanus quippe qui primus ejusdem loci episcopus fuit, monachus erat, et monachicam cum suis omnibus vitam semper agere solebat. Unde ab illo omnes loci ipsius antistites usque hodie sic episcopale exercent officium, ut regente monasterium abbate, quem ipsi cum consilio fratrum elegerint, omnes presbyteri, diaconi, cantores, lectores, caeterique gradus Ecclesiastici, monachicam per omnia cum ipso episcopo regulam servent. Quam vivendi normam multum se diligere probavit beatus Papa Gregorius, cum sciscitanti per literas Augustino, quam primum genti Anglorum episcopum miserat, qualiter episcopi cum suis clericis conversari debeant. respondit inter alia: « Sed quia tua fraternitas monasterii regulis erudita, seorsum fieri non debet a clericis suis in ecclesia Anglorum quae Deo auctore, nuper adhuc ad fidem perducta est: hanc debet conversationem instituere quae in initio nascentis Ecclesiae fuit patribus nostris in quibus nullus, eorum ex his quae possidebant, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia. »

§ **18**. Igitur ad Lindisfarnensem ecclesiam sive monasterium vir Domini adveniens, mox instituta monachica fratribus vivendo pariter et docendo tradebat. Sed et circumquaque morantem vulgi multitudinem, more suo crebra visitatione ad coelestia quaerenda ac promerenda succendebat. Necnon etiam signis clarior effectus, plurimos, variis languoribus et tormentis comprehensos, orationum instantiâ priscae sanitati restituit: nonnullos ab immundorum spirituum vexatione, non solum praesens orando, tangendo, imperando, exorcizando: sed et absens vel tantum orando, vel certe eorum sanationem praedicendo curavit. In quibus erat illa praefecti uxor, de qua supra retulimus. Erant autem quidam in monasterio fratres qui priscae suae consuetudini, quam regulari mallent obtemperare custodiae: quos tamen ille modesta patientiae suae virtute superabat, et quotidiano exercitio paulatim ad melioris propositi statum convertebat. Denique saepius in coetu fratrum de regula disputans, cum acerrimis contradicentium fatigaretur injuriis, exurgebat repente, et placido vultu atque animo egrediens, dimittebat conventum: ac sequente nihilominus die, quasi nil objectionis pridie sustinuisset, èadem quae prius, monita eisdem dabat auditoribus, donec illos paulatim, ut diximus, ad ea quae vellet, converteret. Erat namque vir patientiae virtute praecipuus, atque ad perferenda fortiter omnia quae vel animo, vel corpori adversa ingerebantur invictissimus, nec minus inter tristia quae contigissent, faciem praetendens hilarem: ita ut palam daretur intelligi, quia interna Spiritus sancti consolatione, pressuras contemneret extrinsecas. Sed et vigiliarum atque orationis ita studiosus existebat, ut aliquoties tres sive quatuor noctes continuas pervigil transegisse credatur, cum per tantum

Digitized by Google

temporis, nec ad lectum proprium, nec extra dormitorium fratrum, locum aliquem in quo pausare posset, haberet. Sive enim locis secretioribus solus orationi vacabat, sive inter psallendum operabatur manibus, torporemque dormiendi laborando propellebat, seu certe circuibat insulam, quomodo se singula quaeque haberent, pius explorator inquirens, pariter et longitudinem sibi psalmodiae ac vigiliarum incedendo allevians.

§ **19**. Denique arguere solebat pusillanimitatem fratrum qui graviter ferrent, si qui se nocturnae vel meridianae quietis tempore importuna forte inquietudine suscitarent, dicens: « Nemo mihi molestiam facit me excitando de somno, sed potius laetificat me qui excitat. » Facit enim me, discusso torpòre somni, utilitatis aliquid agere vel cogitare. Tantum autem compunctioni erat deditus, tantum coelestibus ardebat desideriis, ut Missarum solemnia celebrans, nequaquam sine profusione lacrymarum implere posset officium: sed congruo satis ordine, dum passionis Dominicae mysteria celebraret, imitaretur ipse, quod ageret, seipsum videlicet Deo in cordis contritione mactando, sed et astantes populos sursum corda habere et gratias agere Domino Deo nostro, magis ipse cor quam vocem exaltando, potius gemendo quam cantando admoneret. Erat zelo justitiae fervidus, ad arguendum peccantes: erat spiritu mansuetudinis modestus, ad ignoscendum poenitentibus: ut nonnumquam sibi confitentibus peccata sua, his qui deliquerant, prior ipse, miserans miseros, lacrymas funderet, et quid peccatori agendum esset, ipse justus suo monstraret exemplo. Vestimentis utebatur communibus, ita temperanter agens, ut horum neque munditiis, neque sordibus esset notabilis. Unde usque hodie in eodem monasterio exemplo ejus observatur, ne quis varii aut pretiosi coloris habeat indumentum: sed ea maxime vestium specie sint contenti, quam naturalis ovium lana ministrat. His et hujusmodi spiritualibus exercitiis vir venerabilis, et bonorum quorumque ad se imitandum provocabat affectum, et improbos quosque ac rebelles vitae regulari, a pertinacia sui revocabat erroris.

§ **20**. At postquam in eodem monasterio multa annorum curricula explevit, tandem diu concupita, quaesita ac petita solitudinis secreta, comitante praefati Abbatis sui simul et fratrum gratiâ, multum laetabundus adiit. Gaudebat namque, quia de longa perfectione conversationis activae, ad otium divinae speculationis jam mereretur ascendere. Laetabatur ad eorum sortem se pertingere, de quibus canitur in Psalmo: « Ambulabunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion. » Et quidem in primis vitae solitariae rudimentis secessit ad locum quemdam qui in exterioribus ejus cellae partibus secretior appareret. At cum ibidem aliquandiu solitarius cum hoste invisibili orando ac jejunando certaret, tandem majora praesùmens, longinquiorem

ac remotiorem ab hominibus locum certaminis petiit. Farne dicitur insula, medio in mari posita: quae non, sicut Lindisfarnensium incolarum regio, bis quotidie, accedente aestu Oceani quem rheuma vocant Graeci, fit insula, bis renudatis, abeunte rheumate, litoribus, contigua terrae redditur: sed aliquot millibus passuum ab hac semiinsula ad Eurum secreta, et hinc altissimo, et inde infinito clauditur oceano. Nullus hanc facile ante famulum Domini Cuthbertum solus valebat inhabitare colonus, propter videlicet demorantium ibi phantasias daemonum: verum intrante eam milite Christi, armato galeâ salutis, scuto fidei et gladio spiritus quod est verbum Dei, omnia tela nequissimi ignea extincta, et ipse nequissimus cum omni satellitum suorum turba porro fugatus est hostis. Qui videlicet miles Christi, ut devicta tyrannorum acie, monarcha terrae, quam adierat, factus est, condidit civitatem suo aptam imperio, et domos in hac aeque civitati congruas erexit. Est autem aedificium situ pene rotundum, a muro usque ad murum mensurâ quatuor ferme sive quinque perticarum distentum. Murus ipse de foris altior longitudine stantis hominis. Nam intrinsecus vivam caedendo rupem, multo illum fecit altiorem, quatenus ad cohibendam oculorum sive cogitationum lasciviam, et ad erigendam in superna desideria totam mentis intentionem, pius incola nil de sua mansione praeter coelum posset intuèri. Quem videlicet murum non de secto lapide, vel latere et caemento: sed impolitis prorsus lapidibus et cespite, quem de medio loci fodiendo tulerat, composuit.

§ 21. At vero ipsa ejus mansio aquae erat indiga, utpote in durissima et prope saxea rupe condita. Accitis ergo vir Domini fratribus (necdum enim se ab advenientium secluserat aspectibus), « Cernitis, inquit, quia fontis inops sit mansio quam adii? Sed rogemus (obsecro) illum qui convertit solidam petram in stagna aquae, et rupes in fontes aquarum: ut non nobis, sed nomini suo dans gloriam, de hac quoque rupe saxosa nobis venam fontis aperire dignetur. Fodiamus in medio tuguriunculi mei, credo, torrente voluptatis suae potabit nos.» Fecerunt ergo foveam, quam in crastinum, emanante ab internis undâ, repletam invenerunt. Unde dubium non erat, hanc orationibus viri Dei de aridissima ac durissima prius terra elicitam fuisse aquam. Quae videlicet aqua mirum in modum primis contenta ripis, nec foras ebulliendo pavimentum invadere, nec hauriendo novit deficere: ita moderata gratia largitoris, ut nec necessitati accipienti superflueret, nec sustentandae necessitati copia deesset. Facta ergo, juvantibus se fratribus, mansione ac domibus praefatis, incipit habitare solus vir Domini Cuthbertus.

§ 22. Et primo quidem venientibus ad se fratribus, de sua cella egredi, eisque ministrare solebat: quorum dum pedes aquâ calida devotus lavaret, coactus est aliquoties ab eis etiam se

Digitized by Google

discalceare, suosque pedes illis ad abluendum praebere. Namque intantum a cultu sui corporis animum sustulerat, atque ad animae solius cultum contulerat, ut semel calceatus tibracis, quas pelliceas habere solebat, sic menses perduraret integros. Aliquando etiam calceatus in Pascha, non nisi post annum, redeunte paschae tempore, propter lavationem pedum quae in coena Domini fieri solet, se discalceasse dicatur. Unde ob crebras preces incurvationesque genuum, quas calceatus exercebat, callum oblongum nec exilem in confinio pedum et tibiarum habuisse deprehensus est. Deinde increscente studio perfectionis, includitur in suo monasterio, atque ab hominum remotus aspectibus, solitariam in jejuniis, orationibus et vigiliis discit agere vitam, rarum cum advenientibus deintus habens colloquium, et hoc per fenestram: qua primitus aperta, et videri a fratribus, et fratres, quos alloquebatur, ipse videre gaudebat. Exinde procedente tempore et ipsam occlusit, nec nisi dandae benedictionis vel alterius cujuslibet certe necessitatis gratiâ, reserabat.

§ 23. Et primum quidem permodicum ab eis panem, quo vesceretur, accipiebat, ac suo bibebat e fonte: postmodum vero proprio manuum labore, juxta exempla patrum, vivere magis aptum ducebat. Rogavit ergo afferri sibi inibi instrumenta, quibus terram exerceret, et triticum quod sereret. Sed seminata verno tempore terra, nullos usque ad medium aestatis, reddidit fructus. Unde visitantibus se juxta morem fratribus, ajebat vir Dei: « Forsitan aut tellùris hujusce natura, aut voluntas Dei non est, ut hoc in loco mihi triticum nascatur. Afferte (rogo) hordeum, si forte vel illud fructum facere possit. Quod si nec illi Deus incrementum dare voluerit, satius est me ad coenobium reverti, quam alieno hic labore sustentari. » Allatumque hordeum dum ultra omne tempus serendi, ultra omnem spem fructificandi terrae commendaret, mox abundanter exortum fecit fructum copiosum. Quod dum maturescere coepisset, venere volucres et huic depascendo certatim insistebant. Ad quos piissimus Christi servus appropians (sicut post ipse referebat: solebat enim saepe, quia laeti vultus et affabilis erat, ad confirmandam fidem audientium, aliqua etiam de eis quae ipse credendo obtinuerat, in medium proferre), « Quid tangitis, inquit, sata quae non servistis? An forte vos plus me his opus habetis? Si tamen a Deo licentiam accepistis, facite quod ipse permisit: sin autem, recedite, neque ulterius aliena laedatis. » Dixerat, et ad primam jubentis vocem universa volucrum multitudo recessit, seque per omnia deinceps ab ejusdem messis invasione continuit. Et hic quoque venerabilis Christi famulus in duobus miraculis, duorum patrum est facta sequutus: in aqua videlicet elìcita de rupe, factum B. patris Benedicti qui idem pene et eodem modo legitur fecisse miraculum: sed idcirco uberius, quia plures erant qui

aquae inopiâ laborarent. Porro in arcessitis a messe volatilibus, reverendissimi et sanctissimi patris Antonii sequebatur exemplum* qui a laesione hortuli, quem ipse plantaverat, uno ònagros sermone compescuit.

§ 24. Non sola autem aëris, sed et maris animalia, immo et ipsum mare, sicut et aër et ignis, juxta quod in superioribus exposuimus, viro venerabili praebuere obsequium. Qui enim auctori omnium creaturarum fideliter et integro corde famulatur, non est mirandum, si ejus imperiis ac votis omnis creatura deserviat. At nos plerumque idcirco subjectae nobis creaturae dominium perdimus, quia Domino et creatori omnium ipsi servire negligimus. Et ipsum, inquam, mare promptum famulo Christi, ubi opus habuit, impendebat officium. Disponebat namque parvulam sibi in suo monasterio, sed quotidianis necessitatibus aptam condere casulam, cui a parte maris, qua alluvione frequentium gurgitum excavata rupis, altissimum nec brevem fecerat hiàtum, basis supponenda erat, et haec, juxta latitudinem hiatus, duodecim pedes longa. Rogavit ergo fratres qui se visitaturi advenerant, ut cum redire vellent, lignum sibi longitudinis duodecim pedum, ad faciendam domunculae basim, deferrent. Qui promiserunt se libentissime facturos quod petiit. Sed accepta benedictione ab eo, ubi domum sunt reversi, fugit mentem petitio patris: reversique die debito ad eum, non attulere quod rogabantur. Quibus ille benignissime receptis, et oratione solita Deo commendatis, «Ubi est, inquit, lignum quod vos afferre rogabam?» Tum illi reminiscentes petitionem ejus, suamque confitentes oblivionem, veniam de admisso precabantur. At vir mitissimus blando illos sermone consolatus, usque ad mane in insula manere et quiescere praecepit, dicens: « Credo, quia Deus non obliviscatur meae voluntatis et necessitatis. » Fecerunt, ut dixerat, et exurgentes mane, viderunt quia nocturnus Oceani aestus lignum memoratae longitudinis attulit, et in ipso insuper loco deposuit, ubi in aedificium desuper erat imponendum. Videntes autem, mox et viri venerabilis sanctitatem mirabantur, cui etiam elementa servirent: et suae mentis tarditatem debito cum pudore culpabant, quo etiam insensibile elementum, quam sit sanctis obtemperandum, doceret.

§ 25. Veniebant autem multi ad virum Dei, non solum de proximis Lindisfarnensium finibus, sed etiam de remotioribus Britanniae partibus, famâ nimirum virtutum ejus acciti qui vel sua quae commisissent errata, vel daemonum quae paterentur tentamenta profitentes, vel certe communia mortalium, quibus affligerentur, adversa patefacientes, a tantae sanctitatis viro se consolandos sperabant. Nec eos fefellit spes. Namque nullus ab eo sine gaudio consolationis abibat: nullum dolor animi quem illo attulerat, redeuntem comitatus est. Noverat quippe moestos

Digitized by Google

pia exhortatione refovere: sciebat angustiatis gaudia vitae coelestis ad memoriam revocare, fragilia seculi hujus et prospera simul et adversa monstrare: didicerat tentatis multifarias antiqui hostis pandere versutias, quibus facile caperetur animus qui vel fraterno, vel divino amore nudatus existeret. At qui integra fide roboratus incederet, insidias adversarii, Domino auxiliante quasi casses transiret araneae. Quoties, inquit, meipsum de alta rupe per praeceps misère? quoties quasi ad interficiendum me lapides jactabant? sed et aliis aliisque phantasiarum tentamentis me appetentes deterrere, ac de loco hujus certaminis conabantur eliminare: nec tamen ullatenus vel corpus meum laesurâ aliqua, vel mentem timore contaminare valebant.

§ **26**. Neque vero sanitatum miracula per hominem Dei, tametsi longe ab hominibus positum, fieri cessabant. Siquidem venerabilis ancilla Christi Elfled, quae inter gaudia virginitatis non paucis famularum Christi agminibus maternae pietatis curam adhibebat, ac regalis stemmata nobilitatis potiori nobilitate summae virtutis accumulabat, multo virum Dei semper excolebat amore. Haec eo tempore, sicut ipsa postea reverendissimo Lindisfarnensis ecclesiae presbytero Herefrido, et ille mihi referebat, gravi percussa languore, ac diu vexata, pene visa est pervenisse ad mortem. Cui cum nil curationis possent adhibere medici, subito divina intrinsecus gratiâ curante, paulatim morti subtracta est, nec tamen plene sanata. Nam dolor quidem interaneorum abscessit, membrorum vigor rediit: sed facultas standi vel ambulandi prorsus defuit quia nec ad standum erigi, nec nisi quadrupes valebat ingredi. Coepit ergo tristis aeternam timere debilitatem: nam et de medicorum auxilio jam pridem facta fuerat desperatio. Cui cum die quadam inter angustias tristium cogitationum veniret in mentem beata et quieta conversatio reverendissimi patris Cuthberti: Utinam, inquit, haberem aliquid de rebus Cuthberti mei: scio certe et credo et confido in Domino quia cito sanarer. Et non multo post advenit qui ei zonam lineam, ab eo missam, deferret. Quae multum gavisa de munere et desiderium suum viro sancto jam coelitus patefactum intelligens, succinxit se illâ et mane mox erecta ad standum, tertia vero die plene est reddita sanitati. Post dies autem paucos coepit aegrotare quaedam de virginibus monasterii ipsius, dolore capitis intolerabili. Quae cum ingravescente morbo per dies, videretur esse moritura, intravit ad visitandam eam venerabilis Abbatissa. Cumque eam graviter afflictam conspiceret, tulit memoratam viri Dei zonam, et hac illi caput circumligare curavit. Quae eodem mox die, abeunte dolore, curata est: tollensque zonam, sua condidit in capsa. Quam cum post dies aliquot Abbatissa requireret, neque in capsa eadem neque uspiam prorsus potuit inveniri. Quod divina dispensatione factum intelligitur, videlicet ut et per duo

Digitized by Google

sanitatis miracula Deo dilecti patris sanctitas appareret credentibus et deinceps dubitandi de sanctitate illius occasio tolleretur incredulis. Si enim eadem zona semper adesset, semper ad hanc concurrere voluissent aegroti: et dum forte ex his aliquis non mereretur a sua infirmitate curari, derogaret impotentiae non salvantis, cum ipse potius esset salutis indignus. Unde provida, ut dictum est, dispensatione supernae pietatis, postquam fides credentium confirmata est, mox invidiae perfidorum materia detrahendi est prorsus ablata.

§ **27**. Alio item tempore misit eadem reverendissima virgo et mater virginum Christi Elfled, rogavitque virum Dei, adjùrans in nomine Domini, ut eum videre et de necessariis mereretur alloqui. Qui ascensa navi, cum fratribus venit ad insulam quae Coquedi fluminis ostio praejacens, ab eodem nomen accepit et ipsa monachorum coetibus insignis. Nam praefata Abbatissa illo eum sibi occurrere rogaverat. Cujus potita colloquiis, cum multa ab eo quae sciscitabatur, audiret, ecce repente in medio sermone advoluta pedibus ejus, adjuravit eum per nomen illud terribile ac venerabile superni regis et angelorum ejus, ut diceret illi quam longo tempore victurus esset Egfridus frater illius et regnum gubernaturus Anglorum. «Scio enim, inquit, quia prophetiae spiritu quo polles, hoc dicere potes, si vis.» At ille expàvens ad juramentum, nec tamen volens aperte quod petebatur, revelare secretum: «Mirum, inquit, quare sapiens foemina et in sanctis erudita scripturis, longa vocare velis humanae tempora vitae, dicente Psalmista quia anni nostri sicut aranea meditabuntur: et cum moneat Salomon: si annis multis vixerit homo et in his omnibus laetus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguuntur praeterita. Quanto magis is, cui unius solum anni vita superest, brevi videtur tempore vixisse, ubi mors astiterit in januis?» Haec audiens illa, fusis lacrymis, praesagia dira deflebat: extersàque facie, rursus audaciâ foemineâ adjuravit per majestatem summae divinitatis, ut diceret quem habiturus esset haeredem regni, cum filiis careret et fratribus.» Qui parum silens, « Ne dicas, inquit, quia cares. Habebis enim successorem quem germana, ut ipsum Egfridum, dilectione complectaris.» At illa: «Obsecro, inquit, dicas quibus in locis sit ille.» Qui ait: «Cernis hoc mare magnum et spatiosum quot abundet insulis? Facile est Deo de aliqua harum sibi providere quem regno praeficiat Anglorum.» Intellexit ergo quia de Aldfrido diceret qui ferebatur filius fuisse patris illius et tunc in insulis Scotorum ob studium literarum exulabat. Sciebat autem quia Egfridus proponeret eum constituere episcopum, volensque dinoscere, si propositum sequeretur effectus, ita quaerendo exorsa est: O quam varia intentione dividuntur corda mortalium! Quidam adeptis gaudent divitiis: alii amantes

Digitized by Google

divitias, semper egent: tu gloriam mundi, quamvis offeratur, respuis: etiamsi ad episcopatum pertingere possis quo sublimius apud mortales nihil est, tui claustra deserti huic gradui praeferes:» At ille: «Scio me, inquit, tanto gradu dignum non esse, nec tamen judicium superni gubernatoris uspiam effugere queo: qui si tanto oneri me subjiciendum disposuit, credo quia post modicum liberum reddet, et fortasse non amplius quam duobus annis exactis, solitam me meae solitudinis remittet ad requiem. Praecipio autem tibi in nomine Domini et Salvatoris nostri, ne cui ante obitum meum, quae a me audivisti, referas.» Cumque illi haec et multa alia, quae quaerebat, exponeret, atque eam, de quibus opus habebat, instrueret, reversus ad insulam et monasterium suum, solitariam, ut coeperat, agebat sedulus vitam.

§ **28**. Nec multo post, congregata synodo, non parva sub praesentia piissimi ac Deo dilecti regis Egfridi, cui beatae memoriae Theodorus archiepiscopus praesidebat, unanimi omnium consensu ad episcopatum ecclesiae Lindisfarnensis electus est. Qui cum multis legatariis ac literis ad se praemissis, nequaquam suo loco posset erui, tandem rex ipse praefatus una cum sanctissimo antistite Trumwino, necnon et aliis quamplurimis religiosis ac potentibus viris ad insulam navigavit, genu flectunt omnes, adjurant per Dominum, lacrymas fundunt, obsecrant, donec ipsum quoque lacrymis plenum dulcibus extrahunt latebris, atque ad synodum pertrahunt. Quo dum perveniret quamvis multum renitens, unanima omnium voluntate superatur atque ad suscipiendum episcopatus officium collum submittere compellitur. Nec tamen statim ordinatio, sed peracta hyeme quae imminebat, expleta est: atque ut verbis ejus propheticis per omnia satisfieret, Egfridus post annum Pictorum gladio trucidatur, et Aldfridus in regnum frater ejus nothus substituitur: qui non paucis ante temporibus in regionibus Scotorum lectioni operam dabat, ibi ob amorem sapientiae, spontaneum passus exilium.

§ **29**. Susceptum autem episcopatus ordinem venerabilis vir Domini Cuthbertus, juxta praecepta et exempla Apostolica, virtutum ornabat operibus. Commissam namque sibi plebem et orationibus protegebat assiduis et admonitionibus saluberrimis ad coelestia vocabat. Et quod maxime doctores juvat, ea quae agenda docebat, ipse prius agendo praemonstrabat. Eripiebat inopem de manu fortiorum ejus, egenum et pauperem a rapientibus eum: tristes ac pusillanimes consolari: male autem gaudentes, ad tristitiam quae secundum Deum est, revocare curabat. Solitam sibi parsimoniam exercere sedulus et inter frequentiam turbarum monachicae vitae rigorem observare solicitus gaudebat. Esurientibus alimenta, indumenta praebebat algentibus, caeterisque vitae pontificalis insignibus rite decoratus incedebat. Cujus

Digitized by Google

internis, id est, animi virtutibus ea quoque quibus foris effulgebat, miraculorum signa testimonium dabant. Ex quibus aliqua breviter memoriae commendare curavimus.

§ **30**. Igitur dum Egfridus rex ausu temerario exercitum in Pictos * duceret, eorumque regna atroci ac feroci saevitia devastaret, sciens vir Domini Cuthbertus adesse tempus, de quo anno praeterito interroganti ejus sorori praedixerat, non eum amplius quam uno anno esse victurum: venit ad Lugubaliam civitatem quae a populis Anglorum corrupte Luel vocatur, ut alloqueretur reginam quae ibidem in monasterio suae sororis eventum belli expectare disposuit. Postea autem die deducentibus eum civibus, ut videret moenia civitatis, fontemque in ea miro quodam Romanorum opere extructum, repente turbatus spiritu, ut stabat super baculum, moestam faciem deflexit ad terram: rursumque se erigens atque ad coelum oculos attollens, ingemuit graviter et non grandi voce ait: « Forte modo discrimen factum est certaminis.» At presbyter qui astabat, intelligens de quo diceret, incauta velocitate ductus, respondit et dixit: « Unde scis? Nolens autem ille amplius de his quae sibi erant revelata patefacere, Nonne videtis, inquit, quam mire mutatus ac turbatus sit aër? Et quis mortalium sufficit investigare judicia Dei?» Attamen confestim intravit ad reginam et secreto eam alloquens (erat autem dies sabbati). « Vide, inquit, mature illucescente secunda sabbati ascendas currum quia die Dominico curru ire non licet: vadasque et regiam civitatem citissime introëas, ne forte occisus sit rex. Ego autem quia crastina die ad vicinum monasterium ob dedicandam ibi ecclesiam venire rogatus sum, expleta dedicatione, te continuo subsequor.» Veniente autem die Dominico, praedicans verbum Dei fratribus ejusdem monasterii, finito sermone et faventibus cunctis qui àderant, rursus ita coepit: «Obsecro, dilectissimi, juxta Apostoli monita, vigiletis, stetis in fide, viriliter agatis et confortemini: ne forte superveniens aliqua tentatio, vos imparatos inveniat: sed mèmores potius semper illius Dominici praecepti, *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (*Matth.* XXVI).» Putabant autem quia non multo ante pestilentiae clades et eos et multos circumquaque lata caede straverat, eum de hujusmodi plagâ jam rediturâ fuisse locutum.

§ **31**. At ille rursus assumpto sermone: «Quondam, inquit, cum adhuc in mea demorarer insula solitarius, venerunt ad me quidam de fratribus die sancto Dominicae nativitatis, rogabantque ut de mea casula et mansione egrediens, solemnem cum eis et laetum diem tantae venerationis transigerem. Quorum ego devotis precibus acquiescens, egrediebat et consedimus ad epulas.» At in media forte refectione dixi ad eos: «Obsecro, fratres, caute agamus et vigilanter, ne per incuriam forte et securitatem

* De Pictis supra in Vita S. Ceaddae Die II.

Digitized by Google

inducamur in tentationem.» At illi responderunt: «Obsecramus, hodie laetum agamus diem quia natale est Domini nostri Jesu Christi. » Et ego : « Sic, inquam, faciamus. Cumque post haec aliquamdiu epulis, exultationi ac fabulis indulgeremus, rursus admonere coepi, ut soliciti existeremus in orationibus et vigiliis atque ad omnes tentationum incursus parati.» Et illi, «Bene, inquiunt, et optime doces: sed tamen quia abundant dies jejuniorum, orationis et vigiliarum, hodie gaudeamus in Domino. Nam et angelus, nascente Domino, evangelizabat pastoribus gaudium magnum quod esset omni populo celebrandum.» Et ego: «Bene, inquam, faciamus sic.» Sed cum epulantibus nobis et diem laetum ducentibus, tertio ejusdem admonitionis verba repeterem, intellexere illi quia non frustra haec tam studiose suggererem: et expavescentes, dicebant: «Faciamus, ut doces quia necessitas magna nobis incumbit, ut contra insidias diaboli et omnia tentamenta semper accincti spiritualiter vigilemus.» Haec dicens ego, nesciebam, sicut nec illi aliquid nobis occursurum novae tentationis : sed tantum instinctu mentis admonitus sum, adversus subitas tentationum procellas statum cordis semper esse muniendum. Sed ubi reversi a me, mane ad suum, id est, Lindisfarnense monasterium redierunt, ecce quemdam de suis morbo pestilentiae obisse reperiunt. Et crescente ac saeviente per dies, immo etiam per menses et annum totum eadem clade, nobilissimus ille patrum fratrumque coetus spiritualium pene universus migravit ad Dominum. Et nunc ergo fratres vigilate, et vos in orationibus, ut si quid vobis tribulationibus ingruerit, vos jam paratos inveniat. Haec dicente venerabili antistite Cuthberto, rebantur, ut praefatus sum quia de reditu pestilentiae diceret. Sed post unum diem adveniens qui fugerat e bello, occulta viri Dei vaticinia miseris exponebat eloquiis. Probatumque est, ipsa die, eademque hora qua viro Dei juxta puteum stanti revelatum est, caesis circum tutoribus, regem hostili gladio fuisse prostratum.

§ **32**. Non multo post tempore, idem famulus Domini Cuthbertus ad eandem Lugubaliam civitatem rogatus advenit, quatenus ibidem sacerdotes consecrare, sed et ipsam reginam, dato habitu sanctae conversationis, benedicere deberet. Erat autem presbyter vitae venerabilis, nomine Heribertus, jamdudum viro Dei Cuthberto spiritualis amicitiae foedere copulatus, qui in insula stagni illius pergrandis, de quo Derwentionis fluvii primordia erumpunt, vitam solitariam ducens, annis singulis ad eum venire et monita salutis perpetuae ab eo accipere consueverat. Hic cum audisset eum illa in civitate demoratum, venit ex more, cupiens salutaribus ejus exhortationibus ad superna desideria magis magisque inflammari. Qui dum sese alterutrum coelestis sapientiae pòculis debriarent, dixit inter alia Cuthbertus : « Memento, frater Heriberte, ut modo quicquid opus habes, me

Digitized by Google

interroges, mecumque loquaris: quia postquam ab invicem digressi fuerimus, non ultra nos invicem in hoc seculo carneis oculis videbimus. Certus sum enim quia tempus resolutionis meae instat et velox est depositio tabernaculi mei.» Qui haec audiens, provolùtus ejus pedibus, fusisque cum gemitu lacrymis: « Obsecro, inquit, per Dominum, ne me derelinquas: sed tui sodalis memineris, rogesque supernam pietatem, ut cui pariter in terris servivimus, ad ejus videndam claritatem pariter transeamus ad coelos. Nosti enim quia ad tui oris imperium semper vivere studui et quicquid ignorantià vel fragilitate delìqui aeque ad tuae voluntatis arbitrium castigare curavi.» Incubuit precibus episcopus, statimque edoctus in spiritu impetrasse se quod petierat a Domino: « Surge, inquit, frater mi, et noli plorare: sed gaudio gaude quia donavit nobis superna clementia quod rogavimus eam.» Cujus promissi, et prophetiae veritatem sequens rerum finis astruxit: quia et digredientes ab invicem, non amplius se corporaliter viderunt: et unius ejusdemque momento temporis egredientes e corpore spiritus eorum, mox beata invicem visione conjuncti sunt, atque angelico ministerio pariter ad regnum coeleste translati. Sed Heribertus diùtina prius infirmitate decoquitur: illa fortassis dispensatione Dominicae pietatis, ut si quid minus haberet meriti a beato Cuthberto, suppleret dolor continuus longae aegritudinis: quatenus aequatus gratiâ suo intercessori, sicut uno eodemque tempore cum eo de corpore egredi, ita etiam una atque indissimili sede perpetuae beatitudinis mereretur recipi.

§ **33**. Quadam autem die, dum parochiam suam circumiens, monita salutis omnibus ruri casis et viculis largiretur, necnon etiam nuper baptizatis, ad accipiendam Spiritus Sancti gratiam, manum imponeret: devenit ad villulam cujusdam comitis, cujus uxor male habens, quasi proxima morti jacebat. Cui jam venienti occurrens ipse comes, flexis genibus gratias egit Domino de adventu illius. Et introducens eum, benigno recepit hospitio. Cumque lotis more hospitalitatis manibus et pedibus resedisset antistes, coepit referre illi vir de languore conjugis desperatae, obsecrans, ut ad aspergendam eam, aquam benediceret. «Credo, inquit, quia mox aut sanitati, Deo donante, restituatur, aut si moritura est, perpetuam de morte transeat ad vitam, citiusque moriendo, compendium tam miserabilis ac diutinae vexationis accipiat.» Annuit deprecanti vir Dei, et allatam benedicens aquam, dedit presbytero, praecipiens ut super languidam aspergeret. Qui introgressus cubiculum, in quo illa exanimi simillima jacebat, aspersit illam et lectulum ejus: sed et os illius aperiens, gustum salutiferi haustus immisit. Res mira et vehementer stupenda. Mox ut eam aqua benedicta tetigit languentem, et quid erga eam ageretur prorsus ignorantem, ita

Digitized by Google

plenam mentis et corporis sanitatem recepit, ut confestim resipiscens, benediceret Dominum, gratiasque referret ei qui tales tantosque hospites ad se visitandam curamdamque destinare dignatus sit. Nec mora, exurgens, ipsis suae sanitatis ministris ministerium sana praebuit, pulchroque spectaculo ipsa prima de tota tanti viri familia episcopo potum refectionis obtulit, quae per ipsius benedictionem poculum mortis evasit, secuta exemplum socrus apostoli Petri quae curata a febribus per Dominum, continuo surgens, ministrabat illi ac discipulis ejus.

§ **34**. Nec silentio praetereundum arbitramur miraculum quod ejusdem viri venerabilis virtute, quamvis ipso absente, patratum cognovimus. Meminimus supra Hildmeri praefecti, cujus uxorem vir Dei ab immundo spiritu liberaverit. Idem ergo praefectus postea dècidit in lectum, gravissima pressus infirmitate, adeo ut crescente molestiâ per dies, jamjamque videretur esse moriturus. Aderant multi amicorum qui ad consolandum venerant languentem. Cumque lecto jacentis assiderent, repente unus eorum intulit, quia secum haberet panem, quem sibi nuper vir Domini Cuthbertus benedictionis gratiâ dedisset. «Et credo, inquit, quia hujus gustu possit, si tamen fidei nostrae tarditas non obsistit, medelam recipere salutis.» Erant autem laici omnes, sed religiosi. Conversi igitur ad invicem, confitebantur singuli, quia absque ulla dubietate crederent, per ejusdem benedicti panis communionem eum posse sanari. Impletensque calicem aquâ, immiserunt pauxillulum panis illius, et dederunt ei bibere. Cujus statim ut viscera gustus ille aquae per panem sanctificatus attigit, fugit dolor interaneorum omnis, fugit exteriorum tabitudo membrorum. Nec mora, expeditum a languore virum salus subsecuta confirmavit, atque ad laudandum famuli Christi sanctitatem et admirandam fidei non fictae virtutem, merito et ipsum et omnes qui celeritatem tam inopinatae salutis videre vel audiere, sustulit.

§ **35**. Quodam quoque tempore, dum sanctissimus gregis Dominici pastor sua illustrando circumiret ovilia, devenit in montana et agrestia loca, ubi multi erant de circum positis late villulis, quibus manus erat imponenda. Nec tamen in montibus ecclesia vel locus inveniri potuit aptus qui pontificem cum suo comitatu susciperet. Tetenderunt ergo tentoria in via, et caesis de vicina sylva ramusculis, sibi quique tabernacula ad manendum, qualia potuere, fixerunt. Ubi dum confluentibus ad se turbis vir Dei verbum biduo praedicaret, ac Spiritus sancti gratiam nuper regeneratis in Christo per manus impositionem ministraret, ecce subito apparuere mulieres, ferentes in grabato juvenem, longae aegritudinis acerbitate tabefactum, ponentesque in exitu sylvae, miserunt ad episcopum, rogantes, ut ad accipiendam benedictionem ad se hunc afferri permitteret. Quem cum ad se

Digitized by Google

perductum acerrime vexatum conspiceret, jussit omnes secedere longius: et ad solita orationis arma confugiens data benedictione, pepulit pestem, quam solicita medicorum manus pigmentorum compositione nequiverat. Denique eàdem horâ surgens, et accepto cibo confortatus, reddita Deo gratiarum actione, regressus est ad eas quae se portaverant, foeminas. Sicque factum est, ut quae eum illo tristes languidum advexerant, cum eis inde gaudentibus et ipse sospes ac laetabundus domum rediret.

§ **36**. Eodem tempore pestilentia subito exorta illis in partibus, gravissima nece incubuit, ita ut in magnis quondam refertisque habitationibus, villis ac possessionibus, vix parvae raraeque reliquiae, et interdum nullae residerent. Unde sanctissimus pater Cuthbertus diligentissime suam lustrans parochiam, eisdem minimis, quae superfuere, reliquiis ministerium verbi et necessariae consolationis opem ferre non desiit. Adveniens autem in viculum quemdam, ibidemque omnibus, quos invenerat, auxilio exhortationis adhibito, dixit ad presbyterum suum: « Putasne superest quispiam his in locis, cui nostra visitatione et allocutione opus sit, an cunctis qui male habebant, visis, jam ad alios transire licet? » Qui circumspiciens omnia, vidit mulierem eminus stantem, quae extincto paulo ante filio, fratrem ejus, jam morti proximum tenebat in manibus, lacrymisque faciem rigantibus, praeteritam pariter et praesentem testabatur aerumnam. Quam cum viro Dei ostenderet, nil moratus, accessit ad eam: et benedicens dedit osculum puero, dixitque ad matrem: « Ne metuas, nec moesta sis: salvabitur enim et vivet infans, neque ullus ultra de domo tua hac mortalitatis peste deficiet. » Cujus prophetiae veritati, ipsa cum filio mater, multo exinde tempore vivens, testimonium dabat.

§ **37**. Interea dum praescius vicini sui obitus vir Domini Cuthbertus, jam decrevisset animo, depositâ curâ pastoralis officii, solitariam redire ad vitam, quatenus excussâ solicitudine externâ, inter libera orationum et psalmodiae studia, diem mortis, vel potius vitae coelestis praestolaretur ingressum, voluit prius non solum sua circuitâ parochiâ, sed et aliis circa fidelium mansionibus visitatis, cunctos necessario exhortationis verbo confirmare, ac si desideratae solitudinis gaudio refoveri. Quod dum ageret, rogatus a nobilissima et sanctissima virgine Christi Elflede Abbatissa, cujus superius memoriam feci, venit ad possessionem monasterii ipsius, quatenus ibidem et ipsam videre atque alloqui; et ecclesiam dedicare deberet. Nam et ipsa possessio non pauco famulorum Christi examine pollebat. Ubi dum horâ refectionis ad mensam consedissent, subito venerabilis pater Cuthbertus aversam a carnalibus epulis mentem ad spiritualia contemplanda contulit. Unde lassatis ab officio suo membris corporis, mutato colore faciei, et quasi attonitis contra morem oculis,

cultellus quoque, quem tenebat, decidit in mensam. Quod dum presbyter ejus, qui astabat et ministrabat, aspiceret, inclinatus ad Abbatissam, dixit silentio: «Interroga episcopum, quid viderit. Scio enim, quia non sine causa manus ejus tremefacta, cultellum deseruit, vultusque mutatur illius: sed vidit aliquid spirituale quod nos caeteri videre nequivimus.» At illa statim conversa ad eum: «Obsecro, inquit, Domine mi episcope, dicas quid videris modo. Neque enim frustra lassata tua dextera cultellum, quem tenebat, amisit.» Qui dissimulare conatus vidisse se quippiam secreti, jocose respondit: «Num tota die manducare valebam? Jam aliquando quiescere debui.» Illa autem diligentius adjurante ac flagitante, ut exponeret visionem: «Vidi, inquit, animam cujusdam sancti manibus angelicis ad gaudia regni coelestis ferri.» Rursus illa: «De quo, inquit, loco assumpta est?» Respondit: «De tuo monasterio.» Adjecit nomen inquirere. Et ille: «Tu mihi, inquit, die crastino Missas celebranti nomen ejus indicabis.» Haec audiens illa, confestim misit ad majus suum monasterium videre qui nuper raptus esset e corpore. At nuncius omnes ibidem salvos incolumesque reperiens, postquam mane facto reverti ad dominam coepit, obvios habuit eos qui corpus defuncti fratris sepeliendum in carro deferrent. Interrogansque qui esset, didicit, quia quidam de pastoribus, bonae actionis vir, incautius in arborem ascendens, deciderat deorsum, et contrito corpore, ipsâ horâ spiritum exhalavit, qua hunc vir Domini ad coelestia ductum videbat. Quod dum veniens Abbatissae referret, statim illa ingressa ad episcopum, jamtunc dedicantem ecclesiam, stupore foemineo, quasi novum aliquid incertumque nunciatura, «Precor, inquit, Domine mi episcope, memineris ad Missas Hadwaldi mei (hoc enim viro erat nomen) quia heri cadendo de arbore, defunctus est.» Tunc liquido omnibus patuit, quia multiformis prophetiae spiritus viri sancti praecordiis inerat qui et in praesenti occultum animae raptum videre, et quid sibi in futuro ab aliis indicandum esset, potuit praevidere.

§ **38**. Inde peragratis ex ordine superioribus locis, venit ad monasterium virginum quod non longe ab ostio Tini fluminis situm supra docuimus: ubi a religiosa et ad seculum quoque nobilissima famula Christi Verca Abbatissa magnifice susceptus, postquam de meridiana quiete surrexerunt, sitire se dicens, ut biberet, rogavit. Quaerebant quid bibere vellet, rogantes, ut vinum sive cervisiam afferri liceret: «Aquam, inquit, date mihi.» Qui haustam de fonte aquam, obtulerunt ei. At ille data benedictione, ubi paululum gustavit, dedit astanti presbytero suo. Qui reddidit ministro. Et minister accepto poculo: «Licet, inquit, mihi de potu bibere, de quo bibit episcopus?» Respondit: «Etiam. Quare non liceat?» Erat autem et ille presbyter ejusdem monasterii. Bibit ergo, et visa est ei aqua quasi in vini conversa

saporem. Tantique sibi testem volens adhibere miraculi fratrem qui proxime astabat, porrexit ei poculum. Qui cum et ipse biberet, ejusque quoque palato pro aqua vinum sapiebat. Aspectabant autem mirantes adinvicem. Et ubi vacuum tempus ad loquendum acceperunt, confitebantur alterutrum, quia viderentur sibi nunquam melius vinum bibisse, sicut unus ex ipsis postea in nostro monasterio quod est ad ostium Wiri fluminis, non parvo tempore moratus, ibidemque nunc placida quiete sepultus, sua mihi relatione testatus est.

§ **39**. Duobus igitur annis in episcopatu transactis, sciens in spiritu vir Domini Cuthbertus appropinquare diem sui transitus, abjecit pondus curae pastoralis, atque ad dilectum eremiticae conversationis agonem quantocyus remeare curavit, quatenus inolita sibi solicitudinis mundanae spineta, liberior priscae compunctionis flamma consumeret. Repetiit autem insulam mansionemque suam vir Dei Cuthbertus, mox peracto die solemni nativitatis Dominicae. Cumque eum navem ascensurum caterva fratrum circumstaret, interrogavit unus ex eis veteranus et venerabilis vitae monachus, fortis quidem fide, sed dysenteriae morbo corpore jam factus imbecillis: «Dic nobis, inquiens, Domine episcope, quando reditum tuum sperare debeamus.» At ille simpliciter interroganti, simpliciter et ipse, quod verum noverat, pandens: «Quando, inquit, meum corpus huc referetis.» Qui cum duos ferme menses in magna repetitae suae quietis exultatione transigeret, multo consuetae districtionis rigore corpus mentemque constringeret, arreptus infirmitate subita, temporalis igne doloris ad perpetuae coepit beatitudinis gaudia praeparari.

§ **40**. Cujus obitum libet verbis illius, cujus relatione didici, describere, Herefridi videlicet devotae religionis presbyteri qui etiam tunc Lindisfarnensi monasterio Abbatis jure praefuit. Tribus, inquit, hebdomadibus continuis infirmitate decoctus, sic ad extrema pervenit. Siquidem quartâ feriâ coepit aegrotare, et rursus quartâ feriâ, finita aegritudine, migravit ad Dominum. At cum mane primo inchoatae infirmitatis venirem (nam et ante triduum cum fratribus insulam adieram), cupiens solitae benedictionis et exhortationis ab eo solatia percipere, ut dato juxta morem signo me advenisse prodidi, processit ad fenestram, et salutanti se mihi suspirium pro responso reddidit. Cui ego dixi: «Quid habes, Domine mi episcope? an forte nocte hac tuus te languor tetigit?» At ille: «Etiam, inquit, languor me tetigit nocte hac.» Putabam, quia de veteri sua infirmitate, cujus quotidianâ pene molestiâ consueverat excoqui, non autem de nova et insolita diceret. Nec plura interrogans: «Da, inquam, benedictionem nobis, quia jam tempus navigandi ac domum remeandi adest:» — «Facite, inquit, ut dicis: ascendite navem, ac domum salvi redite. Cum autem Deus susceperit animam meam, sepelite

me in hac mansione juxta oratorium meum ad meridiem contra orientalem sanctae Crucis plagam, quam ibidem erexi. Est autem ad Aquilonalem ejusdem oratorii partem sarcophagus terrae cespite abditus, quem olim mihi Cudda venerabilis Abbas donavit. In hoc corpus meum reponite, involventes in sindone, quam invenietis istic. Nolui quidem eâ vivens indui, sed pro amore dilectae Deo foeminae quae hanc mihi misit, Vercae videlicet Abbatissae, ad obvolvendum corpus meum reservare curavi.» Haec ego audiens: «Obsecro, inquam, pater, quia infirmum et moriturum te audio, aliquos de fratribus hic ad ministrandum tibi remanere permittas.» At ille ait: «Ite modo: tempore autem opportuno redite.» Cumque diligentius obsecrans, ut ministrum susciperet, nequaquam impetrare valerem, tandem interrogavi, quando deberemus reverti. Qui ait: «Quando Deus voluerit, et ipse vobis ostenderit.» Fecimus, ut jusserat. Convocatisque mox in ecclesiam fratribus cunctis, jussi orationem fieri sine intermissione pro eo: quia videtur, inquiens, mihi ex quibusdam verbis illius appropinquare diem, quo sit exiturus ad Dominum. Eram autem solicitus de reditu propter infirmitatem ejus: sed quinque diebus obstitit tempestas, ne redire possemus. Quod divinitus dispensatum fuisse, rei probavit eventus. Ut enim omnipotens Deus famulum suum ab omni labe mundanae fragilitatis ad purum castigaret, utque adversariis ejus, quam nihil contra fidei virtutem valerent, ostenderet, voluit eum tanto tempore segregatum ab hominibus, et suae carnis dolore et antiqui hostis acriori certamine probari.

§ **41**. Ut autem reddita tranquillitate insulam repetivimus, invenimus eum, suo monasterio egressum, sedere in domo, in qua nos manere solebamus. Et quia necessitas quaedam poscebat, fratres, qui mecum venerant, renavigare ad proximum litus, ipse remanens in insula, confestim patri ministerium praebere curavi. Siquidem calefaciens aquam, abluebam pedem ejus, qui gratiâ diutini tumoris jamtunc ulcus habebat, ac profluente sanie, curâ indigebat. Sed et vinum calefaciens attuli, eumque gustare rogavi. Videbam namque in facie ejus, quia multum inediâ simul et languore erat defessus. Completa curatione, resedit quietus in stratu: resedi et ego juxta eum. Cumque sileret, dixi: «Video, Domine episcope, quia multum vexatus es ab infirmitate, postquam recessimus a te. Et mirum, quare nolueris, ut aliquos nostrum, qui tibi ministrarent, hic dimitteremus abeuntes.» At ille ait: «Dei providentiâ et voluntate gestum est, ut praesentiâ et auxilio destitutus humano, aliqua pàterer adversa. Postquam enim a me digressi estis, continuo coepit languor ingravescere: ideoque de mea mansione egrediens, huc intravi, ut quicumque vestrum mihi ministraturi advenirent, hic me possent invenire, nec meam mansionem necesse haberent ingredi. Ex quo

Digitized by Google

autem ingrediens, hac in sede membra composui, non movi me hinc, sed quinque diebus his et noctibus hic quietus permansi.» Cui ego ajo: « Et quomodo, domine mi episcope, sic vivere potuisti? Num absque cibi perceptione tanto tempore mansisti? » Tum ille retecto lectisternio, cui superesedebat, ostendit ibi cepas quinque reconditas, et ait: « Hic mihi victus erat his quinque diebus. Quotiescumque enim os ariditate ac siti nimiâ aruit et ardebat, haec gustando me recreare ac refrigerare curavi. » Videbatur autem una de cepis minus quam dimidia parte corrosa. Insuper ait: « Et concertatores mei nunquam per omne tempus, ex quo in hac insula conversari coepi, tot mihi persecutiones, quot in his quinque diebus, intulere.» Non audebam interrogare, quae essent tentationes, de quibus dixerat: tantum rogavi, ut ministros susciperet. Annuit ille, et quosdam nostrum secum retinuit, in quibus erat major Beda presbyter, qui ministerio ejus familiariter semper adesse consueverat, ideoque donationum acceptionumque ejus omnium conscius erat indubius: quem ob id maxime secum manere voluit, ut si cujuslibet acceptis muneribus digna recompensatione non respondisset, illius admonitione recoleret, et priusquam obiret, sua cuique restitueret. Sed et alium quemdam de fratribus, ut inter ministros sibi adesset, designavit: qui longo quidem ventris fluxu graviter aegrotabat, neque a medicis poterat curari, sed merito religionis, prudentiae et gravitatis dignus extiterat, qui testis esset verborum, quae vir Dei ultima diceret, vel quo ordine ad Dominum migraret.

§ **12**. Interea rediens domum, narrabam fratribus, quia venerabilis pater in sua se insula sepeliri jubebat: et videtur, inquam, mihi justus esse multo et dignius impetrare ab eo, quàtenus huc transferri corpus suum, et juxta honorem congruum in ecclesia condi permittat. Placuerunt illis quae dixeram, et venientes ad episcopum, rogabamus dicentes: «Non ausi sumus, domine episcope, contemnere jussionem tuam, qua te hic tumulari mandasti, et tamen rogandum videbatur nobis, ut te ad nos transferre, et nobiscum habere mereamur. » At ille: « Et meae, inquit, voluntatis erat hic requiescere corpore, ubi quantulumcumque pro Domino certamen certavi, ubi cursum consummare desidero, unde ad coronam justitiae sublevandam me a pio judice spero. Sed et vobis quoque commodius esse arbitror, ut hic requiescam, propter incursionem profugorum vel noxiorum quorumlibet. Qui cum ad corpus meum forte confugerint, quia qualiscumque sim, fama tamen exivit de me, quia famulus Christi sim: necesse habetis pro talibus saepius apud potentes seculi intercedere, atque ideo de praesentia corporis mei multum tolerare laborem. » At nobis multum diu precantibus, laboremque hujusmodi gratum ac levem fore asseverantibus, tandem cum consilio locutus vir Domini, dixit: « Si meam dispositionem superare,

Digitized by Google

et meum corpus illo reducere vultis, videtur mihi optimum, ut in interioribus basilicae vestrae illud tumuletis, quatenus et ipsi cum vultis, meum sepulcrum visitare possitis, et in potestate sit vestra, an aliqui illo de advenientibus accedant. » Gratias egimus permissioni et consilio illius, flexis in terram genibus, ac domum redeuntes, frequentius illum exinde visitare non destitimus.

§ **43**. Cumque increscente languore, videret tempus suae resolutionis instare, praecepit se in suam mansiunculam atque oratorum referri. Erat autem hora diei tertia. Portavimus ergo illum, quia prae molestia languoris, ipse non valebat ingredi. At ubi ad portam pervènimus, rogabamus ut alicui nostrum liceret ad ministrandum ei pariter intrare. Non enim per annos plurimos quispiam illuc, praeter ipsum, intraverat. Qui circumspectis omnibus, vidit fratrem, cujus supra memini, ventris fluxu languentem et ait: « Walchstod ingrediatur mecum.» Hoc erat nomen fratris. Qui cum ad nonam usque horam intus cum illo maneret, sic egrediens vocavit me: « Episcopus te jussit ad se intrare. Possum autem tibi rem referre novam permirabilem, quia ex quo ingrediens illuc tetigi episcopum, deducturus eum ad oratorium, continuo sensi me omni illa longae infirmitatis molestiâ carère.» Non autem dubitandum, supernae pietatis hoc dispensatione procuratum, ut qui multos antea sospes adhuc valensque curaverat, hunc quoque moriturus curaret: quatenus hoc quoque indicio pateret etiam corpore infirmatus vir sanctus quantum spiritu valeret. In qua profecto curatione sequebatur exemplum sanctissimi et reverendissimi patris Aurelii Augustini episcopi: qui dum pressus infirmitate, qua et mortuus est, decumberet, venit quidam cum suo aegroto, rogans ut eidem manum imponeret, quo sanus esse posset. At ille ait: « Si aliquid in his possem, mihi hoc utique primitus praestitissem. » Rursus is, qui venerat: « Te, inquit, visitare jussus sum, siquidem in somnis dictum accepi: Vade ad Augustinum Episcopum, ut eidem manum imponas, et salvus erit.» Quo ille audito, mox aegrotanti manum benedicens imposuit: nec mora, sanum ad propria remisit.

§ **44**. Intravi autem ad eum circa horam diei nonam, invenique eum recumbentem in angulo sui oratorii contra altare: assidere coepi et ipse. Nec multa loquebatur, quia pondus aegritudinis facultatem loquendi minoraverat. Verum me diligentius inquirente, quem haereditarium sermonem, quod ultimum Vale fratribus relinqueret, coepit disserere pauca, sed fortia, de pace et humilitate, cavendisque eis, qui obluctari, his quam oblectari mallent. «Pacem, inquit, inter vos semper et charitatem custodite, et cum de vestro statu consilium vos agere necessitas poposcerit, videre attentius ut unanimes existatis in consiliis. Sed et cum aliis Christi servis mutuam habetote concordiam, nec

Digitized by Google

venientes ad vos hospitalitatis gratiâ domesticos fidei, habeatis contemptui: sed familiariter ac benigne tales suscipere, tenere ac dimittere curate: nequaquam vos meliores arbitrantes caeteris ejusdem fidei et vitae consortibus. Cum illis autem, qui ab unitate catholicae pacis, vel Pascha non suo tempore celebrando, vel perverse vivendo aberrant, vobis sit nulla communio. Sciatisque et memoriâ retineatis, quia si vos unum e duobus adversis eligere necessitas coëgerit, multo plus diligo, ut eruentes de tumulo, tollentesque vobiscum ossa mea, recedatis ab his locis, et ubicumque Deus providerit, incolae maneatis, quam ut ulla ratione consentientes iniquitati, schismaticorum jugo colla subdatis. Catholica patrum statuta diligentissime discere atque observare contendite. Ea quoque, quae per meum ministerium vobis divina pietas instituta vitae regularis dare dignata est, exercere soliciti. Scio enim, quia etsi quibusdam contemptibilis vixi, post meum tamen obitum, qualis fuerim, quam mea doctrina non sit contemnenda, videbitis.» Haec et his similia vir Dei per intervalla locutus, quia vis, ut diximus, infirmitatis possibilitatem loquendi ademerat, quietum expectatione futurae beatitudinis diem duxit ad vesperam. Cui etiam pervigilem quietis in precibus continuavit et noctem. At ubi consuetum nocturnae orationis tempus aderat, acceptis a me sacramentis salutaribus, exitum suum, quem jam venisse cognovit, Dominici Corporis et Sanguinis communione munivit, atque elevatis ad coelum oculis, extensisque in altum manibus, intentam supernis laudibus animam ad gaudia regni coelestis emisit.

§ **45**. At ego statim egressus, nunciavi obitum ejus fratribus, qui et ipsi noctem vigilando atque orando transegerant, et tunc forte sub ordine nocturnae laudis dicebant psalmum quinquagesimumnonum, cujus initium est: *Deus repulisti nos et destruxisti nos, iratus es, et misertus nobis*. Nec mora, currens unus ex eis, accendit duas candelas, et utràque tenens manu, ascendit eminentiorem locum, ad ostendendum fratribus, qui in Lindisfarnensi monasterio manebant, quia sancta illa anima jam migrasset ad Dominum. Tale namque inter se signum sanctissimi ejus obitus condixerant. Quod cum videret frater, qui in specula Lindisfarnensis insulae longe decontra eventus ejusdem pervigil expectaverat horam, cucurrit citius ad ecclesiam, ubi collectus omnis fratrum coetus nocturnae psalmodiae solemnia celebrabat: contigitque ut ipsi quoque intrante illo praefatum canerent psalmum: quod superna dispensatione procuratum, rerum exitus ostendit. Sepulto siquidem viro Dei, tanta ecclesiam illam tentationis aura concussit, ut plures e fratribus loco magis cedere, quam talibus vellent interesse periculis. Attamen post annum, ordinato in episcopatu Eadberto, magnarum virtutum viro, et in Scripturis nobiliter erudito, maximeque eleemosynarum

Digitized by Google

operibus dedito, fugatis perturbationum procellis, ut Scripturae verbis utar, aedificavit Jerusalem, id est visionem pacis Dominus, et dispersiones Israëlis congregavit. Sanavit contritos corde, et alligavit contritiones eorum: ut palam daretur intelligi, quid significaverit psalmus cum cognita beati viri morte cantatus, quia videlicet post ejus obitum repellendi ac destruendi essent ejus cives, sed post ostensionem irae minantis, coelesti protinus miseratione refovendi. Cujus sequentia quoque psalmi eidem sensui concordare, qui recte tractat, intelligit. Impositum autem navi venerabile corpus patris, ad insulam Lindisfarnensium retulimus: quod magno occurrentium agmine chorisque canentium susceptum est, atque in ecclesia B. Apostoli Petri ad dexteram altaris petrino in sarcophago repositum.

§ **46**. Sed nec defuncto ac tumulato Christi famulo, signa sanitatum, quae vivens exercuerat, cessare potuerunt. Contigit namque puerum quemdam in territorio Lindisfarnensium atrocissimo daemone vexari, ita ut sensu rationis funditus amisso, clamaret, ejularet, et vel sua membra, vel quicquid attingere posset, morsibus dilaniare niteretur. Missus est ad energumenum presbyter de monasterio: qui cum solitus fuisset per exorcismi gratiam immundos fugare spiritus, huic tamen obsesso prorsus nil prodesse valebat. Unde dedit consilium patri illius, ut impositum carro puerum ad monasterium deferret, atque ad reliquias beatorum martyrum, quae ibi sunt, Dominum pro illo precaretur. Fecit, ut monùerat: sed noluere sancti Dei martyres ei petitam reddere sanitatem, ut quam celsum inter se locum Cuthbertus haberet, ostenderent. Cum ergo insanus ululando, ingemiscendo, et frendendo dentibus, nimio cunctorum visus et auditus horrore concuteret, nec esset, qui aliquod remedii genus excogitare quivisset: tum ecce quidam de presbyteris edoctus in spiritu, per opitulationem beati patris Cuthberti illum posse sanari, venire clanculo ad locum, ubi noverat effusam fuisse aquam, qua corpus ejus defunctum fuerat lotum, tollensque modicam humi particulam, immisit in aquam: quam deferens ad patientem, infudit in ore ejus. Quo horribiliter hiante, voces diras ac flebiles emittebat. Statim autem ut attigit aquam, continuit clamorem, clausit os, clausit et oculos, qui sanguinei et furibundi patebant, caput et corpus totum reclinavit in requiem. Qui etiam placido sopore noctem transègit, et mane de somno simul et vesania consurgens, liberatum se a daemonio, quo premebatur, beati Cuthberti meritis et intercessione cognovit. Mirandum et bonis omnibus delectabile spectaculum, cum videres filium cum patre sospitem loca sancta circumire, sanctorum auxilio gratias sanissima mente referre, qui pridie prae insania mentis nec seipsum, qui esset, vel ubi esset, poterat agnoscere. Qui ubi, tota fratrum caterva astante, vidente et congratulante, ad reliquias martyrum

Digitized by Google

genibus flexis dedit laudem Deo Domino et Salvatori nostro Jesu Christo, jam et ab hostis verbere liberatus, et in fide firmior, quam fuerat, effectus, ad propria rediit. Ostenditur usque hodie fossa illa, cui memorabile infusum est lavacrum, quadrato schemate facta, ligna undique circumdata, et lapillis intus impleta. Est autem juxta ecclesiam, in qua corpus ejus requiescit, ad partem meridianam. Factumque est ex eo tempore, ut plures sanitatum operationes per eosdem lapides vel eamdem terram, Domino donante, fierent.

§ 47. Volens autem latius monstrare divina dispensatio, quanta in gloria vir sanctus post mortem viveret cujus ante mortem vita sublimis crebris etiam miraculorum patebat indiciis, transactis sepulturae ejus annis undecim, immisit in animo fratrum, ut tollerent ossa illius, quae more mortuorum, consumpto jam et in pulverem redacto corpore reliquo, sicca invenienda rebantur, atque in levi arca recondita, in eodem quidem loco, sed supra pavimentum dignae venerationis gratiâ locarent. Quod dum sibi placuisse, Eadberto, antistiti suo medio ferme Quadragesimae tempore referrent, annuit consilio eorum, jussitque ut die depositionis ejus, quae est tertiadecima Calendarum Aprilium, hoc facere meminissent. Fecerunt autem ita et aperientes sepulcrum, invenerunt corpus totum, quasi adhuc viveret, integrum et flexibilibus artuum compagibus, multo dormienti quam mortuo similius. Sed et vestimenta omnia, quibus indutum erat, non solum intemerata, verum etiam prisca novitate et claritudine miranda parebant. Quod ubi viderunt, nimio mox timore et tremore sunt perculsi, adeo ut vix aliquid loqui, vix auderent intueri miraculum, quod parebat: vix ipsi, quid agerent, nossent. Extremam autem indumentorum ejus partem pro ostendendo incorruptionis signo tollentes (nam quae carni illius proxima aderant, prorsus tangere timebant) festinarunt referre antistiti, quod invenerant: qui tum forte in remotiore a monasterio loco, refluis undique maris fluctibus cincto, solitarius manebat (in hoc etenim, semper Quadragesimae tempus agere: in hoc quadraginta ante Dominicum natalem dies in magna continentiae orationis et lacrymarum devotione ducere consueverat: in quo etiam venerabilis praedecessor ejus Cuthbertus, priusquam Farne peteret, sicut et supra docuimus, aliquamdiu secretus Domino militaverat). Attulerunt autem et partem indumentorum, quae corpus sanctum ambierant! Quae cum ille et munera gratanter acciperet, et miracula libenter audiret (nam et ipsa indumenta, quasi patris adhuc corpori circumdata, miro deosculabatur affectu). « Nova, inquit, indumenta corpori pro his quae tulistis, circumdate, et sic reponite in thecam, quam parastis. Scio autem certissime, quia non diu vacuus remanebit locus, qui tanta coelestis miraculi virtute consecratus est. Et beatus est multum, cui in eo sedem

Digitized by Google

quiescendi Dominus, verae beatitudinis auctor atque largitor, concedere dignatur. « Haec ubi multis cum lacrymis ac magna compunctione pontifex tremente linguâ complevit, fecerunt fratres ut jusserat, et involutum novo amictu corpus, levique in theca reconditum, supra pavimentum sanctuarii composuerunt. Ubi nunc usque, si petentium fides exigat, miraculorum signa fieri non desinunt. Sed et indumenta, quae sanctissimum corpus ejus vel vivum vel sepultum vestierant, a gratia curandi non vacant.

§ **48**. Denique adveniens transmarinis e partibus clericus quidam sanctissimi Willebrordi Clementis, Frisonum gentis episcopi, dum aliquot dies ibidem hospes moraretur, decidit in infirmitatem gravissimam, ita ut invalescente per longum tempus aegritudine, jam desperatus jacèret. Qui cum victus dolore, videretur sibi nec mori, nec vivere posse, invento salubri consilio, dixit ministro suo: « Obsecro, perducas me hodie post celebratas Missas adorare ad corpus sacratissimum viri Dei (erat enim dies Dominica), spero, per gratiam intercessionis ejus his cruciatibus eripiar, et vel sanatus ad vitam redeam praesentem, vel defunctus perveniam ad aeternam. » Fecit ille, ut rogaverat iste: baculoque innitentem aegrotum, in ecclesiam non parvo cum labore perduxit. Qui cum ad sanctissimi ac Deo dilecti patris sepulcrum genua curvaret, caput in terram dimitteret, pro sua sospitate rogaret, tantas continuo vires suum corpus de incorrupto illius corpore accepisse persensit, ut absque labore ipse ab oratione resurgeret, absque adminiculo vel ministri ducentis vel baculi sustentantis ad hospitium rediret. Qui post dies paucos, roborata ad integrum virtute, viam, quam disposuerat, peregit.

§ **49**. Erat in monasterio quodam, non procul inde posito, adolescens ea, quam Graeci paralysin vocant, infirmitate omni membrorum officio destitutus. Unde Abbas ipsius, sciens in monasterio Lindisfarnensi medicos esse peritissimos, misit eum illo, rogans, infirmanti, si quid possent curationis, conferrent. Qui cum, suo quoque Abbate et episcopo jubentibus, diligenter illi assisterent, et quicquid nossent, erga eum industriae medicinalis impenderent, nihil omnino proficere valebant: quin potius crescebat morbus quotidie, et paulatim in deteriora vergebat, adeo ut, excepto ore, nullum pene membrum posset loco movere. Cumque a carnalibus medicis, diu frustra laborantibus, desperatus ac desertus jacèret, confùgit ad divinum coelestis medici auxilium qui in veritate peritus, propitius fit omnibus iniquitatibus nostris qui sanat omnes languores nostros. Rogavit namque ministrum suum, ut aliquam sibi portiunculam de incorruptibilibus sacri corporis afferret exuviis: quia crederet per hujus se virtutem ad gratiam sanitatis, Domino largiente, reversurum. Qui consulto Abbate, attulit calceamenta quae viri Dei in sepulcro pedes

Digitized by Google

induerant, et ea pedibus dissolutis aegroti circumdedit: siquidem primo a pedibus eum paralysis apprehenderat. Fecit autem hoc noctis initio, cum tempus requiescendi adesset: statimque ille placidum dimissus in soporem, procedente intempestae noctis silentio, coepit alternis palpitare pedibus, ut palam qui vigilabant et videbant, ministri adverterent, quia donata per reliquias viri sancti virtute medicandi, sanitas optata a planta pedum per caetera membra esset transitura. At ubi consuetum in monasterio nocturnae orationis signum insonuit, excitatus sonitu, resedit ipse. Nec mora, solidatis interna virtute nervis, artuumque compagibus universis, et dolore fugato, sanatum se esse intelligens, surrexit, et in gratiarum actione Domino omne nocturnae sive matutinae psalmodiae tempus stando persolvit. Mane autem jam facto, processit ad ecclesiam, videntibusque et congratulantibus universis, circumivit loca sancta orando, et suo Salvatori sacrificium laudis offerendo. Factum namque est, ut pulcherrima rerum conversione is qui dissolutus toto corpore illuc in vehiculo perlatus fuerat, inde strictis firmatisque membris omnibus, domum per se rediret incolumis. Unde meminisse juvat, quia haec est mutatio dexterae excelsi, cujus memoranda ab initio mirabilia mundo fulgere non cessant.

VITA S. BENEDICTI ABBATIS

A S. GREGORIO PAPA CONSCRIPTA LIB. 2, DIALOGORUM

Ortus anno 480; Decessit 544 — Natione Italus.

§ 1. Fuit vir vitae venerabilis, gratiâ Benedictus et nomine, ab ipso suae pueritiae tempore cor gerens senile. Aetatem quippe moribus transiens, nulli voluptati animum dedit. Sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter libere adhuc uti potuisset, despexit jam quasi aridum, mundum cum flore. Qui liberiori genere ex provincia Nursiae * exortus, Romae liberalibus studiis traditus fuerat. Sed cum in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quasi ingressu mundi posuerat, retraxit pedem: ne, si quid de scientia ejus attingeret, ipse quoque in immane praecipitium totus iret. Despectis itaque literarum studiis, relicta domo rebusque patris, soli Deo placere desiderans, sanctae conversationis habitum quaesivit. Recessit igitur scienter nesciens, et sapienter indoctus. Hujus ego omnia gesta non didici: sed pauca quae narro, quatuor discipulis illius referentibus,

* Ital. *Norcia*, in Sabinis, seu Umbria in Ducatu Spoletino.

Digitized by Google

agnovi: Constantino scilicet, reverentissimo valde viro qui ei in monasterii regimine successit: Valentiniano quoque qui annis multis Lateranensi monasterio praefuit: Simplicio qui congregationem illius post eum tertius rexit: Honorato etiam qui nunc adhuc cellae ejus, in qua prius conversatus fuerat, praeest.

§ 2. Hic itaque cum jam, relictis literarum studiis, petere deserta decrevisset, nutrix quae hunc arctius amabat, sola secuta est. Cumque ad locum venissent qui Effide dicitur, multisque honestioribus viris pro charitate se illic detinentibus, in beati Petri Ecclesia demorarentur, praedicta nutrix illius ad purgandum triticum a vicinis mulieribus praestari sibi capisterium petiit: quod super mensam incaute derelictum, casu accidente fractum est, sic ut in duabus partibus inveniretur divisum. Quod mox rediens nutrix illius, ut ita invènit, vehementissime flere coepit: quia vas quod praestitum acceperat, fractum videbat. Benedictus autem religiosus et pius puer, cum nutricem suam flere conspiceret: ejus dolori compassus, ablatis secum utrisque fracti capisterii partibus, sese cum lacrymis in orationem dedit: qui ab oratione surgens, ita juxta se vas sanum reperit, ut in eo inveniri fracturae nulla vestigia potuissent, moxque nutricem suam blande consolatus, ei sanum capisterium reddidit, quod fractum tulerat. Quae res in eodem loco a cunctis est agnita, atque in tanta admiratione habita, ut hoc ipsum capisterium ejus loci incolae in Ecclesiae ingressu suspenderent, quatenus et praesentes et secuturi omnes agnoscerent, Benedictus puer conversationis gratiam a quanta perfectione coepisset. Quod annis multis illic ante omnium oculos fuit, et usque ad haec Longobardorum tempora super fores Ecclesiae pependit. Sed Benedictus plus appetens mala mundi perpeti, quam laudes: et pro Deo laboribus fatigari, quam vitae hujus favoribus extolli: nutricem suam occulte fugiens, deserti loci secessum petiit, cui Sublàcus vocabulum est: qui ab Romana urbe quadraginta fere millibus distans, frigidas atque perspicuas emànat aquas. Quae illic videlicet aquarum abundantia in extenso prius lacu colligitur, ad extremum vero in amnem derivatur. Quo dum fugiens pergeret, monachus quidam, Romanus nomine, hunc euntem reperit: quo tenderet, requisivit. Cujus cum desiderium cognovisset, et secretum tenuit, et adjutorium impendit, eique sanctae conversationis habitum tradidit, et inquantum licuit, ministravit. Vir autem Dei ad eumdem locum perveniens, in arctissimum specum se tradidit, et tribus annis, excepto Romano monacho, omnibus ibi incognitus mansit. Qui videlicet Romanus non longe in monasterio sub Theodati patris regula degebat: sed pie ejusdem patris sui oculis furabatur horas, et quem sibi manducandum surripere peterat, diebus certis Benedicto panem ferebat. Ad eumdem vero specum a Romani cella iter non erat, quia excelsa dèsuper rupes

Digitized by Google

eminebat: sed ex eàdem rupe in longissimo fune ligatum Romanus deponere panem consueverat: in qua etiam resti parvum tintinnabulum inseruit: ut ad ejus sonum vir Dei cognosceret, quando sibi Romanus panem praeberet, quem exiens acciperet. Sed antiquus hostis unius charitati invidens, alterius refectioni: cum quadam die submitti panem conspiceret, jactavit lapidem, et tintinnabulum fregit Romanus tamen horis congruentibus ministrare non desiit.

§ 3. Cum vero jam Deus omnipotens et Romanum vellet a labore quiescere, et Benedicti vitam in exemplum hominibus demonstrare, ut posita supra candelabrum lucerna claresceret, quatenus omnibus qui in domo Dei sunt, luceret: cuidam presbytero longius manenti qui refectionem sibi in paschali festivitate paraverat, per visum Dominus apparere dignatus est, dicens: « Tu tibi delicias praeparas, et servus meus illo in loco fame cruciatur. Qui protinus surrexit, atque in ipsa solemnitate paschali cum alimentis quae sibi paraverat, ad locum tetendit, et virum Dei per abrupta montium, per vallium concava, per defossa terrarum quaesivit, eumque latère in specu reperit. Cumque oratione facta, benedicentes Dominum omnipotentem consedissent, post dulcia vitae colloquia is qui advenerat, presbyter dixit: « Surge, sumamus cibum: quia hodie pascha est. » Cui vir Dei respondit, dicens: « Scio, quia pascha est: quia hodie videre te merui. » Longe quippe ab hominibus positus, quia die eodem paschalis solemnitas esset, ignorabat. Venerabilis autem presbyter rursus asseruit, dicens: « Veraciter hodie resurrectionis Dominicae paschalis dies est: abstinere tibi minime congruit: quia et ego ad hoc missus sum, ut omnipotentis Dei dona pariter sumamus. » Benedicentes igitur Dominum, sumpserunt cibum: expleta itaque refectione et colloquio, ad ecclesiam suam presbyter recessit. Eodem quoque tempore hunc in specu latitantem etiam pastores invenerunt: quem dum vestitum pellibus inter fruteta cernerent, aliquam bestiam esse crediderunt: sed cognoscentes Dei famulum, eorum multi ad pietatis gratiam a bestiali mente mutati sunt. Nomen itaque ejus per vicina loca innotuit cunctis. Factumque est, ut ex illo jam tempore a multis frequentari coepisset: qui cum ei cibum afferrent corporis, ab ejus ore in suo pectore alimenta referebant vitae.

§ 4. Quadam vero die dum solus esset, tentator affuit. Nam nigra pàrvaque avis quae vulgo merula nominatur, circa ejus faciem volitare coepit, ejusque vultui importune insistere, ita ut manu capi posset, si hanc vir sanctus tenere voluisset: sed signo crucis edito, recessit avis. Tanta autem carnis tentatio, avi eàdem recedente, secuta est, quantam vir sanctus numquam fuerat expertus. Quamdam namque aliquando foeminam viderat, quam malignus spiritus ante ejus mentis oculos reduxit: tantoque

Digitized by Google

igne servi Dei animum in specie illius accendit, ut dum in ejus pectore amoris flamma vim caperet, etiam pene deserere erèmum, voluptate victus, deliberaret. Tunc subito supernâ gratiâ respectus, ad semetipsum reversus est: atque urticarum et veprium juxta densa succrescere fruteta conspiciens, exùtus indumento, nudum se in illis spinarum aculeis et urticarum incendiis projecit: ibique diu volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exiit, et per cutis vulnera eduxit a corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem. Cumque bene poenaliter foris arderet, extinxit quod intus illicite ardebat. Vicit itaque peccatum, quia mutavit incendium. Ex quo videlicet tempore, sicut post discipulis ipse perhibebat, ita in eo est tentatio voluptatis edomita, ut tale aliquid in se minime sentiret. Coeperunt postmodum multi jam mundum relinquere, atque ad ejus magisterium festinare. Liber quippe a tentationis vitio, vero jure jam factus est virtutum magister. Unde et per Moysen in Exodo praecipitur, ut Levitae a vigintiquinque annis et supra, ministrare debeant: ab anno vero quinquagesimo, custodes vasorum fiant *...

§ 5. Recedente igitur tentatione, vir Dei quasi spinis èrutis, exculta terrâ, de virtutum segete feracius fructus dedit. Praeconio itaque eximiae conversationis celebre nomen ejus habebatur. Non autem longe monasterium fuit, cujus congregationis pater defunctus est: omnisque ex illo congregatio ad eumdem venerabilem Benedictum venit, et magnis precibus, ut eis praeesse deberet, petiit. Qui diu negando, distulit: suis illorumque fratrum moribus se convenire non posse praedixit: sed victus quandoque precibus assensum dedit. Cumque in eodem monasterio regularis vitae custodiam teneret, nullique, ut prius, per actus illicitos in dexteram laevamque partem deflèctere a conversationis itinere liceret: suscepti fratres insane saevientes, semetipsos prius accusare coeperunt, quia hunc sibi praeesse poposcerant, quorum scilicet fortitudo in norma ejus rectitudinis offendebat. Cumque sibi sub eo conspicerent illicita non licere, et se dolerent assueta relinquere, durumque esset quod in mente veteri cogebantur nova meditari: et quia gravis est semper pravis moribus vita bonorum, tractare de ejus morte aliqui conati sunt: qui inito consilio, venenum vino miscuerunt. Et cum vas vitreum, in quo ille pestifer potus habebatur, recumbenti patri ex more monasterii ad benedicendum fuisset oblatum, extensa manu Benedictus signum crucis edidit, et vas quod longius tenebatur, eodem signo rupit: sicque confractum est, ac si in illo vase mortis, pro cruce lapidem dedisset. Intellexit protinus vir Dei, quia potum mortis habuerat, quod portare non potuit signum vitae: atque ilico surgens, vultu placido, mente tranquilla convocatos fratres

* Exclusis interlocutionibus, ea hic tantum Dialogi pars traditur quae historicam praebet de S. Abbate narrationem.

Digitized by Google

alloquutus est, dicens: « Misereatur vestri, fratres, omnipotens Deus: quare in me ista facere voluistis? Numquid non prius dixi vobis, quia vestris ac meis moribus minime conveniret? Ite, et juxta vestros mores patrem vobis quaerite: quia posthac me habere minime potestis.» Tuncque ad locum dilectae solitudinis rediit, et solus in superni spectatoris oculis habitavit secum...

§ 6. Cum sanctus vir diu in eàdem solitudine virtutibus signisque succresceret, multi ab eo in eodem loco ad omnipotentis Dei sunt servitium congregati: ita ut illic duodecim monasteria cum omnipotentis Jesu Christi Domini opitulatione construeret: in quibus statutis patribus duodenos monachos deputavit, paucos vero secum retinuit, quos adhuc in sua praesentia aptius erudiri judicavit. Coepere etiam tunc ad eum Romanae urbis nobiles et religiosi concurrere, suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonae spei suas soboles, Eutychius Maurum Tertullius vero patritius Placidum tradidit: e quibus Maurus junior *, cum bonis pollèret moribus, magistri adjutor coepit existere: Placidus vero puerilis adhuc indolis gerebat annos.

§ 7. In uno autem ex eis monasteriis, quae circumquaque construxerat, quidam monachus erat qui ad orationem stare non poterat: sed mox ut se fratres ad studium orationis inclinabant, ipse egrediebatur foras, et mente vagâ, terrena aliqua et transitoria agebat. Cumque ab Abbate suo saepius fuisset admonitus, ad virum Dei deductus est: qui ipse quoque stultitiam ejus vehementer increpavit, et ad monasterium reversus, vix duobus diebus viri Dei admonitionem tenuit. Nam die tertia ad usum proprium reversus, vagari tempore orationis coepit. Quod cum servo Dei ab eodem monasterii patre, quem constituerat, nunciatum fuisset, dixit: «Ego venio, eumque per memetipsum emendo.» Cumque vir Dei venisset ad idem monasterium, et constitutâ horâ expletâ psalmòdiâ sese fratres in orationem dedissent, aspexit, quod eumdem monachum qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus per vestimenti fimbrias foras traheret. Tunc eidem patri monasterii, Pompejano nomine, et Mauro Dei famulo secrete dixit: «Numquid non aspicitis, quis est qui istum monachus foras trahit?» Qui respondentes, dixerunt: «Non.» Quibus ait: « Oremus, ut vos etiam videatis, quem iste monachus sequitur.» Cumque per biduum esset oratum, Maurus monachus vidit: Pompejanus vero ejusdem monasterii pater, videre non potuit. Die igitur alia, expleta oratione, vir Dei oratorium egressus, stantem foris monachum reperit, quem pro caecitate cordis sui virgâ percussit: qui ex illo die nil persuasionis ulterius a nigro jam puerulo pertulit, sed ad orationis studium

* S. Mauri historiam habes in I Vol. p. 302. Plura ibidem de Magno Benedicto.

Digitized by Google

immobilis permansit: sicque antiquus hostis dominari non ausus est in ejus cogitatione, ac si ipse percussus fuisset ex verbere.

§ **8**. Ex his autem monasteriis quae in eodem loco construxerat, tria sursum in rupibus montis erant: et valde erat fratribus laboriosum quod semper ad lacum oportebat descendere, ut aquam haurire debuissent: maxime quia e devexo montis latere erat grave descendentibus in timore periculum. Tunc collecti fratres ex eisdem tribus monasteriis, ad Dei famulum Benedictum venerunt, dicentes: « Laboriosum nobis est propter aquam quotidie usque ad lacum descendere, et idcirco necesse est ex eodem loco monasteria mutari.» Quos blande consolans, dimisit: et nocte eadem cum parvo puerulo, nomine Placido, cujus superius memoriam feci, ejusdem montis rupem ascendit, ibique diutius oravit. Et oratione completa, tres petras in loco eodem pro signo posuit, atque ad suum, cunctis illis nescientibus, monasterium rediit. Cumque die alia ad eum pro necessitate aquae praedicti fratres rediissent, dixit: « Ite, et rupem illam, in qua tres super invicem positas petras inveneritis, in modico cavate: valet enim omnipotens Deus etiam in illo montis cacumine aquam producere, ut vobis laborem tanti itineris dignetur auferre.» Qui euntes, rupem montis, quam Benedictus praedixerat, jam sudantem invenerunt. Cumque in ea concavum locum fecissent, statim aquâ repletus est: quae tam sufficienter emanavit, ut nuncusque ubertim defluat, atque ab illo montis cacumine usque ad inferiora derivetur.

§ **9**. Alio quoque tempore Gotthus quidam pauper spiritu, ad conversionem venit: quem Dei vir Benedictus libentissime suscepit. Quadam vero die ei dare ferramentum jussit, quod ad falcis similitudinem falcastrum vocatur, ut de loco quodam vepres abscinderet, quatenus illic hortus fieri deberet. Locus autem ipse quem mundandum Gotthus susceperat, super ipsam laci ripam jacebat. Cumque Gotthus idem densitatem veprium totius virtutis annisu succideret, ferrum de manubrio prosiliens, in lacum cecidit. Ubi scilicet tanta erat aquarum profunditas, ut spes requirendi ferramenti nulla jam esset. Itaque ferro perdito, tremebundus ad Maurum monachum cucurrit Gotthus: damnum quod fecerat nuntiavit, et reatus sui poenitentiam egit. Quod Maurus quoque monachus mox Benedicto famulo Dei curavit indicare. Vir igitur Domini Benedictus haec audiens, accessit ad lacum: tulit de manu Gotthi manubrium, et misit in lacum: et mox ferrum a profundo rediit, atque in manubrium intravit. Qui statim ferramentum Gottho reddidit, dicens: «Ecce, labora, et noli contristari. »

§ **10**. Quadam vero die dum idem venerabilis Benedictus in cella consisteret, praedictus Placidus puer, sancti viri monachus, ad hauriendam de lacu aquam egressus est: qui vas, quod

Digitized by Google

tenuerat, in aquam incaute submittens, ipse quoque cadendo sequutus est. Quem mox unda rapuit, et pene ad unius sagittae cursum, eum a terra introrsus traxit. Vir autem Dei intra cellam positus, hoc protinus agnovit, et Maurum festine vocavit, dicens: « Frater Maure, curre, quia puer ille, qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit: jamque eum longius unda trahit.» Res mira, et post Petrum Apostolum inusitata. Benedictione etenim postulata atque percepta, ad patris sui imperium concitus perrexit Maurus, atque usque ad eum locum, quo ab unda deducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit, eumque per capillos tenens, cursu rapido rediit. Qui mox ut terram tètigit, ad se reversus, post tergum respexit, et quia super aquas cucurrisset, agnovit: et quod praesumere non potuisset ut fieret, miratus extremuit factum. Reversus itaque ad patrem, rem gestam retulit. Vir autem venerabilis Benedictus hoc non suis meritis, sed illius obedientiae deputare coepit. At contra Maurus pro solo ejus imperio factum dicebat: seque conscium in illa virtute non esse, quam nescius fecisset. Sed in hac humilitatis mutua et amica contentione accessit arbiter puer, qui ereptus est: namque dicebat: « Ego cum ex aqua traherer, super caput meum melòtem Abbatis videbam, atque ipsum me ex aquis educere considerabam. »

§ **11**. Cum jam loca eadem in amorem Domini nostri Jesu Christi, longe lateque fervescerent, et secularem vitam multi relinquerent, et sub levi Redemptoris jugo cervicem cordis edomarent: sicut mos pravorum est, invidere aliis virtutis bonum, quod ipsi habere non appetunt: vicinae ecclesiae presbyter, Florentius nomine, hujus nostri subdiaconi Florentii avus, antiqui hostis malitiâ percussus, sancti viri studiis coepit emulari, ejusque conversationi derogare, quosque etiam posset, ab illius visitatione compescere. Cumque jam se conspiceret ejus profectibus obviare non posse, et conversationis illius opinionem crescere, atque multos ad statum vitae melioris ipso quoque opinionis ejus praeconio indesinenter vocari: invidiae facibus magis magisque succensus, deterior fiebat: quia conversationis illius appetebat habere laudem, sed habere laudabilem vitam nolebat. Qui ejusdem invidiae tenebris coecatus, ad hoc usque perductus est, ut servo omnipotentis Dei infectum veneno panem quasi pro benedictione transmitteret. Quem vir Dei cum gratiarum actione suscepit: sed eum, quae pestis latèret in pane, non latuit. Ad horam vero refectionis illius ex vicina sylva corvus venire consueverat, et panem de manu ejus accipere. Qui cum more solito venisset, panem, quem presbyter transmiserat, vir Dei ante corvum projecit, eique praecepit, dicens: « In nomine Jesu Christi Domini nostri tolle hunc panem, et tali eum in loco projice, ubi a nullo hominum possit inveniri. » Tunc corvus aperto ore,

Digitized by Google

expansis alis, circa eumdem panem coepit discurrere, crocitare, ac si aperte diceret, et obedire se velle, et tamen jussa implere non posse. Cui vir Domini praecipiebat iterum atque iterum dicens: « Leva leva securus, atque ibi projice, ubi inveniri non possit. » Quem diu demoratus, quandoque corvus momordit, levavit et recessit. Post trium vero horarum spatium, abjecto pane, rediit, et de manu hominis Dei annonam, quam consueverat, accepit. Venerabilis autem pater contra vitam suam inardescere sacerdotis animum videns, illi magis quam sibi doluit. Sed praedictus Florentius, quia magistri corpus necare non potuit, se ad extinguendas discipulorum animas accendit: ita ut in horto cellae, cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret: quae coram eis sibi invicem manus tendentes, et diutius ludentes, illorum mentes ad perversitatem libidinis inflammarent. Quod vir sanctus de cella conspiciens, lapsusque adhuc tenerioribus discipulis pertimescens, idque pro sua sollus persecutione fieri pertractans: invidiae locum dedit, atque oratoria et cuncta quae construxerat, sub statutis praepositis adjunctisque fratribus ordinavit, et paucis secum monachis ablatis, habitationem mutavit loci. Moxque ut vir Dei ejus odia humiliter declinavit, hunc omnipotens Deus terribiliter percussit. Nam cum praedictus presbyter, stans in solario, Benedictum discessisse cognosceret et exultaret, perdurante immobiliter tota domus fabricâ, hoc ipsum tantum, in quo stabat, solarium cecidit, et Benedicti hostem conterens extinxit. Quod viri Dei discipulus, Maurus nomine, statim venerabili patri Benedicto, qui adhuc a loco eodem vix decem millibus aberat, aestimavit esse nunciandum, dicens: « Revertere, quia presbyter qui te persequebatur, extinctus est.» Quod vir Dei Benedictus audiens, sese in gravibus lamentis dedit: vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exultavit. Qua de re factum est, ut eidem quoque discipulo poenitentiam indiceret, quod mandans talia, gaudere de inimici interitu praesumpsisset.

§ **12**. Mira haec sunt et multum stupenda. Nam in aqua ex petra producta, Moysen: in ferro vero, quod ex profundo aquae rediit, Elisaeum: in aquae itinere, Petrum: in corvi obedientia, Eliam: in luctu autem mortis inimici, David video, et perpendo quia vir iste spiritu justorum omnium plenus fuit. Vir namque Domini Benedictus, unius Dei spiritum habuit, qui per concessae redemptionis gratiam, electorum corda omnium implevit, de quo Joannes dicit: Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. De quo rursus scriptum est: De plenitudine ejus nos omnes accepimus. Nam sancti Dei homines potuerunt a Domino virtutes habere, non etiam aliis tradere. Ille autem signa virtutis dedit subditis, qui se daturum signum Jonae promisit inimicis, ut coram superbis

Digitized by Google

mori dignaretur, coram humilibus resurgere: quatenus et illi viderent quod contemnerent, et isti quod venerantes amare debuissent. Ex quo mysterio actum est, ut dum superbi aspiciunt despectum mortis, humiles contra mortem acciperent gloriam potestatis.

§ 13. Sanctus deinde vir ad alia demigrans, locum, non hostem mutavit. Nam tanto post graviora praelia pertulit, quanto contra se aperte pugnantem ipsum malitiae magistrum invenit. Castrum namque, quod Cassinum dicitur, in excelsi montis làtere situm est: qui videlicet mons distenso sinu hoc idem castrum recipit, sed per tria millia in altum se subrigens, velut ad aëra cacùmen tendit. Ubi vetustissimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more gentilium, a stulto rusticorum populo Apollo colebatur. Circumquaque etiam in cultu daemonum luci succreverant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificiis sacrilegis insudabat. Illuc itaque vir Dei perveniens, contrivit idolum, subvertit aram, succendit lucos, atque in ipso templo Apollinis, oraculum B. Martini: ubi vero ara ejusdem Apollinis fuit, oraculum S. Joannis construxit, et commorantem circumquaque multitudinem, praedicatione continua ad fidem vocabat. Sed haec antiquus hostis tacite non ferens, non occulte vel per somnium, sed aperta visione ejusdem patris oculis sese ingerebat, et magnis clamoribus vim se perpeti conquerebatur: ita ut voces illius etiam fratres audirent, quamvis imaginem minime cernerent. Ut enim discipulis suis venerabilis pater dicebat, corporalibus ejus oculis idem antiquus hostis teterrimus et succensus apparebat, qui in eum ore oculisque flammantibus saevire videbatur. Jam vero quae diceret, audiebant omnes. Prius enim hunc vocabat ex nomine. Cui cum vir Dei minime responderet, ad ejus mox contumelias erumpebat. Nam cum clamaret dicens, « Benedicte, Benedicte: » et eum sibi nullo modo respondere conspiceret, protinus adjungebat: « Maledicte, maledicte, et non Benedicte, quid mecum habes? quid me persèqueris? » Sed jam nunc expectanda sunt contra Dei famulum antiqui hostis nova certamina: cui pugnam quidem volens intulit, sed occasiones victoriae ministravit invitus.

§ 14. Quadam die dum fratres habitacula ejusdem cellae construerent, lapis in medio jacebat quem in aedificium levare decreverunt. Cumque eum duo vel tres movere non possent, plures adjuncti sunt: sed ita immobilis mansit, ac si radicitus in terra teneretur: ut palam daretur intelligi, quod super eum ipse per se antiquus hostis sederet quem tantorum virorum manus movere non possent. Difficultate igitur facta ad virum Dei missum est, ut veniret, et orando hostem repelleret, ut lapidem levare possent. Qui mox venit et orationem faciens, benedictionem

Digitized by Google

dedit: et tanta lapis celeritate levatus est ac si nullum prius pondus habuisset.

§ **15**. Tunc in conspectu viri Dei placuit, ut in eodem loco terram foderent. Quam dum fodiendo altius penetrarent, aereum illic idòlum fratres invenerunt. Quo ad horam casu in coquìnam projecto, exire ignis repente visus est, atque in cunctorum monachorum oculis, quia omne ejusdem coquinae aedificium consumeretur, ostendit. Cumque jaciendo fratres aquam ad ignem quasi extinguendum perstreperent, pulsatus eodem tumultu vir Dei advenit. Qui eundem ignem in oculis fratrum esse, in suis vero non esse considerans, caput protinus in orationem flexit, et eos quos phantastico reperit igne delùdi, vocavit fratres, monuit ut oculos suos signarent, ut et sanum illud coquinae aedificium assistere cernerent, et flammas quas antiquus hostis finxerat non viderent.

§ **16**. Rursus dum fratres parìetem quia res ita exigebat, paulo altius erigerent, vir Dei in orationis studio intra cellae suae claustra morabatur. Cui antiquus hostis insultans apparuit, et ei, quod ad laborantes fratres pergeret, indicavit. Quod vir Dei per nuncium celerrime fratribus indicavit, dicens: «Fratres, caute vos agite: quia ad vos hac horâ malignus spiritus venit.» Is qui mandatum detulit, vix verba compleverat et malignus spiritus eundem parietem qui aedificabatur, evertit, atque unum puerulum monachum, cujusdam curialis filium, opprimens ruina contrivit. Contristati omnes ac vehementer afflicti, non damno parietis, sed contritione fratris, venerabili patri Benedicto celeriter cum gravi luctu nunciarunt. Tunc idem pater Benedictus dilaceratum puerum ad se deferri jubet. Quem portare non nisi in sago potuerunt: quia collapsi saxa parietis, non solum ejus membra, sed etiam ossa contriverant. Praecepitque vir Dei statim eum in cella sua in psiatho, quod vulgo matta vocatur quo orare consueverat, projici: missisque foras fratribus, cellam clausit: qui orationi instantius quam solebat, incubuit. Mirares, eàdem horâ hunc incolumen, atque ut prius valentem, ad eumdem iterum laborem misit, ut ipse quoque parietem cum fratribus perficeret, de cujus se interitu antiquus hostis Benedicto insultare credidisset.

§ **17**. Coepit vero inter ista vir Dei prophetiae etiam spiritu pollère, ventura praedicere, praesentibus etiam absentia nunciare. Mos etenim cellae fuit, ut quoties ad responsum aliquod egrederentur fratres, cibum potumque extra cellam minime sumerent. Cumque hoc de usu regulaè solicite servaretur, quadam die ad responsum fratres egressi sunt, et in eo tardiori compulsi sunt horâ demorari. Qui manere juxta religiosam foeminam noverant, cujus ingressi habitaculum, sumpserunt cibum. Cumque jam tardius ad cellam rediissent, benedictionem patris ex more petierunt. Quos ille protinus percontatus est, dicens: «Ubi comedistis?»

Digitized by Google

Qui responderunt: « Nusquam.» Quibus ille ait: « Quare ita mentimini? Numquid illius talis foeminae habitaculum non intrastis? Numquid hos atque illos cibos non accepistis? Numquid tot calices non bibistis?» Cumque eis venerabilis pater et hospitium mulieris et genera ciborum, et numerum potionum diceret, cognoscentes cuncta quae egerant, ad ejus pedes tremefacti ceciderunt, et se deliquisse confessi sunt. Ipse autem protinus culpae pepercit, perpendens quod in ejus absentia ultra non facerent, quem praesentem sibi esse in spiritu scirent.

§ **18**. Frater quoque Valentiniani, ejus monachi, cujus superius memoriam feci, vir erat laicus, sed religiosus. Qui ut servi Dei orationem perciperet et germanum fratrem videret, annis singulis de loco suo ad cellam ejus jejunus venire consueverat. Quadam igitur die dum iter ad monasterium faceret, sese illi alter viator adjunxit qui sumendos cibos in itinere portabat. Cumque jam hora tardior excrevisset, dixit: «Veni frater, sumamus cibum, ne lassemur in via.» Cui ille respondit: «Absit frater, hoc non faciam: quia ad venerabilem patrem Benedictum jejunus semper pervenire consuevi.» Quo responso percepto, ad horam conviator tacuit. Sed cum post hoc aliquantulum itineris spatium egissent, rursus admonuit, ut manducarent. Noluit consentire qui jejunus pervenire decreverat. Tacuit quidem qui ad manducandum invitaverat et cum eo jejunus adhuc pergere modicum consensit. Cumque iter longius agerent et eos tardior hora fatigaret ambulantes, invenerunt in itinere pratum et fontem et quaeque poterant ad reficiendum corpus delectabilia videri. Tunc conviator ait: «Ecce aquam, ecce pratum, ecce amoenus locus, in quo possumus refici et parum quiescere, ut valeamus iter nostrum postmodum incolumes explere.» Cum igitur et verba auribus et loca oculis blandirentur, tertia admonitione persuasus, consensit et comedit: vespertina vero horâ pervenit ad cellam. Praesentatus autem venerabili Benedicto patri, sibi orationem petiit: sed mox ei vir sanctus hoc quod in via egerat, improperavit dicens: «Quid est, frater, quod malignus hostis qui tibi per conviatorem tuum locutus est, semel tibi persuadere non potuit, secundo non potuit, tertio vero persuasit, et te ad hoc quod voluit, superavit?» Tunc ille reatum infirmae suae mentis agnoscens, ejus pedibus provolùtus, tanto magis coepit culpam deflere et erubescere, quanto se cognovit etiam absentem in Benedictis patris oculis deliquisse.

§ **19**. Gotthorum (*autem*) temporibus, cum rex eorum Totila sanctum virum prophetiae habere spiritum audisset, ad ejus monasterium pergens, paulo longius substitit, eique se venturum esse nunciavit. Cui dum protinus mandatum de monasterio fuisset ut veniret, ipse, sicut perfidae mentis fuit, an vir Dei prophetiae spiritum haberet, explorare conatus est. Quidam vero ejus

Digitized by Google

spatharius Riggo dicebatur, cui calceamenta sua praebuit, eumque indui vestibus regalibus fecit, quem quasi in persona sua pergere ad Dei hominem praecepit. In cujus obsequio tres qui sibi prae caeteris adhaerere consueverant, comites misit, scilicet Vultericum, Rudericum et Blindinum, ut ante servi Dei oculos ipsum regem Totilam esse simulantes, ejus làteri obambularent: cui alia quoque obsequia, alios spatharios praebuit, ut tam ex eisdem obsequiis quam ex purpureis vestibus rex esse putaretur. Cumque idem Riggo decoratis vestibus, obsequentum frequentiâ comitatus, monasterium fuisset ingressus, vir Dei eminus sedebat. Quem venientem conspiciens, cum jam ab eo audiri potuisset, clamavit, dicens: «Pone fili, pone: hoc quod portas, non est tuum.» Qui Riggo protinus in terram cecidit, et quia tanto viro illudere praesumpsisset, expavit, omnesque qui cum eo ad hominem Dei veniebant, terrae consternati sunt. Surgentes autem, ad eum minime propinquare praesumpserunt: sed ad suum regem reversi, nunciaverunt trepidi, in quanta velocitate fuerant deprehensi.

§ **20**. Tunc per se idem Totila ad Dei hominem accessit: quem cum longe sedentem cerneret, non ausus accedere, sese in terram dedit. Cui cum vir Dei bis terve diceret, Surge, sed ipse ante eum de terra erigere se non auderet: Benedictus Christi Jesu famulus per semetipsum dignatus est accedere ad regem, prostratumque de terra levavit et de suis actibus increpavit, atque in paucis sermonibus cuncta quae illi erant ventura, praenunciavit, dicens: «Multa mala facis, multa mala fecisti: jam aliquando ab iniquitate conquiesce. Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus, novem annis regnans, decimo morieris.» Quibus auditis, rex vehementer territus, oratione petita recessit: atque ex illo jam tempore minus crudelis fuit, et non multo post Romam adiit, ad Siciliam perrexit. Anno autem regni sui decimo, omnipotentis Dei judicio regnum cum vita perdidit. Praeterea Canusinae antistes ecclesiae ad eumdem Dei famulum venire consueverat quem vir Dei pro vitae suae merito valde diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu regis Totilae et Romanae urbis perditione colloquium haberet, dixit: «Per hunc regem civitas ista destruetur, ut jam amplius non inhabitetur.» Cui vir Domini respondit: «Roma a gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscis, turbinibus ac terraemotu fatigata, marcescet in semetipsa.» Cujus prophetiae mysteria nobis jam facta sunt luce clariora qui in hac urbe dissoluta moenia, eversas domos, destructas ecclesias turbine cernimus, ejusque aedificia, longo senio lassata quia ruinis crebrescentibus prosternantur videmus, quamvis hoc Honoratus ejus discipulus, cujus mihi relatione compertum est, nequaquam ex ore illius audisse se perhibet: sed quia hoc dixerit, dictum sibi a fratribus fuisse testatur.

Digitized by Google

§ 21. Eodem quoque tempore quidam Aquinensis ecclesiae clericus daemonio vexabatur, qui a venerabili viro Constantio, ejusdem ecclesiae antistite, per multa fuerat martyrum loca transmissus, ut sanari potuisset. Sed sancti Dei martyres noluerunt ei sanitatis donum tribuere, ut quanta esset in Benedicto gratia, demonstrarent. Ductus itaque est ad omnipotentis Dei famulum Benedictum: qui Jesu Christo Domino preces fundens, antiquum hostem de obsesso homine protinus expulit. Cui sanato praecepit, dicens: «Vade, et posthac carnem non còmedas, ad sacrum ordinem nunquam accedere praesùmas: quacumque autem die ad sacrum ordinem accedere praesumpseris, statim juri diaboli iterum mancipaberis.» Discessit igitur clericus sanus et sicut terrere solet animum poena recens, ea quae vir praeceperat, interim custodivit. Cum vero post annos multos omnes priores illius de hac luce migrassent, et minores suos sibimet superponi in sacris ordinibus cerneret, verba viri Dei quasi ex longo tempore oblìtus postposuit, atque ad sacrum ordinem accessit quem mox is qui reliquerat, diabolus tenuit, eumque vexare, quousque animam ejus excuteret, non cessavit....

§ 22. Vir quidam nobilis, Theoprobus nomine, ejusdem Benedicti patris fuerat admonitione conversus: qui pro vitae suae merito magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat. Hic cum quadam die ejus cellam esset ingressus, hunc amarissime flentem reperit. Cumque diu subsisteret, ejusque non finiri lacrymas videret, nec tamen, ut vir Dei consueverat, orando plangeret, sed moerendo, quaenam causa tanti luctus existeret, inquisivit. Cui vir Dei ilico respondit: « Omne hoc monasterium quod construxi et cuncta quae fratribus praeparavi, omnipotentis Dei judicio gentibus tradita sunt. Vix autem obtinere potui, ut mihi ex hoc loco animae concederentur.» Cujus vocem tunc Theòprobus audivit, nos autem cernimus qui destructum modo a Longobardorum gente ejus monasterium scimus. Nocturno enim tempore, quiescentibus fratribus, nuper illic Longobardi ingressi sunt: qui diripientes omnia, ne unum quidem hominem illic tenere potuerunt: sed implevit omnipotens Deus quod fideli famulo Benedicto promiserat, ut si res gentibus traderet, animas custodiret. Qua in re Pauli vicem video tenuisse Benedictum, cujus dum navis rerum omnium jacturam pertulit, ipse in consolatione vitam omnium qui eum comitabantur, accepit.

§ 23. Quodam quoque tempore Exhilaratus noster, quem ipse conversum nosti, transmissus a domino suo fuerat, ut Dei viro in monasterium vino plena duo lignea vascula quae vulgo flascones vocantur, deferret: qui unum detulit, alterum vero pergens, in itinere abscondit. Vir autem Domini quem facta absentia latère non poterant, unum cum gratiarum actione suscepit et discedentem puerum monuit, dicens: «Vide fili, ne de illo flascone

Digitized by Google

quem abscondisti, bibas: sed inclina illum caute et invenies quid intus habet.» Qui confusus valde, a Dei homine exivit. Et reversus, volens adhuc probare quod audierat, cum flasconem inclinasset, de eo protinus serpens egressus est. Tunc praedictus Exhilaratus puer per hoc quod in vino reperit, expavit malum quod fecit.

§ **24**. Non longe autem a monasterio vicus erat, in quo non minima multitudo hominum ad fidem Dei ab idolorum cultu, Benedicti fuerat exhortatione conversa. Ibi quoque quaedam sanctimoniales foeminae inerant et crebro istuc pro exhortandis animabus fratres suos mittere Benedictus Dei famulus curabat. Quadam vero die misit ex more: sed is qui missus fuerat, monachus, post admonitionem factam, a sanctimonialibus foeminis rogatus mappulas accepit, sibique eas abscondit in sinu. Qui mox ut reversus est, eum vir Dei vehementissima amaritudine coepit increpare, dicens: «Quomodo ingressa est iniquitas in sinum tuum?» At ille obstupuit et quid egisset oblitus, unde corripiebatur ignorabat. Cui ait: «Numquid ego illic praesens non eram, quando ab ancillis Dei mappulas accepisti, tibique eas in sinu misisti?» Qui mox ejus vestigiis provolùtus, stulte se egisse poenituit, et eas quas in sinu absconderat mappulas abjecit.

§ **25**. Quadam quoque die, dum venerabilis pater vespertinâ jam horâ corporis alimenta perciperet, ejus monachus cujusdam defensoris filius fuerat qui ei ante mensam lucernam tenebat. Cumque vir Dei ederet, ipse autem cum lucernae ministerio astaret, coepit per superbiae spiritum in mente sua tacitus volvere et per cogitationem dicere: «Quis est hic, cui ego manducanti assisto, lucernam teneo, servitium impendo? Quis sum ego, ut isti inserviam?» Ad quem vir Dei statim conversus, vehementer coepit eum increpare, dicens: «Signa cor tuum frater. Quid est quod lòqueris? signa cor tuum.» Vocatisque statim fratribus, praecepit ei lucernam de manibus tolli: ipsum vero jussit a ministerio recedere, et sibi horâ eadem quietum sedere. Qui requisitus a fratribus quid habuerit in corde, per ordinem narravit, quanto superbiae spiritu intumuerat et quae contra virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquido omnibus patuit quod venerabilem Benedictum latère nil posset, in cujus auribus tacitae etiam cogitationis verba sonuissent.

§ **26**. Alio quoque tempore in eadem Campaniae regione fames incubuerat, màgnaque omnes alimentorum indigentia coangustabat. Jamque in Benedicti monasterio triticum deerat. Panes vero pene omnes consumpti fuerant, ut non plusquam quinque ad refectionis horam fratribus inveniri potuissent. Cumque eos venerabilis pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere et rursum promissione sublevare, dicens: «Quare de panis inopia vester animus contristatur?

Digitized by Google

Hodie quidem minus est, sed die crastina abundanter habebitis.» Sequenti autem die ducenti farinae modii ante fores cellae in saccis inventi sunt, quos omnipotens Deus quibus deferentibus transmisisset, nunc usque manet incognitum. Quod cum fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt jam de abundantia nec in egestate dubitare....

§ **27**. Alio quoque tempore a quodam fideli viro fuerat rogatus, ut in ejus praedio juxta Taracinensem urbem, missis discipulis suis, construere monasterium debuisset. Qui roganti consentiens, deputatis fratribus patrem constituit, et quis ei secundus esset, ordinavit. Quibus euntibus spopondit, dicens: «Ite, et die illo ego venio, et ostendo vobis, in quo loco oratorium, in quo refectorium fratrum, in quo susceptionem hospitum, vel quaeque sunt necessaria, aedificare debeatis.» Qui benedictione percepta, ilico perrexerunt, et constitutum diem magnopere praestolantes, paraverunt omnia quae his qui cum tanto patre venire potuissent, videbantur esse necessaria. Nocte vero eadem qua promissus illucescebat dies, eidem servo Dei, quem illic patrem constituerat, atque ejus praeposito, vir Domini in somnis apparuit, et loca singula, ubi quid aedificare debuissent, subtiliter designavit. Cumque utrique a somno surgerent, sibi invicem quid viderant, retulerunt. Non tamen visioni illi omnimodo fidem dantes, virum Dei, sicut se venire promiserat, expectabant. Cumque vir Dei constituto die minime venisset, ad eum cum moerore reversi sunt, dicentes: «Expectavimus pater, ut venires, sicut promiseras, et nobis ostenderes, ubi quid aedificare deberemus, et non venisti.» Quibus ipse ait: «Quare fratres, quare ista dicitis? Numquid sicut promisi, non veni?» Cui cum ipsi dicerent, «Quando venisti?» respondit, «Numquid utrisque vobis dormientibus non apparui, et loca singula designavi? Ite, et sicut per visionem vidistis, omne habitaculum monasterii ita construite.» Qui haec audientes, vehementer admirati, ad praedictum praedium sunt reversi, et cuncta habitacula, sicut ex revelatione didicerant, construxerunt...

§ **28**. Sed vix ipsa communis ejus locutio a virtutis erat pondere vacua: quia cujus cor sese in alta suspenderat, nequaquam verba de ore illius incassum cadebant. Si quid vero unquam non jam decernendo, sed minando diceret, tantas vires sermo illius habebat, ac si hoc non dubie atque suspense, sed jam per sententiam protulisset. Nam longe ab ejus monasterio duae quaedam sanctimoniales foeminae, nobiliori genere exortae, in loco proprio conversabantur, quibus quidam religiosus vir ad exterioris vitae usum praebebat obsequium. Sed sicut nonnullis solet nobilitas generis parare ignobilitatem mentis, ut minus se in hoc mundo despiciant qui plus se caeteris aliquid fuisse meminerunt: necdum praedictae sanctimoniales foeminae perfecte linguam

Digitized by Google

suam sub habitus sui freno restrinxerant, et eumdem religiosum virum qui ad exteriora necessaria eis obsequium praebebat, incautis saepe sermonibus ad iracundiam provocabant. Qui dum diu ista toleraret, perrexit ad Dei hominem: quantasque pateretur verborum contumelias, enarravit. Vir autem Dei haec de illis audiens, eis protinus mandavit, dicens: «Corrigite linguam vestram: quia si non emendaveritis, excommunico vos.» Quam videlicet excommunicationis sententiam non proferendo intulit, sed minando. Illae autem a pristinis moribus nihil mutatae, intra paucos dies defunctae sunt, atque in ecclesia sepultae. Cumque in eadem ecclesia Missarum solemnia celebrarentur, atque ex more diaconus clamaret, Si quis non communicat, det locum: nutrix earum, quae pro eis oblationem Domino offerre consueverat, eas de sepulcris suis progredi et exire videbat. Quod dum saepius cerneret, quia ad vocem diaconi clamantis exibant foras, atque intra ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit quae vir Dei illis adhuc viventibus mandavit. Eas quippe se communione privare dixerat, nisi mores suos et verba corrigerent. Tunc servo Dei cum gravi moerore indicatum est: qui manu sua protinus oblationem dedit, dicens: «Ite, et hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, et ulterius excommunicatae non erunt.» Quae dum oblatio pro eis fuisset immolata, et a diacono juxta morem clamatum est, ut non communicantes, ab ecclesia exirent, illae exire ab ecclesia ulterius visae non sunt. Qua ex re indubitanter patuit, quia dum inter eos qui communione privati sunt, minime recederent, communionem a Domino per servum Domini recepissent...

§ **29**. Quadam quoque die, dum quidam ejus puerulus monachus parentes suos ultra, quam deberet, diligens, atque ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de monasterio exiisset, eodem die mox, ut ad eos pervenit, defunctus est. Cumque esset sepultus, die altero projectum foras corpus ejus inventum est: quod rursus tradere sepulturae curaverunt. Sed sequenti die iterum projectum exterius atque inhumatum, sicut prius, invenerunt. Tunc concite ad Benedicti patris vestigia currentes, cum magno fletu petierunt, ut ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinus communionem Dominici corporis dedit, dicens: «Ite, atque hoc Dominicum corpus super pectus ejus cum magna reverentia ponite, et sic sepulturae eum tradite.» Quod dum factum fuisset, susceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultra projecit. Perpendis Petre, apud Jesum Christum Dominum cujus meriti iste vir fuerit, ut ejus corpus etiam terra projecerit qui Benedicti gratiam non haberet?

§ **30**. Quidam autem ejus monachus mobilitati mentis deditus erat, et permanere in monasterio nolebat. Cumque eum vir Dei assidue corriperet, et frequenter admoneret, ipse vero nullo

Digitized by Google

modo consentiret in congregatione persistere, atque importunis precibus, ut relaxaretur immineret: quadam die idem venerabilis pater, nimietatis ejus taedio affectus, iratus jussit ut discederet. Qui mox ut monasterium exiit, contra se assistere aperto ore draconem in itinere invenit. Cumque eum idem draco qui apparuerat, devorare vellet, coepit ipse tremens et palpitans magnis vocibus clamare, dicens: « Succurrite succurrite: quia draco iste me devorare vult. » Currentem autem fratres, draconem minime viderunt, sed trementem atque palpitantem monachum ad monasterium reduxerunt. Qui statim promisit numquam se esse a monasterio recessurum, atque ex hora eadem in sua promissione permansit: quippe qui sancti viri orationibus contra se assistere draconem viderat, quem prius non videndo sequebatur.

§ **31**. Sed neque hoc silendum puto quod illustri viro Antonio narrante cognovi qui ajebat patris sui puerum morbo elephantino fuisse correptum, ita ut jam pilis cadentibus, cutis intumesceret, atque increscentem saniem occultare non posset. Qui ad virum Dei ab eodem patre ejus missus est, et saluti pristinae sub omni celeritate restitutus.

§ **32**. Neque illud taceam quod ejus discipulus, Peregrinus nomine, narrare consueverat: quia die quadam fidelis vir quidam necessitate debiti compulsus, unum fore sibi remedium credidit, si ad Dei virum pergeret, et quae eum urgeret debiti necessitas, indicaret. Venit itaque ad monasterium, omnipotentis Dei famulum reperit: quia a creditore suo pro duodecim solidis graviter affligeretur, intimavit. Cui venerabilis pater nequaquam se habere duodecim solidos, respondit, sed tamen ejus inopiam blanda locutione consolatus, ait: « Vade, et post biduum revertere: quia deest hodie, quod tibi debeam dare. » In ipso autem biduo more suo in oratione fuit occupatus. Cumque die tertio is qui necessitate debiti affligebatur, rediit, super arcam monasterii quae erat frumento plena, subito tredecim solidi sunt inventi. Quos vir Dei deferri jussit, et afflicto petitori tribuit, dicens, ut duodecim redderet, et unum in expensis propriis haberet. Sed ad ea nunc redeam quae ejus discipulis, in libri hujus exordio praedictis, referentibus agnovi. Quidam vir gravissima adversarii sui aemulatione laborabat, cujus ad hoc usque odium prorùpit, ut ei nescienti in potu venenum daret. Qui quamvis vitam auferre non valuit, cutis tamen colorem mutavit, ita ut diffusa in corpore ejus varietas, leprae morem imitari videretur. Sed ad Dei hominem deductus, salutem pristinam citius recepit, nam mox ut eum tetigit, omnem cutis illius varietatem fugavit.

§ **33**. Eo quoque tempore quo alimentorum inopia Campaniam graviter affligebat, vir Dei diversis indigentibus monasterii sui cuncta tribuerat, ut pene nihil in cellario, nisi parum quid olei in vitreo vase remaneret. Tunc quidam subdiaconus Agapitus

nomine, advenit, magnopere postulans, ut sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Domini qui cuncta decreverat in terra tribuere, ut in coelo omnia reservaret, hocipsum parum quod remanserat olei jussit petenti dari. Monachus vero qui cellarium tenebat, audivit quidem jubentis verba, sed implere distulit. Cumque post paululum, si id quod jusserat datum esset, inquireret, respondit monachus se minime dedisse: quia si illud ei tribueret, omnino nihil fratribus remaneret. Tunc vir Dei iratus, aliis praecepit, ut hocipsum vas vitreum, in quo parum olei remansisse videbatur, per fenestram projicerent, ne in cella aliquid per inobedientiam remaneret. Factumque est. Sub fenestra autem eadem ingens praecipitium patebat, saxorum molibus asperum. Projectum itaque vas vitreum venit in saxis, sed sic mansit incolume, ac si projectum minime fuisset, ita ut neque frangi, neque oleum effundi potuisset. Quod vir Domini praecepit levari, atque ut erat integrum petenti tribui. Tunc collectis fratribus inobedientem monachum de infidelitate sua et superbia coram omnibus increpavit.

§ **34**. Qua increpatione completa, sese cum eisdem fratribus in orationem dedit. In eo autem loco, ubi cum fratribus orabat, vacuum erat ab oleo dolium coopertum. Cumque sanctus vir in oratione persisteret, coepit operimentum ejusdem dolii oleo excrescente sublevari. Quo commoto atque sublevato, oleum, quod excreverat, ora dolii transiens, pavimentum loci, in quo incubuerat, inundabat. Quod Benedictus Dei famulus aspexit, protinus orationem complevit, atque in pavimentum oleum defluere cessavit. Tunc diffidentem inobedientemque fratrem latius admonuit, ut fidem habere disceret et humilitatem. Idem vero frater salubriter correptus erubuit, quia venerabilis pater virtutem omnipotentis Dei, quam admonitione intimaverat, miraculis ostendebat: nec erat jam, ut quisquam de ejus promissionibus dubitare posset: qui in uno eodemque momento pro vitreo vase pene vacuo, plenum oleo dolium reddidisset.

§ **35**. Quadam die dum ad beati Joannis oratorium quod in ipsa montis celsitudine situm est, pergeret, ei antiquus hostis in mulo medici specie obviam factus est, cornu et tripedicam ferens. Quem cum requisisset, dicens: «Quo vadis?» ille respondit: «Ecce ad fratres vado, potionem eis dare.» Itaque perrexit venerabilis pater Benedictus ad orationem, qua completa, concitus rediit. Malignus vero spiritus unum seniorem monachum invenit aquam haurientem: in quem statim ingressus est, eumque in terram projecit, et vehementissime vexavit. Quem cum vir Dei ab oratione rediens, tam crudeliter vexari conspiceret, ei solummodo alapam dedit, et malignum ab eo spiritum protinus excussit, ita ut ad eum redire ulterius non auderet...

§ **36**. Duo quoque fidelis famuli Dei Benedicti facta nunc

Digitized by Google

replico, in quibus aperte clareat aliud hunc accepta divinitus ex potestate, aliud ex oratione potuisse. Gotthorum quidam Zalla nomine, perfidiae fuit Arianae, qui Totilae regis eorum temporibus, contra catholicae Ecclesiae religiosos viros ardore immanissimae crudelitatis exarsit, ita ut quisquis ei clericus monachusve ante faciem venisset, ab ejus manibus vivus nullo modo exiret. Quadam vero die avaritiae suae aestu succensus, in rapinam rerum inhians, dum quemdam rusticum tormentis crudelibus affligeret, eumque per supplicia diversa laniaret, victus poenis rusticus, sese res suas Benedicto Dei famulo commendasse, professus est, ut dum hoc a torquente crederetur, suspensa interim crudelitate, ad horam vita repararetur. Tunc idem Zalla cessavit rusticum tormentis affligere, sed ejus brachia loris fortibus astringens, ante equum suum coepit impellere, ut quis esset Benedictus qui ejus res susceperat, demonstraret. Quem ligatis brachiis rusticus antecedens, duxit ad sancti viri monasterium, eumque ante ingressum cellae solum sedentem reperit et legentem. Eidem autem subsequenti et saevienti Zallae rusticus dixit: « Ecce iste est, de quo dixeram tibi, Benedictus pater. » Quem dum fervido spiritu cum perversae mentis insania fuisset intùitus, eo terrore, quo consueverat, acturum se existimans, magnis coepit vocibus clamare, dicens: « Surge, surge, et res istius rustici redde, quas accepisti.» Ad cujus vocem vir Dei protinus oculos levavit a lectione, eumque intuitus, mox etiam rusticum qui ligatus tenebatur, attendit. Ad cujus brachia dum oculos deflexisset, miro modo tanta se celeritate coeperunt illigata brachiis lora dissolvere, ut dissolvi tam concite nulla hominum festinatione potuissent. Cumque is qui ligatus venerat, coepisset subito astare solùtus, ad tantae potestatis vim tremefactus Zalla, ad terram corruit, et cervicem crudelitatis rigidae ad ejus vestigia inclinans, se orationibus illius commendavit. Vir autem sanctus a lectione minime surrexit: sed vocatis fratribus, eum introrsus tolli, ut benedictionem acciperet, praecepit. Quem ad se reductum, ut a tantae crudelitatis insania quiescere deberet, admonuit. Qui fractus, recèdens, nil ulterius petere a rustico praesumpsit, quem vir Domini non tangendo, sed respiciendo solverat. Ecce est, Petre quod dixi, quia hi qui omnipotenti Deo familiarius serviunt, aliquando mira facere etiam ex potestate possunt. Qui enim ferocitatem Gotthi terribilis sedens repressit, lora vero nodosque ligaturae quae innocentis brachia astrinxerant, oculis dissolvit, ipsa miraculi celeritate indicat, quia ex potestate acceperat habere quod fecit. Rursum quoque quale quantumque miraculum orando valuit obtinere, subjungam.

§ **32**. Quodam die cum fratribus ad agri opera fuerat egressus. Quidam vero rusticus defuncti filii corpus in ulnis ferens, orbitatis luctu aestuans, ad monasterium venit, Benedictum

Digitized by Google

patrem quaesivit. Cui cum dictum esset, quia idem pater cum fratribus in agro moraretur, protinus ante monasterii januam corpus extincti filii projecit, et dolore turbatus, ad inveniendum venerabilem patrem sese in cursum concitus dedit. Eadem vero horâ vir Dei ab agri opere jam cum fratribus revertabatur. Quem mox ut orbatus rusticus aspexit, clamare coepit: «Redde filium meum, redde filium meum.» Vir autem Dei in hac voce substitit, dicens: «Numquid ego filium tuum tibi abstuli?» Cui illi respondit: «Mortuus est: veni, resuscita eum.» Quod ut mox Dei famulus audivit, valde contristatus est, dicens: «Recedite fratres, recedite: haec nostra non sunt, sed sanctorum Apostolorum. Quid nobis onera vultis imponere quae non possumus portare?» At ille, quem nimius cogebat dolor, in sua petitione perstitit, jurans, quod non recederet, nisi ejus filium resuscitaret. Quem mox Dei famulus inquisivit, dicens: «Ubi est?» Cui ille respondit: «Ecce corpus ejus ad januam monasterii jacet.» Ubi cum vir Dei cum fratribus pervenisset, flexit genu, et super corpusculum infantis incubuit, seseque èrigens, ad coelum palmas tetendit, dicens: «Domine, non aspicias peccata mea, sed fidem hujus hominis qui resuscitari filium suum rogat, et redde in hoc corpusculum animam quam abstulisti.» Vix in oratione verba compleverat, et regrediente animâ, ita corpusculum pueri omne contremuit, ut sub oculis omnium qui aderant, apparuerit concussione mirifica tremendo palpitasse. Cujus mox manum tenuit, et eum patri viventem atque incolumem dedit. Liquet, Petre, quia hoc miraculum in potestate non habuit, quod prostratus petiit, ut exhibere potuisset.

§ **38**. Quisnam erit, in hac vita Paulo sublimior, qui de carnis suae stimulo ter Dominum rogavit, et tamen quod voluit, obtinere non valuit? Ex qua re necesse est, ut de venerabili patre Benedicto narrem, quia fuit quiddam, quod voluit, sed non valuit implere. Soror namque ejus, Scholastica nomine *, omnipotenti Domino ab ipso infantiae tempore dedicata, ad eum semel per annum venire consueverat. Ad quam vir Dei non longe extra januam in possessionem monasterii descendebat. Quadam vero die venit ex more, atque ad eam cum discipulis venerabilis ejus descendit frater: qui totum diem in Dei laudibus sacrisque colloquiis ducentes, incumbentibus jam noctis tenebris, simul acceperunt cibos. Cumque adhuc ad mensam sederent, et inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis foemina soror ejus eum rogavit, dicens: «Quaeso te, ut ista nocte, me non deseras, ut usque mane de coelestis vitae gaudiis loquamur.» Cui ille respondit: «Quid est, quid loqueris soror? Manere extra cellam nullàtenus possum.» Tanta vero erat coeli serenitas, ut nulla in aëre nubes apparèret.

* De ea in MARTYROL. ILLUSTR. Die x Febr. (*Append. II Vol. p.* 130).

Sanctimonialis autem foemina, cum verba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam posuit, et caput in manibus, omnipotentem Dominum rogatura, declinavit. Cumque de mensa levaret caput, tanta coruscationis et tonitrui virtus, tantaque inundatio pluviae erùpit, ut neque venerabilis Benedictus, neque fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedem movere potuissent. Sanctimonialis quippe foemina caput in manibus declinans, lacrymarum fluvium in mensam fuderat, per quas serenitatem aëris ad pluviam traxit. Nec paulo tardius post orationem inundatio illa secuta est: sed tanta fuit convenientia orationis et inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitruo levaret, quatenus unum idemque esset momentum, et levare caput, et pluviam deponere. Tunc vir Dei inter coruscos et tonitruos atque ingentis pluviae inundationem videns se ad monasterium non posse remeare, coepit conqueri contristatus, dicens: « Parcat tibi omnipotens Deus soror: quid est quod fecisti?» Cui illa respondit: « Ecce te rogavi, et audire me noluisti: rogavi Dominum meum, et audivit me. Modo ergo, si potes, egredere, et me dimissâ, ad monasterium recede. » Ipse autem exire extra tectum non valens, quia remanere sponte noluit, in loco mansit invitus. Sicque factum est, ut totam noctem pervigilem ducerent, atque per sacra spiritalis vitae colloquia sese vicariâ relatione satiarent.

§ **39**. Qua de re dixi eum voluisse aliquid, sed minime potuisse: quia si venerabilis viri mentem aspicimus, dubium non est, quin eamdem serenitatem voluerit, in qua descenderat, permanere: sed contra hoc, quod voluit, in virtute omnipotentis Dei ex foeminae pectore miraculum invenit. Nec mirum, quod plus illo foemina, quae diu fratrem videre cupiebat, in eodem tempore valuit. Quia enim, juxta Joannis vocem, Deus charitas est: justo valde judicio illa plus potuit, quae amplius amavit. Cumque die altero èadem venerabilis foemina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad monasterium rediit. Cum ecce post triduum in cella consistens, elevatis in aëre oculis, vidit ejusdem sororis suae animam de ejus corpore egressam, in columbae specie coeli secreta penetrare. Qui tantae ejus gloriae congaudens, omnipotenti Deo in hymnis et laudibus gratias reddidit, ejusque obitum fratribus denunciavit. Quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad monasterium deferrent, atque in sepulcro, quod sibi ipse paraverat, ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una semper in Domino fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.

§ **40**. Alio quoque tempore Servandus diaconus atque Abbas ejus monasterii, quod in Campaniae partibus a Liberio quondam patricio fuerat constructum, ad eum visitationis gratiâ ex more venire consueverat. Ejus quippe monasterium frequentabat, ut

Digitized by Google

quia idem quoque vir doctrinâ gratiae coelestis influebat, dulcia sibi invicem vitae verba transfunderent, et suavem cibum coelestis patriae, quia adhuc perfecte gaudendo non poterant, saltem suspirando gustarent. Cumque hora jam quietis exigeret, in cujus turris superioribus se venerabilis Benedictus, in ejus quoque inferioribus se Servandus diaconus collocavit: quo videlicet in loco inferiora ad superiora pervius continuabat ascensus. Ante eamdem vero turrim largius erat habitaculum, in quo utriusque discipuli quiescebant. Cumque vir Dei Benedictus, quiescentibus adhuc fratribus, instans vigiliis, nocturnae orationis tempora praevenisset, ad fenestram stans et omnipotentem Deum deprecans, subito intempesta noctis horâ respiciens, vidit fusam lucem desuper, cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa quae in tenebris radiasset. Mira autem res valde in hac speculatione secuta est: quia, sicut post ipse narravit, omnis etiam mundus, velut sub uno solis radio collectus, ante oculos ejus adductus est. Qui venerabilis pater dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscae lucis infigeret, vidit Germani Capuani episcopi animam in sphaera ignea ab angelis in coelum ferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, Servandum diaconum, iterato bis terque ejus nomine, cum clamoris magnitudine vocavit. Cumque ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus, ascendit, respexit, partemque jam lucis exiguam vidit. Cui tantum hoc obstupescenti miraculum, vir Dei per ordinem, quae fuerant gesta narravit: statimque in Casinum castrum religioso viro Theoprobo mandavit, ut ad Capuanam urbem sub eadem nocte transmitteret, et quid de Germano episcopo ageretur, agnosceret et indicaret. Factumque est: et reverentissimum virum Germanum episcopum is, qui missus fuerat, jam defunctum reperit, et requirens subtiliter, agnóvit eodem momento fuisse illius obitum, quo vir Domini ejus cognovit ascensum...

§ 41. Siquidem animae videnti creatorem, angusta est omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce creatoris aspexerit, breve ei fit omne, quod creatum est: quia ipsa luce visionis intimae mentis laxatur sinus, tantumque expanditur in Deo, ut superior existat mundo. Fit vero ipsa videntis anima etiam super semetipsum. Cumque in Dei lumine rapitur, super se in interioribus ampliatur: et dum se sub se conspicit, exaltata comprehendit quam breve sit, quod comprehendere humiliata non poterat. Vir ergo Dei, qui in turri globum igneum, angelos quoque ad coelum redeuntes videbat, haec proculdubio cernere non nisi in Dei lumine poterat. Quid itaque mirum, si mundum ante se collectum vidit, qui sublevatus in mentis lumine, extra mundum fuit? Quod autem collectus mundus ante ejus oculos dicitur, non coelum et terra contracta est, sed videntis animus

Digitized by Google

est dilatatus: qui in Deo raptus, videre sine difficultate potuit omne, quod infra Deum est. In illa ergo luce, quae exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quae videntis animum cum ad superiora rapuit, ei, quam angusta essent omnia inferiora monstravit...

§ 42. Libet adhuc de hoc venerabili patre multa narrare, sed quaedam ejus studiose praetereo, quia ad aliorum gesta revolvenda festino. Hoc autem nolo te lateat, quod vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinae quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit monachorum regulam, discretione praecipuam, sermone luculentam. Cujus si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione regulae omnes magisterii illius actus invenire: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.

§ 43. Eodem vero anno, quo de hac vita erat exiturus, quibusdam discipulis secum conversantibus, quibusdam longe manentibus, sanctissimi sui obitus, denunciavit diem: praesentibus indicens, ut audita per silentium tegerent: absentibus indicans, quod vel quale eis signum fieret, quando ejus anima de corpore exiret. Ante sextum vero sui exitus diem aperiri sibi sepulturam jubet. Qui mox correptus febribus, acri coepit ardore fatigari. Cumque per dies singulos languor ingravesceret, sexta die portari se in oratorium a discipulis fecit, ibique exitum suum Dominici corporis et sanguinis perceptione munivit, atque inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in coelum manibus stetit, et ultimum spiritum inter verba orationis efflavit. Qua scilicet die duobus de eo fratribus, uni in cella commoranti, alteri autem longius posito, revelatio unius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque, quia strata pallis atque innumeris corusca lampadibus via recto Orientis tramite ab ejus cella in coelum usque tendebatur. Cui venerando habitu vir dèsuper clarus assistens, cujus esset via quam cernerent, inquisivit. Illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: « Haec est via, qua dilectus Domino coelum Benedictus ascendit. » Tunc itaque sancti viri obitum sicut praesentes discipuli viderunt, ita absentes ex signo, quod eis praedictum fuerat, agnoverunt. Sepultus vero est in oratorio beati Joannis Baptistae, quod, destructâ arâ Apollinis, ipse construxit. Qui et in eo specu, in quo prius habitavit, nunc usque, si petentium fides exigat, miraculis coruscat (*a*).

(*a*) Circa gloriosissimi Abbatis corpus, an in Monte-Cassino adhuc pene per integrum quiescat, contentio est cui solvendae nec pares nec proni profecto sumus nos, verbis territi quae legimus ab inclyto Annal. Ecclesiastic. parente ad annum DCLXVI n. 24 scripta: " Rèfugit animus tam densum controversiae hujus spinetum adire, quod horret vel e longe spectare. „ S. Benedicti ac S. sororis ejus Scholasticae corpora in Gallia translata pluribus haud spernendis documentis traduntur. Sancta quidem Virg. Cenomanum (*Mans*), S. autem Patriarchae Floriacum (*Fleury*) medio circiter VII saeculo. Cassinum enim sub VI saec. finem penitus everterant Longobardi, absentibusque diutissime religiosis filiis, venerandi Patris sepulcrum et custodiâ et cultu erat destitutum. Concupierat propterea B. Mummulus, secundus Floriacensis Abbas, hac arrepta occasione sacris sui Ordinis Institutoris sororisque ejus corporibus gallica ditare Monasteria: quod effecisse ferunt per Agi

§ **44**. Nuper namque est res gesta quam narro. Quaedam mulier mente capta, dum funditus sensum perdidisset, per montes et valles et sylvas et campos die noctuque vagabatur, ibique tantummodo quiescebat, ubi hanc quiescere lassitudo coëgisset. Quadam vero die dum vaga nimium erraret, ad beati viri Benedicti specum devènit, ibique nesciens ingressa mansit. Mane autem facto, ita sanato sensu egressa est, ac si eam nunquam insania capitis ulla tenisset: quae omni vitae suae tempore in eàdem quam accepit, salute permansit. Quidnam autem esse dicimus quod plerumque in ipsis quoque patrociniis martyrum sic esse sentimus, ut non tanta per corpora sua, quanta beneficia per reliquias ostendant, atque illic majora signa faciant, ubi minime per semetipsos jacent?

§ **45**. Ubi in suis corporibus sancti martyres jacent, dubium non est quod multa valeant signa demonstrare, sicut et faciunt et pura mente quaerentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, utrum ne ad exaudiendum ibi praesentes sint, ubi constat quia in suis corporibus non sunt: ibi necesse est eos majora signa ostendere, ubi de eorum praesentia potest mens infirma dubitare. Quorum vero mens in Deo fixa est, tanto majus habet fidei meritum, quanto illic eos novit et non jacère corpore et tamen non deesse ab exauditione. Unde ipsa quoque veritas, ut fidem discipulis augeret, dixit: Si ego non abìero, Paracletus non veniet ad vos. Cum enim constet quia Paracletus Spiritus a Patre semper procedat et Filio, cur se Filius recessurum dicit, ut ille veniat qui a Filio numquam recèdit? Sed quia discipuli Dominum in carne cernentes, corporeis hunc oculis semper videre sitiebant, recte eis dicitur: Nisi ego abiero, Paracletus non veniet: ac si aperte diceretur. Si corpus non subtraho, quis sit amor spiritus non ostendo: et nisi me desieritis carnaliter cernere, numquam me discètis spiritaliter amare.

DE S. LEA ABBATISSA VIDUA

DIV. HIERONYMUS EPIST. 24 AD MARCELLAM

Vitâ cessit anno 384 — Patriâ Romana.

§ **1**. Cum repente nobis nunciatum esset, sanctissimam Leam exisse de corpore, ita te palluisse conspexi, ut vere aut pauca, aut nulla sit anima quae fracto vase testaceo, non tristis erumpat. Et tu quidem, non quod futuri incerta esses, dolebas, sed

lulphum Monachum in Italiam clanculo missum. Utriusque ossium pars quae sacrilegis eximi potuit gallicanae perturbationis ignibus, isthic proculdubio asservatur, ut patet ex recognitione ab Aurelianensi Episcopo habita anno MDCCCV. Nonnihil insuper horum pignorum possident Solesmense apud Cenomanos Coenobium, et Parisienses Benedictini.

Digitized by Google

quod triste funeri obsequium non dedisses. Denique in mediis fabulis rursum didicimus, reliquias ejus jam Ostiam fuisse delatas. Quaeras: Quo pertinet ista replicatio? Respondebo tibi verbis Apostoli: Multum per omnem modum. Primum quod universorum gaudiis prosequenda sit quae, calcato diabolo, coronam jam securitatis accepit. Secundo, ut ejus vita breviter explicetur. Tertio, ut designatum consulem de suis seculis detrahentem, esse doceamus in tartaro.

§ 2. Et quidem conversationem Leae nostrae quis possit digno allevare praeconio? Ita eam totam ad Dominum fuisse conversam, ut monasterii princeps, mater virginum fieret: post mollitiem vestium, sacco membra trivisse, insomnes orationibus duxisse noctes et comites suas plus exemplo docuisse quam verbis (*a*). Humilitatis fuit tantae tamque subjectae, ut quondam domina plurimorum, ancilla omnium putaretur: nisi quod eo Christi magis esset ancilla, dum domina hominum non putatur. Inculta vestis, vilis cibus, neglectum caput: ita tamen, ut cum omnia faceret, ostentationem fugeret singulorum, ne reciperet in praesenti seculo mercedem suam. Nunc igitur pro brevi labore aeterna beatitudine frùitur, excipitur angelorum choris, Abrahae sinibus confovetur et cum paupere quondam Lazaro, divitem purpuratum et non palmatum (*b*) consulem, sed atratum, stillam digiti minoris (*c*) cernit inquirere. O quanta rerum mutatio. Ille quem ante paucos dies dignitatum omnium culmina praecedebant, qui quasi de subjectis hostibus triumpharet, Capitolinas ascendit arces quem plausu quodam et tripudio populus Romanus excepit, ad cujus interitum urbs universa commota est, nunc desolatus et nudus, non in *lacteo coeli palatio*, ut uxor mentìtur infelix (*d*), sed in sordentibus tenebris continetur. Haec vero quam unius cubiculi secreta vallabant quae pauper videbatur et tenuis, cujus vita putabatur amentia, Christum sequitur et dicit: Quaecumque audivimus, ita et vidimus in civitate Dei nostri; et reliqua. Quapropter moneo et flens gemensque contestor, ut dum hujus mundi viam currimus, non duabus tunicis, id est, duplici vestiamur fide: non calceamentorum pellibus, mortuis videlicet operibus praegravemur: non divitiarum nos pera ad terram premat: non virgae, id est, potentiae secularis quaeramus auxilium: non pariter et Christum velìmus habere et seculum: sed pro

(*a*) Nuptam fuisse Leam viro nobili Romano ajunt, cujus nomen a nullo proditur. Viri lege soluta, S. Marcellae (V. XXXI Jan.) discipulis se adjunxit, eàque auctore et duce, repudiato saeculo, monasticam Romae vitam in domestico Marcellae coenobio amplexata est.

(*b*) Idest *togatum*. Toga *palmata* dicebatur a palma intertexta, et propria triumphantium erat. Alludit S. Doctor ad Praetextatum ethnicum, consulem designatum, qui eàdem qua Lea, die obierat, quique vivens demisso et humili nobilissimae hujus S. Viduae cultui illudere consuevit.

(*c*) Ad evangelicam historiam haec referuntur, de divite Epulone et mendico Lazaro (*Lucae* XVI), quem post mortem Dives ex inferno videns in sinu Abrahae (*in locum quietis*) collocatum, rogavit Abraham ut ad se mitteret, qui *extremo digiti sui in aquam intincto, refrigeraret linguam suam*.

(*d*) Paulina, Praetextati uxor, magna Cereris Sacerdos. *Lactea coeli palatia* appellat Hieronymus beatitudinis loca quae in *Orbe Lacteo* somniaverant ethnici quibus post mortem magnorum virorum animae inferrentur.

Digitized by Google

brevibus et caducis aeterna succedant, et cum quotidie (secundum corpus loquor) praemoriamur, in caeteris non nos perpetuos existimemus, ut possimus esse perpetui.

VITA SS. VIRGINIS PARITER ET VIDUAE

CATHARINAE FILIAE S. BIRGITTAE

CUJUS OB DIVINAS REVELATIONES EST IN CHRISTI ECCLESIA CELEBERRIMUM NOMEN, AUCTORE QUIDEM NON PRORSUS CERTO, SED TAMEN FIDELITER CONSCRIPTA: PORRO OB VITANDAM PROLIXITATEM, ET NE STYLUS RUDIOR LECTOREM ERUDITUM OFFENDERET, PER LAURENT. SURIUM ALIQUANTO COMPREHENSIUS REDDITA.

Obiit anno 1381 — Nat. Sveca.

§ 1. Venerabilis et Deo dilecta Catharina, patre Ulphone viro nobili et matre Birgitta quam omnis celebrat Ecclesia *, in hanc lucem edita est. Quae cum adhuc in cunis versaretur, futurae sanctitatis ejus indicia non obscura divinitus ostensa sunt. Nam adhibita illi nutrice, ejus ubera sugere noluit, lascivià et vitae ejus turpitudine, ut probabilis est conjectura, absterrita. Porro sanctae matris suae et aliarum pudicarum mulierum ubera citra horrorem sugebat, ab incontinentibus foeminis cum lacrymis et vagitu prorsus abhorrens. Postquam autem ablactata est, sancta mater ejus tradidit illam religiose instituendam Abbatissae Risabergensi, cujus erat spectata vitae integritas. Accidit interea, ut Abbatissâ nocturnas Deo preces offerente, puellam Catharinam dormientem, malus daemon, sumpta bovis cornupetae specie, e lectulo cornibus excuteret et semivivam prosterneret in pavimentum. Dat illa gemitus miserabiles, et repente accurrens Abbatissa semimortuam in suo reponit sinu: apparet illic teterrimus daemon, et, O quam libens, inquit, illam jugulassem, nisi fuisset a Deo negata facultas.

§ 2. Cum septimum aetatis annum ageret, persuasa a puellis coaetaneis, quadam vice cum illis coepit puparum ludo operam dare. Sed quia ad majora a Domino parabatur, illam tantillae aetatis puerilem vanitatem non passus est abire impunitam, ne animum ejus tales ineptiae, ut plerumque solent, dissolverent. Permisit igitur, ut proxima nocte valde infestos sentiret daemones. Videbat enim in somnis multos impuros spiritus in puparum specie ad suum venire cubiculum. Cumque ad eam accessissent, e lectulo extractam atrociter flagellarunt, ita ut toto corpore livida cerneretur. Mox igitur hujusmodi ludis et vanitatibus

* XXIII Jul. et VIII Oct.

Digitized by Google

longum valere jussis, deinceps se nullis prorsus ludentibus miscuit: immo contra illius aetatis ingenium, quandam prae se morum ferebat maturitatem.

§ 3. Ubi ad nubiles pervenit annos, voluit pater ut nuberet. Illa quae multa in Deum et Christi sanctissimam matrem servandae integritatis fiduciâ niteretur, non recusavit. Nupsit ergo viro nobili Eghardo: sed ita nupsit, ut ipsum quoque sponsum ad nuncupandum Deo castitatis votum, divinâ faciente gratiâ, adduxerit. Ambo igitur suam pudicitiam, interposito jurejurando, Christo consecrarunt, et deinceps in Domino castissime pariter degentes, sub pompa seculari sanctâ quadam calliditate hosti pudicitiae illuserunt. Nam ne caro insolesceret, cum qua nobis est bellum intestinum, posteaquam sanctis precibus, genuflexionibus et vigiliis noctu incubùerant, humi in cubiculo substernebant pannum aliquem, capitique cervicalia singula supponentes, ita separatim cubabant, ne hyeme quidem hunc morem immutantes.

§ 4. Solebat sancta Catharina castissimo conjugi suo crebro referre virtutum exercitia et asperitatem poenitentiae, quae ipsa in sanctissima matre sua Birgitta partim viderat, partim ab aliis didicerat: ut ipsi quoque his sese conformarent. Itaque vigiliis et precibus etiam jejunia adjungebant, ut in servitutem caro redigeretur: Christique amore non modo a vètitis, sed a plerisque etiam licitis abstinebat escis *. Noverant enim quanta sit abstinentiae virtus, quippe quae vitam producat, castitatem tueatur, Deum conciliet, proflìget daemones, illustret intellectum, animum confirmet, vitia expugnet, carnem èdomet, divini amoris gratiam in hominis pectus invehat. Felix plane horum conjugium quod non foeda carnis libìdo, sed sincera in Christo dilectio conflaverat: et coram Deo quidem instar liliorum suaviter redolebant fragrantiâ castitatis: porro apud proximos virtutum exemplis et exercitiis et gratiâ bonae famae et optimae existimationis. Erant vero in eorum familia homines spiritalis vitae rudes qui apud Carolum Catharinae fratrem, eam superstitionis insimularent. Ille ductus curiositate, clam in eorum cubiculum ingreditur, videtque eos non voluptati deditos, sed laneis iisque asperis indutos vestibus, spreta lecti mollitie, humi sejunctim cubare. Id ille moleste ferens, ut solent qui non sapiunt ea quae sunt spiritus, tanquam fatuos et superstitiosos eos objurgavit: nec effecit tamen, ut ullis vel reprehensionibus, vel obtrectationibus, vel irrisionibus a continentiae et abstinentiae studiis retraherentur.

§ 5. Sed quia carnis continentia sola non sufficit, nisi etiam animus sit impollùtus et a superbiae foetore alienus: venerabilis Christi ancilla Catharina suae pudicitiae firmum praesidium adhibuit, veram et voluntariam animi submissionem et humilitatem.

* Eximii abstinentiae effectus.

Coeperat tum illa vestium simplicitas quae antiquitus in ea regione servata fuerat, mutari in fastum et pompas, maxime apud nobiles: sed sancta virgo id genus vestes paulatim a se removit, nec ullis obtrectationibus et irrisionibus adduci potuit, ut ab humilitate et prisca patriae consuetudine discederet. Ejus autem exemplo permotae multae nobiles, consodales et cognatae ejus, vestium pompas et cultum superfluum abjecerunt. In iis fuit nobilis domina, uxor Caroli, cujus ante mentio habita est: quae licet initio pertinaciter illi resisteret, at postea in melius vitam commutavit. Cum enim in Chalmarnensi urbe pariter orarent sancta Catharina et haec fratris ejus conjux in sacello beatissimae Mariae, idque coram illius imagine. paululum ipsa obdormivit, videbatque divam Virginem blando vultu Catharinam, se vero torvis oculis iracunde intueri. Itaque multum anxia, cum lacrymis dixit ad matrem Dei: « Cur me ita terribiliter respicis, Domina mea?» Cui illa respondit: «Et quare tu non obtemperas consiliis mihi dilectae Catharinae? Si tu ejus exemplo et monitis habitum moresque tuos correxeris, ego te quoque blanditer respiciam. » Illa ad se reversa, non immemor quid vidisset et audivisset, ilico repudiatis superbis vestium ornamentis, ad sanctae Catharinae exempla se composuit. Id ut vidit maritus ejus Carolus qui tum adhuc totus erat mundo deditus, turbato animo dixit sorori suae Catharinae: « Non sat erat, ut te nobis monacham exhiberes, nisi meam quoque conjugem tibi adjungeres et omnibus ridendam propinares?» At sancta virgo aequo ferebat animo opprobria et irrisiones: porro se laudari ob recte facta moleste ferebat, obtestans eos qui ipsam laudabant, ne id facerent: immo familiares suos qui secretorum ejus erant conscii et eam pro servata in matrimonio pudicitia virginali felicem praedicabant, cum lacrymis saepissime objurgabat, atque etiam adjurabat, ne aliquid ejusmodi deinceps dicerent.

§ 6. Non multum intercessit temporis ab inito conjugio, et pater ejus dominus Ulpho Gudmarsson, Nericiae princeps, in senectute bona defunctus, in coenobio Alvastra honorifice tumulatus est. Eo mortuo, sancta Birgitta conjux ejus, divinitus jussa, Romam abiit: cumque solicita esset pro obtinenda suae peregrinationis fideli socia, quae eam in negotiis arduis familiarius adjuvaret, a Christo jussa est bono esse animo: ipsum enim curaturum, ut fida potiretur adjutrice quam etiam speciali suae benedictionis gratiâ esset praeventurus. Itaque cum jam quinquennium fere praeteriisset, postquam S. Birgitta e Suedia Romam venerat, incredibili Romam adeundi desiderio ardere coepit Catharina filia ejus. Nec latebant Eghardum ejus suspiria immensa, causamque rei insolitae ex ea sciscitanti, non reticuit Catharina quid animo agitaret. Ille vero sciens animi ejus constantiam, eam divinitus perurgeri existimabat, nec ausus fuit ei se

Digitized by Google

opponere, licet tenerrime illam diligeret. At nihilominus vèritus, ne quid foeminae tanti decòris et florentis aetatis, puta quae annos dumtaxat haberet decem et octo, in tam longinqua profectione adversi accideret, non ilico assensus est. Victus tandem et illius precibus et animi religione, sûmptus in iter necessarios et honestos comites comparat. Jam nihil nisi e patria excessus expectabatur, et ecce Carolus Catharinae frater irâ percitus, minas atroces intentat Eghardo, si permittat sororem ipsius ire père-gre. Commodum tum domo aberat Eghardus et literae Caroli in manus Catharinae venere: quae suspicata quod erat, literas resignans legit, minasque fratris ad avunculum suum Israëlem virum potentem, multàque in Deum pietate et prudentiâ insignem rètulit. Is jubet eam ob fratris minas non discedere a proposito, dicens se iram illius facile sedaturum. Addidit verbis humanissimis etiam munera, ut maturius proficisceretur. Mox igitur se dat itineri cum D. Gorstano Thunasson Marestallo Suediae et aliis duabus Suediae nobilibus matronis.

§ 7. Mari non sine multa difficultate emenso, per Germaniam iter habuere in Italiam, atque tandem Augusto mense Romam Catharina pervenit. Agebat tum sancta mater ejus Bononiae, quo Christus eam miserat, cujusdam Abbatis et fratrum ejus admonendorum causâ. Erat cum illa D. Petrus Olavus, pater ejus spiritalis, et pauci e familia. Porro Catharina nesciens quo illa abiisset, ad dies octo anxie quaesivit eam Romae. Interim D. Petrus Olavus coepit urgeri quibusdam intolerabilibus animi stimulis, ut Romam rediret. Assensit, licet invita S. Birgitta, et ille celerrime proficiscens, ubi Romam venit, in aede S. Petri Catharinam et comites ejus offendit: quam sane humanissime salutans, nihil jam dubitabat ejus causâ se fuisse compulsum ire ad urbem. Sequenti die cum illa et sociis ejus profectus est ad matrem, et ab Abbate monasterii pro S. Birgittae amore, cujus sanctis exhortationibus jam ad meliorem se frugem receperat, honorifice accepti sunt. Post dies paucos hortante matre, Catharina cum suis Romam repetiit, et cum multa devotione ad stationes et limina sanctorum accessit. Deinde exactis Romae aliquot septimanis, patriam revisere constituit: cumque jam ad iter accincta esset, mater ex illa percontata est, vellet ne cum ipsa Romae manere, et Christi causâ labores et adversa quaeque perpeti. Tum illa tota inflammata spiritu, respondit se non modo patriam cognatos, amicos, divitias et delicias, sed ipsum quoque Eghardum, quem suo corpore chariorem haberet, pro Christi voluntate et amore libenti animo relicturam. Ubi igitur consensit matri, Christus ei revelavit, ipsam esse fidelem adjutricem, quam ei promisisset. Adjecit etiam, se illam multis aucturum gratiae muneribus. Et certe ab eo tempore, quo se vovit cum matre permansuram, mirabilis ei a Deo collata est eloquentia, ita ut

etiam apud principes et eruditos viros de scripturis divinis praeclare diceret. Atque ipse etiam Romanus Pontifex Urbanus VI cum aliquando coram ipso et Cardinalibus verba faceret, usqueadeo ejus miratus est sapientiam, ut ei familiariter diceret: Revera filia, tu bibisti de lacte matris tuae.

§ 8. Porro autem non diu post horrère nonnihil coepit insolitum vivendi modum, et memor libertatis pristinae, multum anxia rogavit matrem, ut liceret ipsi redire in Suediam. Sensit sancta mater ejus tentatione inimici id fieri, et ad Christum se convertit, preces ei fundens. Qui ei indicavit obiisse Eghardum, et eam admoneri voluit, ut a matre non discederet. Hoc ut illa percepit, submisit se quidem humiliter divinae voluntati: nec tamen cessabat tortuosus serpens ei ob animi oculos repraesentare natalis soli delicias: et licet eas ratione et voluntate respueret, tamen cum ei essent molestae et importunae satanae vexationes, a matre sibi petiit adhiberi remedium. Et illa quae jam ejusmodi tentationes victrix superasset, opportunum filiae, carnali adhuc affectione laboranti, remedium apposuit, molestum sane carni et sanguini, sed quod ipsa quoque Catharina summopere appeteret. Curavit enim eam aliquoties virgis caedi, donec omnis illa tentatio instar fumi evanuit. Non potuit superbus daemon tantam ferre humilitatem, sed tamquam ipse esset flagellatus, cum ignominia aufùgit.

§ 9. Per id tempus Romanus Pontifex Avinione (*a*) residebat. Praebuit ea res improbis multis occasionem praedas agendi Romae, et multa contra fas attentandi, adeo ut peregrini et tenuiores homines, illorum audaciâ et importunitate absterriti, non auderent ad promerendas condonationes, quas Indulgentias vocant, atque ad stationes accedere: maxime vero periculum impendebat foeminis aetate et formâ praestanti. Quae res in causa fuit, ut etiam S. Birgitta Catharinae filiae interdiceret, ne sine multis sociis sacra loca inviseret. Itaque matre cum suo confessario ad stationes et indulgentias abeunte, illa dies non paucos cum suis ancillis haesit domi. Adest rursus satan, et acerbas in ejus animum coepit cogitationes immittere, tamquam aliis suarum animarum lucra captantibus, ipsa instar bruti animantis, ab omnibus spiritalibus bonis arceretur. Addebat his, ejus cognatos, fratres et sorores in patria cum summa tranquillitate servire Deo, ipsam vero miseram ducere vitam: praestare igitur ne in lucem quidem editam fuisse, quam id genus inertem vitam vivere. Erat haec in animo sanctae virginis tentatio vehemens, adeoque eam moerore et perturbatione oppleverat, ut

(*a*) *Avenio* exigua at non inelegans et Archiepiscop. urbs in Galliae meridionalis plaga quae *Provincia* proprie a Romanis appellabatur (*Provenza*), S. Sedis dominium fuit ab anno MCCCXLVIII ad exitum prope XVIII saeculi Illuc Pontificalem supremam Cathedram primus transtulerat Clemens V. anno MCCCV, mansitque septuaginta circa per annos. Ut inde Pontifices Romam remearent, multum quidem adlaboraverat S. Birgitta; effectus vero potissimum secutus per sapientissimos S. Catharinae Senensis conatus.

Digitized by Google

matre illius revertente, et serio praecipiente, ut tanti moeroris causam ediceret, simpliciter responderet, se loqui non posse. Et certe jam plane instar mortuae facies ejus expalluerat, oculi transversi erant: intantum ei molestus erat daemon, id genus importunissimis ingerendis cogitationibus. Porro nocte proxima in somnis visa sibi est videre totum mundum quasi inflammatum, seque in medio ignis positam in parva quadam planitie, planeque desperantem ab illis se posse flammis èripi. Tum vero apparentem ipsi beatissimam Mariam Virginem his se verbis deprecantem: « Adjuva me, charissima Domina mea. » Illam vero respondentem: « Et qua te possum ratione juvare, quae tanto patrio tenèris desiderio, oblita sponsionis tuae, et neque Deo, neque mihi, neque matri tuae, neque patri spirituali obediens?» Se vero offerentem ad omnia exequenda, quae juberet Dei mater: atque tum demum Dei Genitricem dicentem: « Obedias igitur matri tuae et patri spirituali. » Expergefacta inde Catharina, matrem cum omni humilitate celeriter adiit, veniam suae inconstantiae petiit, promisitque se deinceps ad mortem usque libenter in exilio cum ipsa permansuram.

§ **10**. Volens igitur S. Birgitta ejus saluti certius consulere, ne fortassis materna indulgentia remissius ageret, Dominum Petrum confessarium suum, virum sanctissimum et multiplici Sancti Spiritus munere cumulatum, multis eo tandem precibus adigit, ut pateretur Catharinam filiam ipsius sibi obedientiam polliceri. Et fecit id tunc Catharina, adeoque praestitit, quod promiserat, ut nihil omnino absque illius permissu facere vellet. Munita igitur sanctae obedientiae virtute, quam non ignorabat nihil non posse promereri apud Deum, spiritalis exercitii militiam accuratius complectitur, et corpori suo subjugando frena castitatis arctius àdhibet, ne qua ratione in mortiferae voluptatis consensum prolabatur. Nam tametsi etiam in matrimonio virgo integra permansisset, non poterat tamen non timere aetati lubricae, et ne quid hostis versùtus fraudis ipsius juventuti moliretur. Posuit igitur Deum altissimum refugium suum, illum obnixe deprecans, ut vires suggereret contra insidias inimici. Cumque sabbato quodam sacram esset sumptura Eucharistiam, ipso sacerdote audiente, ita fere precabatur: « Redemptor piissime, qui hoc corpus de virgine intemerata accepisti, et in cruce atrocissime distendi voluisti, obsecro te indigna peccatrix, ne me sinas labi in peccata. Et quia militem egregium in hac vita mortali habui custodem pudoris mei, illo jam vitâ functo, alium mihi adsciscere volo sanctum Sebastianum militem cumprimis strenuum, et martyrem tuum sanctissimum, ejusque oro ut me curae committere digneris. » Haec et alia ut dixit, sacram accepit Eucharistiam: tantaque precum ejus fuit efficacia, ut deinceps a multis periculis non sine miraculo eam constet praeservatam.

Digitized by Google

§ 11. Vixit autem sub matris cura haud secus atque in monasterio, ejusque vitam et mores ob oculos statuebat, didicitque ab ea certis temporibus tenere se intra silentium, non ignorans, quot bona ex silentio, quam innumera mala ex loquacitate nascantur. Si interrogata fuisset, pauca et rationi consentanea respondebat: porro de iis, quae pertinent ad implendam Dei voluntatem et ad ejus exequenda praecepta, omnibus, praesertim inopibus et peregrinis, humiliter loquebatur, observans illud sapientis cujusdam: *Omnis enarratio tua sit in praeceptis Altissimi* (*Eccli.* XIX). Romae degens, pauperes et peregrinos humaniter fovebat, permultos e patria eo adventantes, tum eleemosynis, tum suavi et familiari sermone recreabat, hortans eos ad patientiam et Christi Jesu amorem: crebro id inculcans, ut assidue memores essent acerbissimae passionis ejus, et a Dei praeceptis nequaquam deflecterent. In iis ùnus erat pauper et peregrinus, quem crebro ad se accire solebat, praeelegens ei aliquid ex sacris evangeliis, sive de vitis Sanctorum, divina quoque praecepta ei exponens, et ad vitanda septem illa mortifera peccata summopere illum invitans. Is postea cum ea reversus in patriam, in monasterio Watstena frater Conversus, ut vocant, factus, bonam Christo militiam militavit, multaque laude digna de ejus sanctitate fratribus referre consuevit.

§ 12. Cum adhuc Romae ageret, vivente matre, etiam in aetate juvenili, puta annos habens non amplius viginti, morum fuit gravitate spectabilis, et sensus canos prae se ferens. Accedebat eo corporis elegantia quae omnium oculis eam amabilem reddebat, adeo ut non pauci magnates illam optarent habere conjugem, votumque suum, tum per seipsos, tum per alios ei aperirent, multa èaque amplissima offerrent munera. At illa constanter omnibus respondit, se Christo perpetuam vovisse continentiam, nec velle mortalis viri subire torum. Dolebant illi nihil se potuisse blandis efficere pollicitationibus: itaque ad minas et vim inferendam convertuntur: ponunt insidias in viis publicis, ut eam rapiant vel invitam. Accidit tum temporis, ut, matre ejus aliis occupata, cum multis nobilibus Romanae urbis matronis ad S. Sebastianum extra muros, ob condonationes sive indulgentias promerendas se conferret. Et ecce Comes quidam cum magna hominum caterva sese in sylvas abdit, et ut certo cognovit Catharinam illac transituram, jubet suos esse paratos ad rapiendam illam. Et illi quidem e suis pròruunt latibulis: sed subito offert se illis cervus, cui capiendo dum acriter intendunt, Catharina cum caeteris matronis celeriter redit ad urbem, èruta instar avis ex insidiis aucupis. Viderat ejus et periculum et evasionem sancta mater ejus in spiritu, revertentique tantam felicitatem gratulabatur. Ex illo tempore non ibat palam ad stationes, sed contenta visitasse vicinum templum domui suae, raro in plateis

Digitized by Google

videri voluit. Non tamen etiam extra urbis muros religionis ergo proficisci dubitavit, quoties mater ejus, divinis edocta revelationibus, id voluisset. Ita quandoque instante solemnitate S. Laurentii, mater ejus dixit illi: « Cras, Deo bene volente, simul ibimus ad S. Laurentium. » Cumque illa responderet, vereri, se, ne ab illo Comite vi adhibitâ raperetur, mater dixit: « Confido in Domino Jesu, nos ejus misericordiâ ab omni periculo immunes fore. » Ipsis ergo D. Laurentii feriis cum se S. Crucis signo muniissent, et sanctissimo martyri commendassent, abeunt ad ejus ecclesiam. Porro Comes latitabat illic quidem cum suis satellitibus, sed divinitus caecitate percussus, tandem ad S. Laurentii aedem perductus, prostravit se coram illis, veniamque obnixe petens, promisit se nihil ejusmodi deinceps attentaturum: immo eas pro viribus defensurum, et modis omnibus eis gratificaturum. Tum vero illis Dominum pro eo deprecantibus, ilico visum recepit: atque deinceps multa eas reverentiâ multisque beneficiis prosecutus est: ipsumque miraculum coram Urbano Romano Pontifice et hujus Cardinalibus enarravit.

§ **13**. Multis sane modis antiquus serpens per sua organa ejus Deo consecratam saepe oppugnavit castitatem. Jussa quodam tempore divinitus fuit mater ejus invisere Assisium et ecclesiam quae de Portiuncula dicitur: unâ etiam proficisci Dominus voluit filiam Catharinam, promittens quod a cunctis infesti daemonis machinamentis ipsas eriperet, et in itinere ab omni periculo servaret immunes. Abeunt igitur Assisium, nec desunt comites. In ipso autem itinere cum die quodam non possent hospitium honestum, nocte impendente, attingere, ad quamdam pervenerunt pauperem caupònulam, et aegre a caupòne admissae, inter angustas ejus tugurii làtebras, ut ab imbribus et nive corpora utcumque tuerentur, sese condiderunt. Ecce autem nocte media multi eo latrones accurrunt, accendunt ignem, vultus omnium inspiciunt, et capti pulchritudine Catharinae, obscoenos jactant sermones, eique vim afferre constituunt. Quibus tum illa pudica mens correpta fuerit angoribus, quis explicet? Jam omne aberat humanum praesidium: unum solum supererat, ut precibus Domini misericordiam implorarent. Quod cum facerent sane devote, auditur mox tanquam sonitus adventantis magni cujusdam exercitus, itemque armorum strepitus: tum quoque voces clamantium, ut capiantur illi perditi latrones. Quibus illi mirabiliter consternati, aufugiunt, nec ausi fuere ea nocte reverti. Mane vero S. Birgitta cum filia et reliquis comitibus susceptum prosequitur iter. Ibi rursus adsunt, scelerati homines, ut quod nocte efficere nequiverant, clara luce designarent, suamque explerent libidinem. Et illi quidem viam ab utraque parte obsederant, sed percussi caecitate, videre non potuerunt cum bona in Deum fiducia illac secure transeuntes. Ita ergo, divina fretae

Digitized by Google

protectione, Assisium pervenerunt, ubi divinis cum essent recreatae consolationibus, Romam reversae sunt.

§ **14**. Cernens autem Catharina tam evidentia erga se divinae bonitatis indicia, ut praepotenti Deo posset magis magisque placere, virtutum caeterarum fundamentum, puta sanctam humilitatem, usqueadeo sectata est, ut non modo sibi ipsi vilesceret, sed vellet etiam ab aliis vilis haberi, et duci pro nihilo. Et quamvis ejus praeclara extarent vitae merita, nequaquam tamen ab aliis sibi sanctitatem voluit attribui, sed potius non alio quam peccatricis loco haberi. Ab illa vero interna animi summissione proficiscebatur exterior illa sui abjectio, atque humiliatio in verbis et corporis habitu, cunctisque actionibus. Nec ferre aequo poterat animo, ut ab quoquam laudaretur, laudem omnem suorum recte factorum illi transcribi volens, quem sciebat bona omnia in nobis efficere et operari. Charitate quoque in Deum fuit eximia: et ut omittamus eam ab infantia preces Horarias divae Virginis, septem psalmos, quos poenitentiales vocant, multaque alia quotidie legisse, prius quam se ad dormiendum componeret, diebus singulis horas quatuor continenter impendebat flectendis genibus et tundendo pectori, multisque fundendis lacrymis in Dominicae Passionis commemoratione, veluti totam se Domino in holocaustum offerens. Deinde et nocturnis et diurnis fessa laboribus, somno membra fatigata permisit, sed non valde diuturno. Nam semper admodum mane surgens, redibat ad preces, in silentio quotidianum Deo sacrificium impendens, nec ante meridiem, nisi urgèret necessitas, a sanctis occupationibus desistens.

§ **15**. Oravit quodam tempore Romae ante aram S. Joannis Evangelistae in aede majori D. Petri, apparuitque illi foemina peregrina, alba induta veste, praecincta balteo, album ferens in capite velàmen, et pallio atro operta. Accessit autem celeriter ad illam, salutansque eam nominatim, supplex rogavit, ut oraret pro anima Noricae. Sciscitante autem Catharina cujas esset, respondit se Suedam esse, uxoremque fratris ejus Caroli obiisse. Tum illa rogavit, ut veniret ad aedes matris suae. Illa vero ait id sibi non licere: porro brevi ipsas habituras non parum subsidii e patria, nam Noricam legasse eis auream capitis sui coronam, iterumque repetebat, ut fideliter precarentur pro anima illius sicque disparuit. Admirans autem Catharina, rogabat ancillas, quonam abiisset matrona illa. Responderunt illae, se quidem audivisse vocem cum ipsa loquentis, sed neminem vidisse. Stupens igitur indicavit matri suae, cui oranti revèlatum fuit migrasse e corpore Gidham uxorem Caroli, ejusque animam petendae opis causâ, filiae apparuisse. Non multo post venit e Suedia Ingevaldus Amundsson, familiaris Catharinae: qui ei et obitum indicavit Gidhae, et coronam attulit auream, quam pro more patriae

Digitized by Google

in capite ferre solebat, erat enim ex nobiliori Noricorum stemmate orta. Fuit autem tanti pretii corona illa, ut ad totius anni victum S. Birgittae et filiae Catharinae, totique earum familiae suffecerit. Solebat vero Catharina Domino preces oblatura, locum secretum expetere, ut posset liberius Domino cor suum effundere.

§ **16**. Fuit sane tanta erga proximos benevolentiâ et commiseratione, ut posset ipsa quoque sibi usurpare illud sancti Job: *Ab infantia mea crevit mecum miseratio* (*Job* XXXI), nempe erga inopes et morbis affectos. Solebat enim sanctissima mater ejus adhuc tenellam secum ad domos hospitales et nosocomia ducere, et illic ipsâ inspectante, miserorum plagas, vulnera et ulcera sine horrore suis manibus devote contrectare, multa quoque eis conferre beneficia, et optimis sermonibus illos consolari: ut filia ejus exemplo disceret per omnem aetatem eis similia impendere humanitatis officia. Erant quidem nonnulli qui reprehenderent piam matrem, quod teneras filiolas suas ad id genus loca perduceret, vèriti ne quid eis adversi accideret ex foetore: at illa respondit ea causâ se id facere, ut discerent filiae servire Christo in morbidis et egènis. Et certe filiae ejus Catharinae materna tum dicta, tum exempla adeo pectus penetraverant, ut erga pauperes et afflictos summa afficeretur misericordiâ, eosque tum sermonibus, tum beneficiis liberaliter confoveret. Solebat vero etiam clam noctibus matri in duro pavimento cubanti tegmen capitis sui supponere, dolens venerabilem dominam tam duriter se habere. Et quia animi devotionem vel maxime impediunt mundi et carnis desideria, ea tanquam virus mortiferum summopere conata est profligare, et ut posset pro modulo suo Christo se conformare, qui cum dives esset, propter nos egènus factus est, et humiliavit semetipsum: paupertatem et abjectiorem vivendi rationem ultro complexa est: mundique calcatis divitiis, voluptatibus et pompis, immo ipsâ quoque propriae voluntatis abdicatâ libertate, alteri se per obedientiam subjecit, et exilium, posthabitis amicorum solatiis, ipsâ patriâ charius habuit, ut posset dilectissimo Domino suo et rebus coelestibus animi intentionem liberius affigere. Hanc vero ejus voluntariam sui abjectionem munificus ille castarum mentium sponsus Christus Jesus etiam in hac vita in gloriam commutavit. Nam cum aliquando quaedam nobiliores Romanae matronae peterent a matre ejus, ut permitteret ei cum ipsis animi causâ extra muros egredi, idque ob illarum insignem probitatem mater annueret, ubi ad vinearum macerias ventum fuit, viderentque matronae botros ultra macerias propendere, rogabant S. Catharinam, ut illos botros ipsis decerperet. Erat enim pròcera corporis staturâ, praeter alias egregias utriusque hominis dotes quae eam cunctis reddebant amabilem. Illa vero studio paupertatis jam manicas habebat attritas et consutas, neque

Digitized by Google

verebatur apud tantas matronas vilis et inops videri. Itaque extendit brachia ut uvas carperet: et ecce matronae illae videre sibi visae sunt brachia ejus purpurâ magni pretii operta. Accedunt igitur prae multa admiratione, tanguntque singulae, cernuntque manicas insigni purpurâ rutilantes, ajuntque ad eam: «Quis unquam crederet, domina Catharina, tanti pretii vestibus uti te voluisse?» Ignorabant enim Christum cohonestasse sponsam suam. Testabatur haec familia qui his interfuerat, itemque sanctae memoriae magister Petrus, ejus confessarius.

§ 17. Decubuit quandoque sancta virgo, matre adhuc Romae degente. Erat tum gravi correpta morbo, petiitque ab ejus matre eam invisendi copiam quidam nobilis baro, Ludovicus nomine. Erubuit vero familia quod vir tantus ad eam in vili lectulo jacentem esset accessurus. Erat is lectulus stramineus: ad caput cervìcal exiguum: porro operimentum vetustum consutum, ac nullius pene pretii. Sed Dominus Jesus qui sua inopiâ servorum suorum voluntariam paupertatem maxime illustrem reddidit, non defuit sponsae suae. Cum enim potens ille et opulentus vir multis stipatus ad eam accessisset, videbatur ei lectulus illius aureo et purpureo tectus operimento. Stupens igitur dixit famulis suis: « Hae dominae pauperes ab omnibus putantur, nam saepe ob res necessarias emendas pecuniam mutuo accipiunt. » Praestaret, illas tanti pretii purpuram, tantumque apparatum, quem illic vidimus, distrahere, quam premi inopiâ. Inter alias virtutes, quarum celebri opinione apud omnes mirifice redolebat, erga domesticos et qui eam injuriâ afficerent, sancta virgo egregiam semper animi patientiam declarabat. Accurate enim secum perpendit, si quid a nobis bene gestum sit, id facile redigi in nihilum, si sit animus patientiâ destitutus. Ut igitur solent odores tum latius spargi cum commoventur: ita haec sancta virgo, injuriis et persecutionibus infestata, praecipuam exhibebat patientiam: haud aliter quam qui eam affecissent beneficio, diligens eos a quibus offensa fuisset. Utrum autem vera quis sit humilitate praeditus, tum potest intelligi, si placide ferat injuriam. Praeclarum sane hujus venerabilis virginis patientiae testimonium reddidit religiosa Deoque sacrata virgo Margarita Caroli fratris ejus filia: quae cum quinquennio ei inserviisset, affirmabat se nullam unquam impatientiae vocem, immo ne signum quidem commoti animi in eos qui eam laesissent, animadvertere potuisse.

§ 18. Annis viginti et quinque cum sanctissima matre sua Romae, et quocumque illa profecta fuisset, permansit: sacra cum illa loca invisens etiam procul in diversis et longinquis regionibus, Dominicumque adiens sepulcrum in Jerusalem. Fervens Christi amor tantos labores facile superavit. Cum essent Jerosolymae, sancta mater ejus febre correpta est quae etiam illi inhaesit, donec Romam reverteretur: ubi Christus obitus ejus diem et

Digitized by Google

plèraque alia ei revelavit. Et illa quidem sanctissima matrona Romae defuncta est et humata: sed post quinque septimanas inde recèdens filia ejus, secum ejus sacras reliquias absportavit in Suediam. Interim multae ad eam accedebant matronae tum nobiles, tum etiam e plebe, sacras illas reliquias devote exosculantes: quas virgo sancta hortabatur, ut posthabitis mundi labentis illecebris ac pompis, coelestibus bonis ardenter inhiarent. Et multi sane utriusque sexus nobiles, ejus sermonibus permoti, ad meliorem sese frugem recepere. Venit tandem cum sacro pignore Dantiscum in Prussiam, ubi sane severiter reprehendit peccata Crucigerorum, proposuitque eis minas terribiles, divinitus matri ejus revelatas. Poterat tum dicere cum propheta: Loquebar in testimoniis tuis in conspectu principum, et non confundebar. Stupebant vero illi cum divina sapientia conjunctam virginis eloquentiam, nec potuit quisquam contradicere vera loquenti. Inde navigant Suediam versus, et stellâ duce, quae Soli sfertur superasse splendorem, meridie perveniunt ad quemdam Suediae portum, de quo ne cogitarant quidem. Inde solventes, appellunt ad Ostrogotthiae portum Sudhercopensem. Ubi eorum adventus innotuit, quem jam multi avide expectaverant, innumera eis occurrit multitudo nobilium, plebejorum, clericorum et monachorum qui illos et sacras reliquias S. Birgittae, multorumque aliorum sanctorum, quas matri et filiae donaverant Cardinales, regina Neapolitana, barones et nobiles matronae Romanae, compluresque monasticae vitae professores, cum praecipua devotione et gaudio usque ad monasterium Watstenam deduxere. Venerat cum S. Catharina Petrus de Alvastro ordinis Cisterciensi Prior admodum venerabilis. Is a Sudhercopia Watstenam usque in urbibus et pagis crebro sermonem habuit ad populum confluentem, exponens eis quam mira Deus per illam fecisset, quantisque miraculis illustrasset matrem ejus sanctissimam Birgittam diversis in regionibus.

§ **19**. Cum Lincopiam venisset S. Catharina cum sacris reliquiis, Nicolaus sanctae memoriae ejus urbis Episcopus obviam processit, idque ritu solemni, cum clero et monachis, populo subsequente. Pulsabantur campanae, resonabant organa, laudes canebantur Deo qui est mirabilis in sanctis suis et glorificat honorificantes se. Ubi ad majorem aedem ventum est, concione absoluta, Episcopum et canonicos seorsim convocat Catharina, sua negotia explicat, et ipsum antistitem cum multa reverentia de quibusdam jejuniis immoderatis admonuit. Multo enim tempore illi se incluserat, soli Deo vacans in jejuniis, vigiliis et precibus, posthabita curâ pastorali: non quod laborem detrectaret, sed quod mala usqueadeo excrevissent in regno Suediae, ut citra cleri et ecclesiarum dispendia non posset se murum opponere pro domo Domini. Zelus domus Dei comederat eum, et opprobria exprobrantium privilegiis ecclesiae ceciderant super cor ejus. Sed audito sapienti sanctae

virginis consilio, decrevit aequo ferre animo afflictiones: multumque deinceps veneratus est eam. Tandem quartâ feriâ intra octavas Petri et Pauli ad Watstenense monasterium S. Catharina pervenit, et cum ingenti gaudio excepta est. Habita deinde collatione cum fratribus, ad sorores sive sanctimoniales ingressa est, cum illis intus permansura. Ab eo autem tempore coepit illis praeesse, et regulam Salvatoris, quam apud matrem tot annis didicerat, ipsis suo exemplo declarare: multumque abhorrebat ab illis omnibus quae essent a sancta illarum professione aliena. Inprimis autem detestabatur obtrectationes quae alienae famae morsus venenatos infigunt. Videbant in ea omnes tum fratres tum sorores exempla totius honestatis et sanctimoniae: fervorem in divinis officiis, in rebus duris et adversis patientiam. Post preces horarias solebat cum una e sororibus psalterium relegere. Evocabat autem modo singulas, modo universas sorores, et ad regulae observantiam humanissime eas incitabat.

§ 20. Posteaquam reliquiae beatissimae Birgittae in Watstenensi coenobio repositae fuere, multis coeperunt coruscare miraculis, permultique ex diversis regionibus eo confluxere, laudantes Dominum in operibus admirandis quae per ejus merita fiebant. Permovit ea res regem et regni pròceres, miseruntque Catharinam, ut Romae ageret cum Pontifice de S. Birgittae in divos relatione. Fecit illa, ut jussa fuit, et Romam veniens, omnium in Romana curia animos negotio huic promovendo addictos comperit. Veniebant tum ad eam multi Romani nobiles, ejus preces expetentes, memores pristinae ejus conversationis. Erat id temporis extra urbem vidua quaedam nobilis, soror Latini baronis Romani. Ea vivebat parum honeste: admònitaque crebro a fratre suo Latino et viris religiosis, ut caste viveret, non solum nihil mutata fuit, sed multo etiam magis voluptatibus dedit operam. Aegre tandem ab ea Latinus impetravit, ut Romae cum ipso moraretur. Et eo quidem venit cum multo fastu, sed in tantam incidit aegritudinem, ut ejus salus a medicis desperaretur. Tum frater ejus per seipsum et alios pios homines multum admonebat illam, ut peccata sua pure confiteretur. Illa animo obdurato semper respondebat, se satis esse confessam. Rogavit igitur Latinus S. Catharinam, ut vellet miseram adire, et invitare ad veram confessionem, plurimum enim de ejus sanctitate sibi pollicebatur. Illa ut erat ad consolandos aegros semper propensa, nihil detrectavit: venit ad languidam: hortabatur ut integre confiteretur, sed nihil obtinuit. Cernens ergo ejus obstinatum animum, orat circumstantes, ut Deo preces offerant pro salute miserae: moxque in genua procumbit, Deum rogatura. Et ecce repente e Tiberi perspicue cernebatur emergere fumus quidam aterrimus, figurâ orbiculari, ingenti mole instar plaustri foeno onusti. Is sursum elatus in aëra, ferebatur pendulus supra aedes, ubi illa

Digitized by Google

decumbebat: tantaeque illic extitere tenebrae, ut alii ab aliis videri non possent. Magno autem impetu e coelo ruens illa fuligine nigrior moles, solo tenus oppressit domum proximam cubiculo, in quo misera jacebat. Ad cujus terribilem horridissimumque fragorem aegra ingenti timore correpta, Catharinam ad se vocat, promittitque cum lacrymis se facturam, quicquid illi visum esset. Mox accersitur confessarius, ipsâ id summopere quae prius tota abhorruerat, expetente: factàque diligenter confessione, altero mane sacramentis munita, spiritum efflavit. Quotquot vero illic aderant, fatebantur eam gratiam illi precibus S. Catharinae obtigisse.

§ **21**. Romae matrona quaedam nobilis septem abortus ediderat. Cernens vero se marito eâ causâ minus gratam, cum jam iterum gravida esset, supplex adiit S. Catharinam, de cujus sanctitate nihil haesitabat, eique suam exposuit calamitatem. At illa quasdam ei sanctissimae matris suae reliquias dedit, admonens, ut usque ad partum illas apud se deferret, promittens etiam se parturienti adfuturam. Ubi pariendi coepit adesse tempus, matrona ad se illam advocat. Illa celeriter accurrit, adest laboranti nec cessat a precibus, donec vivam est enixa puellam, quam etiam Birgittam voluit nominari. Totâ vero urbe ejus rei fama dispersa est, et omnes non vulgaris miraculi loco habuere. Accidit etiam quandoque, ut, Catharina Romae manente, Tiberis tanta existeret inundatio, ut Romani Urbis excidium vererentur. Jam enim pontem Lateranensem et S. Jacobi monasterium, multaque adjacentia aedificia unda excesserat. Itaque habito consilio, advolant ad S. Catharinam, orant ut ne gravetur cum ipsis descendere ad insanientem fluvium, suas preces illi oppositura. Illa cum lacrymis negat, se indignam arbitrata. At Romani eam vel invitam tollunt, et e domo exportatam, saevientibus undis obiiciunt. Mox ut illa aquas pedibus attigit, eae retrorsum abiere, suum alveum repetentes. Stupent omnes, laudantque immensam Creatoris potentiam, qui etiam in undis mirabilia efficit per sanctos suos.

§ **22**. Cum autem sancta virgo profecta esset Neapolim, illicque haereret ob colligenda et conscribenda miracula, quae per B. Birgittam tam in vita, quam post obitum ejus Dominus ibi operatus est, famâ sanctitatis ejus permotâ, quaedam magna domina venit ad eam, et cum lacrymis explicavit ei, quemadmodum filia ejus, viro orbata, gravissime infestaretur a daemone nocturno, quod quidem ob communem verecundiam non esset ausa aperire propinquis, sed ex opinione sanctitatis ejus sumpta fiduciâ, ipsi indicare non dubitasset. His auditis, valde illarum vicem dolebat Catharina, et tacite secum legens semel salutationem angelicam, ut semper erat solita, cum de rebus spiritalibus consuleretur, saluberrimum eis consilium impertiit. Primo, ut pure

Digitized by Google

sua peccata confiterentur. Ajebat enim, ob peccata in confessione celata, plerumque id genus illusiones accidere. Deinde, ut nudis pedibus et absque lineis indusiis cum omni humilitate continuis octo diebus irent ad templum S. Crucis, et ob reverentiam passionis Christi, coram imagine ipsius a cruce pendentis legerent septies Dominicam orationem et angelicam salutationem. Addebat vero, se quoque, licet indignam, ex commiseratione libenter pro ipsis Dominum rogaturam. Fecerunt illae dominae, ut jussae erant, et ecce die octavo veniunt ad Catharinam, ingentes Domino gratias agentes, quod jam liberatae essent ab illo impuro daemone, Catharinae consiliis obtemperando. His et id genus aliis magna sanctitatis existimatio conciliata est S. Catharinae non modo Romae et Neapoli, sed etiam in multis aliis Italiae et Germaniae regionibus: compluresque afflicti ad eam confugiebant, ut ejus precibus a Domino consolationem obtinerent: nec sunt spe frustrati sua.

§ **23**. Expeditis Neapoli, quae illic exequenda susceperat, Catharina Romam rediit, et urgebat quidem matris suae in divos relationem: sed Pontifice Gregorio XI moriente, non potuit ita facile rem ad effectum perducere. Itaque totum illud negotium ad Urbanum VI Romanum Pontificem devolutum est. Noverat is Pontifex Birgittam, et cupiebat, ejus sanctitatis conscius, eam Sanctorum catalogo ascribere, sed schisma tum recens ortum, mùltaque alia ejus conatus retardabant. Jam quinquennium Catharina Romae egerat hujus rei causâ, non sine magnis impendiis: sed cum videret ob schisma impendens spem nullam meliorem ostendi, quaecumque ad impetrandam sanctae matris suae canonizationem, ut vocant, facere videbantur, puta vitam et miracula ejus, cum fide dignis testimoniis conscripta, Romae reliquit, divinae providentiae rem totam committens: impetratàque a Summo Pontifice Regulâ Salvatoris et privilegiis quibusdam monasterii Watstenensis, constituit redire ad suos. Erat tum Romae Cardinalis Eleazarus, qui a juventute sua multum dilexerat S. Birgittam, tam viventem, quam vita functam, quippe qui in vita recte instituenda ejus semper consiliis se accommodaverat. Is Catharinae quaecumque potuit in ejus promovendis negotiis beneficia et auxilia humanissime praestitit, illius vitae sanctitate permòtus. Romanus quoque Pontifex Urbanus VI cum caeteris dominis Cardinalibus, singulari quadam benevolentiâ eam pròsequens, literas Apostolicas ei contulit ad loca omnia, ad quae esset accessura: adjuncto etiam ei magnae auctoritatis viro, qui per Italiam ad Alpes usque tuto eam deduceret. Eae literae effecerunt, ut ab Italiae et etiam Germaniae principibus et civitatum magistratibus admodum honorifice exciperetur. Ubi in Prussiam tandem perventum est, labore et morbo valde exhausta curru vehebatur. Quidam vero ex ejus familia somno correptus, e curru

decidit inter equorum pedes: porro succedentes mox rotae adeo ejus costas attriverunt, ut vix anhelitum ducere videretur. In currum autem sublevatus, animum Catharinae multo dolore affecit. Itaque suo more dicebat angelicam salutationem, et leviter hominis quassatum latus contrectabat. Mox adeo ille restitutus est, ut qui prae doloris acerbitate spirare vix poterat, eodem die laetus discurreret, Christum laudans et S. Catharinam, cujus meritis esset salutem tam celeriter adeptus.

§ **24**. Porro ab eo tempore, quo ab Urbe discessit, corpore coepit debilitari: et licet morbus quotidiana caperet incrementa, at nihil ei de animi pietate et devotione discessit: nec medicorum voluit uti operâ, quippe quae toto pectore cuperet dissolvi et esse cum Christo. Deinde in monasterium Watstęnense reversa, ab octavis Apostolorum Petri et Pauli, usque ad Dominicae Annuntiationis solemnitatem, variis continenter exercebatur corporis molestiis. Sed quanto erat corpore infirmior, tanto magis animi virtus et robur augescebat. Accidit tum, ut quidam ex familia monasterii ab alto aedificio praeceps in ligna et lapides decideret, fractisque dexteri lateris ossibus, vix spiritum trahere videretur. Id ubi illa rescivit, ad monasterii ostium descendit, oratione praemissa laesa membra tetigit, doloremque omnem ita repente dèpulit, ut aeger, membris consolidatis, statim ad laborem reversus sit, magnificans Deum, qui talem potestatem dedit hominibus.

§ **25**. In dies autem morbo invalescente, beata Catharina crebro se sacramentorum usu munivit. Ab eo autem tempore, quo cum matre peregrinationes susceperat, quotidie solita fuit peccata sua corde contrito confiteri: interdum bis terve id faciebat. Sciebat enim, Confessionem esse salutem animarum, vitiorum expultricem, virtutum instauratricem, oppugnatricem daemonum, et quae tum os tartari obstruat, tum paradisi portas rèseret. Eucharistiam vero in hac extrema aegritudine ob stomachi passiones sumere non audebat: sed quibus poterat devotionis signis sacrosanctum Christi corpus venerans, levatis in coelum oculis, et quia linguâ non poterat, spiritu Dominum deprecans, astantibus sororibus, feliciter obdormivit. Viderunt tum homines quidam religiosi supra domum, in qua corpus ejus exanime jacebat, per dies et noctes stellam consistere, donec esset tràdita sepulturae. Corpore autem ad monumentum allato, stella pariter suo visa est loco moveri tanquam obsequium funeri praestitura. Inter Missarum autem solemnia, corpore in templo reposito stella mansit pendula supra feretrum: denique corpore humato, stella evanuit. Nec deerant, qui sancte jurarent vidisse se luminaria mire radiantia in aëre, quae ipsum feretrum antecederent, dum ad ecclesiam deportaretur. Ad ejus obitum in Watstena plurimi convenere Praelati, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates ex

Digitized by Google

regnis Suediae, Daniae, Norvegiae et Gotthiae. Aderat etiam Ericus filius regis Suediae cum multis principibus, magnatibus et baronibus: ut omittamus inferiorum ordinum clericos et laicos, quorum fuit ingens copia. Sacrum sanctae virginis corpus exportabat Ericus jam dictus cum regni principibus et proceribus: sed turbis ad contigendum illud certatim irruentibus, aegre potuit ad sepulcrum deferri. Sepulturae officium non sine lacrymis explevit sanctae memoriae Nicolaus Lincopensis antistes, astantibus illi Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus et multa cleri frequentiâ. Inter hos erat Tordo episcopus Strengenensis, magna tum eruditione, tum auctoritate praeditus. Is pro singulari erga illam etiamnum in corpore degentem familiaritate et devotione, manum ejus comprehendit, ejus se precibus commendans. Et ecce sensit ille sibi manum suam fortiter comprimi manu S. Catharinae, ut solet fieri inter illos, qui mutuo sibi fidem dant. Et quidem non parum apud Romanum pontificem ejusque Cardinales, et eos quos curiae officiales vocant, jam olim laboraverat Catharina pro obtinenda illi suae electionis confirmatione, cum ea causâ is Romam venisset. Obiit multa veneratione dignissima Catharina in monasterio Watstenensi anno Christi 1381 XI Calendas Aprilis, pridie Annuntiationis Dominicae. Ad ejus tumulum et sanctam memoriam multa pie petentibus praestantur beneficia, largiente illo, qui in sanctis suis et laudabilis et mirabilis est: cui est honor et gloria etc.

DE SS. TIMOLAO, DIONYSIO ALIISQUE SEX MART.

EX HIST. ECCLESIAST. EUSEBII LIB. 8, CAP. 13,
INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO

Anno 305.

§ 1. Dum gentiles publica inter se festa celebrabant et consueta agebant spectacula, inter alia quae magnopere ipsis in optatis erant ad contemplandum, crebro hominum sermone ferebatur, Christianos qui dudum erant ad bestias damnati, certamen confecturos. Cum vero hujus rei fama latius manaret et apud omnes passim vagaretur, adolescentes numero sex, quorum unus genere Ponticus, nomine Timolaus: alter ex Tripoli urbe Phoeniciae qui Dionysius nuncupatus fuit: tertius ecclesiae Diospolis subdiaconus qui Romulus dictus est: quartus Pausis et quintus Alexander, uterque Aegyptius: sextus hujus gentilis Alexander ex urbe Gaza, proprias manus quo ardentem martyrii cupiditatem

Digitized by Google

significarent, ante colligantes, ad Urbanum qui jam bestias ad Christianos dilaniandos emissurus esset, curriculo currunt, seque Christianos libere confitentur: atque ipsa sua propensione tanquam ad aciem instructa et ad quodque discrimen admodum parata liquido declararunt, eos qui in vero Dei omnium rerum fabricatoris cultu gloriantur, violentas immanium ferarum incursiones nequaquam formidaturos. Unde profecto tum ipsum Praesidem, tum illos qui cum eo erant, in repentinam admirationem traducentes, extemplo in carcerem contruduntur.

§ 2. Non multis diebus post, alii duo fuere in eorum numerum adscripti: unus qui acerba et varia tormenta propter fidei suae confessionem, variis temporibus ostentatam, antea exhausisset, Agapius nomine: alter qui res, ad corporis usum necessarias, illis martyribus subministrasset, Dionysius appellatus. Omnes isti, octo numero, uno die, nempe vigesimoquarto mensis Dystri, hoc est, ad nonum Calendas Aprilis, in ipsa Caesarea securi percussi obeunt. Per idem tempus duo ex Imperatoribus, quorum alter primum ac summum Imperii gradum, alter secundum post illum obtinebat, ad privatam quamdam vitae rationem se transtulerunt, atque res publica languescere et aegra esse coepit. Paulo post Imperio Romano contra se dissentiente, bellum grave et acerbum inter ipsos Imperatores mutuo excitatur: neque seditio ac tumultus in ea commotus prius sedatus fuit, quam pax adversum nos in universis orbis partibus quae Romano paruère Imperio, firma constitueretur. Nam simul ac illa omnibus instar lucis cujusdam ex tenebricosa et obscura nocte exorta fuit, communis Imperii Romani status iterum ad stabilitatem, amicitiam et pacem restituitur, mutuamque concordiam quam a majoribus acceperat, recuperavit.

DE S. AGAPETO EPISC.

AUCTORE SUIDA

Agapetus Synadorum Episcopus fuit quem quidem Eusebius Pamphili magnopere commendat, eximiaque per ipsum edita miracula commemorat, montes videlicet fluviosque e propriis sedibus in alias translatos, necnon mortuos ad vitam revocatos. Ad haec quod Maximinus eum, dum rei militari operam daret, ut Christianum voluit de medio tollere, quippe quod multos ejus praeclara facinora demirari intelligeret.

Digitized by Google

MARTYRIUM
SIMONIS INNOCENT. PUERI TRIDENTINI,
A JUDAEIS CRUDELITER NECATI,
AUCTORE JOANNE MATTHIA TIBERINO
Anno 1475.

§ 1. Joannes Matthias Tiberinus, liberalium artium et Medicinae Doctor, magnificis Rectoribus, Senatui populoque Brixiano salutem. Rem maximam, qualem a passione Domini ad haec usque tempora, nulla unquam aetas audivit, ad vos scribo magnifici Rectores, civesque praeclarissimi: quam nuper his diebus elapsis Dominus noster Jesus Christus, humano benigne misertus generi, tanto tamque horribili scelere stomachatus, tandem produxit in lucem: ut catholica fides nostra, si qua in parte debilis est, fiat tanquam turris fortitudinis, et antiqua Judaeorum rabies toto ex orbe Christiano deleatur, et de terra viventium, eorum penitus memoria pereat. Audite qui regitis populos, inauditum scelus, et pastorum more fidelium vestris populis invigilate. Expergiscantur habitantes terram, et videant quales in sinu proprio viperas nutriant. Crudeles Judaei non solum Christianorum res rabiosa usurarum fame consùmunt, sed in capita nostra perniciemque conjurati, filiorum nostrorum vivo sanguine pascuntur, quos atroci in synagogis suis affligunt supplicio, et instar Christi crudeli funere jugulant.

§ 2. Nuper in civitate Tridentina *, quae versus Aquilonem Italiam a Germania, Lavisio flumine interlabente, disterminat: ea in regione quae ab Athesis ponte recedens, versus castellum a laeva protenditur, tres Judaeorum familiae consedebant, quorum capita fuere Tobias, Angelus et Samuel: apud quem senex quidam barbatus, Moyses nomine, quem venturi Messiae tempus et horam prophetico spiritu scire decantabant. Hi ea in hebdomade, quam nos Christiani sanctam appellamus, die Martis, duodecimo Calendas Aprilis, anno incarnati Verbi septuagesimoquinto supra millenum quatercentenum, convenerunt in domum Samuelis, ubi Synagoga et eorum templum, spectandi gratiâ viventem vitulum qui ad eos ea luce de Levigi pago delatus erat. Et dum inter se plurima vario sermone conferrent, Angelus hanc rabido fudit de pectore vocem: «In ista Parasceve et carnes et pisces abunde nobis sunt: unum tantum nobis deest.» Respondit Samuel: «Et quid tibi deficit?» Tunc conjectis oculis ad invicem

* Ital. *Trento*, percelebris. in Lutherum praesertim, Concilii sedes, ab anno MDXLV, Paulo III Pont. Max. ad MDLXIII, Eccl. regente Pio Pp. IV.

Digitized by Google

taciti omnes intellexerunt, quod de immolando Christiano infante loqueretur, quem in contemptum Domini nostri Jesu Christi mactant atrociter, et exhausto sanguine vescentes in azymis suis, a foetore, quo graviter olent, Christiano se cruore praeservant: huncque suum appellant Joël, id est, Jubileum. Sed annuebant cautius èloqui oportere propter servos qui ob instantem parasceven, diversis impediti ministeriis, nunc huc, nunc illuc discurrebant. Postero autem die, cum omnes in Synagoga convenissent, consultabant quonam in loco possent illum aptius occidere. Tobias et Angelus in domibus suis earum ob angustiam fieri recusabant, propterea quod exiguo in loco difficile esset a pueris tam vastum facinus abscondere: sed propter rerum omnium commoditatem et amplitudinem loci, melius apud Samuelem fore asseverabant. At ubi sic decrevissent, disputabant quo possent ingenio masculum infantem surripere.

§ 3. Dumque inter se diversa opinione contenderent, Samuel ad se servum suum Lazarum jussit accedere. Coram quo statim cum astitisset, «Lazare, inquit, si tibi praestat animus Christianum puerum furari, et nobis illum tradere, centum ilico te donabimus Philippeis.» Ad quae responsum paucis ita reddidit ille: «Res haec, patres venerandi, maximi discriminis est: eam ego penitus tentare recuso.» Et confestim exiens de templo, collectis sarcinulis suis, ad alias terras commigravit.

§ 4. Die autem Jovis omnes in Synagoga congregati, ad Tobiam dixerunt: « Animadvertimus neminem plus votis nostris posse satisfacere, quam te.» Versaris enim quotidie cum Christicolis, et pene omnes tibi familiares sunt. Facile potes unum intercipere: quia nemo, cum civitatem obambulas, in te advertit. Dabimus operam profecto, ut tibi multa bona a nobis semper accedant. Negat Tobias, et periculum in negotio multis assignat rationibus. At illi suis hunc execrationibus astringunt, et nisi pareat, minantur se illi perpetuo interdicturos Synagogâ. Tobias ergo videns omnes in eum conspirasse, et praemium sibi jam fore propositum, auri caeca cupidine captus: «Aggrediar, inquit, patres libenter provinciam hanc. Verum, ut nostis, pauper sum ego, et ad commode vivendum ars mea non sufficit. Sunt et plures mihi filioli: eos et me vobis unice commendo.» Responderunt omnes: «Adfer puerum huc, nulla enim unquam erga te nos arguet ingratitudo.» Tunc ad Samuelem conversus pròditor, inquit: «Nulla clave postes tui concludantur, ut si mihi quisquam opportune contigerit, intro possim illum leviter impellere.» Et transactis vesperis egressus, coepit totam viciniam solus obambulare: transiensque per viam, quam Fossatum vulgus appellat, sese usque ad plateam celeriter transtulit. At ubi commode rèperit neminem, flexit iter propere, simul et vestigia retro observata legit.

Digitized by Google

§ 5. Posteaquam locum illum attigit, quem Fossatum vocitant incolae, insignem puerum ante fores patris super ligno sedentem conspexit, nomine Simonem qui nondum vigintinovem menses natus, adeo formosus erat in cunctis, ut in eo non comprehenderetur, quod jure reprehendi posset. Et accèdens, lustrat neminem in puerum advertere. Porrigit digitum Tobias blandus infanti. Speciosus puer, benignus ut erat et facilis, candida manu capit molliter indicem. Procedit, sequiturque puer non passibus aequis. Cumque genitoris sedem pertransisset pròditor, rabidâ dexterâ pulcherrimam manum praensat infantis, et nunc illum trahit, et nunc mollia terga pulsans genibus impellit. Tunc respiciens puer, coepit cum lacrymis pios extollere vagìtus, et dulce matris invocare nomen. Exanimatus ilico pròditor, denarium extraxit argenteum, et porrigens infanti, illum blando sermone compescuit. Posteaquam ad extremum viae pervenit carnifex, omnia rite collustrans, cerdonem a sinistris respicit consuentem. Ibi exanimatus, ilico gressum continuit, donec aliorsum tandem lumina flecteret artifex. Tunc occasionem nactus, celeri gradu viam pertransiens, in domum Samuelis intrusit infantem. Hic Samuel, veluti tigris expectans ad sanguinem, corripiens puerum, ocyus in suum thalamum sustulit. Praetereo hic, quantâ tunc dracones illi sunt affecti laetitiâ. Ululabant siccis faucibus super Christianum sanguinem. Et ne puer, peregrino loco deterritus, clamorem effunderet, alii porrigebant uvas, alii poma, alii res alias, quibus ut plurimum infantes delectantur, donec silente puero, dies se cum nocte conjungeret. Interea genitrix ejus Maria puerum ut vidit abesse, nec solito more apud vicinos illum offenderet, percusso pectore, una cum conjuge Andrea, totam per civitatem explorabat infantem. Pueri et omnes, e quorum labris saepe Spiritus Sanctus eloquitur, illum apud Judaeos inquirendum asserebant. Futurum enim, ut eum rapuissent Judaei, et in Christianae fidei opprobrium in cruce suspenderent. Et nisi de medio nox repente viae abstulisset, ad Judaeos vertissent iter. Unde collapsis tenebris impulsi, flentes amare, domum sese receperunt.

§ 6. Tempus erat, quo prima quies humana reficit pectora, atque quiescebant voces hominumque canumque. Tunc crudelis Moyses una cum reliquis atrocissimis Judaeis benignum illum deportantes infantem, ingressi sunt vestibulum quod cum primis Synagogae foribus adjungitur: ibique in scamno juxta caminum rèsidens, puerum suis super genibus excepit. Porro circumfusi omnes, vestem ei ad umbilicum et cubitos usque verso ordine detraxerunt, colligentesque fluentem tunicam succinxerunt lateri, ita ut a femore usque ad talos detractis càligis nudaretur: et apprehendens sudarium Samuel quod ejus pendebat a cingulo, colloque circumvolvens comprimebat puerum, ne vagìtus

Digitized by Google

effunderet, alii vero manus pedesque continebant. Tunc evaginato Moyses cultro, summum virgae perforavit infantis: correptàque forfice, coepit maxillam dextram juxta mentum dilaniare, et particulâ carnis abscissâ, in parato ibi cratère reposuit. Colligebant astantes sacrum sanguinem, et alterno ordine forfice porrecta, quilibet sibi frustulum vivae carnis excindebat. Sic fecerunt omnes primi, donec vulnus ovi rotunditatem multum excederet. Et si quando cedente laqueo puer gutture perstrepebat, admotis crebro manibus ad os, illum crudeliter suffocabant.

§ 7. Hoc Moyses ità peracto, dexteram tibiam confestim elevavit infantis, eamque suis super genibus statuens, aggreditur exteriorem partem quae inter cavillam et cruris musculum intèrjacet, similiter eodem ferro convellere: et capta forfice, vicissim carnem vivam vivo cum sanguine lacerabant. Postmodum saevissimus senex ille, tanti sceleris caput, semimortuum èrigens infantem, petiit Samuelem a sinistris pueri secum considere: et uterque sanctissima illius brachia instar crucifixi violenter extendentes, hortabantur reliquos, ut sacrum illud corpus duris acubus infoderent. Collecti ergo omnes circum, incipientes a vertice usque ad plantas, illum densis ictibus perforabant. Jam plusquam per horam miserandus puer terribili duraverat in supplicio, et interdicto spiritu collapsis viribus deficiebat, attollens graves oculos in coelum, superos advocare videbatur in testes, et inclinato capite sanctum Domino reddidit spiritum,

Purpureus veluti cum flos succisus aratro,
Languescit moriens, lapsoque papavera collo
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.

Tunc Moyses et omnes reliqui oculos et palmas elevantes in coelum, egere gratias Deo quod de Christianis vindictam simul et sacrificium obtulissent: relictoque illic corpore, cum plausu et clamore maximo summa per tecta discurrentes, ineffabilem laetitiam se percepisse demonstrarunt. Et descendentes ad coenam, servis praecepit Sàmuel, ut sub cadis vinariis illud occulerent. Timebant enim proclamationes antistitis, et crebrescente in eos magis magisque famâ, ne furori populi capti et caesi, ad torturam subito traherentur.

§ 8. Altero die qui passionem Domini cunctis in Christum credentibus ad memoriam revocat, restrictis labentibus in urbem fluviis, parentes infantis una cum cohorte praetoria ubicumque quaerentes, non invenerunt eum. Die autem sabbati convenientes Judaei in Synagoga, cunctis cernentibus, cadaver super almòmor extenderunt. Est enim almomor mensa quaedam ante altare, ubi psalmos, antiphonas, hymnosque decantant. Perfectisque orationibus suis, rursus eodem in loco reposuerunt corpus. Tertio vero die, qui sanctum Pascha Christifidelibus attulerat, ut

Digitized by Google

praesenserunt Judaei omnium pene mentes in eos esse suspensas, inito consilio, libratisque plurimorum opinionibus, dixerunt: «Projiciamus corpus istud vestitum in flumen quod nostra domo subterfluit: et euntes ad pontificem, dicamus quoniam illud in domum nostram aqua deduxit, et crate ferrea retentum, non potuit una cum flumine dèlabi.» Talibus enim visis, nemo credet Judaeos puerum extinxisse. Placuit omnibus sententia: et ascendens ad pontificem pròditor, rerum seriem eo, quo fuerat institutum, ordine pandit. Tunc gavisus pontifex, Joannem de Salis praetorem et Jacobum de Sporo praefectum suae Tridentinae civitatis illic, ubi jacebat puer, secum jussit accedere. Et descendentes statim, invenerunt cadaver in aqua pannis involutum: quo pròtinus extracto, illiusque vulneribus diligenter annotatis, illud in basilica S. Petri collocaverunt: ubi maximâ populorum languentiumque confluente frequentiâ, multis maximisque in dies miraculis fulget.

§ 9. Ecce Christiane Jesum inter latrones rursus crucifixum. Ecce quid facerent Judaei, si inter Christifideles haberent imperium. Gloriosus Simon, virgo, martyr et innocens vix ablactatus, et cujus lingua nondum humanum sonabat eloquium, in contemptum nostrae fidei a Judaeis est extensus in cruce. Audi qui tam crudele hominum genus tuis in urbibus pàteris. Judaei aeterno statuto decreverunt, ut divinae Eucharistiae, beataeque Mariae semper virgini quotidie maledicatur: pollùta omnia verba peccatum asserentes, praeter illa quae in contemptum Romanae Ecclesiae vergere dinoscuntur. Item in tertio libro Thalmud (hunc enim codicem praeferunt Judaei libris Moysi et prophetarum: et ut magis credatur Thalmud, fabulae addunt fabulas, dicentes, quod Deus studeat Thalmud) ibi, inquam, perpetua lege sancìtur, ut ter singulis diebus in oratione, quam efficaciorem cunctis precibus existimant, omnes Christifideles devoveantur. Hanc etiam orationem stantes junctis manibus, ad nullam rem mundi intentionem agentes, èvomunt, viri Hebraice, mulieres eâ linguâ, quam a primis annis didicerunt. Solus Levita eam alta voce decantat, aliis omnibus respondentibus, Amen. Verba orationis sic sonant: Conversis non sit spes, et omnes repente dispergantur: in matricibus minorentur parvuli, ac amplius non resurgant: et omnes inimici tuae gentis Israël destruantur, et regnum nequitiae Christianorum eradicetur et confundatur. Fac Domine fac, impleas, quod petimus, in diebus nostris velociter: quia tu es Deus benedictus, fugans inimicos et destruens impios. Et in secundo Thalmud affirmant, quod Dominus noster Jesus Christus maxima in inferno tormenta patiatur. Non est mirum Christiani, si nos bello, fame, siti, grandine, pruinâ Christus affligat: si nos populum suum, pretioso suo sanguine redemptum, semper ad deteriora labi sustineat. Cum patiamur inter nos regnare inimicos ejus,

Digitized by Google

quid quaeso hoc est aliud, quam sacrosancta fide despecta, ejus perpetuis hostibus adhaerere? Natus est Simon, de quo egimus 6 Calend. Decembris, anno a partu Virginis salutifero 72°, supra millenum quater centenum, ex Andrea et Maria parentibus pauperrimis, D. Joanne Hinderbach quarto pontifice et domino Tridentino imperante feliciter. Ob quam rem Judaei omnes a majore usque ad minorem, in carceribus catenisque conclusi sunt, non inde recessuri prius, quam debitas poenas luant (*a*).

QUOD

S. JOSEPH B. V. MARIAE SP.

VIRGO PERMANSERIT

ALOISIUS LIPOMANUS EPISC. VERONENSIS, CANDIDO PIOQUE LECTORI

§ 1. Priusquam ad hunc qui sequitur, Divi Joannis Chrysostomi sermonem legendum accedas, benigne Lector, est quod te aliquantulum detineam, cautumque reddam. Videbis namque magnum Chrysostomum ejusdem hic esse sententiae, cujus et in libro de excidio Jerosolymitano Egesippus, et Eusebius Caesareensis libro II, cap. I, Ecclesiasticae Historiae, multique ex Graecis patribus fuisse leguntur: nempe beatissimum Joseph sanctissimae Deiparae sponsum, filios ex alia uxore suscepisse, et inter caeteros Jacobum Apostolum, cognomento fratrem Domini. Eâ vero deinde repudiatâ, seu, ut alii volunt, praemortuâ, in castitate vixisse, et liberos in disciplina et timore Domini educasse. Hujus etiam opinionis fuisse videmus Divum Hilarium Pictavorum Episcopum, super Matthaeum capite primo, et Divum Ambrosium Mediolanensem Antistitem, super Epistolam ad Galatas capite primo. Chrysostomum quoque secutus est compilator ejus Theophylactus Bulgariae Archiepiscopus, qui eumdem Jacobum et reliquos fratres, filios asserit fuisse Joseph: sed alio modo, quam Chrysostomus àutumet. Cujus verba, ut melius res percipiatur, subnectam. Ait enim is super Matthaeum capite XIII. Fratres habuit Dominus, et sorores, Joseph filios, quos genuit ex uxore fratris sui Clopae. Mortuo enim absque liberis Clopa, Joseph, juxta legem, uxorem ejus accepit, et pueros procreavit sex, quatuor mares, et duas foeminas: Mariam, quae dicebatur

(*a*) Egregio opere excitatum marmoreum mausolaeum condendo beatissimi Infantis corpusculo, quod spectatoris tamen oculis patet, incorruptum Judaicae crudelitatis monumentum, signa retinens dirissimae necis Cultum S. Pueri, in Christi odium caesi, primum Tridentina Ecclesia iniit, divinis permota miraculis. Eum sacris Martyrum fastis adscribi jussit Gregorius XIII; Festum solemne concessit Sixtus V. Religiosissime et a civibus còlitur, et ab externis invisitur per illa Italiae Germaniaeque confinia ultro citroque commeantibus.

Digitized by Google

Clopae filia secundum legem, et Salomen. Et haec quidem ille. Vides igitur, quid magni utriusque Ecclesiae viri de B. Joseph sentiant.

§ 2. Ego, ut verum fatear, et animum meum coram Deo, teque ac toto Christiano orbe testatum faciam (pace sit dictum omnium horum praeexcellentium virorum, quos in aliis sequor plurimum, amplector, et tanquam venerabilissimos patres vehementer observo: at in hoc mihi placere nequaquam possunt), semper contrariam tenui sententiam, tenereque profitebor usque ad mortem: nisi sancta mater Ecclesia diversum aliquid super hoc statuat: vel nisi quis me potentioribus et efficacioribus urserit rationibus, ut a mea victus recedam opinione. Credoque et firmiter teneo, beatissimae Virginis sponsum, virginem et ipsum fuisse, nec unquam pudicitiae suae florem amisisse. Talem enim matrem, talem sponsum, et talem tantumque filium, talem putativum patrem habere par erat. Et ne ex meo cèrebro haec èruta videatur sententia, tribus eam, si potero, enitar mediis confirmare. Sacrae primum ipsius Scripturae fontibus, iisque pie recteque, et secundum germanum sensum deductis: constanti etiam, ut credimus, et quae vinci non possit, ratione; tum demum sanctorum aliquorum patrum auctoritate. Quod nisi effecero, tum tu me imperitiae stultitiaeque argüito: atque ego liberam tibi concedam, quicquid volueris, credendi potestatem. Audi ergo diligenter et patienter ausculta quae pro hac sententia firmanda tibi affero.

§ 3. Ac primum quidem id nobis explorandum censeo, num ex Scripturis, quisnam verus pater, et quae vera mater fuerit Jacobi istius minoris qui etiam dictus sit frater Domini reperiri possit. Credoque non fore id difficile, immo ex propatulo loco satis constare. Sed assertio illa praemittenda, quam negare mihi nequaquam possunt etiam ii qui vel sacras literas èminus salutaverint: Scripturam nempe sacram quoties ita loquitur, Isaac Abrahae, vel Jacob Isaac, hunc in audientium aures sensum et intelligentiam immittere, et non aliam, Isaac esse filium Abrahae, et Jacob filium esse Isaac. Hoc Lucae III capite maxime ostendere possumus, ubi genealogia Domini ex Joseph ascendendo usque ad Deum describitur. Dicitur namque ibi: Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph qui fuit Heli, subauditur filius: qui fuit Mathan, nempe filius: et sic de singulis usque ad Adam, de quo loco dicitur: Qui fuit Dei: et subintelligitur filius. Hoc idem probatur Joannis ultimo, cum dicit Dominus Petro: Simon Joannis, amas me? Hoc est, Simon fili Joannis. Quod ita esse ostendit Dominus ipse Matthaei XVI, ubi dicit ad eumdem: Beatus es Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est. Bar enim Hebraice, Latine filium sonat.»

Digitized by Google

§ 4. Unus est dumtaxat locus, in quo propositio ista non currit, quando videlicet aliter interpretari Scriptura ipsa te necessario compellit. Et ut me intelligas, opportunum tibi affero exemplum Lucae sexto, ubi duodecim Apostolorum nomina recensentur: quo in loco inter caetera habetur: *Et Simonem qui vocatur Zelòtes et Judam Jacobi et Judam Iscariotem qui fuit pròditor*. Quomodo hic expones Judam Jacobi? Filium ne? Minime quidem, quoniam te alia scriptura ita facere prohibet. Quomodo ergo? Judam Jacobi fratrem interpretaberis, quoniam is in sua Canonica Epistola, ita de seipso loquitur: *Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi*. Ubi autem nulla nos àdigit Scriptura, semper praedicta regula propositioque tenenda est.

§ 5. Venio nunc ad ipsum quaestionis scopum, et patrem Jacobi minoris dico non fuisse Joseph, sed Alphaeum. Hoc probamus ex Matthaei capite x ubi ponens Evangelista duodecim Apostolorum nomina, ita inquit: Duodecim autem Apostolorum nomina haec sunt: primus Simon qui dicitur Petrus et Andreas frater ejus, Philippus et Bartholomaeus, Jacobus Zebedaei et Joannes frater ejus, Thomas et Matthaeus publicanus et Jacobus Alphaei et Thaddaeus, Simon Chananaeus et Judas Iscariotes qui et tradidit eum. Marcus quoque capite III et Lucas capite VI et ipsi duodecim Apostolorum catalogum recensentes, sicut primum Jacobum cum Joanne fratre, Zebedaei, ita Jacobum alterum, Alphaei dicunt. Quod si primum illum Zebedaei filium exponere cògeris (Ejus enim filius fuit, ut ex Matthaeo eodem capite IV et Marco capite primo constat), ita etiam secundum Jacobum, hunc videlicet minorem, fratrem Domini nuncupatum, Alphaei filium exponere, velis nolis, compelleris. Cur enim Jacobum illum ex Zebedaeo natum patre asseras, hunc autem ex Alphaeo natum neges? Aut ergo utrosque filios expone, aut utrosque nega: vel Scripturam adducito aliquam, propter quam Zebedaeum Jacobi majoris patrem dicere cogaris, Jacobi autem minoris Alphaeum patrem non ita. Quam certo scio haudquaquam invenire poteris. Crede ergo expositioni nostrae. Et hoc quantum ad patrem pertinet.

§ 6. Quae vero Jacobi hujus Justi mater fuerit et ipsa Scriptura se consulentibus aperit. Si enim legeris XXVII Matthaei caput, invenies profecto ita in eo scriptum: Erant autem ibi (nempe ubi crucifixus est Dominus) mulieres multae a longe, quae secutae erant Jesum a Galilaea, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene et Maria Jacobi et Joseph mater, et mater filiorum Zebedaei. Et ne qua detur tibi dubitandi occasio, quis iste sit Jacobus, cujus mater Maria dicitur, scrupulum tibi omnem aufert Marcus, capite decimoquinto inquiens: Erant autem et mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene et Maria Jacobi minoris et Joseph mater, et Salòme: quae, cum

esset in Galilaea, sequebantur eum et ministrabant ei. Et quia futuros esse haereticos praevidebat Spiritus Sanctus qui hanc Mariam quae Jacobi minoris et Joseph mater dicitur, eamdem esse quae et Salvatorem nostrum peperit, quaeque ex Joseph marito Jacobum hunc fratrem Domini et alios fratres ejus genuisset, impudentissime asserturi erant: Joannes discipulus Domini dilectus, omnium Evangelistarum ultimus, hanc haereticorum blasphemiam omnino sustulit, cum dixit capite xix: *Stabant autem juxta Crucem Jesu mater ejus et soror matris ejus Maria Clèophae et Maria Magdalene.* Mariam Clèophae, id est, filiam accipe, secundum propositionem nostram primo loco positam. Ecce ergo quam alii Evangelistae Mariam Jacobi minoris et Joseph matrem nominant, Joannes sororem matris Jesu dicit et Clèophae filiam. Et quia soror erat sanctae Dei genitricis, ideo Jacobus, Joseph, Judas et Simon fratres Domini usitato Scripturae more quo filii duorum fratrum, seu duarum sororum, hoc est, patruèles, vel consobrini, fratres nuncupari solent, et ipsi fratres Domini dicti sunt Matthaei xiii in fine.

§ 7. Ex his omnibus luce, ut arbitror, clarius meridianâ liquet, patrem Jacobi minoris, fratris Domini dicti et fratrum illius fuisse Alphaeum: eorum vero matrem Mariam sororem sanctissimae Deiparae, filiamque Clèophae. Quae autem Mariae istius mater fuerit, ad praesens intactum relinquo (forte in fine hujus epistolae et de hoc aliquid dicetur). Non enim ad praesentem quaestionem multum spectare videtur. Satis namque nobis est scire, sororem illam beatissimae Virginis extitisse. Quod si Jacobus et caeteri ejus fratres, Alphaei et hujus Mariae Clèophae filiae, filii fuerunt, videant, obsecro quomodo id fieri possit, ut Joseph pater Domini putativus, ex alia uxore eos genuerit.

§ 8. Venio modo ad rationem urgentissimam trimembrem, cui judicio meo nullus apte satis et idonee respondere poterit: quae est hujusmodi: Aut Joseph aliam uxorem, ex qua Jacobum et alios fratres suscepit, ante beatam Virginem habuit: quae postea mortua est, vel repudiata. Aut simul cum beata Virgine et alteram illam habuit. Aut denique post mortem sanctae Mariae alteram uxorem superinduxit, ex qua filios illos suscepit. Nec enim quartum membrum mihi dare poteris.

§ 9. Si primo modo dixeris, ut velle videtur Hilarius: videlicet ex priori conjugio filios illos susceptos, hoc profecto falsum est et a veritate alienum. Nam ista conjux quam tu praetendis ante ductam et postea mortuam, non potuit esse altera a Maria ista, sorore matris Domini quae ab Evangelistis mater dicitur fuisse Jacobi minoris: quae tamen tempore mortis Christi viva erat et stabat juxta crucem Jesu una cum sorore sua sancta Deipara, quae dudum ante et jam annis 33 fuerat ipsi Joseph desponsata, ut superius ex Evangeliis ostensum est. Quod si dicas,

Digitized by Google

Ea quidem viva potuit esse, sed repudiata, ut vult Chrysostomus: vide, obsecro quomodo id asserere possis: tum quia non convenit viro justo, cujusmodi erat Joseph, Evangelio teste, sanctam mulierem quae continue Dominum sequebatur ministrans ei, repudiare: tum quia, eâ adhuc vivente, minime beatam Virginem sororem suam habere potuisset, ut in sequenti membro evidenter patebit.

§ **10**. Dices forsitan: Ambas Joseph uno eodemque tempore uxores habuit, Mariam scilicet Domini matrem et Mariam alteram sororem ejus. Hoc simili modo mendacium esse convincitur, sed et insulsius primo dicto. Nam licet Jacob Patriarcha duas simul uxores habuerit, Liam et Rachelem, hoc tunc ex divina permissione, aut etiam significatione factum est. Praesignificabatur enim in duabus illis sororibus Judaeorum Synagoga et Ecclesia de gentibus congreganda, sive activa vita et contemplativa. Quod si fortasse in aliis quoque factum fuisse reperiatur quod haud credo facile ostendi posse: id usque ad legis Mosaicae promulgationem licuit: At eâ latâ, minime: immo qui id faceret, mandatum est tolli de medio populi sui. Adduco autem tibi divinam ipsam legem, factum hoc omnino inhibentem quae est hujusmodi, Levitici 18. Sororem uxoris tuae in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illa vivente; vel ut alii legunt: uxorem cum sorore ejus non accipies ad aemulationem, vel ad lacessendum: Nempe sicut faciebant duae uxores Jacob, quae magna inter se ob virum ardebant zelotypia. Quam legem Hesychius, Radulphus, caeterique libri illius expositores, de eo intelligunt qui uxori simul et ejus sorori jungatur, ita ut duas sorores pariter uxores habeat, illaeque in unius viri contubernio simul habitent, aut quomodocumque, una vivente quam cognoverit, alteram superinducat.

§ **11**. Superest ergo, ut tertium modum èligas, et dicas, post mortem sanctissimae Virginis Joseph hanc Mariam in conjugem accepisse, ex qua Jacobum minorem et alios filios et filias genuit. Hoc si dixeris, in eamdem et adhuc majorem foveam te praecipitem dabis, a qua numquam exire poteris. Nam cum beata virgo post mortem filii sui supervixerit, quomodo potuit Joseph, ea mortua, sororem Mariam ducere et Jacobum et caeteros fratres ejus ex ea generare, qui jam, adhuc vivente Salvatore nostro, grandaevi erant et in Apostolos ejus assumpti: ut patet ex Evangelistarum libris, in quibus etiam Maria haec Jacobi minoris jam profecto nati et non nascituri, matris titulo praenotata, juxta crucem Domini stetisse reperitur? Impossibilia haec sunt et eruditis auribus indigna. Vides jam quocumque te vertas, indissolubiles esse tricas, a quibus te explicare non possis? Non ergo verum, Joseph ex alia uxore Jacobum minorem, cognomine fratrem Domini, genuisse.

Digitized by Google

§ **12**. Tertium erat medium quo nostram hanc assertionem nos probaturos dixeramus, sanctorum nonnullorum patrum auctoritas qui virginem fuisse sanctum quoque Domini patrem putativum manifeste astruunt. Inter hos post Abdiam Babyloniae Episcopum, in vita sanctorum Apostolorum Simonis et Judae, quam is eorum discipulus longo sermone descripsit, primum obtinet locum Divus Hieronymus qui in libro de perpetua virginitate Mariae contra Helvidium haereticum ita ait: Tu dicis Mariam Virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam ipsum Joseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam eum uxorem habuisse non scribitur: Mariae autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit quam maritus: relinquitur, virginem eum mansisse cum Maria qui pater Domini meruit appellari.

§ **13**. Huic proxime succedit Divus Augustinus, et ipse Ecclesiae Doctor insignis, qui in fine Sermonis 14 de Nativitate Domini ita dicit: « Habe, ergo, Joseph, cum Maria conjuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi, in carne sua virginitate servata: sis autem et tu pater Christi, curâ castitatis, et honorificentiâ virginitatis, ut de virgineis membris genitricis seculis Christianis nulla sit zelotypia.» Et paulo post: «Gaude itaque, Joseph, nimiumque congaude virginitati Mariae, qui solus meruisti virginalem affectum possidere conjugii: quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris.» Rupertus quoque Abbas Tuitiensis super Matthaeum capite I, relatis Divi Jeronymi verbis contra Helvidium, ejus sententiam amplectitur et approbat. Sequitur hanc eandem et Hugo de Sancto Victore, in Annotationibus super Epistolam ad Galatas, quaestione 5. Demum Beda Venerabilis, quem de industria in ultimo loco reservavi, in hanc sententiam et ipse accurrit, qui etiam super Marci caput VI, de fratribus Domini loquens, inter caetera ait: «Fratres et sorores Domini, Judaei secum esse testabantur: qui tamen non liberi Joseph, aut Mariae, juxta haereticos, putandi sunt: sed potius, juxta morem sacrae scripturae, cognati ipsorum sunt intelligendi: quomodo Abraham et Lot fratres appellantur, cum esset Lot filius fratris Abrahae.» Cujusmodi invenies multa. Vides ergo, si quis dixerit hos Domini fratres, vel ex beato Joseph natos, vel ex sancta ortos Dei genitrice, nedum inhonestam assertionem, sed etiam haereticam inventionem esse.

§ **14**. Quod si adhuc clarius, quomodo Jacobus et caeteri fuerint Domini fratres, cognoscere desideras, et per quem sanguinis gradum, vel cognationis, sive affinitatis lineam, lege Hugonem ipsum praedicto loco, qui abunde tibi in hoc satisfaciet, idipsum

Digitized by Google

ostendere satagens. Quod si forte nec, quae ibi dicit, tibi placuerint, nempe Cleopham post mortem Joachim accepisse Annam beatae Virginis matrem in uxorem, ex qua Mariam hanc Jacobi et caeterorum fratrum matrem genuerit: quemadmodum nec mihi placere potest, tantam illam matronam post sterilitatis divinâ gratiâ solutum impedimentum, et post dignissimae illius plantulae foeturam, nempe Reginae Angelorum et Dominae nostrae ortum, mortuo Joachim, unum atque alterum, ut vulgo dicunt, sibi maritos superinduxisse: et rursus atque rursus conjugales amplexus adamasse: dicito Cleopham, qui hanc Mariam Jacobi matrem genuit, fratrem germanum sancti Joseph fuisse, ut Theophylactus asserit, qui ex conjuge sua, quaecumque ea fuerit, Mariam hanc genuerit, quae postea Alphaeo nupta, mater horum filiorum effecta sit. Cum ergo sanctissima Maria sponsa fuerit beati Joseph, Cleophae *glos* fuit, illeque ei *levir*, atque filia ejus Maria beatae Virginis neptis, quae ejus soror, more scripturarum, dicta fuerit, sicut Lot frater Abrahae. Hincque factum, ut Jacobus minor, et reliqui ejus fratres, fratres etiam Domini dicti fuerint. Et hoc modo si dixeris, in nullam incides difficultatem. Quod si nec hoc tibi placet, aliam tu excogita rationem meliorem, cui ego libens acquiescam, modo ne dixeris, sanctum et justum virum Joseph, a Deo ad custodiam castissimi templi ejus et Spiritus Sancti tabernaculi, hoc est, beatissimae Deiparae, electum, et tanta dignitate decoratum, ut pater filii sui in terris dici mereretur, alterius se uxoris osculis et amplexibus miscuisse, ac suavissimum decorae pudicitiae florem amisisse. Non quod, si hoc fecisset, aliquid justitiae ejus, aut beatissimae Virginis, vel admirabilis filii ejus sanctitati detraheret, cum honorabiles ubique praedicentur nuptiae, et torus immaculatus: sed quia indecens quodammodo Dei filio videretur, si, dum virginitatis gloriam, meritum ac privilegium in suae sanctissimae matris personâ primum dedicabat, eamdem minime in patre quoque suo putativo, tamquam non suaviter omnia disponeret, cooptasset. Cum ille maxime ad novi testamenti gratiam, in qua bibitur vinum germinans virgines, pertinuisse videatur.

§ **15**. Quod si dixeris: Et quid ad dicta sanctorum patrum, contrariam sententiam tenentium, respondebis? Quid, inquis, respondebo? De duobus alterum: vel (quod tangere visus est Beda) ab haereticis haec in eorum voluminibus fuisse interjecta, cujusmodi plurima etiam aliis in rebus immista quandoque cognoscere possumus: vel quae ab eis dicta sunt, imprudentiuscule ac minus accurate (prout humana fragilitas fert, quod gravissimi etiam et eruditissimi viri quandoque dormitent) fuisse enunciata. Nam si majori cum diligentia Evangelicos codices perpendissent, nequaquam Jacobum minorem fratrem Domini, filium Joseph, sed Alphaei proculdubio asseruissent: sicut et Jacobum

majorem, Zebedaei filium, et Petrum Jonae vel Joannis, astruere compulsi sunt.

§ 16. Habes ergo meam, bone lector, hac de re sententiam: quam et te quoque, si pius es, si castitatis et sanctimoniae amator, si beati Joseph devotus filius existis, secuturum non ambigo. Plura autem, si Veronae in Episcopatu meo fuissem, super hoc forsitan collegissem, ubi et librorum mihi copia suppeditat, et adsunt nonnullarum Epistolarum schedae ultro citroque missarum, dum recolendae memoriae Joannes Cochlaeus vir doctissimus, et de Christiana republica optime meritus, adhuc nobiscum in humanis ageret. Nam memini hac de re inter nos multa et dicta et constituta fuisse. Haec vero, quae per me nunc apud nobilissimum Poloniae regnum Pontificium Legatum agentem, et libris fere carentem, atque assidue huc illucque obequitantem, ac negotiis difficillimis implicatum, quasi ex memoria dici potuerunt, tu et benigne suscipito, et aequi bonique consulito. Vale.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

ARCHIEP. CONSTANTINOPOLIT.

IN SS. DEI GENITRICIS ANNUNCIATIONEM

ORATIO

§ 1. Rursus laetitiae nuntii, rursus libertatis indicia, rursum revocatio, rursum reditus, rursum gaudia, rursum a servitute liberatio. Angelus cum Virgine loquitur, quoniam serpens cum muliere locutus fuerat. Sexto, inquit, mense missus est angelus Gabriel a Deo ad Virginem desponsatam viro. Missus est Gabriel, ut totius mundi salutem nunciaret. Missus est Gabriel, ut scripturn revocationis Adam afferret. Missus est Gabriel ad Virginem, ut mulieris dèdecus in honorem converteret. Missus est Gabriel, ut puro sponso thalamum pararet. Missus est Gabriel, ut inter creaturam et creatorem sponsalia celebraret. Missus est Gabriel ad animatum palatium regis angelorum. Missus est Gabriel ad Virginem desponsatam quidem Joseph, sed servatam filio Dei. Missus est servus incorporeus ad Virginem immaculatam. Missus est a peccato integer ad corruptionis expertem. Missus est lucernae splendor, qui justitiae solem nuntiaret. Missus est nitor aurorae, qui diei lumen praecurreret. Missus est Gabriel, ut ostenderet eum, qui est in sinu Patris, in matris etiam ulnis gestari. Missus est Gabriel, ut indicaret, qui est in solio, in spelunca etiam jacère. Missus est miles, qui Imperatoris mysterium

Digitized by Google

promulgaret. Mysterium, quod fide cognoscitur, et curiositate non invenitur. Mysterium adorandum, non humana prudentiâ ponderandum. Mysterium divinis, non humanis rationibus explicandum.

§ 2. In mense sexto missus est Gabriel ad Virginem. Quem sextum mensem dicit? Quem? Ex quo nimirum Elisabeth bonum accepit nuncium, ex quo Joannem concepit. Unde id planum fit? Ipsemet Angelus Virginem alloquens, sic interpretatur: Ecce Elisabeth, inquit, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus et illi, quae vocatur sterilis. Mense sexto: scilicet, conceptionis Joannis. Oportebat enim, ut miles anteiret: consentaneum erat, ut minister antecederet: aequum erat, ut index Domini praesentiam significaret. Mense sexto missus est angelus ad Virginem desponsatam viro. Desponsatam, non autem conjunctam. Desponsatam quidem, sed servatam. Cur desponsatam? Ne celerius latro mysterium intelligeret. Nam per virginem quidem regem esse venturum improbus non ignorabat, quippe qui Isaiae ipse quoque verba illa audierat: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium. Itaque singulas virgines observabat, ut ubi mysterium impleri animadverteret, infamiam pararet. Idcirco Dominus per desponsatam venit. Quae enim desponsata fuerat, deinceps in manum sponsi tradenda erat. Mense sexto missus est Gabriel ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph. Audi quid de hoc viro et de Virgine dicat Propheta: Dabitur hic liber obsignatus viro scienti literas: Id est, Virgo plane immaculata. A quo dabitur? A sacerdotibus utique. Cuinam viro? Fabro Joseph *. Hic Joseph, fratres, claro prius junctus matrimonio susceperat liberos: post autem uxore repudiata, in castitate vixit, et liberos in disciplina et timore Domini educavit. Cum enim Paulus Apostolus ad Evangelii promulgationem proficisceretur, et unum ex filiis ejus reperisset: Alium, inquit, Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini, non ex Maria, sed ex Joseph genitum.

§ 3. Cum igitur sacerdotes casto Joseph Virginem despondissent, eam illi commendarunt, nuptiarum tempus expectantes. Verum eam ipse suscipiens, integram erat conservaturus. Id quod multo ante Propheta pronunciarat: Dabitur, inquiens, liber obsignatus viro scienti literas et dicet: Non possum legere. Cur non potes legere Joseph? Non possum, inquit, legere quia liber est obsignatus. Cui servatur? Rerum omnium procreatori pro domicilio. Sed ad propositum revertamur. Mense sexto missus est Gabriel ad Virginem. Qui profecto ejusmodi a Deo mandata accepit: Ades huc, Angele, minister esto mysterii gravis et reconditi: miraculo inservi. Misericordiâ meâ commotus, ad requirendum Adam qui aberravit, descendere festino. Peccatum

* De hac omnino refellenda sententia vide allatum nuper Prologum Aloisii Lipomani.

Digitized by Google

prostravit eum qui ad imaginem meam factus est: corrùpit opus manuum mearum: infècit decus a me confectum. Lupus dèvorat alumnum meum. Exulat incola Paradisi. Vitae lignum a flammeo gladio custoditur. Clausus est locus deliciarum. Errantis me miseret. Hostem capi volo. Placet, ut virtutes omnes quae in coelo sunt, mysterium hoc lateat et tibi soli sit manifestum. Vade ergo ad Mariam Virginem. Vade ad animatam civitatem, de qua loquitur Propheta: Gloriosa, inquiens, de te dicta sunt, civitas Dei. Vade ad Paradisum meum rationalem. Vade ad portam Orientalem. Vade ad habitaculum Verbo meo dignum. Vade ad alterum coelum quod est in terra. Abi ad nebulam levem et praesentiae meae illi nuncia integritatem. Abi ad sanctuarium mihi paratum. Abi ad thalamum divinae humanitatis meae. Abi ad purum cubiculum ortus mei secundum carnem. Lòquere in auribus arcae meae ratione praeditae, ut paret mihi auditus ingressum. Cave offendas aut turbes animum Virginis. Templum illud divinum modeste adi. Prima tua vox illi gaudium afferat. Dic: *Ave gratiâ plena:* ut ego miserear afflictae Evae.

§ 4. Audivit haec Angelus, et secum, ut par erat, haec cogitabat: Nova res haec est, cujus intelligentia nullis verbis explicari potest. Quem metuunt Cherubin quem Seraphin intueri non possunt, quem omnes Virtutes Angelicae comprehendere nequeunt, speciali quodam modo nunciatur cum puella Virgine conversaturus et propriae ejus personae praesentia significatur, immo vero ingressus per auditum ei promittitur. Qui Evam condemnavit, ejus filiam glorificare tantopere festinat? Ait enim: Ut paret mihi auditus ingressum. Numquid potest Virginis uterus eum capere qui comprehendi non potest? Vere mysterium magnum et venerandum. Sic Angelo cogitanti: Quid, inquit Dominus, turbaris, o Gabriel, novitate rei? Nonne paulo ante missus es a me ad Zachariam sacerdotem? Nonne illi Joannis ortum nunciasti? Nonne incredulo sacerdoti poenam intulisti? Nonne senem taciturnitate mulctasti? Nonne quae tu pronunciasti, ego rata habui et comprobavi? Nonne nuncium tuum res ipsa consecuta est? Nonne sterilis concepit? uterus paruit? sterilitatis morbus discessit? naturae fugit inertia? Quid est quod ego non possim efficere? Cur igitur dubitas? Tunc Angelus: Naturae, inquit, errores, Domine, corrigere, morborum nebulam dissolvere, membra mortua ad vitalem vim revocare, naturae, praecipere, ut liberos gignat, a certis membris sterilitatem removère, senescentem stipulam ad viridem formam reducere, terram infoecundam statim efficere manipulorum matrem, solitum est tuae virtutis opus. Testis est Sara, tum Rebecca, post autem Anna: quae cum gravi sterilitatis morbo laborarent, abs te liberatae sunt. Virginem vero sine viri congressu pàrere, superat naturae leges et praesentiam tuam in puella denunciat, ut quem coeli terraeque

termini non capiunt, Virginis uterus comprehendat. Quomodo, inquit Dominus, me tabernaculum Abrahae potuit continere? Quoniam, inquit Angelus, hospitalitatis pelagus habebat. Verum illic, o Domine, te conspicuum Abrahae praebuisti in ostio tabernaculi et pertransisti qui omnia comples. Quomodo autem feret Maria divinitatis ignem? Solium tuum ardet splendore illustratum, et virgo te ferre poterit, ut non comburatur? Si laesit, inquit Dominus, rubum ignis in solitudine, laedet omnino Mariam quoque praesentia mea: sin ignis ille qui divini ignis mei praesentiam significabat, rubum potius irrigavit quam combussit quid de veritate dices, non in igne flammae, sed in pluviae specie descendente?

§ **5**. Tunc Angelus Dei jussa facessens, Virginem adiit et clara voce: *Ave, inquit, gratiâ plena: Dominus tecum.* Non est amplius diabolus contra te. Ubi enim prius hostis ille vulnus inflixit, illic medicus adhibet medicamentum. Unde mors ingressus principium habuit, inde vita sibi aditum patefacit. Per mulierem mala fluxerunt, per mulierem emànant bona. Ave, gratia plena. Ne te pudeat quod mulier causa damnationis extiterit. Tu enim Judicis et Redemptoris mater existes. Ave, gratia plena, quae mundi paries Salvatorem. Ave, gratiâ plena, genitrix vitae quae mortem delebit. Ave, animatum Dei templum. Ave, coeli terraeque pariter domicilium. Ave naturae illius quae comprehendi non potest, amplissimum habitaculum. Per hanc adest, charissimi, aegrotantibus medicus, in tenebris considentibus illuxit justitiae sol, tempestate jactatis factus ancora, portusque tutissimus, Deo invisis et inimicis reconciliatio, captivis redemptio, in bello versantibus munitissimum propugnaculum: ille nimirum qui est pax nostra. Qua quidem pace utinam detur nobis frui, per gratiam ejusdem Dei nostri Jesu Christi.

DE S. LATRONE CUM DOMINO CRUCIFIXO

PER DIVUM AMBROSIUM EPISC. MEDIOLAN. SCRIPTA. (*Est Sermo 44*). *

§ **1**. Videamus quis ipse latro sit qui in Cruce Domino constituto, non solum peccatorum suorum veniam consequitur, sed etiam paradisi amoenitate donatur, ut qui propter scelera damnatus fuerat ad poenam, propter fidem transferretur ad gloriam, fueritque illi crux quam pertulit, non tam supplicii damnatio quam salutis occasio. In cruce enim positus, Christum Dominum

* **Quae seqq. ex SS. Eccl. Patribus de Bono Latrone Sermonum fragmenta optimum duximus ex Surii 1 Edit. (in altera desiderantur) huc adferre, cum non uno sint nomine legentibus profutura; egregia enim praebent circa Redemptionis mysterium, miram miserentis Dei gratiam, et piam fide ac spe partam peccatoris confessionem et his similia. (Vid MARTYROL. ILLUSTR., hac die).**

nostrum credidit crucifixum. Et ideo qui consortio passionis utitur, consortio paradisi coronatur. Beatus enim latro dum supplicium patitur, regnum coeleste consequitur. Ecce reus dicitur. sicut cui damnari ad tempus expedivit. Non enim perveniret ad gloriam, si non contràditus esset ad poenam.

§ 2. Videamus inquam cur tantorum criminum reus tam cito a Salvatore paradisum promeretur, cum alii multorum temporum lacrymis frequentibusque jejuniis vix delictorum suorum veniam consequantur. Magna fratres et multiplex causa est. Primum quod iste latro devotione fidei tam repente mutatus est, ut praesentem poenam despiceret, ac de futura veniam precaretur, et magis crederet utile sibi esse de aeterno judicio petere quam de temporali supplicio postulare. Reminiscens enim scelerum suorum et poenitudinem gerens, plus incipit dolère quod sperat quam sentire quod patitur; potuit enim nisi de futuris amplius cogitasset, qui in Christum semel crediderat, de praesenti magis supplicio deprecari. Deinde illud ad gratiam ejus majoris est meriti quod Christum in cruce positum credidit: et passio quae aliis scandalum fecit, illi ad fidem profecit. Crucis enim passio multis scandalum fuit, sicut dicit Apostolus: Nos autem praedicamus Christum crucifixum: Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Recte ergo meretur paradisum qui crucem Christi non putavit esse scandalum, sed virtutem. Dicit enim idem Apostolus, ipsis vocatis Judaeis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Recte plane et Dominus huic donat paradisum qui quem Judas Scarioth in hortulo paradisi distraxerat; hic in crucis patibulo confitetur. Mira res, confitetur latro quem discipulus abnegavit. Mira inquam res, latro honorificat patientem quem Judas prodidit osculantem. Ab hoc pacis blandimenta venduntur, ab illo crucis vulnera praedicantur. Ait enim, *Memento mei, Domine, cum vèneris in regno tuo.*

§ 3. Haec est fidei plena devotio, ut cum de vulneribus Domini, profluens sanguis cernitur, tunc de potestate ejus venia postuletur: cum videtur ejus humilitas, tunc magis timeatur ejus divinitas: cum morti addictus putatur, tunc Regis illi honorificentia deferatur. Iste enim fidelis latro non credidit moriturum quem annunciat regnaturum: non putat subdendum inferis, quem dominaturum confitetur in coelo: non arbitratur eum apud Tartarum detineri, a quo se etiam postulat liberari. Cernat licet ejus hiantia vulnera, spectet ipsius sanguinem profluentem, Deum tamen credit quem reum nescit, justum fatetur quem non meminit peccatorem. Ait enim illi alteri exprobranti latroni, Nos quidem recte digna factis recipimus, hic autem nihil mali gessit. Intellexit enim quod pro alienis peccatis has plagas susciperet, pro alienis sceleribus haec vulnera sustineret: et scivit quod illa in corpore Christi vulnera, non essent Christi vulnera,

Digitized by Google

sed latronis: atque ideo plus amare coepit, postquam in corpore ejus sua vulnera recognovit. Ait enim propheta, Quoniam ipse infirmitates nostras portet et pro nobis dolet. Nos autem existimabamus eum esse in dolore, livore ejus nos sanati sumus. Plus ergo in cruce positus, livorem ejus cernens, latro diligit Deum.

§ 4. Mira res, plus in cruce latro Christum diligit quam Judas dilexit in coena. Ille per cibum supplantat magistrum, hic credidit Dominum per dolorem, sicut ait propheta, Qui edebat panes meos, adampliavit adversum me supplantationem. Cognovit igitur hic latro omnem Dei passionem ex ipsius fieri voluntate et in potestate ejus esse, vel morti animam tradere, vel ad vitam iterum remeare, sicut ipse ait, Potestatem habeo ponendi animam meam et potestatem habeo iterum sumendi eam. Usque adeo autem illum liberum ab inferni legibus judicavit, ut etiam se ab is posceret liberari.

ITEM

DE S. LATRONE

PER EUMDEM DIVUM AMBROSIUM. (*Est Sermo 45*).

§ 1. Meminit, fratres, vestra dilectio, me dedisse rationem, cur tantorum criminum inveteratus latro et scelerum suorum confessione damnatus, paradisum in ipso supplicii patibulo potuerit promereri et tanta fuerit celeritate salvatus, ut peccata ejus gratia praevenerit antequam poena, et prius in malis suis gloriari coeperit quam puniri. Non enim pàtitur supplicium, dum paradisum promeretur. Petro dicitur a Christo: Non potes me modo sequi, sequèris postea. Et huic dicitur: Hodie mecum eris in paradiso. Tanquam discipulus ille differtur et hic tanquam socius invitatur. Ille adhuc reservatur ad praemium, etiam ad consortium iste deligitur. Non potes, inquit, me modo sequi. Impossibile est Petro sequi Dominum, etiam facile latroni est esse cum Domino. Hodie mecum eris in paradiso. Non in aliud differtur tempus, non in diem alterum reservatur. Ipsa horâ qua paradisus Deum suscepit suscepit et latronem; unus passus est pro salute cunctorum et duobus pariter immortalitatis janua reseratur.

§ 2. Sed hanc tantam gloriam latroni fides praestitit. Fides enim est quae peccata cooperit, quae vincit crimina, quae facit de latronibus innocentes; quamvis enim delinquentium grandis culpa sit, fidei tamen major est gratia. Plus enim credidisse Christo quam seculo deliquisse: et plenioris est meriti veniam sperasse

Digitized by Google

de Domino quam culpam contraxisse de mundo. Sicut enim perfidia criminosum fecit: ita fides perfecit innocentem. Denique Judas posteaquam fidem perdidit, innocentiam apostolatus amisit; omnium enim criminum reus factus est, posteaquam virtutum omnium Dominum denegavit. Sicut ergo sufficit isti ad scelera deservisse Christum : ita illi sufficit ad innocentiam Domino credidisse. Facit igitur et fides innocentes latrones et perfidia Apostolos criminosos.

§ **3**. Magna igitur et perfecta fides in illo latrone fuit. Magna plane est et admirabilis fides quae Christum crucifixum glorificari magis credidit quam puniri. In hoc enim totius forma salutis est. Salvatorem tunc majestatis Dominum recognoscit, cum videtur humilitatis patientiâ cruciari. Unde ait Apostolus: *Si cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent* (*1 Cor.* II). Haec inquam perfecta fides est, Christum in cruce Deum non reum credere. Unde ille latro justificatus est, quia Salvatore in patibulo constituto, Judaeis insultantibus et vel criminosa dicentibus, Libera teipsum si potes: ille certus de divinitate ejus et securus de voluntate, se magis postulat liberari.

§ **4**. Magna inquam fides in illo latrone fuit et sanctis Apostolis comparanda, nisi quod et forte praecesserit: praecessit etenim devotione qui praecessit et praemio. Prior enim latro ad paradisum quam apostoli pervenerunt. Denique Petrus Dominum sequitur et iste comitatur. Dominus autem secundum fidem et meritum, tribuit et remunerationis obsequium. Omnes enim, sicut legimus, in passione Salvatoris discipuli trepidarunt, omnes eum pene cum traderetur reliquerunt, factum est sicut scriptum est: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis*. Denique fidem Petrus nec admonitus potuit custodire; toties lapsus est quoties ne laberetur admonitus. Et nisi modum quemdam tertio denegandi ei Dominus statuisset, forsitan saepius interrogatus, saepius abnegasset. Tantam enim trepidationem discipulis intulit passio Salvatoris, ut quod Apostolo Christus ante praedixerat, ancilla destrueret, et magis praevalèret ostiaria ad perfidiam quam Apostolus ad cautelam.

§ **5**. Non bona ostiària quae Petrum ideo in domum sacerdotis inclùdit, ut a fide Salvatoris exclùdat. Male Adam induxit Eva, male Petrum introduxit ancilla. Illa exclusit a paradiso, haec exclusit a Christo. Illa persuasione sua virum decèpit, haec interrogatione sua Apostolum circumscripsit. Illa ad praevaricandum Adam impulit, haec Petrum compulit ad negandum. Et idem sexus in utraque ostiariae officium gerens, aut excludit a vita, aut inclùdit ad mortem.

Digitized by Google

ITEM

DE B. LATRONE CUM DOMINO CRUCIFIXO

PER D. JOANNEM CHRYSOSTOMUM SCRIPTA.

EST HOMILIA EJUSDEM DE CRUCE ET LATRONE *31 in lib. 45.*

§ 1. Hodierna die noster Dominus pependit in cruce et nos festivitatem ejus nimia laetitiâ celebremus, ut discamus crucem totius spiritalis gratulationis esse substantiam. Etenim ante ipsum vocabulum crucis poena fuit, sed nunc ad gloriam nuncupatur. Antea condemnationis ferebat horrorem, nunc salutis indicium est. Crux enim nobis totius beatitudinis causa est. Haec nos a caecitate liberavit erroris, haec e tenebris reddidit luci, haec debellatos quieti sociavit, haec alienatos Deo conjunxit, longe constitutos Deo proximos praesentavit, haec peregrinantes cives ostendit, haec discordiae amputatio est, haec pacis firmamentum, haec bonorum omnium abunda largitio. Istius causâ nullis angustiis deserti erramus quia jam nobis campi monstrati sunt veritatis. Nec aulis regalib. habitare prohibemur quia aditus jam videtur inventus: nec ardentes sagittas diaboli formidamus quia fontes invenimus, quibus earum flamma facile possit extingui: ideo viduitate caruimus quia sponsus expectatus advenit. Lupum non possumus formidare, bono et diligenti muniti pastore. Ego, inquit, sum pastor bonus. Tyranni impii crudelitate non terremur, mansueti Regis vestigiis inhaerentes. Hac de causa hodie gratulamur quia crucis beneficia memoramur.

§ 2. Sic et Paulus praecepit propter Crucem festivitatem celebrari: Pascha nostrum immolatus est Christus: diem itaque festum celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis. Et sic adjunxit causam, quia Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Vides Crucis intuitu perceptam laetitiam? In cruce enim immolatus est Christus: et ubi immolatio, amputatio peccatorum: ubi amputatio peccatorum, reconciliatio Domini: ubi reconciliatio Domini, ibi festivitas, et omnis gratulatio. Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus, et immolatus in excelsa cruce. Novum altare constitutum est, et quia sacrificium novum, atque omnibus inopinatum: nam ipse et sacrificium fuerat, et sacerdos. Sacrificium secundum carnem, sacerdos secundum spiritum sanctitatis. Idem ipse et offerebat, et offerebatur. Offerebat secundum spiritum, offerebatur secundum carnem, et audi

Digitized by Google

quemadmodum Paulus utrumque monstravit: *Omnis*, inquit, *Pontifex qui de hominibus accipitur, pro hominibus statuitur* (*Heb*. v). Unde necessarium est et istum habere aliquid quod offerat. Vide sacramentum, Ecce ipse se offert. Et alibi ait: *Quia Christus semel oblatus multorum abstulit peccata* (*Heb*. IX). Ecce hic oblatus est, ibi se obtulit. Vides quemadmodum fuit et sacrificium, et sacerdos, et altare crux fuit?

§ 3. Et quare, inquies, non in templo sacrificium illud proferebatur, sed foras civitatem? Ut illud impleretur, quia inter iniquos deputatus est. Et ob quam causam in excelso ligno, et non sub tecto immolatur? Ut etiam ipsius aëris natura mundetur. Hac de causa in excelso et non sub tecto, sed sub coelo, ut universus aër in excelso immolatae ovis a tetro odore mundetur. Sed et terra simile beneficium sentiebat decursi de latere sanguinis stillatione mundata: ideo non sub tecto, non in templo Judaico, ne Judaei subtraherent sacrificium, et sibimet vendicarent. Ne putares pro illa tantum plebe oblatum, ideo foras civitatem, ideo foras muros, ut scias sacrificium esse commune quod totius terrae oblatio quod communis deploratio, non partis, sicut Judaeis consuetudinis fuit. Judaeis etenim ideo jussit omnem terram Deus dimittere, et uno in loco sacrificium atque oblationem celebrare: quia tunc omnis terra immunda fuit fumo, et odore, et alia contaminatione polluta, quae ex sacrificiis gentium super ipsam celebrabantur. Nobis autem quoniam Christus adveniens omnem terram emundavit, omnis locus orationi vacat: ideo Paulus cum omni confidentia exhortatur, dicens: *Volo ergo orare viros in omni loco, levantes manus sanctas* (*1 Tim*. II). Ecce totus mundus emundatus est, elementa purgata sunt, ut ubique nobis Deum liceat praedicare, et omnis terra sanctior illo loco est qui illo in tempore praedicabatur sancta sanctorum. Nam ibi pecus irrationale oblatum, hic spiritale immolatum est: et tanto majus est sacrificium, quanto et sanctitas de sacramento praefertur, hac de causa laetitia nostra Crux est.

§ 4. Vis quantum nobis praestiterit et aliunde condiscere? Paradisum quinque et eo amplius annorum millibus praeclusum hodie nobis patefecit: hac enim die, hac horâ latronem Christus in paradisum introduxit, et ejus amoenitates ostendit. Et uno tempore duo beneficia vidimus esse concessa. Unum, quod paradisus patefactus est: aliud, quod latro in eum meruit introduci. Hodierna dies antiquam nobis patriam reddidit, paternam civitatem extendit, domum pristinam redonavit. *Hodie*, namque ait, *mecum eris in paradiso*.

§ 5. Quid ais? Crucifixus es, clavis retinèris, et paradisum tam facile pollicèris? Volo, inquit, ut in cruce possint omnes meam invenire virtutem, ut in ligno mea largitas demonstretur.

Digitized by Google

Et quoniam crux dedècoris fuerat signum, et apud omnes ignominia putabatur, crucis infamiam mirandis beneficiis decoravit, et ex hoc magis magisque virtus ostenditur. Non enim illo tempore mortuos reddidit luci, nec mare fluctusve compescuit, nec minavit expulitve daemonia: sed cruce suspensus, clavis affixus, omnibus subjugatus injuriis, totus dedecori succumbens infamiae, insultantium derisione delusus, latronis adversam mentem valuit commutare, ut ex omni parte ejus divinitas sentiatur. Etenim universam terruit creaturam, et petras saxaque disrùpit, et omnium lapidum insensibilitate animam duriorem ad se traxit, et ad meliora convertit, et honore summo decoravit, *Hodie mecum eris*, ait, *in paradiso*. Et Cherubim custodientibus paradisum, latro ad paradisum inducitur. Sed non mireris, a Domino invitatur. Sed dicis: Sed ibi framea totius ignis ardore succensa versatur. Sed ipse qui et ignis et ipsius gehennae, et vitae mortisque imperium tenet, ingrediendi potestatem concessit.

§ 6. Et imperatori quidem vel cuilibet habenti potestatem injuriosum putatur, si personam vilissimam participem sui actus accipiat: Christo autem nostro, non injuriae fuit sacram ingredienti patriam, facere ingressus sui latronem participem. Nam secum eum perduxit, non confundens, calcantibus latronis pedibus paradisum, sed honorem praestans paradiso. Honor etenim loci est, talem Dominum promereri qui et latronem dignum reddiderit paradiso. Nam et cum publicanos et fornicarios ad coelorum regnum introduxit, non coelorum regnum infamavit, sed etiam magis honoribus ampliavit, ostendens talem Dominum regni esse coelorum qui et indignas tantum fecit meliorari personas, ut etiam illius dignitatis gloriam mererenter. Nam sicut homines, quibus corpora medendi cura est, amplius admiramur, cum aegrotos omni spe desolatos arte propria curaverint, et summae reddiderint sanitati: sic et Christum nostrum justum est admirari donantem vulneribus sanitatem, publicano et meretrici remedium pollicentem, et eis salutem perpetuam largientem, ut et dignos eos coelorum amoenitate donaret.

§ 7. Sed dicis: Unde tanta beatitudo latroni? Quid egit tale, ut post crucem paradisum mereatur? Vis ejus citius audire virtutem? Quando Petrus eum negavit in terra, latro eum confitebatur in cruce. Et haec non me ad accusationem beati Petri aliquis dixisse suspicetur quod longe a mea conscientia sit, sed latronis admirandam volo animam declarare. Primus discipulus puellae vilissimae minas tolerare non valuit, et latro suspensus tormenta spernens, undique populum inspiciens circumstantem, clamantem, ingenti ardentem rabie omnium iniquitatum, furentem, blasphemiis inflammantem non timuit, nec crucifixi vilitatem quae videbatur inspexit, sed ipsius fidei oculis haec cuncta transivit: et humilibus spretis cogitationibus, coelorum Dominum

exaltatum pura mente cognovit, et ipsius misericordiam in cruce flagitavit, dicens: Memor esto mei Domine in regno tuo.

§ 8. Nec transitorie istum praetereamus latronem, neque erubescamus accipere magistrum, quem non erubuit noster Dominus primum introducere in paradisum: nec pudeat ejus sequi magisterium qui coelestem conversationem meruit ante omnes, sed diligenter singula requiramus, ut crucis inveniamus virtutem. Non dixit ad eum, sicut ad Petrum: Veni, sequere me, et faciam te piscatorem hominum: non dixit ad eum, sicut ad duodecim: Quia sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israël: immo nec verbo eum dignum aestimavit, nihil admirationis ostendit. Non mortuos resuscitavit, daemones non fugavit, non mare prostravit, nullum ei fecit de coelorum regno sermonem nihil de gehenna locutus est, et ante omnes ejus imperium confitetur. Et haec dicebat alio latrone adversus eum plura dicente, et saepius insultante. Nam et altera ex parte latro cum eo fuerat crucifixus, ut illud impleatur: *Et cum iniquis reputatus est* (*Is.* LIII). Nam Judaei ejus famam gloriamque infamare cupiebant, et ex omni parte captabant, et tendebant universa pervertere: sed undique veritas praefulgebat, et his adversantibus augebatur. Insultabat ei igitur alter latro.

§ 9. Vidisti latronem et latronem? uterque pendet in cruce, uterque furacis vitae, similis utriusque conversatio, sed non in utroque mens una, nec in eo sensu mens una perdùrat, nec in eis similis dominatur eventus: sed unus beatitudinem coeli haereditario jure promeruit, alter ad gehennam mittebatur et poenam. Sicut hesterno die discipuli, et discipulis Judas et undecim. Sed illi quidem dicebant: Ubi vis paremus tibi manducare Pascha? Iste autem proditionis stimulatur ardore, et dicebat: Quid vultis mihi dare, et ego vobis tradam eum? Illi ad divinorum mysteriorum sese officia praeparabant, iste traditionis meditabatur officium. Sic et hic latro unus insultat, alter adorat atque veneratur: unus blasphemat, alter benedicit, et blasphemantem prohibet, dicens: Nec Deum tu times?

§ 10. Vidisti libertatem in cruce, vidisti philosophiam in tormentis, in poena prudentiam? Quod enim sui memor fuit quod mente sana vigilabat, clavorum confixione constrictus, quis est qui poterit non mirari? Sed iste non solum intra se fuit, sed et suas necessitates praetermittens, aliorum utilitatem cogitabat, et magister pendebat in cruce, et sanis persuasionibus alium invitabat ad vitam, dicens: Nec tu times Deum? Non igitur quod deorsum est adjudicatus inspicias, sed sursum alia sunt judicia constituta. In terreno namque judicio et justi nonnumquam condemnantur illicite, et injusti declinant poenas, et rei liberantur, et innoxii praegravantur. Aut enim sponte, aut inviti judices errare consueverunt, aut ignoratione justitiae, aut pecuniae

corruptione, aut iniqua gratia sententiam protulerunt. In coelesti autem judicio nihil tale esse consuevit. Nam Deus judex justus, et judicium ejus ut lux procedit, non habens tenebras nec ignorantiam. Et ne dicat, quia judicatus deorsum est et condemnatus, coeleste ei judicium mèmorat, tribùnal istud terribile nominat, et incorruptum, tamquam dicens: Illuc oculos tende, et condemnationis sententiam minime sustinebis, nec stabis deorsum cum corruptis judicibus, excipies sursum verum judicium.

§ 11. Vidisti philosophiam latronis, vidisti prudentiam, vidisti magistrum? de cruce subito evolavit ad coelum, et in poena positus coelestis judicis secreta narrabat, et abundanti eum persuasione compescens: Non times, inquit, quia in eodem judicio sumus, in eadem poena, in pari discrimine. Numquid et tu in cruce non es? et cum illum lacessas injuriis, tibi supplicium praeparas. Et sicut is qui peccato carnis praegravatur, si alios peccati accusaverit, semetipsum prius accusat: sic et qui in calamitate est, si aliis calamitates irriserit, sibi prius insultat: quoniam in eodem judicio sumus: apostolica illi verba monstrabat, evangelicos sermones enarrans, qui dicunt: *Nolite judicare, et non judicabimini: quia in eodem judicio sumus (Matth.* VII). Quid facis latro, defendere eum volens, participem fecisti latroni? Non, inquit, excusor hac suspicione sequenti sermone: et ne communione participem eum etiam peccati fecisse arbitreris, sequentibus declaravit, dicens: Et nos quidem juste, digna enim his quae fecimus, passi sumus. Vidisti plenam confessionem, vidisti latronem in cruce suis renunciasse peccatis? Dic namque, ait, tu iniquitates tuas prior, ut justificeris. Nullus impulit, nullus necessitate constrinxit, sed ipse sponte sua peccata publicabat, dicens: Nos quidem juste, digna enim his quae fecimus, passi sumus, iste autem nihil tale fecit, et postea ait: Memento mei in regno tuo. Non est ausus dicere *memento mei*, nisi confessione peccati sarcinam remisisset. Inspice quantum praestat confessio. Confessus est, et paradisum patefecit, et tantam confessus fiduciam meruit, ut regnum post latrocinium postularet.

§ 12. Vides quantorum bonorum nobis materia Crux est? Dic mihi, regnum commemoras, quid enim regni vides? clavi, et crux est quod inspicis. Sed ipsa crux, inquit, regnum est, et ideo eum Regem nomino, quia crucifixum inspicio. Imperatorum est pro omnibus mori, et Regis optimi pro communi utilitate nunquam recusare supplicium. Ipse dixit, quia pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis. Et ideo Imperator bonus animam suam pro his quos regit, offerre festinat. Quoniam igitur animam suam pro nobis posuit, ideo eum Imperatorem voco: Memento mei in regno tuo.

Digitized by Google

ITEM

DE EODEM S. LATRONE

PER DIVUM JOANNEM CHRYSOST. EST HOM. DE CRUCE ET LATRONE, 32 IN ORDINE 45 HOMIL. TOMI II.

§ 1. Hodie incipiamus charissimi de crucis trophaeo praedicare, et honoremus hanc diem, magis autem coronemur, celebrantes hunc diem. Nec enim ex verbis nostris honorificatur Crux sed ex fideli nostra confessione coronas merebimur crucis. Hodie crux fixa est, et seculum sanctificatum est. Hodie crux fixa est, et daemones dispersi sunt. Hodie fratres crux fixa est, et mors subversa est. Hodie crux vicit, et mors victa est. Hodie diabolus vinctus est, et homo solutus est, et Deus glorificatus est. Hodie apud Judaeos terra contremuit, et apud nos orbis terrae firmatus est. Hodie apud Judaeos, quia mente audaci contra Deum vadunt, petrae scissae sunt. Hodie amabilis Deo pietas universum consuit orbem. Decebat enim quae pietatis erant conjungi, ea autem quae infidelitatis disjungi, sicut et David dicebat: *Disrupti sunt, et non sunt compuncti* (*Psal.* 34). Hodie apud Judaeos ab hora sexta usque ad horam nonam sol obscuratus est. Non enim ferre poterat aether injuriam Creatoris. Retraxit radios suos, ne videret impiorum facinora: non quod deitatem injuria tangeret, sed quia quae audaci superbia fiebant, in contumeliam ejus reputabantur. Hodie apud Judaeos tenebrae sunt, apud nos autem nox in diem conversa est. Etenim pietati hoc proprium est, ut in tenebris fulgeat: impietas autem etsi in lumine fuerit, tenebrescit. Fidelibus nox in diem mutatur, infidelibus autem etiam ipsa lux tenebrescit. Et de fidelibus quidem Scriptura dicit: *Quia tenebrae non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur*. Infideli autem et dies in noctem mutatur, dicente Scriptura: *Palpabunt sicut caeci parietem, et ambulabunt in meridie sicut in medio noctis* (*Job* v).

§ 2. Hodie Adam ejectus est de paradiso, et hodie latro in paradisum ingreditur. Exiit fur, et introiit fur: exiit praevaricator, et ingressus est latro: exiit contemptor verbi, et introiit confitens verbum: exiit contemnens salutem, et introiit de cruce mercans salutem. Scio et ante me dixisse de latrone, sed habet diversas intelligentias Dei sermo. Iste latro de ligno mercatur salutem, hic latro furatur coeleste imperium. Vim facit majestati, non virtute propria, sed fide vincens. Ipsius Domini vox est: Regnum coelorum vim patitur, et violenti diripiunt illud. In cruce

duo latrones, imago Judaeorum et Gentilium. Latro qui poenitet, imaginem obtinet populi ex gentibus congregati qui prius in errore ambulaverat, et post hoc veritatem agnovit: imaginem vero latro ille obtinet Judaeorum qui usque in finem persevèrat latro: et usque ad tempus quidem crucis viam malignitatis ierunt, crux autem divisit utrumque. Viam namque caecitatis et perditionis qui non credidit ingressus est: viam autem salutis qui credidit ingressus est: viam salutis qui credidit adeptus est. In cruce didicit latro differentiam viarum: *Quoniam novit Dominus viam justorum, via autem impiorum peribit (Psal.* 1). Et vide Dei justum judicium, ut dicas et tu cum Propheta: *Justus es Domine, et rectum judicium tuum* (*Psal.* 118). Propter unum peccatum damnatur Adam, et propter unam fidei vocem latro salvatur. Unum peccatum ejecit illum, et una justitia introduxit istum: et latro habitator factus est paradisi.

§ 3. O admiranda rerum materies. Nec Abrahae data est per vocem repromissio paradisi. Haereditavit quidem per fidem, repromissionem autem paradisi nemo ante latronem accepit. Hic autem perscrutans diligentius vetus Testamentum, et novum, nullum ante latronem invenies repromissionem paradisi meruisse, non Abraham, non Isaac, non Jacob, nec Mosem nec Prophetas, nec Apostolos, sed ante omnes reperies latronem. Audi igitur Dominicam vocem: *Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII). Vocavit quippe Deus Abraham dicens: Exi de terra tua, et de cognatione tua. Et non dixit illi: Haereditatem capies paradisi: sed veni in terram quam monstravero tibi. Et Isaac quidem typum Christi portavit, et Jacob colluctatus in figura cum Deo est. Et Moses legem accepit, et per repromissionem audivit bona terrae manducaturum se esse, si legem Domini Dei sui custodisset: et nusquam repromissio paradisi ante latronem. Necessarium est ergo quaerere, cur huic ante alios, et ante tales viros fide dignissimos potissimum repromisit. Credidit Abraham Deo, se credidit illi de coelis loquenti et per sanctos Angelos sermonem proferenti, et de propria auctoritate legem danti. Credidit et Isaias, sed in gloria consistenti: Vidi enim, inquit, Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum. Credidit et Ezechiel, sed et ipse Dominum super Cherubin contemplatus est. Crediderunt rèliqui Prophetae, sed diverso modo Dominum gloriae intuentes, sicut videre possibile humanae erat naturae. Credidit, sicut dixi, et Moses, sed de medio ignis loquenti, et in tubae clangora, et in tònitru: quae et infidelem poterant provocare. Haec autem dico, non ut sanctis dèrogem, absit: sed propter eum qui solus per verbum meruit paradisum. Iste ergo vidit Salvatorem, non super throno regali, non adorari in templo, non loquentem de coelis, non per angelos disponentem: sed in poena sociatum latroni videt in tormentis, et tamquam in gloria

adorat. Videt in cruce, et rogat quasi in coelis sedentem: videt condemnatum, et Regem invocat, dicens: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Crucifixum vides, et Regem praedicas? in ligno pendere cernis, et coelorum regna meditaris?

§ 4. O admiranda latronis conversio. Numquidnam Scripturas legisti ab iniquitate non cessans? Numquidnam prophetas audisti homicidia exercens? Numquidnam divinum audisti sermonem, quando ad caedem gladium acuebas? Unde eruditus es talia philosophari de Christo? Judaei crucifixerunt, qui noverunt legem, et Prophetas legerunt: et tu horum ignarus Deum vocas condemnatum, et adoras crucifixum. Quis te erudivit o latro talia de eo dicere? Non me, inquit, lex docuit, sed sol occultans lumen suum. Vidi quidem crucifixum, sed terraemotum sensi, et propter patricidas Judaeos elementa indignantia intellexi. Et petrae quidem scindebantur, et corda hominum non metuebant. Scissae sunt petrae, disruptum est velum templi, et Judaeorum secreta patuerunt. Et hoc velum quidem erat, sed pretiosissimum, quod in diebus celeberrimis suspendebatur, pretiosissimum valde, de purpura, et bysso, et cocco, et auro, et serico, et hyacintho contextum: in illo enim tempore crucis, terra mota est, sol fugit, petrae scissae sunt, velum disruptum est, monumenta paruerunt: et sicut gloria domus est, ubi velum pendet, habitante intrinsecus Domino domus, sic ignominia templi est, unde recessit Spiritus Sanctus: postquam enim impias in Filium Dei intulerunt manus, injuria Deo facta est, qui habitabat in templo: et ideo recedente Domino, deserta remansit domus, sicut ipse dixit: Ecce relinquetur domus vestra deserta. Egresso Rege gloriae, disrupta sunt symbola regni, aperta sunt monumenta, et surrexerunt mortui, et intraverunt in sanctam civitatem, ut inexcusabilem relinquerent causam, ut Domini resurrectio firmaretur.

§ 5. Si Filius Dei es, descende de cruce, et credimus tibi. Considera nunc vocem filiorum diaboli, quomodo imitantur vocem paternam. Diabolus dicebat: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Et Judaei dicunt: Si Filius Dei es, descende de cruce, et credimus tibi. Pariter crucifigunt latrones, non tanquam inimici latronum, participes enim erant sceleris eorum, sed ut infamarent Dominum suum: quia non sine causa crucifixus sit, sed quasi qui facinorosus inventus sit. Non tacuit Isaias tragoediae hujus narrationem, dicens: Ob iniquitatem populi ductus est ad mortem, et cum iniquis deputatus est, hoc est, cum latronibus: quibus ideo sociarunt Christum, ut macularent Domini passionem. Ut sciatis quia non oderant latrones, audi Pilatum dicentem: Quem vultis dimittam vobis, Jesum, an Barabbam? qui propter homicidium in vinculis tenebatur. Et illi dixerunt:

Digitized by Google

Dimitte nobis Barabbam: latrones petierunt,latronem, Dominum autem crucifixerunt. Non virtute sua vincentes, sed ut dispensationis et prophetiae impleatur voluntas. Dicit illis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? At illi dicebant: Nos non habemus Regem, nisi Caesarem. Abnegaverunt Dei regnum, et traditi sunt regno Romanorum: quia quod habuerunt, non intellexerunt: ideo quod petierunt, acceperunt.

§ 6. Coronaverunt crucifixum spinis, obtulerunt ei fel et acetum. Et haec ipsa futura olim praedixerat Moses, dicens: Generatio prava et exasperans haec Domino retribuisti? Et qui dederat manna in deserto, huic tu fel offers? et qui de terra tibi delicias produxit, tu illi spineam imponis coronam? Ideo clamat Isaias, dicens: Sustinui ut faceret uvam, fecit autem spinas. Dicunt Judaei: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros: illis ad condemnationem, nobis autem ad justificationem. Sanguis Christi illis ad mortem, nobis vero ad vitam. Non est enim sanguis Christi deterior Babylonio igne. Ille scit sanctorum in camino honorare corpora, et Chaldaeos comburere: quanto magis sanguis ille pretiosissimus scit perdere incredulos, et salvare fideles? Decuit enim splendorem Crucis obcaecare infideles et illuminare credentes: sola enim Christi crux est, quae dissolvit tenebras, et regnum daemonum dissipavit, et omnes terrores malignantium abstulit, crux sanctitatem providit, crux nobis sol justitiae facta est, ut illuminati misericordiâ ejus, glorificemus Patrem, et Filium, et Sanctum Spiritum in secula seculorum, Amen.

S. HERMELANDI ANTRENSIS ABBATIS

VITA GRAVITER ET BONA FIDE AB ANONYMO CONSCRIPTA ALIQUANTO LATINIUS PLERUMQUE ETIAM PARAPHRASTICOS ET INTERDIU ASTRICTIUS EXPRESSIT LAUR. SURIUS

Anno migravit 720 — Nat. Francus.

§ 1. Cum jam toto orbe reges permulti Christo nomen dedissent, et fides catholica atque veritatis Evangelicae lux, pulsis errorum tenebris, in omni ditione Clotarii regis Francorum multa pace frueretur, Hermelandus * apud Noviomagenses ** nobilissimis parentibus ortus est: nobiliterque educatus, cum generoso, ut assolet, animo atque ingenio pollèret, literis imbuendus, a parentibus scholis adhibitus est. Ibi tum ille caeteros coaetaneos

* S. Abbatis nomen varie scribunt pronunciantque: *Erbland, Erblou, Erblain.*
** In territorio Urbis Noviòmi (gall. *Noyon*).

Digitized by Google

discendi celeritate facile antecessit, nec tamen animo inflatus est, sed puerilis aetatis levitatem morum gravitate compescens, nullis voluptatum illecebris se passus est irretiri. Nam carnis petulantiam spiritus ardore conterens, nobilitatem animi, carnis nobilitati anteferebat, ita ut in ipsis scholis, jam multa probitate conspicuus, puer admirabilis ab omnibus haberetur. Porro ejus parentes, ut viderunt eum jam literis non mediocriter instructum, aptumque aulicis ministeriis, a scholis revocatum, in aulam adduxerunt, Francorumque regi multo cum honore militaturum commendarunt: ut hoc militiae perfunctus munere, ad Majorum suorum pertingeret honores et dignitatem. At vir Dei Hermelandus omnem vitae hujus splendorem, omneque culmen honoris caduci prae Christi amore fastidiens, longe maluit per vitae momentaneae labores semper mansura justorum gaudia promereri, quam per inanem et lubricam mundi gloriam, sempiterna impiorum supplicia in suas accersire cervices. Itaque a voluntate parentum longe ejus animi sanctum discrepabat desiderium. Quod enim illi ad conciliandam ei praesentis vitae gloriam moliebantur, id ipse ad salutis suae perniciem spectare arbitrabatur, non ignorans dictum ab Apostolo: Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus. Et ecce nisi veritus ille esset, ne in illam ejusdem Apostoli sententiam impingeret, qua is dicit: Filii, obedite parentibus: nulla ei ratione unquam persuasissent terrenam complecti militiam, qui adeo ad coelestia anhelaret.

§ 2. Cavens igitur, ne ulla ex parte salutaribus monitis defuisse videretur, simul etiam considerans necdum sibi licere vivere arbitratu, militarem habitum, quem animo respuebat, extrinsecus quidem, sed sane invitus accepit. Domino vero illum mirifice adjuvante in aula regia, ex tyrone ita repente in perfectum mutatus est militem, ut cum Regi et Optimatibus ejus esset gratissimus, Regis effectus sit pocillator *, immo et pocillatorum princeps: sed hoc quoque munus in se nolens recepit. Porro in ea functione cum summa omnium gratia et multa prudentia versantem parentes et amici hortantur, ut cujusdam nobilissimi viri filiam accipiat uxorem. Ibi vero ille multum quidem ab ea abhorrens, at tamen eam sibi passus est desponderi, diesque nuptiis certus est praestitutus. Verum sub hoc praetextu non modo a conjugio, sed etiam ab omni actione seculari sese expedire, collumque mentis non mundi vanitatibus, sed suavi Christi jugo subdere moliebatur. Non enim surda aure Dominum audierat dicentem, et humano generi saluberrime consulentem: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus: et qui non bajulat*

* A cyathis.

Digitized by Google

crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus (*Lucae* XIV), sed fideli haec animo complectens, in rem conferre voluit eximius praeclarae institutionis executor.

§ **3**. Itaque Domino illius piis conatibus aspirante, cuncta mundi hujus oblectamenta rejicere, ipsam quoque sponsam et nuptias missas facere, terrenas a se actiones omnes abjicere, atque ita nudus et ab omnibus expeditus, nudam Salvatoris crucem, contra spiritales nequitias dimicaturus, egregius Christi athleta amplecti, regiumque tenere iter, doctrinis munitus evangelicis, plane deliberavit. Veritus autem, ne ejus propositum mundanorum strepitus negotiorum interturbaret, si in hominum frequentia diutius moraretur, regem adiit, et valde summisse ac devote ab illo petiit, ut cum majestatis ejus bona venia liceret ipsi, posthabita militiâ palatina, ad monasterium se conferre. Id ut rex audivit, pro summa erga illum benevolentia et amore, ejus preces plane rejecit, nec illum a se passus est separari, multumque hortabatur, ne in illo aetatis flore ab ipso discederet. Et id genus persuasionibus diu quidem ejus animum vexavit, at tamen sanctum ejus propositum nulla potuit ratione immutare. Cumque in precibus perseveraret, tandem divino timore pium principis animum impellente, id quod diu pernegaverat, benigne illi permisit. Itaque vir beatus cum regis et optimatum ejus favore e palatio recedens, ad Fontanellense coenobium, cui tum venerandus ille Lambertus praefectus erat, celeriter advolavit, in illorum fratrum sodalitatem se admitti petiit, nec difficulter, Abbate et fratribus ejus preces libenter admittentibus, impetravit.

§ **4**. Ubi ex more instituti monastici in Cella, ut vocant, novitiorum probatus, ita perfectus inventus est, ut vitae integritate non modo recentiores et juniores, sed illos etiam, qui ad multam jam perducti aetatem, longa vitae spatia sub perfectionis habitu transmiserant, et in vitae contemplativae studiis omnes corporis vires pene detriverant, non solum assequi, sed etiam certissimis indiciis excellere videretur. Expleto inde probationis tempore, ut habet Regulae seu Canonis monastici consuetudo, monachum adhibita sacra promissione professus est: atque omnibus mundi pompis plane proculcatis, tot commilitonum fultus praesidio, bellator strenuus tàm est viriliter virtutum omnium consectatus iter, ut non solum nullis malorum daemonum pravis suggestionibus cesserit unquam, sed mox a primo initio pestiferum antiqui serpentis contriverit caput. Adhibebant illi nequam spiritus sua tentamenta, sed omnia viro sancto vertebantur in materiam triumphi. Erat ille nimirum charitate fervidus, fide devotus, obedientiâ praecipuus, in oratione assiduus, spe firmus, tranquillus patientiâ, abstinentiâ moderatus, strenuus in vigiliis, denique ita cunctis virtutibus instructus, ut inter caeteros

Digitized by Google

sacrae professionis commilitones tanquam quidam Lucifer illustrior appareret.

§ 5. Quod ut haud obscuris indiciis venerabilis Abbas Lambertus animadvertit, quem regularibus instituendum disciplinis susceperat, haud secus atque magistrum pro virtutum splendore et venerabatur, et amabat: dignumque eum censens, qui sacris aris admoveretur, ab ejus loci episcopo sancto Audoëno presbyterum voluit consecrari. Ille vero sacerdotio initiatus, tanta erga illud sacrum ministerium animi devotione ferebatur, ut quotidianum Deo sacrificium studiose offerens, seipsum pariter maceratione sui corporis hostiam vivam Domino exhiberet. Cumque per id tempus contigisset ut Nannetensis (*a*) Ecclesiae Episcopus, viros religiosos ab Abbate Lamberto posceret qui Monasterium, magnopere hanc rem Clero populoque exoptante, in suae Dioecèseos fines instituerent, Hermelandus cum sociis mittitur, novo coenobio praefuturus.

§ 6. Ad Nannetes igitur perrexit Lamberto hortante Hermelandus, ac Praesulem illico adiit, eique dixit: « Jubeas nobis apparari naviculam, qua per Ligerim ad mare usque subvecti, omnia ejus litora lustrare possimus: quod si locus coenobio construendo opportunus non apparuerit, per omnem ditionem tuam locum idoneum inquiremus. » Cui sic antistes respondit: « Non ego necessarium puto ad mare usque vos fatigari. Sunt enim insulae quaedam, ab hac urbe tribus disjunctae milliaribus, quas hic fluvius circumfluit, atque insuper mare exaestuans quotidie ter ambiendo alluit. Quae autem sit earum insularum fertilitas, vel quae magnitudo, mihi hactenus per curas ecclesiasticas explorare non licuit. Sed tu, quaeso, eas lustra accurate, et ad me, quae videris, referto: maxime, num possit in aliqua ex iis coenobium constitui. » His dictis, actutum jussit praesto esse navim: quam Hermelandus ingressus, rogavit Dominum, ut locum aptum ipsi indicare dignaretur. Nautae vero celeritate usi, ad insulam appulerunt, caeteras amplitudine superantem. Tum Hermelandus e navi exiens, comperit eam in longum obtinere stadia quatuor et viginti. Porro in aliarum insularum medio sita, in sublime sustollit verticem, montosa in medio: atque idcirco immunis ab inundatione tum Ligeris fluvii, tum exaestuantis maris, tutam praebet incolis habitationem, nec desunt illi amplissima spatia, tum ponendis colendisque vitibus, tum hortis quoque et pratis efficiendis opportuna. Nec patet ad eam accessus, nisi quis navi subvehàtur. Habet vero etiam sylvas densas.

§ 7. Quae sane omnia, tum quoque nonnulla abstrusa loca virum Dei permoverunt, ut eam Antrum vellet appellari: quemadmodum insulam ad Austrum sitam, hac quidem spatiis minorem, sed habitudine vel specie illi simillimam, Antriginum

(*a*) *Nantes* in Britannia minori.

Digitized by Google

vocavit. Reperit autem illic in quadam aedicula oratorium beatissimi confessoris Martini. Erant etiam illic armentarii non pauci quod ejus ubertas alendis pecoribus esset valde opportuna. Piscatoribus autem circumcirca tam ex Ligeri quam ex mari tanta suppetebat piscium diversorum generum copia, ut illis qui in aliis fluminibus capiendis piscibus navant operam, res videatur incredibilis, nisi coram inspexerint. Nec tamen vulgi perstrepentis illic audiuntur voces, sed varii generis avium jucundae resonant melodiae et in iis olores dulci fundunt modulamine cantus. Denique tantum illic silentium, tanta tranquillitas est, ut anachoreticam appetentibus vitam, mirificum erèmi desiderium adferre videatur. Quae quidem omnia posteaquam vir Dei Hermelandus partim suis oculis, partim vicinorum relatione cognovit, exultans in Domino, ocyus ad Pascharium episcopum regressus, « Fateor, inquit, nunquam me neque amoeniorem, neque extruendo coenobio aptiorem vidisse locum duabus illis insulis quas hodie perlustravi.» Iis auditis, laetabatur antistes, et gratiis actis omnipotenti Deo, toto illo die egit cum Hermelando de coenobii structura: cumque diu mutuis sese colloquiis spiritalibus adhortati essent, tandem cibum una sumpserunt. Inde divinis absolutis laudibus, cubitum iere: rursusque post brevem somnum ad preces reversi quicquid noctis supererat, in Dei laudibus transmisere.

§ 8. Postera die Hermelandus benedictione ab episcopo accepta post mutuos amplexus, ad insulam reversus, locum aptissimum designavit, jactisque aedium fratribus necessariarum fundamentis, tam illas quam templa duo, alterum sancti Petri, alterum sancti Pauli Apostolorum cum universo coenobio, Domino opitulante, brevi exaedificavit, non segnem ei navantibus operam permultis ejus regionis incolis. Deinde Episcopus ecclesias dedicaturus advenit, postea beatum Hermelandum ad regis aulam secum ducens, regi Childeberto eum ejusque coenobium et fratres omnes deinceps tuendos commendavit. Scripsit vero idem rex sanctionem, eamque beato Hermelando tradidit, de illo monasterio et rebus ejus, puta ne quisquam omnino fratribus illic degentibus molestiam excitaret, sed ut regia illi freti protectione, absque alicujus infestatione, liberis animis pro rege totiusque regni pace Dominum precarentur. Ea regis benevolentià et amicitià cohonestatus vir Dei, ad monasterium se recepit. Ex eo tempore multi, contempto seculo, ad illud coenobium conversionis gratià confluxere, monasticum complexi institutum: multi suas proles illic Christo militaturas obtulerunt. Porro vir Domini Hermelandus omnes et verbo et exemplo ad vitae contemplationi deditae studia incitavit. Et ingens sane fratrum numerus illic excrevit qui sub tanto patre tantos in virtutibus et vitae sanctitate fecere progressus, ut jam fama illorum longe lateque sese diffunderet, et in eorum sanctis studiis omnes, ad quorum

notitiam perferebantur, magnificarent patrem eorum qui in coelis est.

§ **9**. Nocte quadam vir sanctus pro sua consuetudine in ecclesia S. Petri Apostoli divinae contemplationi intentus, Abbatis Maurenti, viri valde venerabilis, animam e monasterio sancti Florentii quod Glannam vocant, ab Antrensi coenobio ad triginta distante milliaria, ducibus angelis, relicto corpore, migrare vidit ad coelos. Cumque in eam diu oculos defixisset, signo dato fratres convocavit, jussitque ut Maurenti Abbatis animam Domino commendarent. Fecerunt hoc illi quidem prompta et alacri obedientia: at mirabantur tamen, cum inter utrumque monasterium tam longa itineris spatia intercedant, quonam pacto vir Dei animam ejus e corpore abeuntem videre potuerit. Ut igitur de tota re certiores redderentur, hominem ablegare statuere qui de obitu Maurenti Abbatis inquireret. Ecce autem adsunt fratres e sancti Florentii monasterio, suamque plorantes orbitatem, Abbatis sui excessum nunciant. Adhibebant autem illis Antrenses monachi fraternae consolationis pia fomenta, simulque qua horâ defunctus esset Abbas, percontabantur. Quam sane eamdem omnino fuisse didicerunt qua ab Abbate suo Hermelando eum migrasse audierant.

§ **10**. Contigit quandoque virum Dei cum aliquot fratribus iter habere per Nannetensem pagum. Forte tum illis obviam venit Arnoldus quidam, multa dignitate multisque divitiis insignis, magna obsequentium turbâ stipatus. Ad eum prolixe tum e scripturis divinis sermonem habuit vir sanctus, optimis eum sermonibus instituens. Iis jam finitis, dixit uni e fratribus: «Hactenus quidem pro ingenioli nostri tenuitate huic illustri viro spiritalem ministravimus potum: at nunc superest, ut hortante nos charitate, corporalem etiam pariter sumamus.» Respondente fratre, perexiguum illic vini adesse, quodque vix heminae mensuram excederet: hocipsum vir sanctus jussit adferri, in illius virtute confidens qui quinque panibus, quinque hominum millia abunde refecit. Allato vino, signum crucis expressit, porrigique jussit Arnoldo quem diximus, cunctisque qui illum comitabantur. Distribuitur mox omnibus, singuli singulos bibunt calices plenos, nec tamen vinum exhauritur. In cujus sane praeclari miraculi testimonium vasculum illud, unde vinum fundebatur, in sancti patris asservatur monasterio.

§ **11**. Consuevit vir Dei Quadragesimae diebus ob vitandam hominum frequentiam qui illum fratresque visitaturi, cum oblationibus ad monasterium adventabant, Antriginum petere, atque illic cum paucis fratribus multa abstinentiâ corpus suum macerare, ut in Paschali solemnitate posset seipsum Deo hostiam gratissimam exhibere. Accidit autem quodam die, ut vigiliarum et precum instantiâ defatigatus, sub divo animi causâ nonnihil

Digitized by Google

deambularet et deinde in litore parumper sessum se reponeret. Aderat tum quispiam qui diceret Nannetensem episcopum habuisse piscem, quem vulgo naupraedam vocant. Ad quem vir Dei, « Et quid isthuc, inquit. frater ad rem pertinet? An vero putas imbecillam esse Dei manum, ut non possit etiam nobis ejusmodi largiri piscem?» Necdum vera sua expleverat vir sanctus et ecce ejus generis piscis ab ipso Ligeris fundo sese subrigens, celerrime ad illum adnatavit et ante ejus pedes in arenas prosilivit. Ille non ignorans divinitus hoc ipsi munus oblatum, cum gratiarum actione jussit levari e terra, dixitque uni e fratribus: «Tolle hunc piscem fili, et in tres partes seca: quarum una apud nos permaneat, reliquae duae in monasterium ad fratres mittantur.» Factum est, ut imperarat: et accidit res sane admirabilis. Nam sancti viri meritis ita fratres omnes, tam qui cum illo erant, quam qui in monasterio versabantur, quorum certe erat non exiguus numerus, tantillo pisce exatiati sunt, ut magna piscium copiâ usi fuisse viderentur.

§ **12**. Magna erat in sancto viro prudentia et moderatio qua ita noverat demandatum ipsi exercere ministerium, ut nec pro sui custodia fratrum curam negligeret: nec ita fratribus sustentandis, iisque necessariis procurandis esset addictus, ut sibiipsi negligenter invigilaret. Quod ut accurate praestare posset, interdiu res illas curabat quae essent fratribus necessariae. Porro nocturnis horis post somnum brevem, quem tamen humanae fragilitatis necessitate adactus potius, quam vel modicae quietis studio et amore captabat, totus in rerum coelestium contemplatione, atque in sanctis precibus et psalmodiis versabatur. Nec segniter in eam curam vir Dei incumbebat, ut continenter ad altiora proficeret et quotidianis virtutum incrementis animi puritatem cumularet. Itaque quadam nocte in Antrigino insula (ubi, sicut ante dictum est, tempore Quadragesimae corpusculum suum rigida abstinentiâ conficiebat) in oratorio sancti Aniani illo ambulante, via, cui insistebat, reliquo pavimento candidior visa est: atque adeo locus ille, in quo fixus in oratione permanere consueverat, tali est candore perspicuus, ut usque in praesens quotquot ad eum accedunt, perspicue intelligant, quanta ejus pectus munditiâ et candore nituerit.

§ **13**. Jam partes occiduas famâ sanctitatis ejus longe lateque pervagatâ, etiam in Aquilonis regiones sese intulit. Nam cum aliquando in pago Constantino * res monasterii necessario perlustraret, quidam ejus loci nobilis vir, Launus nomine, illum cum discipulis ejus vocavit ad prandium. Non recusavit vir sanctus, ut erat comis, affabilis et jucundus. Ingressus igitur domum ejus, bene illi precatus est. In ea autem regione humus non gignit botros. Inde accidit, ut Launus non nisi parum haberet vini

* Franco idiomate *Coutances*, in Normannia

in vasculo quodam. Et quidem tanto ille hospite laetus, convocavit amicos, ex eoque vino non illis dumtaxat, sed etiam pauperibus et peregrinis supervenientibus jussit liberaliter distribui. Biberunt omnes hilariter et interim Domino benedicente, non modo nihil de vino decessit, sed vasculum propèmodum vino redundare visum est. Et illo quidem die ea de re silentium fuit: at luce altera intantum per omnem illam regionem divulgata est, ut incolae omnes plane sibi persuaderent ea sanctitate esse virum Dei, ut si quid in eum a quoquam collatum esset beneficii, non solum nihil ejus facultatibus decessurum, sed multum etiam accessurum ultra illam quae illi in coelis esset reposita, mercedem. Peracto prandio, vir Domini ad aedes suas in villam Oglandam rediit. Porro Launus postridie ex uxore sciscitatus est, an ne vel parum aliquid vini superesset, quod ad virum Dei pro benedictione transmitteretur. Abiit uxor et diligenter vase inspecto, plenum illud rèperit: moxque viro indicavit. Ille exhilaratus, mittit inde ad virum sanctum, simulque certiorem eum reddit, quanto ipsum Dominus ob ejus merita beneficio affecisset. At vir sanctus jussit eum rem tacitam habere, rogans ne ipsius meritis ascriberet quod in pauperum subsidium divinitus ejus liberalitati donatum esset. Launus vero pernegabat suae liberalitatis causâ id fecisse Dominum, sed ob sola ipsius sancti viri merita tale miraculum contigisse. Erat sane inter eos pro humilitate amica contentio, sed nemo ambigit B. Hermelandi meritis ascribendum esse tam insigne divinitatis miraculum.

§ 11. Cernens autem perniciosus daemon eximiis virum Dei pollère virtutibus, nec posse se ullis tentationum machinamentis eum vel ad breve tempus in peccati consensum impellere, coepit commovere quósdam ad infestandum illum, creandasque illi molestias: ut si non posset domum ejus, in firma petra fundatam, penitus evertere, hoc saltem in lucro deputaret, si vel ad momentum ejus perturbasset animum. Excitat ergo rusticum quemdam, isque improba cupiditate inflammatus, de ephippio sancti viri quippiam praecìdit. At mox illum divina ultio persecuta est. Nam repente coepit tanquam ignibus inflammatus conflagrare, magnosque ejulatus edere; simul etiam compellare virum Dei his vocibus: « Succurre mihi, sancte Hermelande, nam pro furto exiguo, quo rem tuam mihi ausus sum vendicare, poenas luo inaestimabiles. » Et haec dicens, rem furto ablatam, e sinu pròtulit et abjecit quae hodieque in oratorio beati Petri Apostoli, quod est in Oglenda Cella, suspensa manet. At sanctus pater hominem scelere vinctum, precibus absolvit, et cibo potuque abunde refectum, admonitumque ne deinceps maligno hosti assensum praeberet, incolumen a se dimisit. Alius quoque, stimulante cupiditate, boves sancti viri qui onusta lignis plaustra trahere solebant, furto abstulit. Sensit vir Dei magno se commodo destitutum:

Digitized by Google

sed tamen aequo ferens animo, ad solita orationum praesidia se recèpit, rogans Dominum, ut boves abacti restituerentur. Tanta vero fuit earum precum vis, ut miser ille qui boves procul abigere moliebatur, multo confectus labore, mane ad coenobii fores eos adduxerit. Gavisus vir Dei, recepit boves suos: porro furem blande castigatum, admonuit, ne posthac se ab inimico daemone in flagitium impelli pateretur: ne et hic obnoxius crimini, poenas daret et postea apud inferos aeternum cruciaretur.

§ **15**. Agatheus vir inclytus, Nannetensis atque Redonicae urbis * comes, utriusque loci episcopatum occupans, Antrensem insulam tum precandi, tum colloquendi cum viro Dei causâ adiit. Acceptus est autem a sancto viro non inhumaniter. Facta oratione, vir Domini ejus quaedam facta reprehendit, hortabaturque ut resipisceret. Deinde in refectorium, ut vocant, eum perduxit, jussitque vini calicem illi praeberi. Cujus cum partem dimidiam exhausisset, velletque calicem reddere fratri, vir sanctus hortabatur ut ebiberet: attollensque dexteram manum, denuo crucis signum supra calicem illum expressit. Necdum manum retraxerat, et ecce subito intantum repletus est calix, ut vinum redundans in brachia comitis efflueret. Tum vero ille se tanti sacerdotis consessu indignum judicans, celerrime ad pedes ejus tremebundus corruit, obsecrans ut pro ipsius peccatis Dominum deprecaretur. Ita ille externo compulsus est miraculo, ejus, de qua infidus dubitabat, agnoscere sanctitatem. Nec dubium est, signum hoc, divina dispensante providentiâ, idcirco contigisse, ut bruta mens quae sanctae exhortationis verbis nihil movebatur, vel timore perculsa, ad meliorem se frugem recipere cogeretur. Et ex illo quidem tempore non parum ille de pristina crudelitate remisit.

§ **16**. Invisebat quodam tempore sanctus pater utilitatis gratiâ possessiones monasterii sui. Venit autem ad Pauliacum villam: ubi cum cuncta, prout res poscere videbatur, expedivisset, jam nocte impendente, suo more pervigil in divinarum rerum contemplatione permansit, noctemque duxit insomnem. Interim sub ipsa coelestium speculatione vidit in Aquitaniae partibus in Creaene Cella sive monasterio suo quod ei scripto traditum fuerat, et ab eo loco, ubi tum ipse degebat, ad 80 aberat milliaria, cujusdam venerabilis monachi animam qui ejus fuerat institutionibus imbutus, atque eâ causâ illic ab eo constitutus, ut tum illud, tum Colonense quoque curaret monasterium sive Cellam, e corpore migrantem, atque angelicis fultam praesidiis, rectâ ad coelos tendentem. Mox edito signo, fratribus visum aperit. Non deerant tum in iis ipsis quidam aetate juniores qui sanctum virum, jam multo confectum senio, delirare putarent. At ille Domino adhaerens, eo spiritu, quo procul viderat animam fratris e corpore

* *Rennes.*

Digitized by Google

decedentem, etiam horum non solum dicta, sed etiam cogitationes cognovit. Illorum enim diffidentiam arguens, certissime confirmabat jam dicti fratris animam, corpore solutam, sempiterna in coelis requie potiri. Vera autem illum dixisse, et quidem eàdem, qua dixerat, horâ illum fratrem obiisse, nunciorum ab illo monasterio venientium verba comprobarunt.

§ 17. Ita nimirum vir sanctus, inter necessaria illa ministeria quae curae fratrum ipsi commissorum impendenda erant, non neglexit ea studia quae ipsi quotidiana virtutum augmenta conciliarent. Non ille visus est, ut solent plerique veterani, sub aetatis grandaevae praetextu remissius gerere: sed cum aetate accrescente, virtutum cumulandarum desiderio, aliquid potius ad conversationis rigorem, quatenus quidem ferre potuit, adjicere curavit: non minimam se jacturam fecisse arbitratus, si non quotidie aliquid virtutum ejus exercitiis accessisset. Itaque cum provecta jam esset aetate, parvum oratorium in honorem S. Leodegarii martyris ad fores monasterii orientales extruxit: ubi abdicata pastorali administratione, quam non ambitione, sed necessitate diu gesserat, facta quoque fratribus potestate alium ejus loco sibi patrem deligendi, sese inclusit, ut curis omnibus expeditus, libere soli divinae posset esse contemplationi intentus. Accessit eo etiam regis consensus et fratrum, tametsi ii non parum diu tanto se patre destitutos luxere. Adjunxit autem sibi quatuor fratres ejusdem propositi, quos una secum inclusit.

§ 18. Porro fratres coenobii Antrensis subrogarunt ei Adalfredum Abbatem, rege id approbante. Verum ejus electioni B. Hermelandus interesse noluit. Et ille quidem oblitus se patrem esse, malignis daemonis instinctu depravatus paternam functionem mutavit in tyrannidem. Nam tum sui, tum fratrum necessariam curam abjiciens, rebus supervacaneis sese dedidit, et ab interioris vitae studiis justo Dei judicio prolapsus, sola externa sectatus est. Extruxit vero etiam sibi aulam, non contentus structuris necessariis, animi quodam fastu eum impellente. Quod ut rescivit B. Hermelandus, cum ob multa ejus non recte facta illum objurgaret, inter caetera ait: «Quid est hoc frater, quod posthabitis animorum lucris, fratrumque necessariis negotiis, in res supervacuas te totum effundis? An non satis multa hic tibi videntur constructa aedificia? Obtempera, quaeso, dictis meis, et his contentus esto. Alioquin hoc in loco nihil abs te exaedificabitur.» Hoc autem vir sanctus prophetico dixit spiritu, sciens divinam ei impendere ultionem quae illo anno tolleret eum e medio. At ille animo obcaecatus, viri Dei aequissimas admonitiones contemnens, fratribus etiam necessaria subtraxit alimenta: atque illis etiam qui cum S. Hermelando erant, statutam jussit annonam negari. Nec hoc contentus, fratres dirissime voluit flagellari. Accidit autem, ut ea crudelitate etiam in unum ex iis, qui apud

Digitized by Google

S. Hermelandum degebant, immaniter saeviret. Qui nimio dolore compulsus, ita dixit: « Pater Hermelande, cur nos vivus deserere voluisti? » Quod audiens miser Adalfredus, praecepit atrociores illi admoveri cruciatus, dicens: « Non tibi quicquam tuus opitulabitur Hermelandus. » Tandem evasit ille, et celeri cursu ad S. Hermelandi Cellam properans, humi se abjecit, multumque ejulans dixit: « Ecqua in nobis, pater Hermelande, flagitia invenisti, ut nos sub tanta crudelitate relinqueres? Utinam liceat excedere e vita, ne tam immanis tyranni injuriis exagitemur. » Porro fratres qui cum illo erant, indicarunt viro Dei, quam dira fame afficerentur. Tum vero ingemiscens vir sanctus, «Silete, inquit, fratres, silete.» Videbitis repentinum ejus interitum. Nec enim vel unius mensis spatio licebit ei lucis hujus usurâ perfrui. Tertio abhinc die miser ille Adalfredus in visione se vidit pro sua inobedientia scipione beati Hermelandi verberari, atque ejulans coepit velut ignibus inflammatus dire torreri: sicque et aeterna et temporaria affectus morte, vitam pariter cum Abbatis functione repente amisit: licet autem sepulturâ indignus esset, at tamen, hortante viro Dei, fratres eum terrâ condiderunt.

§ **19**. Illo extincto, collecti in unum fratres, S. Hermelandum valde obnixe rogarunt, quandoquidem sua illos praesentiâ voluit esse destitutos, uti ne sineret eos rursus in Abbate deligendo aberrare: sed ipse eis Deo dignum crearet Abbatem qui ejus vestigiis insistens, viam Domini ipsos edocèret. Flexus vir Dei fratrum precibus, jussit adesse unum e fratribus, quem ipse divinis imbùtum disciplinis, in bonis actibus educaverat. Donatus is dicebatur. Hunc propensa omnium voluntate Abbatem constituit, simulque instituit, quemadmodum et in temporariis et in spiritalibus rebus administrandis et sedulum atque solicitum sese exhiberi. Et ille quidem sancti viri optimis institutionibus sese accommodans, Christo juvante, magistroque pro illo apud Deum intercedente, humilitate et charitate egregie instructus, monasterium quoad vixit, cum multa laude gubernavit.

§ **20**. Hucusque vitam et virtutes hominis Dei, quas per illum Dominus efficeret dignatus est, utcumque digessimus: sed tamen non nisi paucis commemoratis, praetermissis vero plurimis: nunc ad ejus obitum qui fuit illi aditus in vitam sempiternam, veniendum est. Posteaquam igitur permultos ab improba vita ad Dominum convertit, et ad Christi fidem traduxit, postquam in monasteriolo (cellam vocat auctor) dies non paucos inclusus, Deo soli vacans, precibus suis aegrotis multis pro ejus fama sanctitatis ad ipsum confluentibus, pristinas reformavit vires, cum jam veneranda canities ejus ad id usque virtutis excrevisset, ut propemodum nihil ei perfectionis accedere posse videretur, prophetico spiritu, quo multa jam ante praeviderat, sui etiam obitus diem quibusdam fratribus non diu post futurum praedixit. Illi

Digitized by Google

autem crebro experti, habere illum donum prophetiae, incunctantem verbis ejus fidem commodarunt, et illo, quo se moriturum dixerat, die pariter congregati, eum valde rogarunt, ut quemadmodum in terris eis fuisset magister justitiae, ita in coelis perpetuus non dedignaretur esse patronus et intercessor. Quos ille omnes singulatim, ut in sancto permanerent proposito hortabatur, ac deinde corporis et sanguinis Domini sacramento sese praemuniens, longa jam fractus aetate, inter verba orationis feliciter spiritum in manus efflavit benignissimi Creatoris: obdormienti similior, quam morienti, tamque alienus a mortis acerbitate, quam fuerat ab omni foeda carnis libidine. Conditus autem est in ecclesia Pauli Apostoli juxta oratorium Wandregisili, in abside, quae vergit ad Austrum. Multi vero ad ejus tumulum magna divinitus sanitatum beneficia sunt adepti.

§ **21**. Cum autem jam multi fluxissent anni, quadam nocte Sadrevertus, ejus coenobii venerabilis monachus, vocem audivit ejuscemodi: «Cras, ubi surrexeris, dic Abbati tuo, ut corpus sancti Hermelandi in ecclesiam beati Petri Apostoli transferat, et honorifice admodum condat apud altare.» Abbas a Sadreverto, quem pro ejus sanctitate non mediocriter amabat, haec audiens, magno afficitur gaudio, sacrumque sancti viri corpus cum sarcòphago èlevans, cum hymnis, canticis et lampadibus thurisque suffitu, fratribus eum comitantibus, quo fuerat jussus, deportavit. Die autem tertio tanta suavissimi odoris fragrantia ex eo monumento erùpit, ut primum aedes sacra, deinde universum coenobium illo compleretur, atque in octavum usque diem perpetuo perduraret.

§ **22**. Longum esset referre miracula omnia quae ad sancti viri sacras reliquias divinitus declarata sunt: nos ex iis pauca dumtaxat commemorabimus. Rusticus quidam, Sicbaldus nomine, sanctae resurrectionis Dominico die flagellum arripuit, et ad excutienda frumenta accessit sane quam temere. Non dormitavit autem divina vindicta. Subito flagellum adhaeret manui, et dissolutis membrorum juncturis, caput et brachia caeterosque artus horrendum in modum agitabat. Non potuit ulla vi vel ad momentum se comprimere, quo minus horribili membrorum tremore quateretur. Proficiscitur igitur Turones ad S. Martinum, cujus quidem intercessione id obtinuit a Domino, ut flagellum ex ejus manu exiliret: verum tremor ille corporis nihilo fuit remissior. Nocte proxima in somnis videt S. Martinum, auditque admonentem, ut si velit ab illa membrorum agitatione absolvi, Antrensem insulam, S. Hermelandi confessoris suffragia petiturus, accedat. Credit ille verbis beatissimi Martini, celeriterque se confert ad Antrum insulam, prostratusque coram tumulo S. Hermelandi, salutem quam expetiit, non difficulter impetravit. Cum enim fratres vespertinas Domino laudes persolverent, apparuit

illi senex quidam, stolâ candidâ indutus, decòra canitie venerabilis: isque dextrâ illi annuit, ut ad ipsum accederet. Vult ille propere ire ad vocantem se, sed mox in medio fratrum psallentium choro corruit, ibique diu jacens et orans, tandem manum ad fratres extendit, quorum operâ e terra sublevatus, pristinae se sensit incolumitati restitutum.

§ **23**. Multorum Antrensis coenobii monachorum qui hominem illum, de quo dicturus sum, noverunt, relatione didici sequens miraculum: Aldefredus quidam, jam annos natus octoginta, ab ipso primo ortu caecus et claudus fuit. Is sanitatis obtinendae causâ Romam profectus est, oraturus ad sacrum corpus beatissimi Apostolorum Principis Petri. Apparuit autem ei cum bona fiducia aliquandiu illic haerenti beatus Petrus, aitque ad illum: «Abi Turones, et precibus S. Martini pedum ac manuum accipies sanitatem. Inde proficiscere ad insulam Antrensem, et apud tumulum S. Hermelandi lumen consequèris.» Abiit homo, oravit ad S. Martini sacras reliquias: solvuntur manus quae pectori, itemque pedes qui natibus adhaeserant. Mox pròperat ad S. Hermelandum, orantique se videndum offert vir sanctus, tenet manu mentum ejus, sacros pollices ejus imponit oculis, dicens: «In nomine sanctae et individuae Trinitatis respice.» Evìgilat ille, respicit, et ut ipse asseruit, sanctum virum a tergo instar fulguris micantem videt. Luce proxima abluit cruorem qui ex palpebrarum diruptione fluxerat, et sanis oculis cum magno stupore coram omnibus omnipotentis Dei, quas ante non viderat, miratur creaturas. Quod autem beatissimus Apostolus, ad cujus umbram olim adhuc in terra degentis curabantur aegri, hunc hominem curandum ad alios remisit, idcirco fecisse putandus est, ut omnibus innotesceret, quam illorum sit efficax apud Deum intercessio, si cum fide eorum poscantur suffragia. Haec quidem et plura alia quae studio brevitatis praetermisi, multorum Antrensium fratrum qui hodieque supersunt relatione cognovi, et certe permulti etiamnum memoriâ retinent beatissimi viri sanctam conversationem, Amen.

VITA S. LUDGERI
PRIMI EPISCOPI MONASTERIENSIS
SCRIPTA PER MONACHOS COENOBII WERTHINENSIS SIVE VERDENENSIS, A SANCTO LUDGERO EXTRUCTI, EJUS CONTEMPORANEOS.

Anno decessit 809 — Nat. Frisius.

§ **1**. Quia, attestante Scripturâ, opera Dei revelare magnificum est, operae pretium nobis videtur, si de virtutibus sancti ac beatissimi patris Ludgeri, et de coelesti ejus in terris vita aliquid

Digitized by Google

conscribamus. Dignum est enim, ut mortalibus vita ejus declaretur, cujus nomen in libro vitae adscriptum tenetur. Sic quippe illud Psalmistae implebitur: *In memoria aeterna erit justus* (*Psal.* 111): dum ejus merita et virtutes nobis sine literis per transitoria et per succedentia sibi tempora scriptura repraesentat. Ad quod opus quamvis nos qui proprii ejus alumni sumus, et debitum trahat et voluntas: scientiae tamen tenuitas, et suspecta quorumdam de narrandis virtutibus fides repellit *. More namque humani ingenii, quo filii, si deformiores parentibus pulchris, et parentes forte minus laudabiles, filii laudabiliores videntur: plerosque aestimaturos putamus, sancti hujus patris et nostri specialiter patroni actus, vel supra meritum nobis placuisse, vel supra modum esse laudatos. Qua in re quamvis libere fateamur nos eum omnino non posse, quantum volumus, laudare, huic tamen vel cogitationi, vel objectioni, quadrifarie videmus posse occurri. Nam qualecumque sit quod scribimus, hoc aut sapientiores lecturi sunt, aut insipientiores. Si sapientiores, dummodo vera dicantur, juxta Apostolicum dictum, libenter sufferent insipientes, cum sint ipsi sapientes: si insipientiores, sui consideratione et aliorum non immerito minorem sapientiam tolerabunt. Et certe si quibus aliqua de his quae dicturi sumus, dubietas intervenerit, fidem illis aut nova quae ad ejus modo tumbam miracula fiunt, persuadere, aut sanctissimae ejus vitae conscii qui adhuc aliquanti in corpore supersunt, inculcare valebunt. Proinde quamvis plura alia per eum Dominus fecisse feratur, nos ea solummodo in hoc opusculo ponemus quae aut ab illis cognovimus qui ejus jugiter conversationi interfuerunt: aut in schedulis, quamvis ordine confuso, posita invenimus: aut certe quae oculis nostris ad sacrosanctas sui corporis exuvias gesta esse perspeximus. In quo opere ea moderatione stylum pro ingenioli facultàtulâ temperare curabimus, ut nec contractior brevitas intellectui obsistat, nec progressior copia fastidium gignat. Itaque Christo favente, et sanctorum meritis nobis patrocinantibus, atque potissimum nos adjuvante, de quo scribere disponimus, ad Dei laudem et ad servi sui glorificationem, ad audientium profectum, vitam sancti et beatissimi Confessoris Christi Ludgeri, quanta possumus veritate evolvamus.

§ **2**. Ludgerus ex Frisia oriundus fuit. Parentes ejus non solum ad seculum nobiles, sed et in fide catholica Christianissimi erant. Avus ejus, nomine Wrisingus, ex illa primum familia Christo nomen dedit. Is Ado cognomento, a Rege Radbodo, qui tunc Frisiae imperitabat, ob justitiae defensionem a patria effugatus, et in Franciam pulsus est. Sed cum post mortem Radbodi, Carolo regnante, Frisia Francorum accessisset imperio, ab ipso demum ad patriam causâ fidei roborandae remissus est.

* **Prologus ad exordiendam Orationem laudatoriam aliquando aptissimus.**

Digitized by Google

§ 3. Hujus filius junior, vocabulo Thiadgrinus, sancti viri pater erat: mater Liafburga dicebatur. Haec aviam ex paterno genere habebat gentilem. Quae cum doleret filio tantum filias nasci, furore foemineo succenso, matrem sancti viri eadem, qua nata fuerat, horâ aquis necari praecepit. Unde cum juxta crudele ejus mandatum, situlae aquâ plenae a mancipio, cui hoc erat injunctum mergeretur, puellula brachiolis extensis, utràque manu marginem situlae apprehendit, et quibus potuit viribus renlti, ne mergeretur, coepit. Mirandum plane spectaculum, natam sub ea hora parvulam aetati perfectae reluctari. Itaque in hac eorum colluctatione prorsus mirabili, juxta misericordissimam Dei dispositionem, vicina mulier supervènit, et pietate mota, infantulam de manu mergentis eripuit. Et quia, juxta superstitionem gentilium, semel aliquid gustantes illicitum erat necari infantes, cum puella festina domum regressa, ori ejus de melle aliquantulum immisit: quod cum statim ipsa sorbuisset, ab imminentis mortis periculo liberata est. Nam cum ipsi, quibus ad perimendum parvula fuerat commissa, neque eam contra suae religionis sectam perimere praesumerent, neque suae tarditatis moras dominae, quae in tota filii domo dominabatur, profiteri auderent, ipsi eam, quae eripuerat, mulierculae furtim nutriendam permiserunt: et ita demum occulte in dòmo ejus per nutricem aliquanto tempore educata, post aviae mortem matri restituta est. At quis tantillae infantiae intelligentiam, quis fortitudinem praebuit resistendi? Tua hoc pietas Deus, tua clementia fecit. Ipsa eam meritis sancti Ludgeri, qui ex ea postea nasciturus erat, et ab imminenti discrimine liberavit, et futurae ejus generationi reservavit. Felix plane tanta prole et talibus sui ortus auspiciis mater.

§ 4. Ubi jam baptizatus, sensim puerulus ambulare et in verba balbutienti adhuc linguà prorumpere coepit, canum statim sensum et cor senile assumpsit. Moribus quidem non immaturis et vitâ immaculata teneram aetatulam transcendens, nullis animum illecebris, nulli dedit voluptati. Lusum, pueris admodum familiarem, tanquam pestem fugiebat: Scripturas, quas necdum per aetatem discere quivit, jam se animi affectu praemeditati certis quibusdam indiciis praemonstrabat. Nam aliis pueris ludentibus, ipse arborum cortices colligere, quibus uti ad luminaria solemus, et inde quasi libellos componere consuevit. Quos, cum forte liquorem invenisset, festucâ utiliter, ut sibi videbatur, inscriptos nutrici, acsi proficuos admodum libros, tradidit custodiendos. Et haec quidem ille juxta hoc, quod Apostolus dicit, *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus* (1 *Cor*. XIII): sensu puerili, acsi infantulus, agebat: caeterum Deus, cujus providentissima dispensatione nihil in terra fit sine causa, istis eum signis

Digitized by Google

doctorem Ecclesiae esse futurum, portendit. Denique cum ab aliquo interrogaretur, quid per diem operatus fuisset, se per totum diem aut libros composuisse aut scripsisse, aut legisse respondit. Qui cum ulterius inquireretur, quis eum docuisset: « Deus, inquit, me docuit. » O vere Apostolica, et perfecto viro digna, et in tantillo pectore miranda omnino doctrina. Nonne his verbis dixisse videtur: « Cur me interrogatis, quis me docuerit, quasi quisquam alius singulos doceat, quam Deus? Quis aperit ora mutorum, et linguas infantium facit disertas, nisi Deus? Nisi Deus mentem intus docuerit, laborare forinsecus homo potest, proficere non potest. Deus ergo me docuit, qui me creavit: non homo. » Talis erat prima viri aetas, tali ejus infantia tyrocinio militabat.

§ 5. Verum ubi cum aetatis processu Ludgerus scientiâ simul et meritis accrevit, literis demum imbui ardenti admodum voto cupiebat. Sciebat enim plerosque, juxta Apostolicum dictum, zelum Dei habere, sed non secundum scientiam. Unde ne contra propositum et voluntatem suam ignorantiâ forte in aliquo laberetur, parentes proprios adiit, obnixe postulans, ut eorum industriâ alicui erudito in scripturis viro commendaretur. Parentes piae intentioni ejus et voluntati congratulantes, dignas inde Deo gratias egerunt, et ejus quantocyus votis satisfacere curaverunt.

§ 6. Erat ea tempestate et literarum scientiâ, et morum probitate vir merito non infimus, nomine Gregorius, qui discipulus simulque successor sancti Martyris Bonifacii, Trajectinae sedi in gradu presbyter praesidebat. Hujus curae et solicitudini virum Dei parentes commendaverunt. Qui ejus sagacitate simul et devotione comperta, benigne susceptum et cum honore habitum studiosissime enutrire studebat. Ubi non minimum vel in timore Domini et servitio divino, vel in Scripturarum documentis proficiens, et mundialibus negotiis abrenuntiare cogitabat. Noverat enim Apostolum dixisse, quod nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut placeat ei, cui se probavit. Proinde tonsurâ acceptâ, totum se in Trajectensi monasterio ad Dei servitium et ad instrumenta artis spiritalis convertit. Mira illi circa conscholasticos suos charitas, mira circa ecclesiasticum officium devotio erat. Semper aut legebat aliquid, aut psallebat, aut certe orationi instabat. Secularem literaturam non multopere scire curabat, assiduus meditator divinae scripturae, eam maxime menti recondebat, quae aut laudem Dei sonare, aut ad fidem catholicam pertinere videbatur. Ipse beatus vir uno semper vultu, eodemque animo erat: laetâ quidem facie et admodum jucundâ, nec tamen facili et promptâ ad risum. Ita in omnibus actibus suis prudentiam cum temperantia complectens, non solum a magistro quasi unicus filius diligebatur, sed etiam ab omnibus conscholasticis suis et notis in maximo habebatur affectu. Necesse

Digitized by Google

enim erat, ut quem Deus tanta virtutum perfuderat gratiâ, ab omnibus amaretur.

§ 7. His diebus quidam Alubertus de terra Anglorum ad Abbatem Gregorium venit: cujus vel scientiâ vel moribus delectatus, eum sibi chorepiscopum fieri postulavit. Quod cum ille se non aliter facturum responderet, nisi a suo demum episcopo ordinaretur, eum denuo ad ipsum remisit. Et quia idem Gregorius non erat ad gradum episcopalem ordinatus, sed presbyter pontificali cathedrae praesidebat, Ludgerum simul cum eo, ut Diaconii ibi perciperet gradum, direxit. Eo ibi tempore Alcuinus scholam moderabatur, vir omni scientiâ celeberrimus. Hujus confestim familiaritate vir Dei Ludgerus potitus, sedulo illi per annum jungebatur, et scripturas cum eo divinas conferebat. Unde cum percepto diaconatus Ordine, cum eodem, cui comes praestitus erat, Aluberto, post anni circulum reverteretur, quadam die, juxta usum officii sui, contigit eum coram Gregorio Evangelium legere. Cui Domino, ut credimus volente, in quodam verbo offendenti, Gregorius coram populo emendavit. Ille publica correctione confusus, acceptam verecundiam ad suas utilitates convertit. Nam quia ex eo tempore, quo de Anglis venerat, magno Alcuini, quem ibi magistrum esse diximus, desiderio tenebatur, optabili occasione percepta, denuo ad eum redeundi licentiam postulavit, indignum se dicens percepto officio posse videri, qui illud ex more implere nesciret: se coram eo ante non lecturum, quam illud, Domino adjuvante, pro viribus emendare curaret. Quod audiens Gregorius, aegre admodum se ab eo dèseri ferebat, noluit tamen aperta repulsione, ne eum contristaret, ejus petitionem negare: sed blanda eum coepit dissuasione a sua intentione revocare. Qua in re cum parum ipse profecisset, patrem quoque ejus sibi adjunxit: ut si uni resisteret, duobus cederet. Sed cum post etiam eum omnino in eo, quod coeperat, fixum persistere videret, tandem vel infatigabilitate ejus vel ratione victus, ejus annuit postulationi. Denique his, quae necessaria itineri erant, paratis, cum Dei gratia et suae permissionis licentia eum a se dimisit.

§ 8. Qui tandem ad Eboràcum civitatem pervenit. Ibi quippe vir Dei Alcuinus cunctis, qui ad eum hincinde confluxerant, Scripturarum documenta tradebat: a quo cum ingenti vel honore, vel gaudio susceptus, tribus cum eo annis et sex mensibus mansit. Quo in loco quam amabilis magistro, quam desiderabilis condiscipulis, quam honorabilis monachis ibidem consistentibus, quam charus omnibus, qui eum nosse poterant, fuerit, nequaquam digne explicare valemus. Diligebat eum magister, morum ejus probitate et literarum studio delectatus: desiderabant condiscipuli, sedulitate ejus et obsequiis devincti. Honorabant monachi, piam ejus conversationem et meritorum sanctitatem

Digitized by Google

videntes: amabant postremo omnes eum cognoscentes, miro ejus ad singulos vel amore, vel honore provocati. Quis enim eum non amaret, quis non honoraret, cum ipse omnes et unice diligere, et summopere veneraretur? Itaque quamvis omnibus charus esset, a magistro tamen speciali dilectionis privilegio colebatur. Igitur Ludgerus apud magistrum tres continuos annos et sex menses manens, non solum totum cum eo vetus et novum Testamentum perlegit, et nonnullos secularis literaturae libros; sed et monachorum, qui in illo loco erant, perfecte didicit vitam. Postea ad suos reversus, patri Gregorio et caeteris omnibus tanto deinceps gratior et dignior erat, quanto tunc et literarum scientiâ instructior, et librorum copiâ plenior, et monachorum regulis eruditior fuit.

§ **9**. Defuncto autem Gregorio Albricus nepos successit. Is unico Ludgerum affectu diligebat. Cujus prudentiae et fidei non ignarus, ad quemdam eum locum in sua parochia constitutum, qui Daventre dicitur, praedicationis causâ et fidei corroborandae gratiâ pergere suasit. Ad hunc locum quidam olim de terra Anglorum Dei servus, nomine Liafwinus, divinae visionis admonitione ad praedicandum missus, et plurimos ad fidem convertit, et ecclesiam ibi aedificavit: in qua ipse usque ad diem dormitionis suae permanens, in eàdem post suam de hoc seculo evocationem sepultus est. Sed quia isdem locus in confinio Francorum et Saxonum positus, ab iisdem Saxonibus, dum adhuc gentilitatis erroribus involùti tenerentur, frequenter depopulari consuevit, èadem ab eis ecclesia incensa est. Unde quia memorato sacerdoti illi citum videbatur, aut coeptam ibi praedicationem dèseri, aut locum confessoris Christi corpori dedicatum negligi, sanctum, ut diximus, Ludgerum illuc proficisci hortabatur. Cujus voluntati cum promptissime ipse paruisset, et ad locum veniens, memoratum corpus quaesisset, nec invenisset, intra ambitum spatii quo illud esse putavit, aedificare ecclesiam coepit. Cumque jam positis fundamentis, parietes erigere pararet, in visione ei per noctem sanctus sacerdos Christi Liafwinus apparuit, bene eum dicens fecisse, quod a gentilibus dìrutam denuo reaedificaret ecclesiam, salvam sui laboris ei apud Deum mercedem manere, corpus vero suum sub australi aedificii parte esse humatum. Quod cum mane, Domini laudibus expletis, in loco, quo dixerat, ipse invenisset, in eadem illud ecclesia digno cum honore collocavit. Ubi per Dei gratiam ad ostendendum vel suum vel sepulti meritum, plura usque in hodiernum diem miracula fiunt, et eorum patrocinio ille deinceps locus a gentilium est incursione conservatus.

§ **10**. Eo servi Dei in loco vel industriâ vel successu Albricus animatus, majora adhuc per eum et facere cogitavit, et fecit. Siquidem in Frisiam eum ad destruenda fana deorum, et diversa

Digitized by Google

idolorum simulacra auferenda destinavit. Plures enim adhuc ibi gentilium dediti superstitionibus erant. Quo ille statim, nihil cunctatus, quamquam cum sui capitis periculo, perrexit. Mira Dei gratia, mira in viro Dei constantia, eum sine aliqua contradictione coram cultoribus suis et delùbra destruxisse, et idòla abstulisse. Eo Ludgerus tempore diaconii adhuc officio fungebatur. Verum Albrico pontificatus ordinem sortiente, ipsum quoque presbyterii secum fecit percipere gradum. Et quia Frisones adhuc rudes erant in fide, Ludgerum Albricus tam propter fidei puritatem et mentis constantiam, quam propter suos parentes, qui apud eos potentissimi habebantur, doctorem ecclesiae constituit in pago Ostrache, in loco, quo sanctus Bonifacius martyrio est coronatus. Dignus plane vel tali loco sacerdos, vel tanto locus sacerdote. Nam et talis sacerdos non injurià illum meruit locum, qui tanti martyris sanguine esset dedicatus: et locus talis tanto dignus erat sacerdote, qui ipsi, cujus martyrio locus ipse insignis habetur, non immerito adaequandus videretur.

§ **11**. Sane Ludgerus in ordine vicis suae si quando aliquas quae eum in doctrina et curis commissorum detinebant, occupationum est ferias adeptus, mox aut lectioni insudare, aut psalmodiae insistere coepit, praecipue nocturnis temporibus quando secretius ei quod semper amaverat, orationi vacare dabatur. Erat ibi oratorium quod sanctus olim antistes Willebrordus in honore sancti Salvatoris et construxit et dedicavit. Ibi post psalmòdiam et speciales quas semper, amabat orationes, Ludgerus membra dare quieti consuevit. Denique ita deinceps illis in locis praedicationi insistere coepit, acsi antea nihil egisset. Timebat enim vir beatus, se prius a commissa plebe aliqua occasione subtrahendum quam eam secundum intentionis votum, vel in fide plene instruere, vel Christianae religionis moribus assuefacere posset. Ita per septem fere annos ibi in doctrinae studio permansit. Interea a Saxonibus, gente et agilitate et virtute non ignobili, Christianis qui illis in locis erant, persecutione commota, Frisiae pars major a fide defecit.

§ **12**. Ea tempestate dux Saxonum Windekindus erat, vir, etsi paganus et sapientiae famâ et eloquentiae splendore et bellorum exercitiis non immerito inter optimos duces numerandus. Eo duce, Frisiam aggressi Saxones et ecclesias incenderunt et Dei famulos expulerunt et cuncta caedibus, incendiis et rapinis complentes, Frisones usque ad Flea fluvium fidem derelinquere et secundum morem erroris pristini idòlis immolare fecerunt. In hac perturbatione, cum S. Ludgerus neque martyrium quod optabat, mereretur, neque ullum suae praedicationi locum, cunctis unanimiter resistentibus, dari videret, cedendum tempori ratus et se tranquillioribus temporibus reservandum putavit. Quocirca quia sub idem tempus suus antistes Albricus decessit,

Digitized by Google

Romam Dei dilectus pergere cogitavit. Quod quidem jam olim votum habebat, sed non prius ei occasio et locus provenit. Itaque assumpto secum fratre Hildigrimo qui natu junior, doctrinâ et exemplis ejus instituebatur, Romam, ut disposuerat, contendit. Quo cum Christo viae comite prospere pervenisset, ibi cum Papa Leone *, qui tunc Apostolicam sedem gubernabat, locutus, honorifice et benigne satis habitus est. Nam sive praesentis ejus sanctitatis intuitu, sive insita divinitus summis sacerdotibus gratiâ, tantum eum Ecclesiae doctorem futurum praenoscens, amicissimum et familiarissimum habuit. Sane cognito quod in haereditate paterna monasterium construere cogitaret, et piam ejus voluntatem comprobavit, et suae benedictionis, ut fieret, auctoritatem indulsit. Datisque dignis admodum reliquiis, sancti scilicet Salvatoris et sanctae Dei genitricis Mariae et Apostolorum principis Petri, sed et aliorum quamplurimorum, in quorum honore locus ille construeretur, a se eum, Dei sanctorumque ejus auctum benedictione, dimisit. Qui Româ digressus, Beneventum ad monasterium S. Benedicti tetendit: quod ab eo institutum, regularem propensius vitam et nosse et observare credebatur. Et quia pater monasterii genere sibi propinquus erat, cum eo locutus, duobus inibi annis et sex mensibus mansit. Qua hospitalitatis prolixitate liquido appàret, vel qualibus illic delectaretur exemplis, vel quantum ejus conversatio fratribus placuerit. Quomodo enim non placeret qui nulli se onerosum, cunctis amabilem praebens, utilissimus eis factorum suorum exemplo doctor advenit? Siquidem cuncta quae in S. Benedicti regula legebant, in hujus viri factis videbant. Neque diu latitare potuit, quamvis in angulo monasterii posita, tanta lucerna. Nam non solum per Franciam, sed et per Italiam meritis ejus divulgatis, fama sanctitatis ejus ad aures quoque Caroli Imperatoris, Deo volente, pervenit.

§ **13**. Sub idem tempus Alcuinus quem superius in Eboraica civitate literarum magistrum esse diximus, de terra Anglorum in Franciam venit. Qui cum a rege favorabiliter esset susceptus, antiquum amicum non negligendum putavit. Ex primo namque adventus sui tempore de Ludgero solicitus, comperto ubi esset quadam die inter familiaria cum rege colloquia, quemdam se in ejus regno clericum scire dixit qui post Deum sanctosque ejus nulli melius competeret, quam sibi: eum aliquandiu secum legisse: esse illum et literis eruditum et morum probitate sanctissimum: ipsum Ludgerum vocari, et tunc in Beneventano monasterio sancti Benedicti consistere talem virum, regiis utilitatibus et reipublicae maxime profuturum: quem et prudentia et morum probitas commendaret. Quem cum missis nunciis ad se rex Carolus venire mandaret, ille quamvis omnem animam

* Hujus nominis III qui colitur sanctus Die Jun. XII.

potestatibus sublimioribus subdendam, juxta Apostoli praeceptum, nosset: tamen ad eum prima evocatione venire distulit. Semel quippe praegustata monasticae conversationis dulcedo, aliud eum desiderare non permittebat. Unde intelligens Imperator hoc eum modo non facile a monasterio avelli posse, literis eum magistri quondam sui Alcuini ad se evocari fecit. Quod cum juxta voluntatem suam processisset et ab eo sibi esset praesentatus et commendatus «Duorum, inquit, monasteriorum optionem do tibi: unius majoris, in quo sanctimoniales habentur: alterius minoris, in quo canonicorum congregatio Domino famulatur.» At ille satis prudenter majori majora quoque discrimina inhaerere considerans, quamvis neutro se habilem et dignum, minori tamen se convenientius dixit praesessurum: plura ex foeminis tentamenta venire, plures ab aliis detractiones secuturas: virorum sibi magis, utpote virgo, gubernacula competere quam virginum. Quod ejus responsum cum rex libenter admodum accepisset, quoddam ei in Bracbent * monasterium quod Lotusa vocatur, concessit. Ille hoc non tam ad suas utilitates quam ad subjectorum obsequium putans datum, Dominicum illud sequi exemplum cupiebat quo dicitur: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Et item: *Qui major est*, inquit, *vestrum, erit minister vester* (*Matth.* xx). Ita prodesse illis, non praeesse studens et diligi magis quam timeri gaudens, nulli unquam commissorum arduum aliquid jussit quod ipse prius non implesset. Vere felix et omni laude dignissimus qui illud Apostolicum dicere poterat: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*Philip.* III).

§ 11. His fere diebus quinque in Frisia pagi, Huhmerki, Hunusga, Fivilga, Emisga, Federitga, Francorum sponte ditioni accesserunt. Qui cum aliquem sibi, cujus loquelam intelligerent, docendae Christianitatis gratiâ, a rege concedi orarent, Ludgerum eis cum magno omnium gaudio praefecit, additâ insuper ad praedictos pagos insulâ unâ quae Bant appellatur. Proinde vir Dei, juxta evangelicum documentum, sciens cui plus committitur, plus etiam ab eo requiri: omni virium possibilitate circa commissae plebis utilitatem invigilare coepit. Nam et idolorum fana destruxit et pro eis ecclesias construxit, et ipsos, quantum fidei rudimenta patiebantur, perfecte in Christianitate instruxit: ita generaliter erga omnes et ita specialiter erga singulos agens, acsi singulos ipse genuisset. Hujus fidei vel industriae vel charitatis testes sunt usque hodie populi regionis ejusdem, quos in Christo Jesu per evangelium et baptismatis gratiam generans, a prisco errore ad veritatis agnitionem revocavit. Testes quoque ecclesiae quas per loca singula construxit: testes et Deo famulantium congregationes, quas aliquibus adunavit in locis: testes etiam alii, quibus non necessitate, sed voluntate verbum Domini

* In Brabantia.

Digitized by Google

annunciavit. Quia enim noverat scriptum, Verbum Domini non esse alligatum: sed sapientiam Dei attingere a fine usque ad finem fortiter et disponere omnia suaviter: praedicationis suae documenta intra Frisiae terminos noluit cohibere, sed ultra quoque doctrinae suae fluenta derivare.

§ **15**. Est insula in ipso Frisonum atque Danorum confinio constituta quae a quodam Fosete, quem deum errore gentili aestimaverunt, et a patria lingua Theodisca Foseteslant est appellata. Ad hanc ex consilio et voluntate Domini, praedicationis causâ S. Ludgerus profectus est. Quae cum jam in prospectu posita, non longe abesset et vir Dei cruce in manibus sumpta dixisset: *Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus: sicut deficit fumus, deficiant* (*Ps.* 67): omnes qui in ipso cum illo erant navigio, viderunt tenebrosissimam caliginem instar fumi de ipsa exire, et ea paulatim pertranseunte, serenitatem denuo redire. Unde intellexit praeviam Dei gratiam de illo loco effugasse diabolum. Itaque magna alacritate insulam aggressus, cum maxima agilitate praedicare verbum Domini coepit. Tantam autem Dei pietas ejus praedicationi gratiam tribuit, ut ipse statim inter primos princeps crederet, et filium suum nomine Landricum, ei de fonte levandum offerret. Quem ipse postea sacris literis imbùtum, etiam presbyterum ordinavit. Denique omnibus insulanis ad fidem Christi conversis, et juxta Ecclesiasticum morem baptizatis, non solum cuncta daemonum delùbra destruxit, sed et Christi ecclesiam pro eis fabricavit.

§ **16**. Igitur cum hujusmodi quotidie operibus et apud Deum suae sanctitatis meritum augeretur, et apud homines fama ejus magis magisque divulgaretur: etiam Nortmannos evangelizandi gratiâ adire cogitavit, illum vir beatus in hac voluntate imitatus qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Et ea charitate nimirum repletus quae juxta Apostolum Paulum, non quaerit quae sua sunt, sed quae alterius in dilectione. Verum cum rex ei suum nullo modo ad hoc praeberet consensum, satis contristabatur, vel propter dilatam illorum salvationem, vel propter mala quae ab illis populo Christiano irroganda divinitus praevìdit. Siquidem cum quodam tempore esset secus mare in loco qui vocatur Werina, ubi ipse sibi in haereditate paterna ecclesiam construxit, monachorum ibidem congregationi monasterium facere cogitavit. Sed hoc ibi esse non potuisse, ex divina mox revelatione cognovit. Nam cum in his curis et in hac intentione permanèret, hujusmodi somnium vidit. Vidit enim ab Aquilonari maris parte densissimas et teterrimas nubes exurgere, quae paulatim excrescentes ad ipsum usque solem pervenerunt, Quas dum ille, quasi fugiens insequentes, a maritimis locis longius removeretur, ab inspicientium oculis penitus abductus est. Cujus abscessione dum nubium densitate tenebrae

ingentes et immensa caligo maritima loca obduceret, immanis habitatores pavor invàsit, dum vel sibi singuli, vel rebus suis timere coeperunt. In qua trepidatione cum diu permanerent, sensim iterum radios sol suos emittere coepit, donec in suum rursum orbem et licet minor, in pristinam lucem reversus, exortas nubes detersa caligine trans mare effugavit.

§ **17**. Quam visionem dum mane sanctus Ludgerus sorori suae Heriburgae quae tunc forte secum erat, retulisset, altius ingemiscere et flere ubertim coepit. Unde cum ipsa vel somnii significationem, vel causas lacrymarum ab eo requisisset: «Cogitavi, inquit, in hoc loco monachorum monasterium construere: sed hoc nequaquam juxta voluntatem meam fieri potest quia peccatis nostris exigentibus, haec maritima loca depraedanda sunt et in solitudinem redigenda. Nam nubes quas de mari exurgere vidi, ipsos praedatores significant. Sicut enim nubes ex maris humore concrescunt, sic et illi per mare ad nos venturi sunt. Quod vero ab Aquilonari ejus parte exurrexerunt, Nortmannos innuit qui in septentrione consistunt. Sicut autem nubes paulatim excrescentes, ad ipsum novissime solem pervenerunt: sic et ipsi praedatores primo furtivis incursionibus praedas acturi, postmodum aperto bello haec loca sunt invasuri. Porro quod sole nubium accessione fugiente et nostris visibus abducto, horror et calìgo haec maritima loca circumfudit, hoc designat quod inito bello cum piratis, et nostris terga vertentibus, omne retro gaudium obliviscetur, et rapinis, incendiis atque mortibus omnia implebuntur. Sed quia in sempiternum non repellit Dominus, iterum ad servos suos reversurus et pacem his locis daturus est. Sicut namque sol et si minor, in suum denuo orbem reversus et luci pristinae est restitutus: sic et horum locorum habitatores, quamvis mortibus vel abductionibus hominum, destructionibus aedificiorum, damnis substantiarum minorati, in pristinum tamen statum et priorum rerum abundantiam, Domino donante, reversuri sunt. Quod autem nubes et calìgo quae haec prius loca possidebant, sole iterum reverso, trans mare effugata sunt, portendit mala quae Nortmanni prius aliis irrogabant, aliis alta pace exultantibus, in semetipsos postremo esse retorquenda.» Adhaec cum sancti viri soror, audita genitalis soli desolatione, fleret et se his malis non reservari, sed antea de hac vita exire optaret: «Non ita erit, inquit, beatus Ludgerus. Ego quidem ista non videbo: quia prius vitae cursum consummabo: tu vero et mihi supervictura et superventurae tribulationis mala es visura.» Cujus rei vaticinium nos jam non tam ex ejus dictis credimus quam rebus ipsis cognoscimus. Siquidem, juxta ejus prophetiam et soror ei supervixit, et mala, quae praedixerat, vidit: et quamdiu ipse in corpore fuit, nullam Frisia perturbationem passa, haec vel unquam fieri posse, incredibile judicabat.

Digitized by Google

§ 18. Post ejus vero obitum sequenti statim anno navali classe illuc advecti, plura per plures ibi annos mala et miseranda fecerunt. Nam substantiâ ablatâ, ecclesiis incensis, monasteriis destructis, hominibus partim occisis, partim captivatis, loca illa maritima pene in solitudinem sunt redacta. Sed quia ipsos Northmannos in sua jam viscera videmus conversos, pacem quoque, juxta sancti promissum, locis quae vastaverunt, Dei credimus miseratione reddendam, piratis qui hactenus maria et vicina eis flumina clauserant, vel bello, vel naufragio, vel morbo, vel quocumque alio modo consumptis. Qua in re considerare diligentius libet, quantae sanctitatis et meriti vir iste apud Deum fuerit, cui et superventura mala ostendit, et tamen haec in diebus suis noluit evenire. Quia enim propter inhabitantium peccata haec evenire necesse erat, meritis tamen ejus et precibus haec, ipso vivente, non esse superventura ostendit, sui nimirum promissi memor Dominus, quo per prophetam repromittit, se pusillum aut grande non facturum, nisi prius revelaret servis suis prophetis. Quocirca Dominus justus et misericors, dum mala futura praedicit, quid aliud admonet, nisi ut eum precibus flectamus, aut morum emendatione avertamus?

§ 19. Ea fere tempestate Saxones ab idololatria conversi, fidem Christi et baptismatis gratiam perceperunt. Unde invictus Imperator Carolus, cujus partim beneficiis, partim districtione ad fidem sunt coacti, Ludgerum eis in parte Saxoniae Occidentali praefecit. Siquidem duarum, unius in Brabant, alterius in Frisia jam antea curam suscepit: tertiae illi solicitudo, id est, episcopatus Mimigernefordensis ecclesiae commissus est: in qua tamen ecclesia sine ordine pontificali annis fere duodecim mansit. Nam quia noverat dixisse Apostolum: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat:* opus quidem episcopi pro viribus agere coepit, gradum autem recipere renuit. Ita quod oneris erat, suscipiens quod honoris declinans: quod inflare poterat, cavit: quod aedificare, subivit. Proinde dioecesim sibi commissam sine episcopo esse nolens, et tamen ipse episcopus esse declinans, eorum aliquem, quos ipse enutrierat, pontificalem pro se suscipere gradum sèdulus postulavit. Quod cum Hildebaldus qui tunc Coloniensem metropolim habebat, et sancto viro amicissimus erat, omnino fieri nollet: sed illum magis, ut episcopus consecraretur, obsecraret, et esse dignum tantam dignitatem eum percipere: respondit, se suae indignitatis conscium, illam Apostoli sententiam verèri, qua dicit, oportère episcopum irreprehensibilem esse: se in multis esse reprehensibilem: et ideo contra Apostolicam auctoritatem ad tam altum Ordinem aspirare non audere. Cui cum Hildebaldus diceret, hoc in se non fuisse completum, neque aliquem episcopatum jam percepturum, si illi soli qui in nullo se reprehensibiles cognoscunt, sint percepturi: maxime

Digitized by Google

cum principem Apostolorum Petrum reprehensibilem videri isdem Paulus describat: tandem vel auctoritati ejus cessit vel rationi, et pontificium suscipere consensit. Vere utrobique mirandus, utrobique laudandus: qui et humanam laudem sive gloriam fugiens, tamdiu ne ordinaretur, restitit, et cogentibus aliis invitus quodammodo postremo consensit. Sicut enim qui ad oblatos nimis ardenter inhiat honores, superbiae pestem non effugit: ita et qui impositis pertinaciter resistit, diversa licet viâ, superbiae nihilominus malum incurrit.

§ **20**. Bonorum quippe proprium est, honores quidem non appetere, sed tamen impositos non recusare. Sic Moyses, sic innumerabiles alii sancti Patres fecerunt: qui et mittenti Domino suae infirmitatis causas humiliter obtenderunt, et jubenti non graviter obtemperarunt. Unde vel sancti Moysis, vel hujus in re non dissimili factum paulisper comparandum videtur. Moyses olim ad durae cervicis Hebraeorum populum missus, eorum incredulitatem questus est: sanctus Ludgerus ad duram nihilominus et adhuc semichristianam Saxonum gentem pastor est destinatus. Ille cum virga pastorali, hic cum ferula episcopali. Ille se impeditioris et tardioris linguae, ex quo ad eum Dominus locutus est, fuisse testatur: iste postquam per Apostolum audivit: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse,* indignum se episcopatu judicavit. Ille dixit: Obsecro Domine, mitte quem missurus es: iste alium quoque pro se ordinari sedulus postulavit. Postremo Moyses divinis obtemperans jussis, innumera in populo signa operatus est: sanctus Ludgerus commissam sibi plebem suscipiens, plura in ea et ipse miracula fecit. Quanti namque perfidiae caecitate solem justitiae et veram lucem Christum non agnoscentes, per eum illuminati sunt? Quanti justitiae execratione obturatas aures habentes, auditum receperunt? Quantorum ipse ora, prius in Dei laudibus muta, ad confitendum eum reseravit? Quantis ipse in bono opere torpentibus et aridis, vel errore aliquo claudicantibus, vel manuum officium, vel pedum restituit usum? Quantos superbiae hydròpe inflatos, mundialium rerum ambitione gibbosos, avaritiae tenacitate recurvos, invidiae tabe languidos, tristitiâ seculi aegrotos, irae furore insanos, ventris ingluvie turgidos, libidinis aestuatione febricitantes, virtutum antidoto sanavit? Quantos postremo peccatorum jam enormitate defunctos quodammodo et sepultos, de ipsa morte et sepulcro resuscitavit? Proinde licet ista signa quae in mentium salute et animarum curis, praedicationis officio spiritaliter operantur, longe his quae in corporibus medendis fiunt, praeferantur: quia tamen ea quae corporaliter aguntur, mentem plerumque familiarius tangunt, et visibiliter admota, quasi quadam manu pulsant, pauca de his quoque perstringenda esse putamus.

§ **21**. Quodam tempore cum Evangelizandi gratiâ vir Dei

Digitized by Google

Ludgerus ad quamdam in Frisia villam, nomine Heligwerde, accessisset, inter alios qui illuc ad audiendum eum confluxerant, quidam etiam caecus advènit. Is Bernleef cognomento, vicinis suis admodum charus erat: quia antiquorum actus regumque certamina more gentis suae, non inurbane cantare noverat: sed per triennium ita erat continua caecitate depressus, ut nullum sibi lumen vel extremae visionis remaneret. Unde qui aderant, cum sancto viro oblaturi, orabant, ut pro ejus illuminatione Dominum precaretur. Quod ille facere distulit, non negavit, nam quia jam ad mensam positus, secreto facere nequivit, propter humanam gloriam vitandam, in conspectu convivantium hoc facere noluit. Miraculorum quippe operationem, magnorum dixit esse virorum: se gratiâ curationum omnino indignum esse: illi quoque mentis salutem magis esse necessariam: de ejus sorde interiore exteriores ei forte tenebras evenisse: de interna illuminatione prius studendum: sic exteriores tenebras fore pellendas. Proinde interrogavit, si peccata sua confiteri et poenitentiam pro his accipere et agere vellet. Quod cum ille se velle respondisset: « Crastina, inquit, die ad me venire matura, sponsionem tuam factis adimpleturus. Quod si feceris, non infructuosum tibi fore nòveris. Potens est enim Deus et peccatis tuis veniam tribuere, et amissam tibi denuo lucem condonare.» Qua ille spe animatus, laetus diem sequentem expectavit. Vix nox transierat, cum ille primo diluculo surgens, ad sanctum virum properare coepit. Verum quia ipse de illo jam aliquantum loco progressus erat, in itinere eum consecutus est. Quem ut vidit, accepto per frenum ejus caballo, a turba quae. eum sequebatur, seorsum duxit: et ibi confitenti peccata sua poenitentiam indixit. Deinde signum sanctae crucis oculis ejus imposuit, et tenens manum suam coram eo, interrogavit si aliquid videret. At ille cum magno gaudio se manum ejus videre respondit. O vere evangelicum discipulum. O vere Christi in omnibus imitatorem. Nam sicut ipse olim paralytico sibi oblato, peccata prius indulsit, et sic corporalem salutem condonavit: ita et iste huic caeco pro peccatis suis prius poenitentiam indixit, et ita demum exteriorem curam adhibendam esse putavit. Ita caecus paulatim visu resumpto, cum illo ad villam quae proxima erat, pervenit. Proinde vir beatus explorare volens, si visum integre recepisset, interrogavit si villam, cui appropinquabant, cognoscere posset. At ille non solum eam proprio statim vocabulo nominavit, sed et arbores et singula quaeque aedificia ei singulatim ostendit. Unde beatus Ludgerus factum ad divinam gloriam referens: « Salvatori, inquit, tuo gratias age, neque meae in hoc facto aliquid virtuti ascribas. Ipse quippe te illuminavit qui illuminator est omnium Deus. » Deinde cum venissent ad villam quae Vuscvurd appellabatur, eum secum in ecclesia orare et Deo pro sua illuminatione gratias agere fecit.

Digitized by Google

Quibus expletis, sacramento eum constrinxit, ne cui ante obitus sui diem per se fuisse illuminatum indicaret. Paruit ille, licet invitus, viri Dei praeceptis: et ipso quidem vivente nulli hoc publicavit, sed post ejus demum dormitionem, qualiter ab eo per divinam virtutem esset illuminatus, confessus est.

§ **22**. Alio itidem tempore dum dioecesim ipse suam pastorali officio circumiret, ad ecclesiam suam in loco qui Billerbeki vocatur, venit. Erat ibi vicina quaedam mulier, genere quidem nobilis, sed illicito matrimonio incestuosa. Haec beatum virum illuc advenire cognoscens, eum ab intentione, qua hujusmodi copulam dissolvere parabat, muneribus avertere, et animos ejus flectere tentavit. Denique vas testeum praegrande melle plenum ei quasi pro benedictione misit. Ille absynthii amaritudinem sub melle latère non ignorans, et sciens munera excaecare etiam oculos sapientium, omnino illud suscipere recusavit, dicens ei se participare non posse, quae se illicito connubio alienam ab Ecclesia fecisset: indignum quoque sibi videri, si postulata non facturus, ejus eulogium suscepisset: sciret magis, ne numquam, Domino volente, cessaturum, nisi illud non tam conjugium, quam incestum facto divortio dissociaret. Ita illi qui missi fuerant, a sacerdote simul cum munere repulsi, plerosque ex discipulis ejus convenerunt, ut ipsi saltem transmissum eulogium susciperent, orantes. Illi cupiditate ducti, mel ab eis, episcopo nesciente, susceperunt, et se ei persuasuros repromiserunt. Et quia repente alium, ubi reponerent, locum invenire nequiverunt, subtus altare linteis undique coopertum illud locaverunt. Jamque aderat tempus, quo sacerdos Missam celebrare debebat. Cum jam coram altari stans, os ad orationem aperuisset, vas illud, quod sub altari erat, crepuit, et melle effuso, minutatim discissum est, acsi pro oratione lapidem in illud jecisset. Ita melle soras elato, omnes in commune Dominum laudaverunt, et servum suum Ludgerum, cujus meritum vel evangelici exempli imitatione commendatur, vel tanti miraculi indicio declaratur. Nam si preco Domini et Baptista Joannes laudatur, quod regem qui fratris uxorem ipso vivo habebat, increpavit, quomodo non sanctus Ludgerus omni laude dignus habebitur qui incestum non solum corripuit, sed et terrendis aliis de patria exturbavit? Ille persecutioni Herodiadis non cessit: iste nobilis adaeque mulieris muneribus a justitiae tramite deflecti nequivit.

§ **23**. Ea fere tempestate praedicationis gratiâ Frisiam adivit. Cumque ad ecclesiam suam in loco qui dicitur Heleri, juxta fluvium Ladam venisset, propter hospites qui eum frequentabant, petiit loci illius piscatores, ut sibi aliquem sturionem comprehensum offerrent. Illi jam tempus hujus capturae praeterisse responderunt, et appropinquare hyemale jam tempus, quo hujusmodi pisces capi non solèrent. Sed Deus, inquit, filii, temporum

Digitized by Google

conditor, cum tempore non transit. Ite ergo, facite quae dixi: capturâ, Dei voluntate, proveniente. Potens est enim Deus desiderata servis suis omni tempore praestare. Proinde cum illi voluntati ejus satisfacere et mandatis obtemperare pararent, elevatis sursum oculis, viderunt in aëre quasi alitem qui volatu paulatim demisso, aquis appropinquans, non longe ab eis in ipsas cecidit. Quod illi auspicium divinitus evenire credentes, in illo loco quo avis primum incidit, rete jactaverunt. Neque ista spes, quam de virtute et meritis sancti viri conceperant, fefellit. Siquidem mirae magnitudinis sturionem ilico comprehenderunt: quem cum gaudio sancto viro allatum, capturae ei proventum per ordinem narraverunt. Ille more solito cuncta ad Dei gloriam referens, et sibi nihil tribuens: « Agamus, inquit, omnipotenti Deo gratias, bonorum omnium auctori qui dat escam omni carni. Proinde ne meae hoc virtuti ascribatis, neque meis hoc factum meritis vel ipsi putetis, vel aliis referatis. Deus est enim qui omnibus quorum oculi in eum sperant, dat escam in tempore opportuno, aperiens manum suam, et implens omne animal benedictione: ipsi gloria in secula, Amen. » Ita nimirum tria in hoc sancti viri facto videmus vel miranda esse, vel laudanda, futurorum scilicet notitiam, miraculi operationem, miraculi non publicandi humilitatem. Noverat enim scriptum: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Eccl.* III). Et ideo quantum in se fuit, omnes suas latère cupiebat virtutes, et reticere praecepit, non invidus suarum virtutum, sed ejus imitator qui, ut in Evangelio legitur, miracula quae propter aliorum salutem reticenda non esse cognovit, ut nobis exemplum praeberet, reticeri mandavit.

§ **24**. Verum Ludgerus, quamvis cuncta hujusmodi opera occultare vellet, non tamen haec Deo revelante usquequaque effecit. Villa est in Saxonia in pago Sudergo quae Alna nuncupatur. Ad hanc dum parochias suas circumiens veniret, die quadam sedente eo ad mensam, audiebatur pauper clamare foris, anxie obsecrans, ut episcopus caecum hominem respicere dignaretur. Festinavit diaconus, cujus id erat officii, putans unum esse de pauperibus qui stipem peteret: sumensque panem et cibum, porrexit illi. Renuit ille accipere, aliud sibi dicens esse necessarium. Deferebatur potus: ille nec hoc se velle respondit: nec propter stipem petendam venisse, sed ut ante episcopum intromitteretur, ut caeco homini subveniret. At diaconus non intellecto quid postularet, dimisso illo, in domum regressus est. Porro cum ille foris relictus iterato diu clamore vociferaretur, tandem circumspiciens Ludgerus: «Quare, inquiens ad diaconum, tam diu vis dissimulare quod audis?» Qui respondit: « Dètuli ei cibum potumque, sed ille nihil horum curat. » — «Nummum, ait, da ei.» Quod cum fecisset, et hoc nihilominus sperneretur, jussit eum episcopus ad se introduci. Dum introductus esset, ait ei: « Quid

Digitized by Google

frater habes, quid est, quod expetis? » Ille respondit: « Fac ut videam, obsecro te pater, per amorem Dei. » — « Videas, inquit Ludgerus, per amorem Dei. » Et, mirum in modum, cum hoc non imperando dixerit, sed tantum miratus petitionem, similia verba responderit, statim ille vidit, jussusque accedere ad mensam, laetior comèdit et bibit, abiitque in viam suam.

§ **25**. Porro quia in superioribus sanctorum officiorum incidit mentio, praetereundum non aestimo et id quod narrant: quia dum ad opus Dominicum vir Dei staret, ineffabiliter timorata intentione fixaque mente manserit. Aliquando dum in itinere esset, lectus illi ad vicinum focum construebatur. Unde dum noctu stans juxta lectum, matutinales laudes cum clericis caneret, tectis cinere prunis, fumus evaporans in faciem illi exhalavit. Ille quasi nihil sentiens, immotus mente stabat et corpore. At unus ex clericis auferre volens incommodum hoc, curvato genu carbones detexit, et insufflans sopitos suscitat ignes. Mane autem vocans clericum, districte sciscitatus est, quare hujus mentis fuerit, ut sacris hymnis dimissis, se potius incurvaverit ad construendum focum: et poenitentiam aliquot dierum illi indìcens, clericos docuit, dum ad opus divinum assistitur, omnes occurrentes cogitationes amovendas, et quantum humani cordis fugacitas patitur, et primitus divina clementia suppetit, nil aliud cogitandum, nil agendum.

§ **26**. Igitur quamvis plura quoque sanctus Ludgerus mirabiliter per divinam gratiam vel fecisse dicatur, vel prophetasse, haec tamen pauca de multis nunc sufficere credimus. Ad ostendenda quippe ejus merita, ad procuranda audientibus exempla, id ipsum pauca valent, quod plura: quamvis pauca non jure dicantur, ubi cuncta pene, quae Apostolus connumerat, gratiarum dona inveniuntur. Nam cum diversa charismatum dona dixisset: * Alii quidem, inquiens, per spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum eumdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum: quae quidem aliis plerumque singula singulis dantur, sed in sancto Ludgero cuncta simul fuerunt. Habuit quippe sermonem sapientiae, qua non solum ipse Deum intellectu comprehendit, et quodam dilectionis sapore percepit, sed etiam aliis, qualiter credendus esset, aperuit. Habuit sermonem scientiae, qua, juxta Apostolicum illud, plerosque zelum Dei habere, didicit, sed non secundum scientiam: qualiter Deus colendus, qualiter proximus diligendus, qualiter per omnia vivendum esset, et ipse scivit, et aliis patefecit. Habuit fidem, qua tanta nonnumquam contra jus

* Omnia charismatum dona juxta illud Apostoli: Alii quidem datur sermo sapientiae....., etc. (1. *Cor*. XII) explicantur.

Digitized by Google

naturae et rerum ordinem meruit. Habuit gratiam curationum, quia incommoditatibus et infirmitatibus corporum plerumque medicatus est. Habuit operationem virtutum, qua mira frequenter vel invisibiliter intus, vel visibiliter foris operatus est. Habuit prophetiam, qua alis abscondita, saepius et longe post futura praedixit. Habuit discretionem spirituum, qua vel utilium vel inutilium suasores et patratores justae lancis trùtinâ discrevit. Habuit et genera linguarum: quas etsi omnes non nosset, Thuidiscam tamen et Latinam, ne plures dicamus, id est, Barbaram et Romanam, non ignoravit. Habuit quoque interpretationem sermonum, qua populis incessanter scripturarum sacramenta elucidavit. Hujusmodi virtutum praerogativis beatissimam illius conversationem divina largitio semper comitabatur.

§ **27**. Erat enim isdem sanctus Ludgerus in Scripturis sacris non mediocriter eruditus, quod in plerisque opusculis, quae ipse fecit, liquido appàret. Nam ea, quae in passione sancti martyris Bonifacii de eo praetermissa noverat, primordia scilicet vitae ejus, adventum atque ordinationem, pulchro sermone conscripsit. Composuit et libellum de vita suorum quondam doctorum, venerabilium aeque sacerdotum, Gregorii et Albrici: in quo vel ingenii ejus acumen, vel eloquii splendor elùcet. Quodque non minima admiratione eget, inter varias occupatiònes, quibus in dictando, praedicando, orando jugiter occupatus tenebatur, discipulis quotidie suis divinas scripturas semotim tradere consuevit, et profundiora quaeque eis explanare. Quicquid in ipsis morale esse videbatur, auditoribus suis sedulo commendavit: quicquid alios docuit, ipse prius implevit. Ita suis duplici consulebat modo: durioribus et simplicioribus, vitâ: intelligentioribus, linguâ. Illos exemplis, istos verbis ad veritatis viam trahebat. Unde non immerito tale praeconium merebatùr, talem ejus esse doctrinam, qualem et vitam: talem vitam, qualem doctrinam: ita eum docere, ut facere: ita facere, ut docere. Cucullam ideo non portabat, quia regularem nunquam promissionem fecit: sub canonico habitu monachorum perfecte vitam implevit. Cilicium, quod veste abscondi poterat, ita usque ad finem vitae tulit, ut hoc eum nemo praeter familiarissimos suos ferre sciret. Carnem spiritui repugnantem vigiliis, jejuniis, et omnibus quibus poterat modis domabat: moderatiorem tamen se aliorum oculis ostendere malebat, ne quis eum juxta id, quod Apostolus ait, existimaret supra id, quod videbat illum, aut audiebat ab illo. Cujus rei gratiâ, ut probaret omnia munda mundis, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, carnium esum certis temporibus non renuit: saturatum tamen illum cibo aut potu nemo audivit, nemo certe unquam vidit. Convivia, utpote episcopus, nonnunquam exhibebat: ad haec commixtim vel divites vel pauperes invitans, corpora eorum alimentis, animas reficiebat documentis.

Digitized by Google

Inter summos et minimos ita medius incessit, ut illorum altitudinem humiliaret, istorum dejectionem sublimaret. Ita se, juxta Apostolum, pro singulorum meritis et utilitatibus singulis conformans et coaptans, neque subjectos contra jus conditionis despexit, neque praelatos contra justitiae regulam honoravit.

§ 28. Parvam dicturi sumus rem, sed tamen ad hoc, quod diximus, probandum necessariam: quamquam hujus raritas exempli, hoc jam inter maxima jure faciat deputari. Carolus Imperator eum ad se pro quadam reipublicae utilitate evocari fecit. Qui cum secundum praeceptum ejus venisset, et juxta palatium mansionem accepisset, primo statim mane, misso ad eum rex cubiculario, ipsum ad se venire praecepit. Ea ipse horâ persolvendis ex more Cursibus cum suis insistebat. Cumque his expletis se venturum nuntio respondisset, et hoc regi ille retulisset, secunda quoque vice et tertia ad eum accersiendum misit: sed ille divinum servitium cunctis aliis rebus anteponendum esse non ignorans, omnino venire distulit, donec coeptam psalmodiam consummaret. Qua finita, in conspectum regis cum venisset, eum, cur ad imperium suum venire contempsisset, interrogavit. Ad haec ille vultu intrepido, mente constantiori*: « Ego, Imperator, inquit, tuum semper praeceptum ita in omnibus exequendum putavi, ut tamen Deum tibi ubique praeferendum non dubitarem, quem omnibus anteponendum omnes norunt, omnes fatentur. Hoc et ipse mihi praecepisti, quando pastoralis curae solicitudinem mihi commendabas: ut Deo primum serviendum scirem: post haec tuis consequenter imperiis cognoscerem esse obtemperandum. Hanc tui mandati auctoritatem, hanc justissimae discretionis regulam secutus, Deum tibi et cunctis in terra mortalibus praeponendum non ambigo: neque tuum esse credidi, quod huic jussioni et perspicacissimae rationi contrarium esset. Ideo non regiae potestatis in honorationem et contemptum, ut malevoli criminantur, sed potius propter tuam salutem, quae Deo debebam, exsolvere curavi: et ita consequenter ad tuum expeditior servitium veni. » Hanc ejus responsionem rex optimus amplexus: « Gratias, inquit, habeto episcope: quia qualem te esse credidi semper, talem te nunc esse expertus sum. Nam aliqui quidem fuerunt, qui hoc tuum factum aliter interpretandum, et ad meam injuriam retorquendum putarunt: sed hos, utpote tuae sanctitatis invidos minus deinceps gratos habebo, et nullius decaetero contra te accusationem auditurum me, Deo volente, repromitto. Tu ut hactenus fecisti, Dei semper operare voluntate, et simul nobis devotus et fidelis, pro nostri imperii statu orare memento. Ita invidia, quam lividi sancto viro, apud regem facere parabant, ad ejus magis apud eum gratiam et gloriam profecit.»

* Quod Dei servitium hominum obsequio anteponendum sit praeclaro facto et dictis demonstrat Ludgerus.

O quam imitabile vel in sacerdote sacerdotibus, vel in rege regibus exemplum. Discant in sacerdote sacerdotes, regibus honorem deferre, non cedere. Discant illis ita obsequi, ut divinum servitium non negligant. Discant reges in rege, nemini suum officium exequenti irasci. Discant sacerdotibus Dei praecepta servantibus non contraire. Sciant sacerdotes sic regibus honorem exhibere, ut Deum semper praeponant: sciant reges ita hominibus se in mundialibus negotiis esse praelatos, ut modis omnibus Deo in Christiana religione subjiciantur. Sacerdotes libere de testimoniis Dei in conspectu regum loquantur, et non confundantur: regibus in Dei causa libertas placeat sacerdotum. Cognoscant sacerdotes vicissim et reges, sese invicem sibi pro suae dignitatis officio esse subjectos: in divina religione sacerdotibus reges, in humanarum legum jure regibus sacerdotes. Quam inter utrosque discretionem cum ratio ipsa doceat, tum in uno eodemque Deo et homine Jesu Christo aperte comprobatur: qui utramque veram et sacerdotis et regis in se personam gestavit, et haereditariam ad ipsos transmisit.

§ **29**. Itaque ut dicere coeperamus, beatus Ludgerus tumidam superborum cervicem Christi jugo premens, et laborantes et oneratos reficiens, illis se superiorem, istis praebebat aequalem. Illos ad bona operanda crebra admonitione hortabatur, istos variis modis sustentabat. Divites eleemosynis peccata sua redimere monebat: in pauperes tam largus erat, ut ipsos cum suorum plerumque nuditate vestiret. Quicquid de substantia sua in pauperes non distribuit, monasteriorum et ecclesiarum constructionibus vel impendit, vel deputavit. Paternam haereditatem, quam satis amplam habuit, ad reliquias tradidit, quas ab Apostolico accepit: ipsas loco, quem Werdena appellatum, eum comparasse diximus, et fratribus in eo loco Domino servituris, pro patrocinio delegavit. Ita tamquam nihil habens et omnia possidens, quotidie morum probitate et meritorum sanctitate proficiebat, quotidie de virtute in virtutem ibat, ut aliquando videre Deum deorum in Sion mereretur.

§ **30**. Cumque jam omnipotens Deus perennem mercedem piis ejus studiis reddere decrevisset, aliquanto ante obitum suum tempore, infirmitate corporis laborare coepit. Eo ipse tempore, dirigendae Christianitatis gratiâ, dioecesim suam circumiens, ad locum, qui Billurbeki vocatur, ubi ecclesiam habebat, venit. Ibi ergo, ut diximus, corporali molestiâ praeventus, quanto mundialibus negotiis agendis invalidior, tanto in spiritali exercitio et virtutum exercitamentis validior erat, juxta illud Apostoli: *Quando enim infirmor, tunc potens sum* (2. *Cor*. XII). Semper enim aut legebat aliquid, aut psallebat: semper ad Deum manibus expansis, numquam animum ab oratione feriatum esse permittebat, nunquam cordis oculos a coelestium rerum contemplatione

Digitized by Google

reflectebat. Et quia, morbo ingravescente, per se ipse legere non poterat, coram se libros divinos legere alios faciebat, Missam tamen incredibili mentis vigore quotidie fere in hac infirmitate celebravit. Crescebat paulatim morbus, et sensim per membra diffundebatur: jam virtus omnis defecerat, jam dolor vitalia pulsarat, cum tamen animo ipse invictus duraret. Dominicâ siquidem, quae dormitionis ejus noctem praecessit, immensa devotione in Deum, inaestimabili fidei fervore in duabus ecclesiis suis, sibi admodum contiguis, publice praedicavit et ultima Missarum solemnia celebravit. Quibus expletis, creditis sibi ovibus valefaciens, et ad bona semper opera cohortans, omnipotenti Domino eas commendavit. Post haec seorsum clericis, qui secum erant, convocatis: « Scitote, inquit, filìoli, me nocte subsequenti de hoc esse mundo exiturum. Proinde nolite corpus meum in hoc loco sepelire, sed ad monasterium, quod in Werdena fundavi, deferte, et extra ecclesiam in parte ejus Orientali humate. Ibi quippe me diem judicii expectaturum jam olim, Domino revelante, cognovi. Scio tamen omnino populum, ne illuc deferatur, contradicturum. Unde interim ad Mimigernafordensem (*a*) ecclesiam deportatum, inhumatum relinquite, donec ad fratrem meum, Catalaunensis ecclesiae episcopum Hildegrimum mittatur, et ipse cum rege agat, quatenus ejus imperio in memorato loco sepeliatur. Quod ex hoc signo regem permissurum noveritis, quia post mortem meam aliquantulum sanguinis ex naribus meis profluxisse invenietis. »

§ **31**. Quantus tunc luctus omnium, quantus planctus erat, audita sui destitutione, audita tanti patris dissolutione? Ipse solus, quamvis de eorum tristitia doleret, de suorum tamen actuum retributione securus, gaudebat, et illos, ut Dei in hoc voluntatem aequanimiter ferrent, admonuit. Ita quod rèliquum erat diei, psalmis et orationibus cum his, qui secum erant, consummavit. Jamque nocte ingruente, exitus ejus hora advenit, cum inter orationes et psalmos, quae hincinde ab astantibus dicebantur, sancta illa et Deo dilecta anima carne soluta est. Quis tunc se a lacrymis prohibere, quis a fletibus temperare quivit, cum talem tantumque sacerdotem de mundo exeuntem videret? Flebant qui aderant omnes, et sui potius destitutione, quam ejus morte ingemiscebant. Noverant enim eum tunc demum laborum suorum praemia percepturum, et se jam numquam tamen esse pastorem adepturos. Unde quamvis de ejus glorificatione certissimi essent, de suo tamen detrimento dolebant. Sed Deus

(*a*) MIMIGARDEFORDT vel MIMEGARDEVORD in loco *Sudergoe* sive Southergawe (quod significat regionem ad Austrum vergentem) hodiernâ Westphaliae provinciâ, inita feliciter Saxonum Frisorumque conversione, Christianitatis Parochia, sive Episcopalis Ecclesia fuit, Praesule primum Hermanno, deinde S. Ludgero. Cum autem ibidem extructum Monasterium esset quod mire et famâ et amplitudine excrevit, priori paullatim exoleto vocabulo, *Monasteriensis* dici coepit et Ecclesia et Civitas ipsa. Utrumne novi nominis Monasterium S. Ludgeri causa fuerit, dissident auctores. Teutonicâ postea pronunciatione MUNSTER urbs est appellata.

Digitized by Google

omnipotens ad consolandos servos suos, ad declaranda sancti sui merita, in ipsa sui exitus hora clementiae suae dignatus est ostendere signum. Nam Gerfridus presbyter, nepos simul ejus et successor, cum nocte eadem cum fratribus gratiâ visitandi ad illum festinus properasset, et paululum adhuc itineris remaneret, cum omnibus pariter, qui secum erant, vidit ante se lucem magnam quasi ignem in sublime conscendere, ac cunctas tetrae noctis tenebras effugasse. Et statim per hoc indicium intelligens sancti ac venerabilis patris obitum, quod reliquum erat viae, cum summa velocitate peregit, ipsumque eodem quo lumen viderat, momento obisse comperit.

§ **32**. Igitur discipuli non immemores eum praecepisse, ut in monasterio quod Werdena vocitatum est, suum corpus sepeliretur, hoc populo, ut consentiret, persuadere coeperunt: sed hoc nequaquam fieri potuit, quia multitudo quae advenerat, illius rècolens sanctitatem et merita, aegre admodum ferebat a sua dioecesi in aliam eum parochiam transportari. Proinde inter utrasque partes convenit, ad Mimigernafordensem ecclesiam deferretur, et ibi usque ad adventum fratris ejus Hildigrimi inhumatum relinqueretur qui Catalaunensis ecclesiae episcopus, tunc ibidem morabatur. Factum est hoc, et in ecclesia sanctae Dei genitricis Mariae positum, et magno honore usque ad memorati antistitis praesentiam custoditum est. Cui cum primum nuncius de sancti viri obitu venisset, statim ad Aquis palatium, ubi tunc erat Imperator, festinus tetendit. A quo mandato accepto, ut ubi vivus desiderabat sanctus Ludgerus, ibi sepeliretur, die ferme post obitum ejus tricesimosecundo, ad locum, in quo frater ejus inhumatus servabatur, pervenit.

§ **33**. Miram rem dicturi sumus: cadaver tanto post mortem tempore necdum aliqua corruptione dissolutum fuisse, sed integrum prorsus, mira fragrantiâ cunctos qui aderant, replevisse. Cui miraculo illud accessit quod secundum ejus vaticinium, sanguinis aliquantulum ex naribus ejus profluxisse inventum est. Itaque digne, ut debitum erat, corpore involuto, cum laudibus et hymnis elevatum, et extra ecclesiam elatum est. Vix portam atrii exierant, cum sive casu, sive (quod magis credibile est) Deo volente, quemdam ex clericis qui praecipue huic translationi restitisse dicitur, feretrum tam valide percussit, ut ad terram pene prosterneretur. Mirati omnes, et beati viri meritis hoc factum esse intelligentes, in majores Dei laudes exurrexerunt. Personabant hincinde responsoria, personabant antiphonae et psalmi, et multitudo quae nimia ad exequias confluxerat, Kyrie eleyson per omnem viam alternans, cum summa alacritate ad locum, quem praemisimus, sancti corporis exuvias perduxere. Verum quia beatus sacerdos adhuc vivens praecepit, ne in ecclesia humaretur, ad Orientalem ejus partem effosso sepulcro, lapidem, quem pro

signo positum diximus, eruderaverunt. Ita ex vaticinii veritate meritum patuit prophetantis.

§ **31**. Defunctus est autem sanctus Ludgerus anno Dominicae incarnationis octingentesimonono, septimo Calendas Aprilis, et sexto Calendas Maji depositus. De cujus sacrosancto transitu nobis non tam dolendum, quam gaudendum esse videmus. Gratias enim agere Deo debemus quod talem nostris temporibus virum concessit qui et prioribus sanctis aequandus, et hujus aetatis hominibus incomparabilis, et posteris imitandus existit. Gratias agere debemus quod eum nos ex pastore patronum habere fecit. Nam quamvis omnes sanctos nobis patronos fore confidamus, ipsum tamen speciali nos, licet indignos, patrocinio tuèri non absurde speramus qui nostrum primus loco fundavit et rexit. Quantum autem ejus apud Deum patrocinia valeant, testantur gaudia populorum, quos interpellatus exaudit: testantur sanitates morbidorum, quibus in variis necessitatibus succurrit. Proinde non ut mortuum plangimus, sed ut vere viventem nobis suarum precum subsidio, ut subveniat oramus. Neque enim ille nobis mortuus est qui toties nos et corporaliter sanat, et spiritaliter vivificat. Non est absens, quem quotidie tot miracula nobis repraesentant. Non est otiosus qui singulis nos momentis suorum morum probitate et sanctissimae vitae exemplis instruit et informat. O vere beatum, et omni laude dignissimum virum, Angelis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus atque Virginibus non immerito comparandum: Angelis, cordis munditiâ et coelestium contemplatione: Prophetis, futurorum notitiâ: Apostolis, et pastoralis curae successione, et praedicationis imitatione: Martyribus, carnis castigatione et martyrii desiderio: Confessoribus, divini nominis coram regibus et gentibus confessione: Virginibus, corporis simul et mentis castitate. Quis talem tantumque virum digne cogitare, quis digne possit laudare? Quis ejus sanctitatem non veneretur? Quis miraculorum operationem non obstupescat? Quis in signis occultandis ejus humilitatem non miretur? Majora sunt ista, quam ut digne ea nostrae linguae ariditas valeat explicare. Nec eget ille sermonis nostri praeconio et nostra laudatione qui tantum apud mortales prodigiis clarus qui tantum inter angelos et omnium sanctorum choros in coelo est glorificatus, ubi nunc Christo conjunctus, pro nobis ejus servis, suisque famulis apud ipsum intercedat qui cum Patre et Spiritu Sancto unus vivit et regnat Deus in secula seculorum.

Digitized by Google

MARTYRIUM S. ALEXANDRI MILITIS

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE

§ 1. Quo tempore impius Maximianus imperabat, persecutio multa contra Christianae religionis sectatores per omnes regiones commota erat. Centurio autem quidam, daemonum amicissimus, Maximiani Imperatoris jussu erexit templum Jovi longe ab urbe Roma stadio uno. Edixit igitur Maximianus Imperator, ut quicumque Christianam fidem sequebantur, diis ipsis sacrificare cogerentur: jussitque omnes praesto esse in templi dedicatione, ac praecones ipsos per totam urbem indicere, ut quicumque illic essent deorum studiosi, crastino die omnes in templi dedicatione cum Imperatore convenirent. Itaque omnes, audita praecònum voce et tubae ipsius clangore, parati erant una cum Imperatore in Jovis templo praesto esse. Multi ergo, rebus omnibus omissis, templum adierunt, et Jovi sacrificarunt. Quidam vero admodum dives, Tyberianus nomine, sub imperio suo habens milites, a Felice tribuno sibi commissos, omnes illos convocavit, eisque haec dixit: « Audite fratres. Scitis vos omnes, quemadmodum Imperator praecepit, ut hodierno die in templo Jovis cuncti una cum ipso praesto simus. Parate igitur vos, ut mecum una in templum veniatis.» Haec cum militibus suis diceret, nunciatum illis fuit, Imperatorem in templum venisse. Tunc celeriter cum Tribuno ipso milites omnes properabant, ut Imperatori assisterent.

§ 2. Unus vero ex illorum numero, nomine Alexander *, cum a puero pietatem servans, Deum ipsum timeret, Tribuno respondit: « Si ad Deum illum qui vere Deus coelestis est, nobis eundum esse dixisses, eumque adorandum, recte quidem locutus fuisses. Quos enim vos deos esse dicitis, daemones illi sunt, non dii. » Tum Tyberianus: « Non omnibus, inquit, diis, sed uni deo Jovi nobis nunc sacrificandum esse dixi, licet sint alii, quos et Imperator, et nos colimus. » Ad haec Alexander: « Jovem ipsum deum nominasti: at ille talis est, qualis et caeteri qui daemones sunt valde fallaces, cum eos a quibus coluntur, circumvenire atque omnino perdere soliti sint: quemadmodum et vos ipsi asseritis, illum ipsum Jovem aliquando mulierem appetivisse, et cum illam juxta mare invenisset, ipsam deceptam corrupisse. Quis vestrum unquam vidit, aut aliquando audivit, Deum impuris facinoribus labefactari? Non solum igitur, ut dixi, daemones, sed etiam fallaces illi sunt. At noster Deus corporeis oculis non cernitur qui coeli et terrae effector est: neque iis indiget sacrificiis, quae vos impuris daemonibus offerre consuevistis: sed

* Vide ad hanc diem MARTYROL. nostrum ILLUSTRATUM.

Digitized by Google

sacrificium postulat purum ac sine sanguine. » Haec cum Tyberianus audivisset: « Omitte, inquit, insaniam istam, Alexander, et deos ipsos beneficiorum auctores ne contemnas, ne forte Imperator haec audiat, et adversus me indignetur quod te talia dicentem feram. »

§ 3. Haec cum dixisset festinabat una cum Imperatore in templo esse: erat enim tempus, quo Imperator diis sacrificia offerret. Memor vero eorum verborum quae a milite suo audiverat, Maximianum adiit, et ita eum allocutus est: « Milites omnes, Imperator, quos mihi majestas tua commisit, tuo edicto inservientes vidi: unus vero e militibus non solum mihi repugnavit, sed deos etiam ipsos contumeliosis verbis affecit, affirmans deos illos, quos tu Imperator, et nos colimus, daemones esse impurissimos: neque cogitat eos qui edictis imperii tui adversantur, mea manu interfici. » Haec cum Maximianus accepisset, militi, de quo haec audiverat, valde iratus fuit: et « Ubinam, inquit, ille est, de quo haec dicis? Age duc illum ad me, ut sciam quid ille sentiat. » Tum Maximiano Tyberianus: « Ita edictum tuum, Imperator, et meipsum miles ille pro nihilo fecit, ut huc venire neglexerit. » Ilico Maximianus jussit tres milites abire, et illum ferreis catenis vinctum ad se ducere. Beatus vero Alexander domi suae in lecto requiescebat: erat autem hora quasi sexta. Tunc angelus Domini in somnis illi apparuit, et ait: « Esto fortis, Alexander, quoniam multa passurus es pro nomine Christi crucifixi: parata enim tibi sunt tormenta multa. En veniunt ad te Imperatoris milites: sed ne timeas, neque cor tuum expavescat: ego enim missus sum, ut tibi opem feram adversus omnia tormenta illa quae ab Imperatore afferenda sunt. Surge igitur, et Deum tuum ora: ego enim tecum ero, quoad cursum confeceris. » Haec cum beatus Alexander ab Angelo audivisset, surrexit, et Deo psalmum illum cecinit: *Qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur. Dicet Domino, Susceptor meus es tu, et refugium meum in die tribulationis meae.* Et quae deinceps sequuntur. Cumque psalmum totum absolvisset, domo sua egressus, militibus illis occurrit, quos olim sodales habuerat. Qui cum Alexandrum vidissent, prae timore in terram ceciderunt: erat enim ejus aspectus, tanquam fulgur *.

§ 4. Tunc beatus Alexander dixit: « Surgite, fratres: quidnam timidi estis? » Cui milites responderunt: « Vidimus Dei potentiâ te circumdatum, et prae timore in terram cecidimus. » Ad haec Alexander: « Audite, inquit, fratres. Deus ille coelestis providit servo suo. Facite igitur vos quod jussi estis in eum contra quem missi fuistis, et me vinctum ducite. » Tum milites responderunt:

* Phantasticis quae sui erant ingenii Metaphrasten suspicamur commentitiis, quasi historiae ornamentum, haec Acta interpolationibus infarcisse. Quasdam, prolixitatem perosi, rejecimus nonnullis, nimiâ alieni severitate, pepercimus.

Digitized by Google

«Nos decreveramus nihil tibi dicere: quomodo igitur tu haec ipsa cognovisti?» — «Non necesse habeo, inquit Alexander, vobis multa loqui, quoniam pròpero ad certamen mihi propositum, quod coelestis Imperator mihi praeparavit. Ego enim ab urbe Roma Byzantium usque iturus sum.» Haec cum dixisset beatus Alexander, milites in ipsum manus conjecerunt, eumque vinctum ad Maximianum Imperatorem duxerunt. Mater autem ipsius Poemenia eam rem ignorabat. Milites igitur festinabant quamprimum ad Imperatoris tribùnal Alexandrum ducere. Turbae vero cum eum vidissent, magnopere obstupuerunt: erat enim aetate valde robustus, annum agens quasi decimumoctavum, aspectu ita formoso, ut Angeli alicujus speciem prae se ferre videretur.

§ **5**. Cum vero et aspexissent illum valde hilarem, furore magno perciti, dixerunt: « An non iste qui talis est, multo ante debebat apud Imperatorem deferri?» Haec cum beatus Alexander audivisset, ad scelestos illos homines conversus: «Vos, inquit, de me Imperatori vestro nunciate.» Maximianus igitur cum audivisset Alexandrum praesto esse, Tyberianum accersiri jussit. Qui cum venisset: «En, inquit Imperator, adest ille, cujus causâ milites misimus.» Cumque haec dixisset, jussit Alexandrum ante tribunal sisti. Tunc Maximianus: «Vere ne, Alexander, majestatem meam contempsisti, quia ita stulte atque insolenter Tribunum una cum sociis tuis ad templum sequi noluisti, ut mecum simul magnum deum Jovem coleres?» Ad haec Alexander: «Ego, inquit, Deum meum qui in coelis est, colo, et ejus filium Jesum Christum, et Spiritum Sanctum: alium enim ipse neque novi, neque confiteri possum, cum nullus alius sit Deus, nisi quem ipse colo. Cum igitur praeter coelestem hunc Deum alius non sit, ne me amplius de deo alio interroges. Quod vero ad majestatem tuam pertinet, ego neque minas, neque tormenta tua extimesco, quaecumque a te mihi afferenda sunt.»

§ **6**. His auditis, iratus Maximianus, dixit: « Et quid nam potest facere Deus iste, quem tu dicis?» Respondit Alexander: «Deus meus corporeis oculis non videtur, sed omnia potest facere: neque quicquam est, quod ejus potentiae subjectum non sit.» At Maximianus: «Est ne Deus qui ab hominibus in cruce suffixus atque interfectus fuit?» — «Obmutesce, satana, inquit Alexander: non enim dignus es qui Christum crucifixum nomines. Stulte, quem crucifixum ac mortuum fuisse dixisti, an non eumdem audivisti a mortuis etiam resurrexisse, et multis qui mortui fuerant, vitam restituisse?» Ad haec Maximianus: «Miseret me juventutis tuae quod aetate admodum juvenili te esse video.» — «Misereat te, inquit Alexander, conditionis tuae, et resipiscens èripe teipsum a laqueis diaboli.» Tum Maximianus dixit: «Accede miserrime, et Jovi deo sacrifica, ne morte pessima intereas.» — « Teipsum, inquit Alexander, miserrimum appella,

Digitized by Google

qui daemones impuros veneraris: ego enim neque minas tuas, neque tormenta, quaecumque ipse allaturus es, extimesco, cum verum Deum adjutorem habeam. » Maximianus autem: « Jam dixi, me tui misericordiâ commotum esse. Accede igitur et diis sacrifica. Idque si feceris, scito te unum ex eorum numero futurum qui in palatio meo regali primas tenent. » — « Et quisnam, inquit Alexander, deus ille est, cui a me sacrificium offerri vis ?» Cui Maximianus: « Magno deo Jovi sacrificium offeres. » Tunc beatus Alexander, Maximianum rursus interrogavit: «Cuinam deo vis sacrificem? » — « Jovi magno, inquit ille. » Ad haec Alexander: « An ignoras, daemonem et fallacem istum esse, quem tu deum appellas: quondam mulierem quandam concupivit, et ejus amore captus, tauri formâ se induit, et praestigiis suis mulierem miseram decepit ac foedavit? »

§ 7. Tum iratus Maximianus, jussit ad se accersiri Tyberianum Tribunum, eique: « En, inquit, hominem hunc potestati tuae trado, quinetiam praecipio, ut ab urbe Roma Byzantium usque diligenter inquiras de nostris diis, et de Jesu qui dicitur, quem colit Alexander: cujus sectatoribus, quoscumque invenies, nolim parcas, neque isti Alexandro, sed et ipsum, et omnes Christianos affligas, utcumque tibi visum fuerit, ut omnes edicto meo adversantes cognoscant manu mea se posse interfici. » Tum beatus Alexander: « Gratias ago tibi, Tyranne, quod me per multas regiones celebrem fieri jussisti. » — « Per deos ipsos, inquit Maximianus, non effugies manus Tyberiani. Non enim illi tui miserebitur, quemadmodum ego misertus fui. » Cui Alexander: « De hac etiam re Deo meo gratias agam, si forte dignus inveniar, qui ubique gentium pro Christi nomine labores et aerumnas patiar. »

§ 8. Haec cum audivisset Maximianus, jussit Alexandrum extra tribùnal ejici: quem cum Tyberianus ejecisset, et potestati suae traditum haberet, postero die sedens in tribunali, jussit ipsum illuc duci. Cum autem duceretur, risit ac dixit: « En ut rursus satanas se instruxit, et contra me armatus est. » Postquam autem ille ingressus fuit, Tyberianus ita eum affatus est: « Quid est, o Alexander? An adhuc in illa temeritate tua persistis? Fac, quod dico : diis sacrifica, et teipsum a tormentis libera. » Respondit Alexander: « Vidi ego sempiternam gloriam mihi praeparatam: qua re delectatus sum, et exultavit spiritus meus. » Ad haec Tyberianus: « Si facies, quod jussit Imperator et diis sacrificabis, tunc magis laetari et exultare poteris. At si perges temere agere, illud tibi praedìco per deos omnes, per omnes urbes ac regiones ossa tua a me dispergenda esse. » — « Ego, inquit Alexander, facio quod jubet Dominus meus coelestis, neque minas tuas timeo, neque tormenta tua formìdo. » Haec cum audisset Tyberianus, ira percitus, jussit Alexandrum

Digitized by Google

suspendi, et ejus carnes laniari. Cum vero laniaretur, vocem nullam emittebat: sed erigens oculos in coelum, Deo ipsi gratias agebat. Quod cum vidisset Tyberianus, jussit militibus Alexandrum e ligno depositum extra urbem educere, gravibusque catenis vinctum in Thraciam perducere.

§ **9**. Angelus autem Domini ejus matri apparuit in somnis, et ait: « Surge, Poemenia: quam celerrime praepara pueros tuos et jumenta, nihil molestiae in animo habens, ac filium tuum sequere: martyrium enim pro Christi confessione illi obeundum est. Hoc igitur, ut dixi, tibi molestum non sit, neque prius desistas, quam ad locum ei propositum perveneris. » Alexandri mater cum haec audivisset ab Angelo, magnopere laetata est: cumque surrexisset, sicut dixit illi Angelus, iter faciens sequebatur filium. Quae in urbem ingressa, in quam perductus fuerat, illic eum invenit, quo tempore a Tyberiano Praeside interrogabatur. Cum igitur optima illa foemina eum vidisset, missa voce magna: « Deus, inquit, ille altissimus pastor bonus, cui tu credidisti, adjutor tibi sit, fili mi. » Postquam vero Tyberianus foeminae illius vocem audisset, quaesivit quaenam esset vox illa: neque quisquam ex illa turba quae multa illic assistebat, potuit dicere, undenam ea vox advenerat. Tum Alexandro dixit Tyberianus: « Age, miser, diis sacrifica. » — « Sacrifico, inquit Alexander, sacrificium laudis coelesti Deo meo. » Ad haec Judex: « An non dixisti mihi, Alexander, vestrum illum Deum sacrificiis non egere? » — « Talibus, inquit ille, sacrificiis, qualia vos offertis, Deus meus non eget: sed sacrificium justitiae ac sanctitatis requirit, quoniam Deus noster sanctus est. » Tunc jussit Tyberianus faces accensas ejus maxillis admoveri, dicens: « Videamus, an veniat Deo ipsius, et liberet eum de manibus meis. » Itaque ministri satanae fecerunt, quod jussi fuerant, et faces accensas Alexandro admoverunt. At cum Tyberianus vidisset, ignem ipsum nullam vim habere contra Alexandrum, erubuit, et servis suis praecepit, ut eum vinculis astrictum ducerent: quibus et dixit: « Interim praeite vos: ego vero sequar. » Mater autem Alexandri, cum filium a Judicis conspectu abductum vidisset, rogavit milites, ut eam sinerent filium adire atque alloqui. Cum igitur illa prope accessisset, et Alexander matrem vidisset: « Bene, inquit, mater huc venisti: sèquere me. » Quidam vero e militum numero cum haec viderent, dicebant: « Tu quidem, Alexander, beatus es, quoniam magna est fides tua: magnus enim Deus est Christianorum. En ut multa tormenta passus pro nomine ipsius, nihil mali accepisti. » Haec dicentes iter faciebant, ut a Tyberiano jussi fuerant.

§ **10**. Interea venit Tyberianus cum satellitibus suis. Erant autem cum illo et ejus urbis optimates. Quaesivit Tyberianus a ministris suis quo nomine locus ille appellaretur. Responderunt

Digitized by Google

illi, Judicii locum appellari: « Ducite, inquit Tyberianus, huc Alexandrum qui Christianum se esse dicit, ut interrogem, quodnam sit ejus consilium, si forte, mutatâ sententiâ, diis velit sacrificium offerre.» Cum igitur Judex ipse pro tribunali sederet, beatum Alexandrum interrogavit: «Adhucne in temeritate illa tua prava et insania persistis, neque diis sacrificas?»—« Utique, respondit beatus miles, non in temeritate, ut tu insane et impie dicis, sed in confessione persisto Christi mei; atque concedat mihi Deus in ea constantiam usque ad finem.»

§ **11**. His auditis, Tyberianus magnopere iratus est, jussitque tribulos in terram spargi et Alexandrum super illos sterni ac distrahi. Has aerumnas cum vir ille beatissimus pateretur, ne vocem quidem emittebat. Tyberianus vero, cum animadverteret Alexandrum eos cruciatus non sentire, magis iratus, fraxineis virgis eum caedi jussit. At ille cum a militibus caederetur: « Istane, inquit, tormenta tua sunt? Adde alia, si qua habes his acerbiora: ego enim divina ope adjùtus, nihil istorum tormentorum sentio, cum Dominus meus Jesus Christus praesto mihi sit et opem ferat. Habes igitur corpus meum in potestate tua: fac illi quodlibet: animae autem meae, neque tu, neque pater tuus satanas unquam dominabitur, sed Dominus meus Jesus Christu.» Ad haec Tyberianus: «Jamjam te in ignem conjiciam, ut videam, an veniat Christus iste tuus quem dicis et te e manibus meis eripiat. Illud enim velim scias, carnes tuas et ossa per singulas regiones, per quas ego transiturus sum, dissipatum iri: et ne mulieres ipsae aliquid e carnibus tuis et ossibus inveniant quod postea unguentis perfundant et ut sanctas aliquas reliquias venerentur, jubebo cineres tuos in fluvium pròjici: sicque ne vestigium quidem aliquod memoriae tuae supèrerit. » Tunc Alexander: « Perdet, inquit, te Christus ipse et carnes et ossa tua sub coelo disperget: futurum enim est, ut non redeas, neque Imperatoris tui aspectum videas: et delebit Deus memoriam tuam de terra.» Haec cum Tyberianus accepisset, furore magno percitus, vultum mutavit et jussit ministros suos eo in loco manere et coenam parare. Cubuit autem illic ipse cum toto satellitio suo: Alexandrum vero milites ipsi sub arbore quadam collocatum servabant. Crastino autem mane facto, omnes proficisci, et beatum Alexandrum praeire jussit. Cum vero multas urbes praetergressus fuisset, in nullam introivit, ut per Illyricam regionem quamprimum Byzantium properaret. Per multos igitur dies non ausus est a beato Alexandro aliquid quaerere: cujus corpus nulla ex parte debilitatum fuerat, sed integrum et robustum erat.

§ **12**. Praeteriens igitur per Illyricam regionem, venit in urbem Sardicam, in quam neque ipse neque Judex ingressus est. Cum vero ejus civitatis optimates eum adventare audivissent, obviam illi cum multo comitatu processerunt. Christiani etiam

Digitized by Google

homines qui illic erant, cum audivissent Tyberianum venire, martyrem quemdam secum habentem, egressi ex urbe, Alexandrum seorsum in via stantem invenerunt. Quem cum vidissent, ad ejus pedes se abjicientes, dixerunt: «Precare Deum pro nobis, serve Dei altissimi.» At ille: «Vos etiam, inquit, fratres, pro me Deum precemini, ut cursum meum in Christo perficiam, et coronam, quam promisit mihi Dominus, ab eo recipiam.» Postea vero quam urbem transierunt, quae Clisura nominatur, et ad castrum quoddam, Bonamasium nomine, advenerunt, quod est supra Philippi urbem fere milliaribus quadraginta, illic constiterunt. Tunc Tyberianus Alexandri memor fuit, et illum ad tribùnal duci jussit: iterumque, sed frustra eum tentare aggressus est. Tunc ait Tyberianus: «Auferte hinc hominem istum, et a conspectu meo removete. Abducite ipsum in urbem Philippi, et conjicite in carcerem: ego enim vos sequar.» Itaque cum beatum Alexandrum Tyberianus praemisisset, ipse quoque in Philippi urbem profectus est.

§ **13.** Cum vero ejus urbis incolae audivissent, Tyberianum cum suis cohortibus adventare, optimates multo cum comitatu obviam illi prodierunt: qui in urbem illam ingressus est, Jovi et Aesculapio sacrificium oblaturus. Audierunt et Christiani qui erant in urbe illa quemadmodum Tyberianus martyrem quemdam in carcerem misisset. Itaque omnes in eum carcerem convenerunt et custodem illius precati sunt, ut sineret illos ad Christi martyrem introire et eum videre. Id permisit custos, quippe qui et ipse Deum timebat. Cum igitur omnes ingressi, beatum Martyrem in ligno sedentem et vinculis astrictum vidissent, ad ejus pedes se dejecerunt, eumque et ipsius vincula exosculabantur, ac dicebant: «Vere faustus et felix nobis fuit adventus tuus, serve Dei: urbem enim et patriam nostram hoc ipso felicem futuram scimus. Patientiam igitur serva, ut cursum tuum conficias. Nos autem Christiani multo metu ac tremore hanc terram incolimus. Nam hujus loci Praeses singulis diebus nos Christianos inquirit, ut puniat: sed ille quidem nobis minatur: at potestatem tamen nullam habet qua nos detinere possit, quo minus Christiani simus: multi enim, divina ope adjuvante, in hac urbe sumus qui Christi fidem tenemus, ex quorum numero sunt et urbis hujus optimates. Iidem speramus Christi potentiâ Graecos ipsos, male de fide Christiana sentientes, ita superatum iri, ut omnes fiant Christiani. Esto igitur patiens Christi martyr, et quicumque ab impio Judice cruciatus afferentur, eos forti animo perferas.»

§ **14.** Interea Tyberianus civitatis illius optimatibus dixit: «Scire debetis vos, Christianum hominem ab Imperatore ex urbe Roma fuisse mihi traditum, quem per totam viam admonerem atque hortarer, ut ad deorum religionem se converteret. Verum nihil

Digitized by Google

adhuc in eo profeci: dura enim quaedam respondens, et me et deos ipsos contemnit: cumque multis cruciatibus eum subjecerim, nihil illis laesus est. Si placet igitur, vobis praesentibus, huc illum accersiri jubebo: fortasse multos revèritus, ad deos ipsos se convertet.» Alexandrum igitur eductum e carcere, illuc accersiri et ante tribùnal sisti jussit. Cum igitur eo ductus esset, Tyberianus cum civitatis Praeside Alexandrum sic interrogavit: « Age, Alexander, an adhuc persuasum non habes, ut a priore sententia discèdas? Cumque Christiani homines qui in hac urbe sunt, omnes diis sacrificent, tune solus nobis repugnas et deos contemnis? Age saltem nunc mecum una et cum Praeside templum ingredere, et diis sacrifica. » Tum beatus Alexander: « Excaecatae mentis homo, fili satanae tecum una sedentis quid a me vis amplius audire? Saepissime tibi dixi, me Christianum esse et daemonibus impuris non sacrificare. Nunc igitur his omnibus audientibus profiteor, me coelestis Dei cultorem esse, neque Domini mei Jesu Christi nomen a me negari. Scito nihil praeterea te a me auditurum.» Haec cum Tyberianus una cum Praeside audivisset, jussit Alexandrum illinc amoveri, dicens: « Abducite istum, milites, et vinctum per plateam ducite: ego enim vos sequar.»

§ **15**. Milites ergo eum abduxerunt: cumque ad locum quemdam venissent, ubi emporium erat, quod Castrametatio dicebatur, eos Tyberianus consecutus est: qui cum Alexandrum vocasset, ei ita dixit: « Scis, Alexander, crebro te fuisse a meipso admonitum, neque tamen diis sacrificium offerre voluisse?» — « Rursus, inquit Alexander, fili satanae, vis a me audire quod non sacrifico? Saepius dixi me Christianum esse.» Tum Tyberianus irâ percitus, jussit Alexandrum, ad quatuor palos alligatum et extensum, a quatuor militibus ducentis verberibus pulsari. Hos cruciatus cum sanctissimus ille Martyr fortiter sustineret, vocem nullam emittebat, sed oculos in coelum ad suum Dominum Jesum Christum erectos tenebat. Postea vero ad castrum quoddam, cui nomen est Carasura quod quadraginta milliaribus ab urbe Philippi et decem et octo distabat a Beroea, Alexander et Tyberianus pervenerunt. Cumque Tyberianus illuc ingressus esset, in castro illo est diversatus. Milites vero sanctum martyrem Alexandrum secum habentes, una cum ipso prope castrum aliud ad locum arboribus consitum diverterunt.

§ **16**. Tum martyr Alexander dixit militibus: « Eamus, fratres, ad arbores illas.» Cum enim eum locum vidisset, valde oblectatus est. Itaque cum eo venissent: « Vere, inquit, fratres, ego sitio.» Illi vero: « Et undenam hic aquam habebimus? » — « Expectate paulisper, fratres, inquit Alexander: potest enim Deus meus etiam hoc in loco nobis aquam suppeditare. » Cumque haec dixisset, flexis genibus, ita Deum oravit: « Domine Jesu Christe,

Digitized by Google

qui lapidem in solitudine olim discidisti et aquam ex illo eduxisti, ne populus tuus Israël siti deficeret: nunc tu misericors respice servum tuum, et hoc in loco aquam praebe, ut ego servus tuus bibam et nomini tuo gloriam reddam.» His dictis, statim tellus quae infra arbores illas erat, aperta est, et gelidissima ac purissima quaedam aqua erùpit: unde et Alexander et milites qui cum illo erant, biberunt. Id cum vidissent milites quod tam mirabiliter sanctus martyr fecerat, mirati sunt, et inter se dicebant: « Vere magnus est Deus Christianorum, quoniam sic servos suos exaudit. » Tunc Tyberianus sedens pro tribunali, jussit beatum Alexandrum illuc duci: quem interrogans : « Age, inquit, dic Alexander: Facisne quod jubet Imperator, an non ?» Respondit ille: « Ego coelestis Imperatoris mei edicto parère volo, neque te aliquid esse puto , neque Imperatorem tuum. » Hoc responsum cum Praeses ab eo accepisset, non amplius illic eum interrogare voluit: sed convocatis militibus, « Celeriter, inquit, istum comprehendite, et in urbem Beroeam abducite.» Ceperunt igitur illum milites, et ad fluvium quemdam venerunt, cui nomen erat Arzon. Cum autem essent fessi de via, seipsos apud flumen illud refrigerabant. Illic Alexander manus et faciem lavit. Cumque arbores quasdam celsiores vidisset: «Venite, inquit, fratres, et parumper sub arboribus illis quiescamus. »

§ 17. Postea vero quam in Beroeam urbem Tyberianus ingressus est, ejus civitatis optimates illum acceperunt. Quamvis enim plerique ipsorum Christi fidem servarent, Imperatoris tamen metu eam rem dissimulabant. Qui autem Christianam fidem profitebantur, audientes Christi martyrem Alexandrum illuc venire, magno gaudio affecti, illum salutantes exceperunt. Cumque Tyberianus ad fluminis quod supra diximus, vadum alterum venisset, qui locus quadraginta fere milliaribus distabat a Beroea urbe, ubi et hospitia multa erant, illic Martyrem expectabat quem iusserat vinctum per omnes urbis illius publicas vias circumduci, et illuc celerrime pèrtrahi. Inde simul in locum quemdam venerunt, Bortiam nomine. Quaesivit autem Praeses ab ejus loci hominibus , quanam viâ compendiosius ad Europolitarum provinciam pervenire possent. Illi responderunt, compendiosius iter futurum, si transeuntes per montes, in campum quemdam descenderent, in eum locum qui dicebatur Burtodexion. Cum enim Tyberianus multos Christianos in urbe Adrianopoli esse audivisset, deflexit de via publica, ne in urbem illam ingrederetur. Cum igitur eam urbem a dextera et castrum a sinistra reliquisset, transiit per montes illos, sicut ab ejus loci hominibus didicerat et venit in Burtodexion. Cum vero beatus martyr Alexander illuc venisset, matrem suam invenit. Quae, viso filio, ad ejus pedes se dejècit et flere coepit. Postea vero surrexit et filium osculata est. Tum beatus Alexander illi dixit: « Noli, mater mea, flere: spero

Digitized by Google

enim futurum, ut Domini mei Jesu Christi ope adjutus, crastino die cursum meum perficiam.» Mansit autem Tyberianus apud castrum illud, et octavâ noctis horâ illinc discessit, et milites suos sequi jussit, Alexandrum victum ducentes.

§ **18**. Orto autem sole, venit ad fluvium quemdam, apud quem erat hospitium. Fluvium autem illum ejus loci homines Zioncellum vocari dixerunt. Illic beatum Alexandrum Tyberianus ad se accersivit, eique dixit: « Age, Alexander, audi me, deosque ipsos confitère. » Tum Alexander : « Vanissime, inquit, homo, et patri tuo satanae addicte, rursus me interrogas et deos vocas, qui non sunt? » Ad haec Tyberianus: « Multos cruciatus tibi adhibui, neque quicquam adhuc profeci, et ab urbe et patria mea peregrinatus sum, neque adhuc assequi potui, ut te ad deos converterem. Nunc igitur scito, hodierno die rerum tuarum finem futurum. » Idque cum dixisset, ad eum locum properabat, in quo Christi martyr certamen suum confecturus erat. Celeriter igitur ad locum pervènit, qui Drizipera vocabatur. Sedit vero in sublimi quodam loco ultra fluvium Erginam, ad orientem solem conversus. Cumque Alexandrum accersivisset: « En, inquit, finis tuus hodierno die praesto est. Jubeo corpus tuum in fluvium pròjici, ut ferae illae, quae sunt in aquis, carnes tuas consùmant. » — « Gratias, inquit Alexander, tibi agam, tyranne, si vere facies quod dixisti, ut eripiat me Dominus de manibus tuis iniquis. » His auditis, sententiam adversus illum Tyberianus pronunciavit. Cumque quatuor militibus eum secùri feriendum tradidisset, illos dimisit, et illinc abiit.

§ **19**. Milites igitur illum apprehenderunt, et ad dexteram partem ejus viae ad Boream vergentem festinabant, ut facerent quod jussi fuerant. Beatus vero Alexander cum huc atque illuc circumspexisset, et turbas, quae ad ejus spectaculum convenerant, vidisset, petiit a carnifice, ut Dei orandi facultatem ei praeberet: idque cum carnifex concessisset, aquam petiit. Tunc unus ex iis, qui ad spectaculum venerant, vase quodam aquam e fluvio Ergina celeriter ad beatum Alexandrum attulit. Ille vero manus et faciem lavit, ac totum corpus Cruce ter signavit, et ad Orientem conversus oravit. Deinde se ad eam turbam, quae illuc venerat, convertit ac dixit: « Admoneo vos, fratres, Deique mei nomine vos hortor, ut labores meos recordemini, quos pati non recusavi ; neque enim piger fui pro nomine Domini nostri Jesu Christi, ut propitius fiat peccatis meis, et genti nostrae, quoniam misericors est et clementissimus ipse Dominus Jesus Christus. Scitis enim, fratres, quantum iter fecerim cum impio et iniquo Tyberiano, qui per totam viam nunquam mihi parcens, multos cruciatus in me intulit. Sed haec omnia sustinui propter nomen Domini nostri Jesu Christi, ut cursum meum perficerem, et

Digitized by Google

Tyrannum contra me bellum gerentem, et diabolum concertantem superarem: ipse enim fuit adjutor Tyberiani. »

§ **20**. Cumque haec turbis dixisset, ad carnificem conversus: « Mane, inquit, frater, parumper, ut adhuc Deum orem: » ac, flexis genibus, rursus Deum precatus est. Milites tunc hortatus, « Cito, inquit, fratres, facite quod jussi estis. » Caelestinus autem quidam (sic enim appellabatur unus ex iis, qui illic stabant) ei dixit: « Ego sum, Martyr Christi, cui negotium hoc impositum est: sed precare Deum pro me, ne mihi peccato ea res sit. » Tunc beatus Alexander: « Age, inquit, fili, fac absque pavore quod jussus es. » Hoc cum ille dixisset, gladium eduxit Caelestinus, et linteo sumpto, oculos beati Alexandri contexit. Cum vero illum percutere voluisset, Angelum assistentem vidit, neque amplius ausus es manus in ipsum inferre. Tum beatus Alexander: « Age, frater, fac quod jussus es. » At carnifex: « Timeo, inquit, serve Dei: video enim viros quosdam terribiles circa te stantes. » Tum beatus Alexander Deum ita precatus est: « Domine Jesu Christe da, ut hac horâ martyrium complere possim. » His precibus ad Deum missis, Angeli parumper ab ipso recesserunt. Itaque carnifex Alexandri caput gladio abscidit: ejusque beati viri animam Angeli ad coelum sustulerunt, Deum ipsum magna voce laudantes, turbis omnibus, quae illic erant, audientibus. Itaque beatus Alexander martyrium complevit in Patris, Filii et Spiritus Sancti nomine.

DE SANCTO ISAACIO

EX SIMEONE METAPHRASTE

Floruit saec. IV.

§ **1**. Post venerandae et immaculatae ac pretiosae Crucis Domini nostri Jesu Christi inventionem, post imperium Constantini Magni Imperatoris, callidus et vafer ac versipellis serpens, qui semper piorum hominum generi inimicus et invidus atque malevolus adversatur, et fidem Salvatoris nostri Jesu Christi semper impugnat, tale quiddam in Dei Ecclesias machinatus est. Regnante enim impio et iniquo Imperatore Valente, magnus adversus orthodoxam fidem impetus factus est. Nam ipse Arianorum haeresis studiosus ac defensor, jussit ut sanctae fidelium Ecclesiae clauderentur: vetuitque, ne solita in ipsis sacrificia fierent: quinetiam alias earum diruendas, alias in stabula redigendas curavit. Atque haec quidem superbia diu viguit. Quo

Digitized by Google

sane tempore magnus erat luctus et dolor servorum Dei. Precabantur autem nocte ac die, ut Dominus Deus ad misericordiam moveretur, et justitiam exerceret. Sic igitur tunc agebatur, ut olim sub Herode rege pro Apostolorum principe actum est.

§ 2. Deus ergo aliquot annis interjectis, cujusdam servi sui monachi, qui Isaacius vocabatur, spiritum, ut pro Susanna quondam Danielem, excitavit. Qui ut Elias propheta, cum angelicam vitam instituisset, ab Oriente profectus est. Ejus autem oratio lucernae instar ardebat. Divinus enim Spiritus et gratia coelestis in ipso quiescebat. Hic cum Imperatorem inique se gerere perspiceret, vehementer dolebat et angebatur, orabatque Dominum, ut e sublimibus et sanctis sedibus suis despiceret, et misericordiam suam demonstraret. Audivit eum Deus, quemadmodum Mosem adversus Pharaonem, et contra Imperatorem hostium impetum concitavit. Eo enim tempore barbari apud Danubium congregati, copias suas contraxerant, et bellum adversus Imperatorem movebant, ac totis viribus in urbem ingredi conabantur. Magnus igitur tumultus exortus est, et multa praeda agebatur. Coëgit et Imperator exercitum suum, et in hostem expeditionem parabat. Verum idem illi accidit, quod Sauli Davidis inimico contigerat. Neque enim reversus est. Nam Samuelis prophetia in ipso quoque expleta est, quod Deum ad iracundiam incitasset.

§ 3. Cum igitur ad bellum proficisceretur Imperator *, occurrit ei beatus Isaacius, et sic illum est allocutus: «Imperator, orthodoxorum Ecclesias aperi, et Deus iter tuum fortunabit.» At ille viro sancto ne respondere quidem dignatus est: sed eo, ut stulto, relicto, discessit. Alio die vir sanctus Imperatorem rursum assecutus: «Aperi, inquit, Imperator Ecclesias orthodoxorum, et bellum prospere conficies, ac victor revertèris in pace.» Imperator seipsum colligens, et cogitans, quid sibi vellent ea verba, «reverteris in pace,» voluit ei Ecclesias liberas dimittere. Coactoque consilio, de patefaciendis orthodoxorum Ecclesiis consultabat. Verum qui eo tempore Praefectus erat, cum esset ex impio Arianorum grege, persuasit Imperatori, ne beatum Isaacium audiret, sed contumeliâ affectum afflictumquè dimitteret. Quibus verbis adductus Imperator, virum pium contempsit. Sed ille justum Dei judicium expectabat.

§ 4. Paucis autem diebus interjectis, Imperatorem proficiscentem rursum assequitur, arreptoque equi ipsius freno coepit eum tum reprehendere, tum adhortari, ut sibi concederet, quod postulabat. Sed ipse noluit. Erant autem prope viam spinae cum paliuris adeo densis et asperis, ut quodvis animal introisset, non posset sese inde vivum expedire. Hunc Imperator locum tanquam laqueum conspicatus, jussit, ut virum sanctum

* Anno haec acta sunt CCCLXXVIII.

illuc conjicerent, quo interiret. Verum cum in spinas conjectus esset, ita molliter jacebat, ut si in lectulo conquiesceret, nec ullo modo laesus est. Cumque Imperator cum exercitu discessisset, accesserunt tres viri candidis vestimentis induti, quos vir beatus non agnoscebat, et eum incolumem extraxerunt, seque ab ejus oculis subduxerunt, ut non posset intelligere, quinam essent. Sed cum in se reversus fuisset, cognovit esse angelos Dei: et flexis genibus, gratias egit Domino, cui curae sunt ii qui timent eum. Cumque diu precationibus incubuisset, et Deum laudasset, surrexit: et Spiritu Sancto corroboratus, per aliam viam occurrit Imperatori, et constitit in ejus conspectu. At Imperator eum aspiciens, admiratus est, et viri sancti praesentiâ sic obstupuit, ut loqui nec posset. Ipse vero cum fiducia: « Tu quidem me, inquit, interiturum in spinis existimasti, verum me Deus per angelos suos vivum servavit. Quamobrem audi me, Imperator, et aperi Ecclesias orthodoxorum, et adversarios superabis, et cum laude et gloria revertèris. » Imperator, etsi libertatem et vultum hominis admirabatur, non tamen paruit. Erat enim cor ejus excaecatum et alienum a Deo. Sed duobus Senatoribus Saturnino et Victori virum sanctum tradidit. «Hunc mihi, inquiens, custodiendum curate, donec revertar in pace: et tunc ejus arrogantiam meritis poenis afficiam. » At sanctus Isaacius Spiritu Sancto plenus, ut olim adversus Achab regem Israël Michaeas Propheta, ita respondit: « Si reversus in pace fueris, scito in me non locutum esse Dominum Deum. Tu quidem manum conseres, sed non poteris hostibus resistere, et ab eorum conspectu fugies. Demum capièris, et vivus igne conflagrabis. »

§ 5. Tradito igitur viro sancto custodibus, discessit Imperator, verbis ejus commotus ac perturbatus. Et cum esset bellum initurus, in oppidum quoddam Danubio propinquum ingressus, exercitum lustravit, diemque praelio dixit. Cumque paucis diebus quievisset, signa contulit atque conflixit. Sed quemadmodum vir sanctus praedixerat, hostium impetum sustinere non potuit. Itaque se fugae commisit, et in agrum, in quo stabulum erat palearum plenum, pervenit, ibique cum Praefecto, per quem corruptus fuerat, se abscondit. Barbari vero qui sequebantur, cum illic eum latitare comperissent, igne circumjecto stabulum incenderunt. Atque ita miser combustus, spiritum reddidit. Totus autem ejus exercitus Thessalonicam se contulit, et Gratianum Imperatorem Romanum expectavit. Qui cum ad eum, Deo favente, pervenisset, alterum eis Imperatorem, nomine Theodosium, virum fidelem gloriosumque, et orthodoxae fidei studiosissimum constituit. Atque ita Romam Gratianus reversus est. Milites autem, suscepto Imperatore Theodosio, laeti cum ipso Constantinopolim profecti sunt. Saturninus vero et Victor, quibus sanctus Isaacius custodiendus traditus fuerat, ad Imperatorem salutandum

Digitized by Google

accesserunt: petieruntque a viro sancto, ut pro se Deum precaretur. Colebant enim eum, uti prophetam, quoniam quaecumque Imperatori futura praedixerat, evenissent.

§ 6. Duxerunt autem eum in civitatem, et inter se contendebant, uter ipsorum viro sancto domum aedificaret. At ipse, cognita eorum contentione: « Audite, inquit, me servi Christi, nolite contendere: mihi gratum est studium vestrum: sed quia vobis cordi est, ut humilitati meae perfugium paretis, quid vobis faciendum sit, dicam. Si quis anteverterit, ut mihi domum aedificet, illic habitabo omnibus diebus vitae meae. » Ipsi autem, audito sancto viro, certatim domum coeperunt extruere. Ac Saturninus quidem, cum locum extra portam quae Collarida dicitur, possideret, illic aedificabat. Victor autem, in palatii loco, qui Arenosus appellatur, domum construebat. Cum igitur ambo, beati viri nomine aedificium molirentur, Saturninus adhibita diligentiâ, ita volente Deo, domicilium ex duplici constans contignatione perfecit: et virum beatum adiens: « Ecce, inquit, serve Dei, habitaculum tibi construxi. Veni igitur, atque ibi habita. » Accessit vir sanctus, atque illic in nomine Dei nostri permansit. Victor autem magno ambitu domicilium cum extruxisset, venit et vidit se a Saturnino fuisse superatum. Itaque magno affectus dolore, supplex ad sancti viri se pedes prostravit: « Oro te, inquiens, pater, ut meum quoque locum accipias, et in eo commorèris, quando eum nomine tuo aedificandum curavi. » Cumque multis verbis obsecrasset, respondit ei justus Isaacius: « Fili, inquiens, quo in loco voluit me Deus habitare, in eo quiescam, donec vitae meae finis advenerit. » Et benedixit ei, atque dimisit. In domicilio igitur suo laetus commorabatur.

§ 7. Saturninus autem et Victor frequenter eum invisebant, ducebantque secum et alios amicos, et ea quae sublevandis pauperibus sunt necessaria, subministrabant. Domum etiam uterque suam illum vocabant, ut eis Dominus in ejus ingressu et exitu benediceret. Quod si contingebat, ut, eo serius egrediente, portae civitatis essent clausae, consistebat et orabat, factoque Crucis signo, sponte sua portae aperiebantur, atque ita exibat, gratias agens Deo. Saturninus autem cum eum vehementer diligeret, attulit ei tabulas totius loci, ut proprius esset ipsius mansionis. Noctes igitur et dies assiduas Deo preces offerebat: nec unquam cessabat pauperibus eleemosynas distribuere. Quod si usu veniret, ut aliquis ab eo pauper in via peteret eleemosynam, statim exuebat pallium suum, et pauperi dabat. Omni autem tempore vitae suae gravitatem servavit, spiritu fervens, ut ait Apostolus, Domino serviens, spe gaudens, in tribulatione patiens, orationi instans, necessitatibus sanctorum communicans, omnibus benedicens, maledicens nemini, angelorum imitans vitam, vestigia sequens Apostolica, tum zelo, tum sacrificio, tum desiderio Christi, omnem

Digitized by Google

mansuetudinem erga omnes homines prae se ferens, Dei virtutibus ornatus, minime pugnax, ab omni malevolentia et malitia alienus, pacem et quietem quaerens, adversarios monens et cohortans, ut confiterentur et adorarent sanctissimam Trinitatem, in quo consistit hominum salus, utque coelestem angelorum ordinem, et divinam vitam imitarentur. Provectus autem ad senectutem bonam, ad quam Abraham in terra promissionis, ad communem vitae finem properavit.

§ 8. Quodam igitur die convocatis omnibus fratribus, longo eos sermone instituit, et cohortatus est, ut stabiles ac firmi in fide permanerent, et procul ab omni reprehensione Dei mandatis obtemperarent: atque ita illos Christo clementissimo commendavit, et virum fidelem atque constantem, ac disciplinae suae studiosum elegit, quem illis praeficeret: et Deum precatus, eos dimisit. Cum autem venisset hora, ut e corpore ad Deum migraret, in pace spiritum suum sanctis angelis tradidit. Magnus vero inter fratres clamor et luctus exortus est qui cum lacrymis dicebant: « Pater, sis memor nostri. » Et curantes eum, pro dignitate extulerunt. Cives autem universi ad obitum ejus concurrerant, et ad tumulum usque sunt eum comitati, et sanctas ejus ac pretiosas reliquias in aede sancti Stephani protomartyris, in sacro altari collocarunt. Ac caeteri quidem ad sua quisque loca reversi sunt: fratres vero ad mansionem ipsius, Deum collaudantes, redierunt. Migravit ad Dominum sanctus pater noster Isaacius VI Calend. Aprilis, et assidue pro nobis apud Salvatorem Christum intercedit, fiduciâ utens apud Deum et Patrem: Cui gloria et imperium adoratio et laus debetur, cum unigenito ejus Filio, et Spiritu Sancto, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

VITA S. RUPERTI

PRIMO VANGIONUM DEINDE SALISBURGENSIS EPISCOPI

FIDELITER CONSCRIPTA, SED PER LAUR. SURIUM REDDITA FERE PARAPHRASTICOS

Anno obiit 718 — Nat. Francus.

§ 1. Cum rex Childebertus apud Francos regnaret, anno secundo regni ejus, sanctissimus Christi Confessor Rupertus apud Vangiones * episcopi fungebatur officio. Is genus suum ad reges Francorum referens, tantam carnis nobilitatem et praestantiam fide et pietate in Deum eximia mirifice illustravit. Cujus si quis virtutes compendio nosse velit, erat multa animi mansuetudine,

* Worms, ad Rhenum superius, antiquitus *Borbetòmacum* appellabant.

Digitized by Google

integra corporis pudicitiâ et castitate, cum columbina simplicitate serpentis obtinens prudentiam, in laudibus Dei devotus, consilio providus, inferendis sententiis justus, plenus Sancto Spiritu, a dextris et a sinistris praeclare virtutum armis munitus, gregi suo optime vivendi seipsum formam exhibens, quod sermone docuit, vitâ et factis declarans: corpus assiduis vigiliis perpetuisque jejuniis macerans, operum misericordiae valde studiosus, adeoque largus et benignus in inopes, ut dum illos fovèret beneficiis, seipsum ad inopiam redigeret, atque hoc solum suum esse putaret quod in miseros et egenos contulisset.

§ 2. Famâ autem sanctitatis ejus non modo per urbes, sed etiam per regiones vulgatâ, permulti ad eum illustres confluxere viri, non solum e vicinis, sed etiam longinquis populis, ut ejus sanctissima doctrinâ imbuerentur, et catholicae religionis, ex illo puram cognoscerent veritatem, vel certe etiam ab ejus sacro ore in rebus duris et asperis salutarem haurirent consolationem. Et multi sane illius operâ ab hostis antiqui laqueis sunt extracti, et in viam salutis aeternae perducti: porro homines impii et haeretici qui tum non pauci apud Vangiones visebantur, virum sanctum non ferentes, multis eum suppliciis affectum et virgis ignominiose caesum, ab oppido cum magna injuria expulerunt. Sunt qui scribant Beringerum regium comitem, quem alii Bercharium vocant, viro Dei succensum, eum ita inhumaniter tractasse, maxime quod is Beringerus Arrianis faveret. Verum hac occasione majora pietatis lucra sancto viro accesserunt. Nam per id tempus Theodo, Bavarorum Dux inclytus, audiens famam hominis Dei, itemque sanctitatem et miracula quae per eum Dominus efficiebat, magno ejus videndi desiderio accensus, misit quosdam ex viris primariis qui eum obnixe precarentur, ut Bavarorum regiones dignaretur invisere, et eis sanctae fidei viam explicare. Ut autem vir sanctus legatorum tum praestantiam tum preces didicit, non ignorans divinae providentiae moderatione isthuc geri negotium, gratias egit praepotenti Deo quod sedentibus in tenebris et umbra mortis verum vitae lumen Christum Jesum Filium suum impertire percuperet. Itaque cum legatis illis quosdam ex presbyteris suis ad Ducem praemisit, nec multo interjecto temporis spatio, ipse eos subsecutus est. Quod ubi ad Ducis notitiam perlatum est, ingenti ille perfusus gaudio, cum proceribus suis processit obviam sancto viro, et in oppido Ratisponensi eum summa alacritate excepit.

§ 3. Porro sanctus Rupertus indictis jejuniis, de coelestibus mysteriis Ducem instituit, et in vera fide confirmavit, effecitque ut daemonum cultui prorsus renunciaret, et postremo in nomine sacrosanctae Trinitatis baptizavit: neque illum dumtaxat, sed cum illo pariter viros primarios et non exiguam populi multitudinem, nobiles simul et ignobiles: qui omnes laudabant mundi

Digitized by Google

Redemptorem qui ipsos de tenebris in admirabile lumen suum vocare dignatus esset. O vere beatum pontificem, per cujus sermones illuminata sunt peccatorum tenebris obnubilata pectora, et arentia infidelium corda, vitae fontem sitierunt. Jam vero undis salutaribus abluto Duce simul ac populo, ejusdem principis permotus precibus sanctus Rupertus, conscensa navi per Danubium descendens, vicis et castellis Evangelium Christi libera voce praedicavit, atque ita per Noricos proficiscens, in inferiorem usque Pannoniam pervenit, lumen fidei, ipse lucerna illustris et super candelabrum posita, passim omnibus inferens. Inde vero jam pedestri itinere revertens, Laureacum venit, ubi multos a daemonum cultu abstractos baptizavit, complures etiam, variis oppressos morbos, in Christi nomine sanitati restituit.

§ **4**. Inde Laureaco digressus, ubicumque ethnicismum magis fervere cognovit, eo intrepidus accessit, dissipans idòla, et accurate omnibus exponens Christi Jesu Domini nostri divinitatem pariter et humanitatem sive incarnationem, ut unus idemque Deus verus et homo verus esse crederetur, ante Luciferum a patre Deo verus Deus genitus, in fine seculorum humanae salutis causâ ex virgine matre verus homo natus qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cum autem ad preces Ducis Theodonis et populi, vir Dei locum deligere vellet, ubi sedes episcopi constitueretur, ad lacum Wallerseae, quem textus historiae hujus lacum Walarii vocat, aedem pontificiam primo extruxit, atque in honorem beatissimi Apostolorum principis Petri templum aedificavit et dedicavit ad Juvarium fluvium, ubi olim Juvavium urbs fuit quae priscis temporibus extructa mirabiliter, inter Bajoaricas urbes clarissima eminebat, sed tum destructa, raro jam habitata cive, pene collapsa et virgultis operta videbatur. Cernens autem vir Dei locum illum non importunum esse cathedrae pontificiae, quippe inter montosa loca situm et ab vulgi strepitu remotum, eum sibi a Duci Theodone dari petiit, et summo studio instauravit, et sancti Petri ecclesiam, quam aedificarat, clericorum ministeriis et rebus necessariis, liberalitate fretus ejusdem principis, magnifice instruxit et auxit.

§ **5**. Hac fere tempestate quidam viri boni sancto antistiti non sine multa admiratione retulerunt, in ea erèmo quae tunc quidem certum non habuit vocabulum, nunc autem Bonguoni dicitur, coelestia quaedam ardentium lucernarum terque quaterque se conspexisse prodigia, et odores eximiae suavitatis hausisse. Cum autem his auditis cuncti obstupescerent, sanctus episcopus Domingum, venerabilem presbyterum suum, eo misit, rei hujus veritatem accurate exploraturum : addiditque illi crucem ligneam quam sua manu benedixerat, jubens ut eam illo in loco statueret. Itaque Domingus ubi eo pervenit, in ipsis noctis initiis cum religiosis qui ei aderant viris, coelitus descendere vidit luculentas

Digitized by Google

lucernas, totamque illam regionem instar solaris radii illustrare. Hanc autem visionem, cum admirabili odoris suavitate conjunctam, tribus continuis vidit noctibus: moxque in eodem loco sacratam defixit crucem, extructoque super illam tuguriolo, ad sanctum Rupertum regressus est. Cui cum rem totam exposuisset, ille, communicato cum principe Theodone consilio, ad eremum illam profectus est, cernensque locum posse humanae habitationi accommodari, coepit annosas extirpare quercus, et densam sylvam in campi planitiem redigere, templumque cum servorum Dei domiciliis sive habitaculis exaedificare.

§ 6. Per id tempus Theodo princeps adversa correptus valetudine, cum sibi prope adesse sentiret supremum vitae tempus, vocavit ad se Theodebertum filium suum, eumque Ducem Noricorum constituens, praecepit ut sancto Ruperto obsequentem et morigerum se praeberet, atque ad propagandum Christianismum et opus divinum sedulo illum adjuvaret, sanctumque locùm Juvavensis ecclesiae amaret, et honoribus ac dignitatibus perpetuo evèheret. Cumque haec mandata dedisset filio, diem clausit extremum. Eo defuncto, Theodebertus cum proceribus suis abiit ad sanctum Rupertum, visendi ejus gratiâ: morabatur is tum in ea quam diximus, eremo. Ubi autem ad eum pervenit Dux, et illum et locum, in quo degebat, pio venerabatur affectu, contulitque ecclesiae, quam sanctus Rupertus illic construxerat, et praesente Duce in honorem S. Maximiliani dedicavit, sylvae illius tria in circumitu milliaria, atque insuper villam Albinam cum caeteris ut inde sustentarentur monachi, quos sanctus episcopus Deo servituros illic congregaverat.

§ 7. Post haec videns vir Dei Bavaricam gentem Christianae quidem religioni colla submississe, at interim tamen superesse non paucos ethnicismi erroribus et tenebris implicatos, ad patriam profectus est: assumptisque inde duodecim egregiis sociis qui ei in docendis populis suum navarent operam, Juvavium reversus est. In iis autem duodecim, eximii erant Cunibaldus et Gisilarius presbyteri, viri multa sanctitate conspicui. Adduxit vero secum etiam Erentrùdam neptem suam, et cum in superiori Juvaviensis urbis castello in honorem Domini nostri Jesu Christi et sanctissimae matris ejus Mariae monasterium extruxisset, multas illic collegit sacras virgines, iisque praefecit ipsam Erentrùdam, ut coelesti regi et sponso Christo famularentur: porro ad preces Theodeberti principis qui illi monasterio plurimas attribuit possessiones, illarum virginum conversationem per omnia rectissime instituit.

§ 8. His ita gestis, cogitabat vir beatus susceptum verbi et sanctae praedicationis ministerium, divinae gratiae subnixus ope, accurate prosequi. Itaque Juvavio egressus, Noricos populos, adjunctis sibi sociis, peragravit, et quibus necdum fidei lumen

Digitized by Google

ortum didicit, eis Christum diligenter annunciavit, profligatisque ab eorum pectoribus teterrimi daemonis imposturis et fraudibus iis instillavit fidem, castitatem, humilitatem, misericordiam, quibus Christus, omnium bonorum largitor et fons, delectatus hospitibus, libenter earum mentium ingreditur domicilia, quas iis praeditas animadvertit. Cumque hunc in modum Bajoariorum fines vir beatus circumiret, et omnes ad sacram Christi religionem traduxisset, hortabatur ut in fide constantes permanerent: relictisque apud eos presbyteris qui populum ad divina mysteria consuefacerent, Juvavium se recepit, ex divina revelatione non ignorans propèdiem instare diem obitus sui, quem etiam discipulis suis indicavit. Quorum sane animos tam triste nuncium non immerito consternavit, quod non se dumtaxat, sed etiam tam multos, Christiana religione nuper admodum initiatos, tanto viderent pastore destitui. At ille multa in Christum fiduciâ erectus, Juvavium et Nòricos populos Deo commisit, Vitalemque, virum sanctum atque omni plebi pergratum, sibi petiit fieri successorem. Deinde cum dies Quadragesimalis observantiae (sic enim loquitur auctor hujus historiae) agerentur, febrium ardoribus vir sanctus defatigari coepit. Porro illucescente Christi resurrectionis sacratissimo die, Missarum solemnia celebravit, et sumpto sacrosancto corporis et sanguinis Christi viatico, post dulces paternae pietatis adhortationes, et extrema benignissimae charitatis alloquia, quibus discipulorum animos confirmabat, inter sanctas illorum misere plorantium manus emisit spiritum. Ecce autem dum lugent discipuli, coetus angelici a quibusdam audiuntur religiosis viris, cum canticis coelestibus animam sancti viri ad illam beatam Jerusalem perferentes. Cumque ejus sacratissimum corpus ad sepulcrum apportaretur, visi sunt viri splendidissimi, candidissimis amicti stolis: qui peractis iis quae ad funeris curam pertinent, disparuerunt: quos quidem nemo dubitavit angelos fuisse, atque idcirco apparuisse, ut omnes intelligerent, qua ille beatitudine frueretur in coelis, ad cujus sepulturam etiam angeli non dedignarentur adesse.

§ 9. O felicem Juvaviensem urbem, tam insigni munitam patrono: quae etsi murorum ruinis videatur despicabilis, at illius meritorum lumine egregie clarescit. Denique tanti viri intercessione fulti gaudent Norici omnes et praepotenti Deo perpetuas offerunt laudes qui tam praeclarum ipsis contulerit doctorem, cujus doctrinâ et praedicatione viam veritatis agnoscentes, erepti sint de tenebris et perducti ad Christum lumen verum, viventem et regnantem in infinita secula seculorum, Amen.

Digitized by Google

DE SS. MARTYRIBUS

PRISCO, MALCHO ET ALEXANDRO

EX HISTOR. ECCLESIAST. EUSEBII LIB. 7, CAP. 11,
INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO

Circa 260.

In hac persecutionis clade quam regnante Valeriano passim manasse supra demonstratum est, tres viri ob veram Christi confessionem insigniter praedicati, Caesareae Palaestinae bestiarum rictibus velut praeda objectati, divino et coelesti martyrio non sine maxima commendatione decorati fuerunt. Quorum unus Priscus vocabatur, alter Malchus: tertio nomen erat Alexander. Fertur vero istos ruri degentes, primum seipsos tanquam inertes et dèsides probris affecisse quod cum temporis opportunitas praemium vitae aeternae his qui coelesti ejus desiderio gliscebant, dispertire videretur, ipsi prae negligentia quadam et segnitie, martyrii coronam non praeripuissent. Deinde cum inter se ita deliberassent, absque mora Caesaream versus ire pergunt, extemplo proficiscuntur ad judicem, et ejus vitae exitum qui supra demonstratus est, assequuntur.

DE S. GUNTRAMNO FRANCOR. R.

De Guntramno sancto rege Gregorius Turonensis lib. de Gloria Martyrum, cap. 76 sic scribit: « Cum autem Guntramnus rex ita se spiritualibus actionibus mancipasset, ut relictis seculi pompis, thesauros suos ecclesiis et pauperibus erogaret, accidit ut, misso presbytero, munera fratribus qui Sanctis Agaunensibus * deserviunt, ex voto transmitteret: praecipiens presbytero, ut ad eum rediens, Sanctorum sibi reliquias exhiberet (*a*). »

* Martyribus Thebaeis in pago S. Mauritii.

(*a*) Ortum duxerat e Chlotario I Francorum Rege, anno DXXV. Parente defuncto principatum Aurelianensem obtinuit cum Burgundiae regno. Sedem *Cabillone* (*Chalon-sur-Saône*) constituit. Diuturnos ac pene continentes passus est domi forisque adversos casus, quos egregia tulit animi fortitudine; adolescentiae quosdam excessus jugi poenitentiâ deflevit, sategitque expiare. Patientiâ humilitate, aequitate magnus; obsequio erga Ecclesiam et divini honoris zelo piissimus, ad Dominum beatissime migravit anno DXCIII.

Digitized by Google

MARCI ARETHUSII EPISC.

ILLUSTRE MARTYRIUM

AUCTORE D. GREGORIO NAZIANZENO ORATIONE INVECTIVA PRIMA IN JULIANUM IMPERATOREM: INTERPRETE VERO DOCTISSIMO VIRO JACOBO BILLIO PRUNEO, S. MICHAELIS IN EREMO ABBATE. HABENT AUTEM PLERAQUE ETIAM THEODORETUS HIST. ECCLES. LIB. 3, CAP. 6, ET SOZOMENUS EJUSDEM HISTORIAE LIB. 5, CAP. 19 IN VERSIONE JOANNIS CHRISTOPHORSONI ANGLIAE EPISCOPI.

Passus est anno 362.

§ 1. Jam vero id quod eximio viro Marco Arethusio accidit, quis tam ab orbe nostro remotus, ut ignoret, ac commemorantem narratione non antevertat? Hic enim cum, Constantio Imperante, pro ea licentia quae tum Christianis concessa fuerat, domicilium quoddam daemonum evertisset, ac multos Christianos a gentili errore ad salutem non minus vitae splendore, quam dicendi facultate traduxisset, jampridem odio atque indignationi Arethusiis erat, vel potius Arethusiorum impiissimo cuique daemonumque amantissimo. Posteaquam autem, mutatis Christianorum rebus, gentilium res tumère coeperunt, temporis potentiam et tyrannidem non effugit. Multitudo quippe, etiamsi in praesens iras cupiditatesque suas coërceat (quemadmodum ignis in materia làtitans, aut amnis violenter inhibitus), occasionem nacta, succendi atque erumpere consuevit. Quocirca cum populum adversum se incitatum, nec moderati quicquam vel cogitantem vel comminantem cerneret, primum consciscendae fugae consilium init, non tam ignaviâ fractus, quam praecepto illo permotus quo e civitate in civitatem fugere et persecutoribus cedere jubemur. Neque enim Christianos, quantumvis fortes ac singulari tolerantiâ praeditos, suae tantum salutis rationem habere oportet: sed persecutoribus quoque consulere, ut ne quantum in ipsis est, ad hostile periculum ex seipisis aliquid conferant. At postquam multos propter se duci atque abstrahi, multos etiam propter persequentium crudelitatem in animae periculo versari intellexisset, non sustinuit vir eximius alios ob suam fugam cautionemque periclitantes negligere: ac proinde praestantissimum maximeque philosophicum consilium capit. Ex fuga enim redit, seseque ultro plebis arbitrio tradit, atque adversus temporis difficultatem instruitur. Hic vero quid acerbitatis aberat? quid non etiam atrocius excogitabatur? aliis aliud quippiam ad unius mali concentum afferentibus, nec tortoribus, si nihil aliud, at illius certe patientiam veneratione prosequentibus, immo magis etiam

Digitized by Google

excandescentibus: quod illius reditum ac praesentiam, non tam fortitudinem adversus pericula quam contemptum sui interpretabantur.

§ 2. Ducebatur sacrosanctus senex, athleta spontaneus, per mediam civitatem, omnibus praeter persecutores et carnifices, tum aetate venerandus, tum vitae probitate venerabilior. Ducebatur porro ab omnibus, cujuslibet aetatis et conditionis ac fortunae, omnibus aeque urgentibus, viris et mulieribus, adolescentibus et senibus, iisque etiam, qui vel publica urbis negotia administrabant, vel dignitate aliqua insignes erant. Atque hoc unum certamen cunctis propositum erat, ut furoris adversus senem immanitate sese mutuo superarent, omnibusque pietatis pars existimabatur, quamplurimis eum cruciatibus afficere, pugilemque senem vincere, adversus totam civitatem decertantem. Raptabatur per plateas, protrudebatur per cloacas, crinibus et quavis corporis parte (admixta nempe tormentis contumeliâ) ab iis trahebatur, qui in Mithrae sacris hujusmodi suppliciis juste divexantur. A pueris ad pueros pendulus remittebatur, cultris pennariis generosum illud corpus suscipientes, atque hanc tragoediam pro lùdicro habentes. Quibusdam etiam tormentorum instrumentis tibiae illius ad ipsa usque ossa comprimebantur: lineis filis aures abscindebantur et quidem tenuissimis et firmissimis, ipso interim sportâ in altum sublato. Melle et jusculo undique perfusus, ab apibus et vespis meridie pungebatur, ardentissimo sole lucente: atque huic quidem carnes colliquante, illis autem beatarum illarum carnium (non enim dixerim miserarum) esum acriorem efficiente. Hic enimvero, ut hoc quoque literis mandem, senex ille, idemque ad certamina juvenis (nam ne in tormentis quidem frontis animique laetitiam reliquerat, verum supplicia etiam ipsa irridebat) celebratum illud et memorabile dixisse fertur, Omen illud sibi placere quod sublimem se perspiceret, illos contra abjectos humique depressos. Usqueadeo superior iis erat, a quibus tenebatur, adeoque a doloribus et molestiis remotus, non aliter acsi alienis periculis interesset, suppliciumque suum pompam, non calamitatem, existimaret. Et quidem cui non haec virtutis praestantia religionem et reverentiam injecisset, etiam mediocri lenitate atque humanitate praeditorum? Sed illis hoc non licuit per tyrannidis turbinem, Imperatorisque cupiditatem, tum a populis, tum ab urbibus et praefectis crudelitatem exposcentis, etiamsi plerisque secus videretur, malignitatis illius et perversitatis arcanum ignorantibus.

§ 3. Haec firmus senex admirandus et constans pertulit, ut ne nummum unum aureum tortoribus suis projiceret. Ex quo perspicue intelligi potest, eum pietatis causâ cruciatus tolerasse. Nam quamdiu Arethusii *, aestimato eversi fani pretio,

* Arethusiorum urbs in Syria fuit.

Digitized by Google

totam auri summam petebant, aut ipsum certe delubrum instaurare jubebant, videri poterat idcirco potius obsistere atque in contrarium obnìti quod jussa exequi atque explere non posset, quam quod pietatis studio flagraret. Postquam autem tolerantiâ sua eos paulatim vincens, atque ex aestimatione semper aliquid detrahens, eo tandem rem adduxit, ut perquam exiguum esset, id quod a se postulabatur, idque persolvere facillime posset, parique certamine inter se contenderent: illi ut vincerent, hic ne vinceretur: hoc est, illi ut vel tantillum pecuniae acciperent, hic ne quod omnino numeraret (quamvis alioqùi multi essent, qui partim pietate adducti, partim invicta et inexpugnabili ejus fortitudine moti, ampliorem etiam summam erogare pararent): tum vero liquido declaratum est, eum non pro pecuniis, sed pro pietate certàmen iniisse. An vero haec lenitatis et clementiae argumenta, an contra furoris et crudelitatis argumenta sint, nobis exponant qui philosophum Imperatorem suspiciunt atque admirantur. Ipse equidem neminem fore existimo, cui justa et vera sit defutura sententia. Necdum illud adjèci, hunc ex iis unum fuisse qui impurum illum et nefarium, tum cum genus ipsius totum periclitaretur, servarant, furtimque subduxerant: quo etiam solo nomine merito fortasse haec perpetiebatur, ac plura perpeti merebatur quod tantum malum universo terrarum orbi imprùdens servasset. Quocirca is qui tum Praefecti munere fungebatur, his rebus commotus (quamquam enim religione gentilis, moribus tamen gentili sublimior erat, ac praeclarissimis et laudatissimis tam veteris, quam nostrae memoriae viris comparandus) multiplicem hominis excruciationem tolerantiamque non ferens, illud ad Imperatorem magna cum animi libertate dixisse memoratur: An non pudet nos, Imperator, usqueadeo Christianis omnibus inferiores esse, ut ne seniculum quidem unum superare queamus, idque per omnia tormentorum genera grassatum? et quem vincere haud magnum et honorificum, an non extremae calamitatis est, ab eo victos discedere? Ita iisdem rebus, ut apparet, hinc Praefecti erubescebant, hinc Imperatores gloriabantur. His porro quidnam miserius, non tam patientibus quam facientibus contingere potuit? Atque Arethusiorum quidem facinus ad hunc modum se habuit, ut jam parva sit Echeti et Phalaridis crudelitas, si cum illorum immani saevitiae conferatur, vel ejus potius quo auctore et impulsore haec committebatur: siquidem seminis sunt germina et venti naufragia. Hactenus ex Nazianzeno. Porro Theodoretus lib 3, cap 6 Hist. Ecclesiasticae, ait Arethusios tandem evictos, beatum virum dimisisse, cum ejus admiratos fortitudinem et constantiam, tum mutatâ sententiâ, ad rationem vitae penitus contrariam traductos: siquidem ex ejus ore veram pietatem postea didicisse.

Digitized by Google

DE CYRILLO DIACONO ET MARTYRE

EX HIST. ECCLESIAST. THEODORETI LIB. 3, CAP. 6,
INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO

Anno 362.

Quae maleficia hi qui falso simulacrorum cultu tenebantur obstricti, id temporis (sub Juliano Apostata) admiserint, quamquam permulta sunt et opus separatum postulant, ego tamen ex multis pauca sumam mihi ad commemorandum. Ascaloni et Gazae quae sunt urbes Palaestinae, primum virorum sacerdotii dignitate exornatorum et mulierum perpetuam virginitatem professarum ventres discindunt, deinde farciunt hordeo: ad extremum eos porcis devorandos objiciunt. Sebastae item quae est urbs ditioni gentis, de qua supra dixi, subjecta, Joannis Baptistae tumulum aperiunt, ossa tradunt igni absumenda et eorum cineres passim dispergunt. Scelus autem ab illis in Phoenicia patratum, quis est quaeso qui sine lacrymis possit commemorare? Nam Heliòpoli quae est urbs Libano finitima, execrabiles isti gentiles, recordati facinoris Cyrilli Diaconi qui regnante Constantino, divino quodam zelo accensus, multa simulacra quae in ea urbe colebantur, confregerat, non modo eum interfecerunt, verumetiam dissecto ventre, jecur ejus degustare non sunt veriti. Verum Deum omnia contemplantem hoc celare non poterant, sed debitas sui maleficii poenas ei dederunt. Nam quotquot illius sceleris labe inquinati sunt, primum amiserunt dentes qui pariter omnes ad unum excidebant: deinde linguas perdiderunt, quae putredine tabefactae, ex ore effluebant: postremo oculis orbati sunt: quorum calamitatibus verae pietatis vis clare praedicata est.

DE SS. ARMOGASTE, ARCHIMINO ET SATURO

EGREGIIS CHRISTI CONFESSORIBUS

EX LIBRO 1, VICTORIS EPISC. UTIC. DE PERSECUT. VANDALICA

Circa 464 — Nat. Afri.

§ 1. Alibi, sicut Thunazùdae contigit, Galibus vico Ammoniae, vel aliis in locis, tempore quo sacramenta Dei populo porrigebantur, introëuntes (Arriani) maximo furore corpus Christi et sanguinem pavimentis sparserunt et illud pollùtis pedibus calcaverunt. Ipse enim Geisericus praeceperat, ita persuadentibus episcopis suis, ut intra aulam suam filiorumque suorum non nisi Arriani per diversa ministeria ponerentur. Inter alios ventum

Digitized by Google

est tunc ad Armogastem nostrum: cujus cum diu ac saepius tibias torquendo tumentibus confringerent chordis, et frontem, in qua Christus vexillum suae fixerat crucis, rugatam magisque aratam descendentes atque mugientes ostenderent nervi, ut fila aranearum sancto coelum respiciente crepabant. At ubi tortores nervicas chordas disruptas esse viderunt, allatis crebro fortioribus chordis atque canabinis, illo nihil aliud nisi Christi nomen invocante, illa omnia vanescebant. Sed et capite deorsum dum ad unum pendèret pedem, dormire quasi super lectum plumis stratum omnibus videbatur. Quem cum Theodoricus regis filius qui ejus dominus erat, poenis non valentibus, capite truncari jussisset, a suo prohibetur Jocundo presbytero, dicente sibi: Poteris eum diversis afflictionibus interficere. Nam si gladio perèmeris, incipient Romani martyrem praedicare. Tunc Theodoricus in Byzacenam provinciam ad fodiendas eum condemnat scrobes. Postea quasi ad majus opprobrium haud procul Carthagine, ubi ab omnibus videretur, pastorem eum praecepit esse vaccarum.

§ 2. Inter haec, Domino revelante, cum dormitionis suae proximum cerneret diem, advocat quemdam Felicem venerabilem Christianum, procuratorem domus filii regis qui Armogastem ut Apostolum venerabatur, dicitque illi: « Tempus meae resolutionis advenit: obsecro te per fidem quam utrique tenemus, ut sub hac siliquae arbore me sepelire digneris, redditurus Domino nostro nisi feceris rationem; non quod ille curaret, ubi aut qualiter suum sepeliretur corpus, sed ut illud demonstraretur quod servo suo revelaverat Deus.» Respondit Felix et dicit: «Absit a nobis, confessor venerabilis: sed sepeliam te in una basilicarum cum triumpho et gratia quam mereris.» Cui beatus Armogas: « Non, sed quod dixi facturus es.» Ille timens Dei hominem contristare, veraciter quod jusserat promisit esse facturum. Statim intra paucissimos dies Comes bonae confessionis de hac vita migravit. Festinavit Felix sibi delegatum sub arbore fodere sepulcrum: cui cum intertextae radices et soliditas aridae tellùris moram facerent, et labore angeretur quod tardius sancti membra corporis humarentur, tandem abscissis radicibus, multo altius terram cavans, conspicit sarcophagum splendidissimi marmoris praeparatum, qualem forte nullus omnino habuit regum.

§ 3. Sed nec quemdam Archiminum nomine, Masculinum (*a*) debeo praeterire: qui cum multis insidiis premeretur, ut catholicam omitteret fidem, ipse eum rex postea blandiendo affatibus secularibus invitabat, promittens multis eum divitiis cumulandum, si voluntati ejus auditum facilem commodasset. Qui cum fortis atque invictus manèret, jubet eum sententiam subire

(*a*) Probabilibus contendunt Bollandiani testimoniis, non MASCULAM *Archiminum*, ut in Rom. Martyrol. (vide huj. Vol. Append. hac die) sed ARCHÌMINUM Masculinum, scilicet Masculâ Africae oppido oriundum, scribendum fuisse.

Digitized by Google

capitalem: ita tamen callidus occulte praecipiens, ut si in illa hora vibrantis gladii pertimesceret ictum, magis eum occideret, ne martyrem gloriosum fecisset. Si autem fortem in confessione conspiceret, a gladio temperaret. Sed ille ut columna immobilis Christo solidante fortis effectus, confessor revertitur gloriosus; etsi martyrem invidus hostis noluit facere, confessorem tamen nostrum non valuit violare.

§ 4. Novimus et alium ea tempestate, nomine Sàturum. Qui cum lucidum esset membrum Ecclesiae Christi et pravitatem Arrianorum libertate catholica frequenter argùeret (fuit hic procurator domus Hunerici), convenitur, accusante Marivado quodam Diacono, quem Hunericus infaustus singulariter honorabat, ut fieret Sàturus Arrianus. Promittuntur honores et divitiae multae, si faceret: praeparantur supplicia dira, si nollet. Hac optione proposita, ut si regalibus jussis non obediret, primo facta discussione et ante amissâ domo vel substantiâ, distractis omnibus mancipiis ac filiis, uxor ejus, ipso praesente, camelario in conjugium traderetur. Quod ille plenus Deo, magis ut velociter provenisset impios provocabat. Ob quam causam uxor ejus inducias visa est ab his qui exequebantur, nesciente marito petisse. Accedit ad maritum alia Eva, consilio magistrata serpentis. Sed ille Adam non fuit qui illecebrosa vètitae arboris poma contingeret: quia non indigens, sed Sàturus vocabatur, saturatus ab ubertate domus Dei et torrente deliciarum ejus potatus. Advenit mulier ad locum, ubi maritus singularis orabat, conscissis vestibus crineque soluto, secum comitantibus filiis, unamque infantulam quae tunc lactabatur, manibus gestans, quae nescientis projicitur ad pedes mariti. Etiam ipsa suis genua complectitur ulnis, sibilans vociferatione draconis: « Miserere mei dulcissime, simul et tui, miserere communibus liberis quos conspicis ipse. Non subjaceant conditioni servili, quos claros prosapia reddidit generis nostri. Non subjiciar ego indigno et turpi conjugio, vivente marito, quae mihi semper inter coaevas plaudebam de Sàturo meo.» Cognoscit Deus quia invitus facturus es hoc, quod forte voluntarie aliquanti fecerunt. Cui ille Job sancti voce respondit: Tanquam una ex insipientibus mulieribus lòqueris. Formidarem mulier, si sola esset hujus vitae amara dulcedo. Artificio conjux diaboli ministraris. Si diligeres maritum, numquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrahant filios, separent uxorem, auferant substantiam: mei Domini ego securus de promissis verba tenebo: Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros aut domum, meus non poterit esse discipulus. Quid ultra? Discedente muliere cum filiis refutata, confortatur Sàturus ad coronam, discutitur, expoliatur, poenis conteritur, mendicus dimittitur. Interdicitur ei prodeundi accessus: totum ei tulerunt, stolam tamen baptismatis auferre non potuerunt.

Digitized by Google

SS. JONAE ET BARACHISII MARTYRIUM

AUCTORE ESAIA EQUITE AUDITORE ET SPECTATORE EORUM QUAE FIEBANT
HABETUR IN SIMEONE METAPHRASTE

Circa 344 — Nat. Persae.

§ 1. Saborium Persarum Rex, 18° anno (*a*) regni sui adversus Ecclesias Christi, et eos, a quibus Deus omnipotens colebatur, persecutionem exercuit. Jussit enim Magis, ut sancta Christi templa diruerent, et Christianorum monasteria incenderent. Praeterea imperavit, ut Christiani conquirerentur, inventique cogerentur diis sacrificare: et qui parèrent magnis afficerentur honoribus: qui vero parère recusarent, variis tormentis et suppliciis gravissimis excruciarentur. Eo tempore erant in regione Persarum, in quodam vico, qui vocatur Jasa, duo fratres Jonas et Barachisius, viri justitiâ fideque pleni, qui magna cum reverentia mandata Domini observabant. Hi sancti, audita Christianorum persecutione, mansionem suam reliquerunt, et ad eum locum, ubi impii Magi Christianos omnes acerbissime excruciabant, profecti sunt.

§ 2. Cum autem essent in vico, qui dicitur Bardiaboch, et ad carcerem, in quo Christiani inclusi tenebantur, accessissent, orarunt carceris custodem, ut sibi ad Christianos damnatos ingredi permitteret. Cumque ingressi essent, novem invenerunt viros condemnatos, qui impii Regis Saborii decretis adversabantur. Cum igitur sancti Jonas et Barachisius vidissent eos in cruciatibus, et salutassent, coeperunt illos cohortari ac dicere: « Fratres ac patres, nihil timeamus; sed in nomine Crucifixi certamen unum sustineamus, ut coronam assequamur sempiternam, quemadmodum et fratres patresque nostri martyrio ipsi quoque sunt assecuti. Hac sanctorum Jonae et Barachisii oratione illi magis adhuc confirmati, se mutuo cohortabantur, et gratiae, ut ita dicam, oleo, se vicissim ad patientiam et tormentorum atque martyrii perfectionem ungebant et corroborabant. Sanctorum autem martyrum, qui in carcere vincti erant, nomina haec sunt: Zanitas, Lazarus, Marothas, Nerses, Elias, Mares, Abibus, Sembeethes et Sabas. Hi pro Christi nomine cum multos cruciatus pertulissent, et in ipso martyrii certamine vitae cursum praeclare confecissent, firmam fidem servantes, incorrupta atque immortali

(*a*) SAPOR et Sàpores communius et rectius scribitur. *Anno* hic *38* (non *18*) regni sui, anno scilicet CCCXLIII, efferatissimam, Judaeis Magisque instigantibus, persecutionem movit in Christianos. Hac S. Hieronymi computatione temporis, Sozòmeni chronologiâ (cui adhaerent Bollandiani) rejectâ, cum Ruinartio in *Actis Sinceris* de S. Simeone Seleuciae Ep. (*vide* XXI *Apr.*) usi sunt optimi ex eruditis.

Digitized by Google

martyrii coronâ magna cum laude redimiti, in coelum ad angelorum choros advolarunt.

§ 3. Post autem quidam Magi sanctum Jonam et Barachisium apud tres Magorum principes Masdrath, et Seroth, et Maarnesem, a quibus sancti damnati fuerant, accusarunt, quod neque immolarent, nec Regis mandatis obedirent, nec Solem, et Ignem, et Aquam adorare vellent: quodque novem illi martyres eorum sermonibus adducti, regiis decretis non obtemperassent. Tunc Magorum principes indignatione pleni, eos ad se adduci jusserunt, atque ita allocuti sunt: « Adjuramus vos per nostrum regem regum Saborium, ut vere nobis ad ea, de quibus fueritis interrogati, respondeatis: Paretis ne Regis voluntati, et obeditis decretis ejus, et adoratis Solem, et Ignem, et Aquam, ut jubet ipse Rex, an non? » Responderunt sancti Jonas et Barachisius: « Loquemur vobis: Vos autem ita nos audite, ut Principes et Regis Persarum Judices decet. Vos enim delègit Judices, et omne judicium suum in manibus vestris collocavit, ut juste judicetis. Nonne debetis, praeclari Judices magis quam terrenum regem, timere eum, qui vobis sapientiam et inelligentiam dedit, et Deum, qui coeli et terrae atque omnium spirituum imperium habet, agnoscere: quique temporum distinguit varietates, atque omnia moderatur, et vobis prudentiam largìtus est, ut judicetis eos, qui in carne sunt similes vobis? Adjuramus igitur vos, ut vere sincereque dicatis nobis. quem Deum abnegare debeamus: coelestem ne, an terrenum? aeternum, an caducum? Nos enim credimus in Deum qui fecit coelum et terram: non autem mortali homini credimus. Neque enim debemus homini credere, qui exiguo vivit temporis spatio, et moritur, ac sepelìtur, quemadmodum nos, et in aliorum hominum numero ponitur. »

§ 4. His auditis, Magorum principes vehementer indignati, atque impio furore pleni, quod Rex ipsorum contumeliâ esset affectus a sanctis, qui mortalem eum assererent, virgas asperas e malis punicis atque spinosas afferri jusserunt, ut caederentur. Sed imperarunt prius, ut separarentur, quo neuter posset, quid ab altero dictum esset, intelligere, atque ita in Christi certamine confirmari. Tum tres Magorum principes considentes, ut de sanctis quaestionem haberent, iracunde jusserunt, ut sanctus Jonas solus adduceretur. Quo quidem adducto: « Quid tibi, inquiunt, faciendum sit, dispice. Si deos veneraris et adoras, Solique et Igni et Aquae sacrificas, et quae a rege regum Saborio jussa sunt, perficis, liber cum honore dimittèris: alioqui te acerbissimis tormentis et suppliciis gravissimis afficiemus. Neque vero putes nos tibi esse inimicos: ipsi enim tibi nihil mali faciemus, nisi tute saluti tuae male consulùeris. » Respondit sanctus Jonas: « Istius, inquiens, ego salutis non egeo propter Jesu Christi vitam. Praeterit enim, nec unquam permanet. Quamobrem

nunquam negabo Dominum meum Jesum Christum viventem in secula. Sic enim nobis pollicitus est: Amen, amen, inquiens, dico vobis, quisquis me negaverit coram filiis hominum, et ego negabo eum coram Patre meo, qui in coelis est. Veniet enim in nubibus coeli, in gloria Patris sui, ut unicuique homini reddat secundum opera ipsius. Quae cum ita sint, facite in me, quod vobis mandatum est: neque enim putetis, nos domum Dei relicturos, aut ab eo ullis terroribus defecturos. »

§ 5. Haec cum audivissent Magorum principes, irâ concitati, jusserunt, ut lege Persicâ vinciretur. Trajecta igitur virgâ inter manus et crura, iners humi jacebat vir sanctus tanquam lapis. Ministri autem eum virgis e malo punica spinosis verberabant, nec prius destiterunt, quam ejus lacerata sunt latera. Ipse vero dum vapularet, non repugnabat, sed Deum laudans, dicebat: « Gloria tibi, Deus patrum nostrorum, qui eduxisti nos ex hoc mundo, et dignatus es nos ad amorem et fidem sanctam tuam adducere. Et nunc, Domine, da nobis patientiam, ut perficiamus omnia, quae nobis Spiritus Sanctus tuus praecepit: per os patris nostri Davidis: Unam petii a Domino, hanc requiram, id est, ut semper sim tecum, Domine. Hoc mihi, Deus, quod expecto quotidie, per martyrium elargire. » Haec S. Jonas cum dixisset, magna voce Magorum principibus: « Ego, inquit, a rege vestro peccatore, et omnibus amicis ejus, quicumque sint (sunt enim omnes satanae principes) discedo, et omnes ipsos abnego: et a sole, ac luna, et stellis, atque igne, et aquâ, quos esse deos asseritis, alienus sum, nec ullo modo illos adoro: sed credo in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, veram Trinitatem, quae servat mundum universum, fecitque deos etiam vestros, quos nobis per vim adorandos censetis. »

§ 6. Haec audientes Magorum principes, jusserunt ut pes ejus funiculo vinciretur, atque ita in pruinam et glaciem extraheretur, ibique totam noctem jacèret (erat enim hyems) observareturque, quid frigoris causa faceret. Ministri fecerunt imperata, et illic eum usque ad sequentem diem reliquerunt, cum iniqui Judices rursum considentes in tribunali, sanctum Barachisium adduci imperarunt. Quo adducto, et coram ipsis consistente: «Quid agis, inquiunt, Barachisi? Immolasne, et Solem atque Ignem et Aquam adoras et veneraris: quemadmodum et frater tuus Jonas, mutato consilio, fecit, an tormentorum certamen vis in corpore tuo suscipere? » Respondit sanctus Barachisius: « Quemadmodum frater meus adoravit, sic ego adoro, et veneror, et colo. Vos de ipso falsum retulistis. Nam Veritas non permisit, ut id faceret. Quis enim mentem ejus excaecare potuisset, ut relicto eo, a quo ipse creatus est, adoraret ea quae creata sunt ut hominibus serviant? Si adoranda essent, non servirent hominibus, sed homines illis inservirent. Dèdecus enim esset igni, si nobis

Digitized by Google

servili ordine deserviret. Nunc autem videmus homines non solum divites, verum etiam pauperes: non bonos tantum, sed et malos, ignis uti servitio. Cum igitur ignis constitutus sit servus noster ab eo qui fecit illum, iniquum est, velle nos cogere, ut ignem adoremus, quem Deus ad humanos usus creavit, et abnegemus ipsum Deum qui fecit coelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt. »

§ 7. Tunc irati Magorum principes, coeperunt eos admirari et ipsorum constantiam, ac dicere: « Ne judicemus illos hoc tempore, ne quis eorum, qui pii sunt, et solem et ignem et aquam adorant, auditis eorum sermonibus, a religione nostra deficiant, et immolare recusent: noctu potius illos audiamus, cum omnes dormiunt et conquiescunt, ne quis cognoscat, quae ab ipsis dicuntur, aut quae fiunt a nobis. » Tunc igitur judicium intermiserunt. Nocte autem, cum magna esset quies, considentes, jusserunt sanctum Barachisium adduci: et magno cum silentio eum audiebant. Cumque multa ultro citroque dicerentur, et in ea disputatione sanctus Barachisius, divinâ sapientiâ munitus, victor existeret: indignati, jusserunt duas glebas aeneas ardentissimas sub axillas ipsius admoveri, et dixerunt ei: « Per regis regum Saborii coronam, abjice alteram e glebis in terram, ut intelligamus, te Deum tuum abnegasse. » Respondit sanctus Barachisius: « Ministri satanae et principes scelerati, per salutem Dei mei, et interitum satanae patris vestri, non timeo regem vestrum, et neutram glebarum in terram abjiciam, sed utramque propter nomen Christi perferam. Quinetiam vos adjuro per viventem Deum, ut ad hunc cruciatum majores alios, si quos habetis, adjungatis. Quis enim ad bellum proficiscitur, et in praelium ingreditur, qui non promptus sit mortem oppetere, ut magnam gloriam, et praemia multa, et locum principis a Rege consequatur? » Haec cum a sancto Barachisio dicerentur, ingenti dementiâ victi Magorum principes, jusserunt plumbum liquefieri, et in palpebras ejus et nares conjici. Rursumque liquefieri plumbum jusserunt, et in fauces ejus et aures infundi, ne audire loquive posset. Post autem ministris illum tradiderunt, dicentes: « Abducite eum in carcerem, ibique uno pede suspensum includite. »

§ 8. Tunc imperarunt, ut beatus Jonas iterum ad conspectum suum adduceretur. Quo quidem adducto: « Quomodo, inquiunt, se habet corpus tuum: et quomodo noctem illam totam glaciei ac frigori expositus transegisti? » Respondit beatus Jonas, et, « Nullam, inquit, mihi credite, Deus meus, noctem unquam mihi aeque tranquillam largitus est, nec memini unquam, ullam omnino noctem ita mihi quiescenti suavem extitisse. » His auditis, iniqui Magorum principes dixerunt: « Atqui frater tuus Barachisius Deum tuum abnegavit: et tu adhuc in sententia

Digitized by Google

permanes obstinate? » Respondit sanctus Jonas: « Scio fratrem meum abnegasse diabolum et omnes angelos ejus, seque perfecte Christo Domino addixisse.» — « Nonne, dixerunt Magorum principes, magis expedit tibi, ut a Deo tuo deficias, quam ut vitam amittas? » Respondit sanctus Jonas: « O caeci et stulti, quomodo vos esse prudentes jactitatis? Expendite, quaeso, pro vestra prudentia veritatem. Non potest homo, qui triticum habet in horreo reconditum, et servat illud, quamvis et imbres, et nives, et fulmina, et reliquae aëris injuriae vigeant, sibi temperare, quin ipsum triticum sumat, et manibus suis in terram jaciat. Sperat enim ex semine exiguo se messis tempore, aream repleturum. Quod si triticum in horreo suo reliquerit, et non seminaverit, deficiet, et crescere non poterit. Idem in hominibus licet considerare. Si quis in hoc mundo pro nomine Domini nostri Jesu Christi animam suam perdiderit, in novo mundo, cum venerit ad eos hominum filios renovandos, qui in ipsum credunt, et voluntatem ejus faciunt, renovabit illos in lumine suo, quod numquam praeterit, neque dissolvitur. Eos vero, qui praecepta ipsius mandàtaque negligunt, in ignem conjiciet, qui nunquam extinguitur. » *

§ **9**. Haec ille cum dixisset, diu Magorum principes obmutuerunt, sermonem ipsius admirati. Postea vero dixerunt ei: «Ne erres, Jona, neque Scripturas sequaris: multos enim Scripturae decipiunt. » Respondit beatus Jonas : et « Recte, inquit, dixistis, Scripturas decipere: decipiunt enim Scripturae Graecorum. Nec aliud magis homines dècipit, quam vita mundi hujus. Quisquis autem Christi gustat afflictionem, is nunquam fallitur. Quemadmodum enim cum dives aliquis amicos ad convivium vocat, illi, relictis propriis aedibus, accedunt: sciunt enim se ad laetitiam invitari: cum autem discubuerint, ac degustarint, si suavè sit, gaudent et largius bibunt, nec postquam ebrii facti sunt, domum reverti possunt : sed eorum domestici apprehendunt illos, domumque deducunt: postridie autem mane, cum jam vinum edormierint, et crapulam exhalarint, valde laetantur, quod apud domesticos suos sint. Sic et Christi servi, cum se a principibus in carcerem vocari sentiunt, se ad certaminà et tormenta ire non ignorant. Cum igitur accesserint, et biberint, et cruciatibus atque amore Christi ebrii evaserint, nec familiae, nec liberorum amplius, nec famae recordantur: nec aurum, aut argentum, aut quicquam aliud curant: sed reges et principes aspernantur, et Regem unum expectant magnum Christum : cujus nos milites sumus, in secula seculorum permanentes, cujusque regnum non praeterit, sed manet in aeternum. »

§ **10**. His auditis, jusserunt Magorum principes, ut sancto

* De suppliciis cum gaudio suscipiendis et praesenti morte libenter subeunda ut vitam et gloriam quis futuram et aeternam adipiscatur, satus frumenti et vini in convivio similitudines.

Digitized by Google

Jonae, tanquam plura, quam opus esset, locuto, digiti manuum ac pedum dire praeciderentur. Quod quidem ministri cum effecissent, amputatos digitos in conspectu ipsius projicientes, dixerunt: « Ecce nunc quomodo digitos tuos in terra disseminavimus. Expecta igitur, et cum messis tempus advenerit, aderunt tibi multi digiti. » Respondit sanctus Jonas: « Ego digitorum et manuum non egeo multitudine. Deus, a quo factus sum, me in ea renovatione, quam in nobis est effecturus, ipse renovabit. » Audientes haec Magorum principes, iracundiâ pleni, jusserunt picem in magno vase liquefieri, et caput ejus a ministris abràdi, tum ipsum sanctum in saccum ita conjici, ut caput extaret. Fecerunt iniqui ministri quod fuerat imperatum, et sancti viri cutem capitis ac linguam in vas pice plenum immiserunt: deinde totum etiam ipsum sanctum, in picem in medio vasis vehementissime aestuantis, conjecerunt. Verum sancto Jona in vas conjecto, statim tota pix e vase defluxit, ita ut eum non attingeret, nec ulla in parte laederet. Rem mirabilem ac novam admirati homines impii, et videntes virum sanctum nullum ex tanto tormento damnum accepisse, cochleam afferri jusserunt, et in ea sanctum poni, vehementerque comprimi ac dissecari. Fecerunt ministri imperata, ipsumque in cochlea compresserunt, et omnia illius ossa confregerunt, deinde ipsum medium dissecuerunt. Cum autem dissectus esset, imperarunt impii Magorum principes ut corpus ejus in lacum profundissimum conjicerent, ac diligenter observarent. Atque ita factum est.

§ **11**. Sancto igitur Jona martyrii coronam assecuto, jusserunt rursum ad quaestionem sanctum Barachisium adduci: atque ita eum allocuti sunt: « Parce membris tuis, Barachisi, et noli intempestive teipsum perdere. » Respondit eis vir sanctus: « Neque ego, inquiens, meipsum formavi, neque perdam. Dominus, a quo factus sum, me virtute sua renovabit, eripietque me e manibus vestris, et e manibus Principis vestri nequissimi, qui opificem suum Deum non agnoscit, sed diaboli voluntatem defendit studetque perficere. » Haec cum a sancto dicta essent, duo ex Magorum principibus Masdrath et Seroth, ad Maarnensem conversi: « Nos, inquiunt, regem regum Saborium afficimus ignominiâ. Isti enim errore suo confisi, neminem verentur. » Ita locuti, ardentes irâ vultus suos ad beatum Barachisium converterunt, jusseruntque ipsum in spinas conjici, deinde arundines afferri, findique medias, et sancti viri carni admoveri, tum funiculo tenui ipsum circumvinciri atque comprimi, donec arundines in carnem penetrarent: post autem imperarunt, ut arundines extraherentur, ut ejus carnes dilacerarent. Sic igitur fecerunt ministri, et carnes ipsius dilaniarunt. Tunc in cochleam, in qua sanctus Jonas sectus fuerat, injici jusserunt impii, atque ibi omnia ossa ejus perfringi. Quae cum essent confracta, Magorum

Digitized by Google

principes ministris imperarunt, ut in fauces ipsius picem ardentem conjicerent. Atque ita beatus Barachisius animam reddidit, et ad sanctorum martyrum numerum ascriptus est.

§ **12**. Cum autem vir quidam pietate insignis, nomine Abdissotas, sanctos Jonam et Barachisium martyrio coronatos intellexisset, accessit, et sanctorum tabernacula quingentis miliarisiis Daricis, et tribus vestimentis Sericis emit ab iis, a quibus servabantur. Neque vero sola sanctorum Jonae et Barachisii corpora mercatus est, sed illorum etiam, qui ante ipsos martyrium pertulerant. Juravit autem emptor, neminem e principibus resciturum, custodes sanctorum corpora vendidisse: dixitque se illorum qui martyrio essent affecti, veterem amicum esse. Custodes enim jusjurandum exegerant, vèriti, ne, si res ad principum aures pervenisset, in aliquod periculum inciderent. Sanctorum qui martyrii palmam tulerunt, nomina haec sunt, ut superius diximus, Jonas et Barachisius, Zanitas, Lazarus, Marothas, Nerses, Elias, Mares, Abibus, Sembeethes et Sabas; undecim hi pugiles, gloriosique Martyres, ad finem usque pro Christo decertarunt, passique sunt se variis cruciatuum generibus torqueri, ut in Christi fide constantes apparerent et praeclarum virtutis spècimen et exemplum ac formam posteris relinquerent. Hi sancti beatissimi et Christi milites invicti, strenue pro Duce suo pugnantes et victoriam de Christi hostibus reportantes, stolam lucis induti sunt, et incorruptam ab ipso gloriae coronam obtinuerunt: et nos omnes eorum precibus et supplicationibus apud Deum adjuvamur.

§ **13**. Interfecti sunt novem ex iis Christi Martyribus VI Cal. Aprilis, reliqui autem duo IV Calend. ejusdem mensis. Hanc autem sanctorum Martyrum historiam conscripsit Isaias Adami filius, qui cum eques esset Regis Persarum Saborii et cum Magorum principibus; ut auditor tantum et spectator eorum quae fiebant, interesset, atque ita omnia quae in hoc certamine contigerunt, ab initio ad finem usque audisset ac perspexisset, ea ad omnium aedificationem atque utilitatem et salutem, literarum monumentis mandavit, ut talem pro Christo virtutem omnes studeant imitari: Cui gloria et imperium in secula seculorum, Amen.

Digitized by Google

VITA S. EUSTASII ABBATIS LUXOV.

AUCTORE JONA SCOTO, EJUS DISCIPULO: SED STYLUS OBSCURIOR ET ASPERIOR, PLERISQUE LOCIS IN GRATIAM LECTORIS MODICE MUTATUS EST PER LAUR. SURIUM.

Obiit anno 626 — Ex Burgundia.

§ 1. Venerabilis Eustachii * Abbatis Luxoviensis monasterii scripturus vitam, habitatorem ejus invoco Spiritum Sanctum, ut qui illi virtutes largitus est, mihi ad narrandas eas sermonem tribuat, ut facta dictis exaequentur. Sub Mauritio et Phoca Imperatoribus, quo tempore Romanae Ecclesiae pontifex Gregorius clarus habebatur, necnon et Clotarius Chilperici filius strenue Francos regebat, religiosissimi extitere viri, discipuli almi patris Columbani, Attala et Eustachius; quorum prior in Bobiensi **, alter in Luxoviensi *** coenobio, ejus successores fuere, et magistri instituta suis alumnis servanda tradiderunt. In principio autem narrationis nostrae, exemplum bonorum omnium sumamus Eustachium qui sufficit religiosas ac Deo devotas mentes, ad appetenda virtutum culmina erigere et ad perfectionis comprehendenda fastigia incitare. Cum ergo venerabilis pater Columbanus vicesimo ab erèmi inhabitatione anno Luxovium reliquisset, in eo monasterio venerandus pater Eustachius illi suffectus est: cujus post magistrum virtutes clare fulsere. Et is quidem ex Burgundionum gente ortus, nobilis fuit genere, sed nobilior sanctitate, sui magistri vestigiis insistens.

§ 2. Ad ejus famam undique confluebant non pauci et se religionis cultui mancipabant, ita ut non parva monachorum congregatione adunata, cum sexcentis fere monachis illic degere videretur in Dei laudibus: qui uno regulae sive canonis monastici spiritu superna inspiratione imbùti, laudes omnipotenti Deo pio exhibebant famulatu. Porro ille pater venerabilis multae erat abstinentiae et multarum vigiliarum, quotidiano jejunio corpus macerans: orandi etiam erat ei assiduitas magna die ac nocte. Nec aberat ab eo solicitudo omnium ecclesiarum, interveniendi etiam magna assiduitas et constantia. In rebus quoque divinis implendis erat fortissimus, solicitus quoque pro pauperibus et peregrinis. Gaudebat cum gaudentibus, flebat cum flentibus. Nam quoties illi aliquis ob recipiendam poenitentiam lapsus suos esset confessus, ita flebat, ut et illum flere compelleret. Erat quoque

* Lege, quoties occurrit, Eustasium.
** In Liguriae Alpibus in Italia.
*** In Vosago monte ad hodiernae Lotharingiae fines; vulgare loci et Coenobii nomen *Luxeu* vel *Luxeuil*.

Digitized by Google

vir sanctus temperatus in omnibus, discretione praecipuus: redundabat erga illum timor et amor in subditis, redolebat doctrina in discipulis: labentia cuncta ejus animo subtererant. Nullus apud eum vel moerore premebatur, vel immodica laetitiâ efferebatur. Nec operam declinabat scribendi propria manu libros, nisi cum aliqua infirmitate corpus ejus detineretur. Erat autem ei usitata exhortatio ad discipulos suos, ut essent memores sanctorum patrum qui per mortificationem carnis et contemptum praesentis vitae, regna coelorum adepti sunt. Quapropter fratres mei, inquit, optimum iniistis certamen: magis vero ac magis satàgite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Monachorum autem opus illud est praecipuum, ut orationem puram offerant Deo, nihil habentes in conscientia reprehensibile, et memores illius quod Dominus dicit in Evangelio: *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester qui in coelis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* (*Marci* XI).

§ **3**. Interea memoratus rex Clotarius viri Dei Columbani prophetiam suos in se effectus habuisse cernens, venerabilem patrem Eustachium qui ejus loco Luxoviense monasterium regebat, ad se accersivit: eumque ad se venientem pie admodum obsecravit, ut ipsius nomine vellet ad beatum Columbanum legatione fungi, adjunctis sibi quos vellet, nobilibus viris et quocumque eum reperiret loco, efficaci oratione ei persuaderet, ut ad ipsum accedere dignaretur. Audito rege, venerabilis discipulus ad iter se accingit, magistri vestigia persecutus. Cumque ad eum venisset Clotarii regis mandata ei exposuit. Viso Eustachio, laetatus beatus Columbanus, gratulatur sibi redeundi oblatam facultatem, rètinet aliquandiu apud se Eustachium, hortatur eum memorem esse laborum suorum, coetum fratrum disciplinae habènis moderari, multos in eorum sodalitatem asciscere, suisque imbuere institutis. Dimissum post haec, ad Clotarium remeare jubet, tàliaque ad regem perferre responsa, sibi aequum non videri ut revertatur: hoc solum orare, ut sodales suos qui Luxoviense inhabitarent monasterium, regali adjutorio et praesidio fovèret. Fuere Columbani litterae regi gratissimae, easque ceu pignus quoddam foederis viri Dei accepit laetus et ovans: nec oblivioni tradidit preces ejus, sed omni praesidio jam dictum monasterium munire studuit, annuis ditare censibus, fines ejus undique pro voluntate venerabilis Eustachii dilatare: denique ob viri Dei amorem, ejus incolas omni ope et benevolentiâ pròsequi.

§ **4**. Porro venerabilis pater Eustachius ex Italia a beato Columbano, reversus, paterno affectu et aequo jure subditas monachorum regebat catervas. Contigit autem eum pro communi necessitate ire ad Clotarium regem qui eo tempore in extremis

Digitized by Google

Galliae finibus et in locis maritimis morabatur. Iter autem habuit Eustachius per saltum quemdam pagumque Briegium, pervenitque ad villam Chagnerici, ubi dudum ejus magister aliquandiu moratus fuerat. Villa ea Pipimisicum * dicebatur, distans ab urbe Meldensi duobus plus minus milliaribus. Ibi tum Chagnericus cum conjuge sua Landegunda, bene Christiana et sanae mentis foemina, degebat: cujus filium Magnoaldum apud se habebat. Viso autem Eustachio, Chagnericus cum ingenti gaudio eum excepit. Erat autem cum patre et matre filia Burgundofora, quam B. Columbanus Domino consecraverat. Eam vero pater invitam et plane recusantem cum desponsasset cuidam et nuptiis tradere vellet, dolore oculorum correpta et tanto febrium igne succensa est, ut vix jam superis reddi posse crederetur. Jam supremum illa trahente spiritum, beatus Eustachius patrem ejus increpavit, dicens suae noxae esse quod ea tantis cruciaretur poenis quandoquidem Columbani viri Dei interdictum violare attentasset. Tum ille dissimulans, Utinam, inquit, sospitati reddatur et divinis tradatur obsequiis: ego talibus votis obstare non debebo. Accedit inde Eustachius pater ad lectum puellae, sciscitatur si suo assensu contra beati Columbani interdictum, post vota coelestia rursus iteraret terrena. At puella testabatur se talibus votis nunquam paruisse, ut terrenis coelestia commutaret, sed paratam fuisse et esse beati viri parère praeconiis: seque ait praeterita nocte vidisse simili figurâ virum, qua ipse esset qui oculorum lumen ei redderet; vocemque simul audisse dicentem: Quodcumque tibi vir iste dixerit, fac, et sanaberis. Infer ergo auribus meis quae mihi sunt custodienda et tuis orationibus pelle dolorem a Domino illatum. Prostratus itaque humi cum lacrymis venerandus pater, Dominum postulat, ut munus promissum largiatur: surgensque, crucem supra oculos exprimit et manu oculos palpans, Domini auxilium implorat. Protinus salus secuta est, lumen redditur, febrium ignis fugatur, redditamque sospitati matri commendat, donec a Clotario reversus, religiosis eam vestibus induat.

§ 5. Cernens autem pater sospitati filiam redditam, rursus insistit ut sponso tradatur, pollicitationis pristinae caeca oblivione immemor. Quo puella comperto, cum una e sodalibus de fuga ineunda pertractat: eàque assensum praebente, felici fugâ clam elapsae, ad beati Petri Apostolorum principis basilicam pervenerunt. Quod ut pater rescivit, post eas furibundus pueros dirigit, jubetque ut apprehensam filiam crudeliter pèrimant. Pergentes pueri, sinibus ecclesiae puellam receptam reperiunt. Paulisper autem morati, dum parentis ira frangeretur, puellae mortis periculum minantur. At illa: «Si, inquit, mortem me formidare putatis, in hoc ecclesiae pavimento probate. Ob talem etenim

* *Oppigny.*

causam ovans mortem excipio propter Illum qui pro me non dedignatus est mori.» Interea peracta legatione sua Eustachius pater rèmeat, puellam custodiâ liberat, patrem terribiliter increpat, religionis vestem per pontificem urbis illius Gundoaldum nomine, induit, sacratque salutaribus sacramentis, monasterium virginum Christi super paternum solum inter fluvios Mugram et Albam aedificat, fratres qui structurae curam habeant, dèputat, germanum puellae Chagnoaldum et qui ei postea successit, Waldebertum, ut regulam eas doceant, decernit: in quo quidem Waldeberto quantae virtutes postmodum extiterint, si vita comes fuerit, pròsequi nitemur.

§ 6. Reversus inde venerabilis vir Eustachius ad Luxovium, magistri praeceptum implere parat, ut gentes vicinae pabulo fidei alerentur. Progressus ergo, Warascis * praedicat, quorum alii idololatricis cultibus, alii Photini, alii Bononi errore contaminati erant. His ad fidem conversis, ad Bojos qui nunc Bajoarii** vocantur, tendit: eisque multo labore imbutis, ac fidei lineamento correctis, plurimos eorum ad fidem convertit. Ubi cum aliquantisper moratus fuisset, dimisit sagaces viros qui in coepti laboris studio desudarent: ipse vero ad Luxovium remeare studet. Cum ergo iter carperet, venit ad quemdam virum nomine Gundoinum qui eo tèmpore ad villam, quam Mosam vocant ab amne eo in loco fluente, morabatur. Cumque is vidisset Eustachium, velut gratissimum munus ovans domi recepit. Ingressus autem Eustachius in domum, praemissa benedictione, poscit ut liberos quos habeat, repraesentet. Ille obediens, duos bonae indolis filios praesentat. At vir sanctus, «Est ne, inquit, tibi adhuc proles?» Ille fatetur praeter unam filiam luminibus orbatam, nomine Adesbergam, se amplius non habere. «Veniat, inquit, illa.» Quam cum vidisset, sciscitatus est ex ea, utrum juvenilis animus ad cultum divini timoris aspiraret. Tum illa affatim ut tenera quivit aetas, respondit se paratam esse sacris obtemperare praeconiis. Suscepit ergo vir sanctus laborem, biduano corpus jejunio affecit, mentem fide armavit, super oculos benedictionis oleum effudit, meruitque tandem per ejus interventum caecitas obtinere lumen. Redintegravit divina pietas ad preces famuli sui, luminis damna, ut recepto lumine, post divina munera uberius ad timoris Dei cultum aspiraret. Et ea quidem nuncusque superest, et divinis obsequiis dedita, non solum suae utilitati, sed et aliis providet opportuna. Cumque vir Dei progressus inde, coeptum iter perageret, quemdam fratrem Agilum nomine qui modo Respacensis coenobii praesul existit, quemque tum vehemens febrium ignis excoxit, manu tetigit, interventuque orationum suarum pristinae sospitati illico restituit. Deinde pervenit

* *Varasquez*, apud Sequanos, quorum urbs caput Vesontio (*Besançon*).
** Hodierni Bàvari.

ad supradictum coenobium, ibique tam fratres interius quam vicinos populos ad Christianum vigorem excitare studet, multosque eorum ad poenitentiae medicamenta pertraxit. Fuit autem hoc illi studio, ut multos suâ facundiâ erudiret: et quidem complures ex eis postea ecclesiarum praesules extiterunt: Chagnoaldus Lugduni, Acharius Viromandorum et Noviomensis ac Tornacensis episcopus, Rachnacarius Augustoduni et Basileae, Audemarus Bononiae et Taraonensis oppidi.

§ 7. Cumque jam haberetur omnibus gratus B. Eustachius, ita ut nullus se beatum Columbanum perdidisse gemeret, qui ejus doctrinis imbutus fuisset, praesertim cum cernerent in discipulo magistri instituta manere: cum, inquam, iis omnibus charus esset et omnium quoque Franciae pròcerum studio et honore fulciretur, atque Clotarii regis amore et veneratione elucèret, exarsit more suo lividus adversus sanctorum famam chelydrus, excitatque e sinibus matris novum Cain qui fratrem velit zelo extinguere: vel etiam novum proditorem, qui magistri dicta scinderet et collidendo solida, ad fragiles turbarum auras fragilem mentem accommodaret. Excitat unum e subditis, Agrestium nomine qui quondam Theodorici regis notarius fuerat et quadam cordis compunctione tactus, omnia quae possederat, relinquens et ad Luxovium veniens, se et sua omnia supradicto patri tradiderat. Is ergo, religionis speciem in monasterio gestans, post licentiam postulat, ut gentium esse praedicator permitteretur. At vir sanctus illum diu objurgans increpat, ait illum se non debere ad tale opus idoneum vel dignum, quippe rudem adhuc in religione, putare: omnibus ecclesiasticis ornamentis decoratum esse oportere qui ad tantum opus satis aptus censeatur *. Commemorat ei Jeremiam qui licet Domini electione missus, tamen se dignum negaverit, dicens: A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui quia puer ego sum. Moysen quoque adducit electum a Domino, et tamen linguae causantem tarditatem. Sed cum his rationibus nihil proficeret quem tenere non valet, abire sinit.

§ 8. Qui ubi ad Bajoarios pervenit, ibi paululum moratus, nullum fructum attulit: sed velut alta platanus, garrula verborum folia tremulas quatiens ad auras, fructus copiam nescivit. Deinde Aquilejam proficiscitur. Porro Aquilejenses tum desciverant a communione sedis Apostolicae; desciverant autem ob trium capitulorum dissensionem, unde discordiae incrementa diuturna manarunt **. Veniens igitur Agrestius Aquilejam, socius statim schismatis effectus, a Romanae Sedis communione sejunctus ac separatus est, totius orbis communionem, quicumque Romanae Sedi jungerentur, damnans, in sola Aquileja orthodoxam fidem

* Nullus nisi legitime missus praedicationis officium suscipere praesumat.
** De schismate *Trium Capitulorum* egimus in Nota ad Vitam S. Gregorii Magni, XII huj.

Digitized by Google

retineri contendens. Hoc ergo schismate imbutus, epistolam venenosam, increpationibus plenam, ad beatum Attalam per Aureum, Adalualdi regis Longobardorum notarium, dirigit. Quam beatus Attala perlectam et ridiculo habuit. Missa autem ad beatum Attalam epistolâ, ipse ad Luxovium properat, deinde beatum Eustachium schismaticis tentat aculeis, si sanam ejus mentem suâ vesaniâ corrumpere queat. Quod ut vir venerandus comperit, diu paternis alloquiis errantem monet: sed postquam salutaribus monitis et salubri antidoto mentem peste corruptam curare nequivit, a suo ac suorum contubernio eum segregavit. Refutatus ergo a B. Eustachio, huc illucque vagatur, ut nonnullos suae sententiae fautores possit efficere. Sed cum prae imperitia nihil posset obtinere, beati Columbani regulam sibi carpendam sumpsit, multa adversus eam livido dente garriens, ac velut coenosa sus grunniens, per quoscumque potuit sui similes murmur excitavit, annuente illi Abeleno, Genevensis urbis episcopo, qui illi sanguinis conjunctione proximus erat. Et is quidem Abelenus vicinos episcopos in Agrestii subsidium omni studio sensim sibi jungere nitebatur, ita ut ipsum quoque regem Clotarium tentarent, num ipsorum parti esset assensum praebiturus. At ille sciens et experimento cognitam habens beati Columbani sanctitatem et discipulorum ejus doctrinam, primo suis eos studuit responsis redarguere: sed cum nihil proficeret, statuit ut synodali examine regula probaretur, nihil ambigens de beati Eustachii auctoritate et doctrina, quin omnes adversantes sanctae regulae prudentiâ ex facundiâ suà, adminiculante ei Spiritu Sancto, facile superaret. Emanante ergo regia jussione, multi Burgundionum episcopi in suburbio Matisconensis oppidi conveniunt: inter quos Maximus residebat Tretecus episcopus, propter quem praecipue synodum fieri urgebat Warnacharius beati Eustachii inimicus. Sed praevaluit beati Eustachii deprecatio, ut qui fautor et patronus fieri voluit miserae intentionis, is correptus, a Domino, omnium vires frangeret. Nam praefixo et statuto die quo adversus Eustachium altercatio futura erat, ipse morte praeventus interiit.

§ 9. Fractis ergo in illo Agrestianae partis viribus, turbantur, sciscitantur omnes ex Agrestio, quaenam adversus regulam beati Columbani vel venerabilem Eustachium objiceret. Tum ille trementibus labiis, nihil auctoritatis aut elucubrati eloquii habens, ait, superflua quaedam et a canonica constitutione aliena, ab ejus regulae professoribus pari studio observari *. Cumque illi urgerent, ut ea expromeret, tandem crimina recitat, nempe ipsos suae regulae habere cochleam, quam cum lamberent, eam crebro signo crucis signari, et in ingressu cujuslibet domicilii intra coenobium, tam ab introëunte quam egrediente, benedictionem

* Nota perridiculas Agrestii contra Monachos objectiones, et S. Eustasii responsa.

postulari. Sed cum illi nihil dignum synodali discussione objici cernerent, « Alia, inquiunt, si quae habet, opponat. » Prorumpit ille, aitque se scire Columbanum a caeterorum more discrepare, et ipsa Missarum solemnia multiplicatione orationum vel collectarum celebrare, et multa alia superflua: quae cum auctore tanquam haereticas traditiones voluit ut Synodus execraretur. Ut vero audivit beatus Eustachius haereticos dici se suosque una cum magistro Columbano, dixit ad Synodum: « Vos, o decus sacerdotii, probarè debetis, quinam in ecclesiis veritatis ac justitiae seminaria constituant, et qui a veritate et vera religione aliena tradant. Quicquid enim a norma veri tràmitis dissentit, extra Ecclesiae corpus haberi debet. Vestrum est discernere objecta, an sint a Scripturarum serie aliena. » Ajunt illi: « Ex tuo ore nosse volumus, quod his responsum reddas. » At ille: « Nequaquam, inquit, reor ego contrarium esse religioni, cochleam, quam Christianus lambit, vel quodcumque vas aut pòculum, crucis signo muniri, cum per adventum signi Dominici pellatur pestis adversantis inimici.» Introëuntem vero monachum cellulam vel exeuntem benedictione Domini armari, ratum duco juxta illam Psalmistae vocem : *Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus. Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum ex hoc nunc et usque in seculum* (*Ps.* 120): et licet hoc ad unumquemque Christianum possit referri, ut gratia baptismi per fidem in Ecclesiam intrans servetur, et usque ad finem perseverantiae vigore firmetur: tamen ad quotidianum motum sive in ingressu, sive egressu vel progressu unumquemque nostrum signo crucis muniri, vel benedictione sodalium roborari, fas duco. Multiplicationem vero orationum in sacris officiis, credo ego omnibus ecclesiis proficiscere. Quanto enim plus Dominus quaeritur, tanto plus invenìtur: et cum crebrius oratione pulsatur, ad miserendum petentibus citius excitatur. Nihil enim magis desiderare debemus, quam orationi incumbere. Sic enim ipse Dominus in Apostolis nos hortatur: *Vigilate et orate*, *ne intretis in tentationem*. Sic et Apostolus sine intermissione orare nos docet. Denique omnis sacra scriptura ad Deum clamare nos jubet. Qui enim clamare negligit, tanquam a Christi membris neglectus et praecisus, abjicitur. Nihil enim tam utile tamque salutare, quam Creatorem multiplicatione precum et orationum assiduitate pulsare.

§ **10**. His et consimilibus responsis confusus Agrestius, addit garrulitatis noxam, calumniatur capitis comam inepte praecìdi, aliter charactèrem exprimi, et ab omnium recepto more desci-sci. Cum sic ille frivola garriret, sagax Eustachius, ut erat virtute patientiae et scientiae insignis, respondit: « In horum praesentia sacerdotum te ego ejus discipulus et successor, cujus tu disciplinam et instituta damnas, ad divinum judicium cum illo

Digitized by Google

intra praesentis anni circulum disceptaturum invito, ut justi judicis exàmen sentias, cujus famulum tuis obtrectationibus maculare conaris. » His dictis, metus quosdam partis Agrestianae perculit, hortanturque omnes, ut pacis nexu corda jungantur, et illae quidem a praesumptae temeritatis audacia desisteret, hic vero paterno affectu piis correptionibus labentem fovèret. Respondet B. Eustachius: « Vestris ego precibus libens satisfacerem, si misera mens duritiam vecordiae abjiceret, et correctis cauterio morbis, vel antidoto curatis visceribus, redux ad sana consilia se recipere niteretur. » Tum vero cogentibus cunctis, Agrestius simulatam pacem postulat, uti postea factis declaravit. Eustachius miti animo, et mente virtutum consciâ, suasione poscentium flexus, pacem tribuit, òsculum porrigit, Agrestius interim manifestam vesaniam metu verecundiae continuit, non tamen a malis penitus recessit.

§ **11**. Coepit namque postea tentare monasteria, et sub specie discipuli, pretium proditionis taxare. Venit vero ad quendam virum venerabilem Romaricum, qui primae nobilitatis fuerat apud Theodebertum regem, porro beati Columbani exemplo et Eustachii praedicatione permotus, in Luxoviensi coenobio monasticis institutis se subdiderat. Cum autem diu sub regulari tenore vitam ageret, post, Eustachio annuente, puellarum monasterium in fundo suo extruxit. in quo etiam regulam beati Columbani custodiendam indidit. Cumque jam multa religione pollèret, ad eum Agrestius pergit, sese subditum atque obedientem simulat, simulque Amatum, quem ibi Eustachius ob imbuendam regulam praefecerat, mollibus suggestionibus tentat. Eo namque tempore pro quibusdam rebus neglectis tam Amatus quam Romaricus, ab Eustachio objurgati fuerant. Laesos ergo ut sensit, ut facilius exasperatas mentes suis assertionibus jungeret, quibusdam adhibitis stimulis id paulatim nitebatur, ut venenata verba sanae mentes reciperent, et sic in contempum regulae beati Columbani propriam vesaniam propagaret. Proh dolor, exitiabili suasione ac letifera suggestione insanus ille sana maculavit. Nam abjectis institutis pristinis, rudibus plebem doctrinis instruere illi conati sunt: et educto jam ante, juxta B. Job, còlubro tortuoso manu obstetricante divina (*Ex Job* XXVI), rursum zelum invidiae admittere non metuunt. Deinde ad Burgundòforam dirigit iter Agrestius, ut eam quoque suis stimulationibus, si posset, macularet. At Christi virgo eum non foemineo more, sed virili plane responsione confùdit.* «Num tu, inquit, confutator veritatis et novorum introductor argumentorum, ea causâ huc venisti, ut veneno tuo dulcia mella miscères, et vitalia alimenta letali amaritudine commutares? Illis tu dètrahis, quorum ego virtutes experta

* Nota ut egregie B. Burgundofora confutat Agrestium in SS. Columbanum et Eustasium calumnias inferentem. De ea vide in MARTYROL. ILLUSTR. III Apr.

Digitized by Google

agnovi, quorum doctrinam salubrem recepi, ex quorum eruditione multos coelestia regna penetrasse comperi? Meminisse te velim illius Isaiae: *Vae qui dicit malum bonum, et bonum malum.* Accelera, et prorsus ab hac vesania festinus recède.» Confutatus ille his Christi famulae responsis, rursum ad Romaricum et Amatum rèpedat, ut coeptam deceptionis rugam foveat et contrahat.

§ 12. Sed non defuit ultio divina. Cum enim ad hoc jam omnes aspirarent, ut contemptui pristinorum documentorum subscriberent, et assensores se praeberent: primum lupi rabie exagitati, duos ex hujus assertionis fautoribus, per intempestam noctem intra septa irrumpentes, morsibus laniarunt, atque ipsos quoque rabie comprehensos, miserabiliter morti tradiderunt. Alium quendam, Plereum qui ad hunc discordiae fomitem vehementer aspirabat, daemoniacus furor pervasit, atque ignobiliter neci dedit: nam propria manu ipse se laqueo suspendit. Sed cum haec ultio necdum corrigeret delinquentes, protinus major secuta est. Nam subito fulgur lapsum e coelo magno fragore percutit locum, ecclesiam pervagatur, tegumenta subvertit, plebem urit et exanimat, scilicet ut praesens correctio illi, quae nimia simplicitate praeveniente, calliditate eversa, ignavae persuasioni assensum praebuerat, monstraret futuram debere iram fugere. Mortui ad praesens sunt usque ad viginti. Deinde metu perculsos paulatim mors rapuit, ut ex ea ultione, ut ajunt, amplius quam quinquaginta extincti sint: auctore quidem criminis ad poenitentiam reservato, ut si agnoscat et redeat, proculdubio sanitatem recipiat. Nullum etenim Dominus perire desiderat, sed semper quamvis gravibus delictis òbrutum, ut per poenitentiae fomenta resipiscat, expectat. Sed cum ille saepius sibi datum poenitentiae locum non agnosceret, ut B. Eustachii sententia, ad divinum judicium ipsum vocantis, praevaleret, ante triginta dierum circulum, priusquam vertentis anni meta compleretur. a servo suo, quem ipse redemerat, securi percussus, interiit. Occasio criminis dicebatur, uxoris permixtio. Hoc nobis dicendum est, justam eum sententiam divini judicii ferire non distulisse, ut et assentatores sive asseclas ejus cessare a lacerationibus famulorum Dei admonèret, et ille per contumaciam admissa scelera meritâ ultione lùeret. Amatus vero et Romaricus venerabili Eustachii indulgentiam postulantes, recepti sunt, et submotâ desidiâ, ejus gratiâ fruuntur. Porro Abelenus et caeteri Galliarum episcopi post ad roboranda Columbani instituta aspirant: et multi jam, amore beati Columbani et ejus regulae, monasteria construunt, fratres adunant, greges Christi congregant. Jam vero beatus Eustachius, has adeptus victorias, corrigere delinquentes studet, ac suae paci eos, qui remanserant, adunare constituit. Porro monachorum, sub ejus obedientia degentium in saepedicto monasterio ingens creverat multitudo, ut jam multa per vicina loca coenobia construerentur,

Digitized by Google

quae ejus successor beatus Waldebertus firmavit atque aedificavit.

§ 13. Denique beatum ex hac vita praestolans exitum, omni intentione ad contemplanda scripturae divinae mysteria, sive, ut auctor loquitur, mysticorum praeconiorum documenta desudat, solique Deo mente intenta preces fundens dirigit. Cumque jam per multorum circulum annorum hoc in opere intentus vacaret, advenit tempus vocationis, ferturque sententia justi judicis, ut quod minus annorum circuli, diversis afflictionibus peracti, purgaverant, paucorum corporis infirmitas dierum sanaret: interrogatusque inter poenae incendia sub visione nocturna, si quadraginta dierum spatio leviori poenâ cruciari velit, aut triginta ferventiori incendio purgatus, vitam beatam functus, coelos penetrare, ille respondit: « Melius esse, quamvis duris brevi tempore subjacere flagellis, quam poenis levioribus prolixius consùmi. » Tulit ergo provisam atque electam corporis poenam, et diem tricesimo omnibus valedicens, triste remanentibus nuncium depròmit, suum exitum eàdem die esse futurum. Deinde sumpto viatico, animam coelo reddidit, ardensque desiderium superis, et paternum regimen viventibus religionisque exempla relinquens, ipse parta victoriâ, coelorum regna penetravit, duce Christo, cui est virtus et honor per omnia secula seculorum, Amen.

VITA B. JOANNIS CLIMACI

A DANIELE MONACHO CONSCRIPTA

Natus anno 525 — Obiit 605 — Probabil. Palaestinus.

§ 1. Quaenam hunc virum divinum civitas tulerit, atque ante coelestis militiae gloriosam, exercitationem educaverit, non facile dixerim, cum id mihi non satis diligenter exploratum sit. Quaenam vero modo ipsum ferat, aeternisque et immortalibus deliciis pascat, longe ante nos Paulus expressit. Est enim et ipse penitus coelestis illius Jerusalem effectus municeps, in qua ecclesia primitivorum est: quorum, inquit, conversatio in coelis est, ubi spiritu purgatissimo atque ab omni materia remoto divina insatiabiliter hauriens, pulchritudines invisibiles contemplans, digna sudorum praemia recipit, laborumque mercedem quietissimam refert. Nam coelestis regni haereditate potitus, cum illis jam in aeternum tripudiat, jungitque laetitiam cum iis, quorum pes stetit in directo. Quonam vero modo beatitudinem istam sibi comparavit, jam dicere instituam.

Digitized by Google

§ 2. Hic cum per aetatem corpoream sexdecim ferme esset annorum, seipsum obtulit Christo sacrificium gratum atque acceptabile, monasticae vitae jugo colla subjiciens in monte Sina, eo puto consilio, ut ipsa visibilis loci commoratione admonitus, ad invisibilem Deum facilius dirigeretur, et aptius perduceretur. Atque peregrinationem ut intellectualium adolescentularum magistram, in primis adamavit, per quam turpi et noxiâ confidentiâ omni rejectâ, humilitate honestissima assumpta, daemonem illum . a quo nonnumquam ut nobisipsis placeamus, nobisque confidamus, inducimur, a se penitus eliminans, ab ipso quoque cordis aditu rejecit. Inclinans vero cervicem, et confidens in Domino, ac ei qui se susceperat, patri, veluti optimo cuidam gubernatori, se totum permittens, altissimos atque saevissimos vitae praesentis fluctus sine periculo trajiciebat. Adeo vero perfecte mundo propriisque voluntatibus mortuus erat, ut inexpertem rationis ac voluntatis animam quandam habere videretur, atque proprietate naturali omnino liberatam. Idque, cum ante hanc coelestem simplicitatem mundanae sapientiae non fuerit imperitus, sane mirabilius est. Philosophiae enim tumor a Christi humilitate, ut plurima alia, longe remotus est.

§ 3. Decem igitur et novem annis ita conversatus est, ac beatae subjectionis exemplar omnibus factus: cum is qui se exercuerat, senior sanctus migrasset ad Christum, et ipse ad vitae solitariae studium egreditur, illius orationibus, ut armis potentissimis, fretus ad destructionem munitionum satanae. Quinto autem ab ecclesia lapide palaestrae suae domicilium constituit, loco cui Tholas nomen est. Ibique quadraginta annos summa animi magnanimitate et alacritate transègit, ardentissimo amore ac divinae charitatis igne semper aestuans. Jam vero quis possit, quantos illic pertulit labores, digne aut verbis, aut plausibus prosequi? Quomodo enim id efferri in lucem poterit, cum omnis ejus labor clam et sine arbitro exactus sit? Verumtamen, ex primitiis quibusdam et velut praeviis occasionibus, beatissimi viri sanctum vitae institutum audiamus.

§ 4. Edebat quidem ex omnibus quae sibi per professionis suae votum edere licebat, sed modice omnino, ut ex hoc fastum atque elationis cornu sapientissime dejecerit, brevitate quidem victus insanam gulae rabiem penitus affligens, atque ille per inediam clamans: Tace, Obmutesce: et ex omnibus modice gustando, tyrannidem inanis gloriae sub jugum mittens. Solitudine praeterea et raro hominum congressu, fornacis hujus flammam, luxuriam scilicet, adeo extinxit, ut omnino obstructa sedaretur, nullasque molestias irrogaret. Cupiditatem vero (quam idolorum venerationem Apostolus esse diffinivit) misericordiâ Dei rerumque exiguitate fortissime fortis iste superavit. Acediam vero animique desidiam (quam merito jugem animae mortem dixerim) mortis

Digitized by Google

memoria jugique pietatis exercitatione devitavit. Cumque nullius mortalis rei affectione teneretur, aeternorumque solum sensu pasceretur, noxiae tristitiae liber evasit Iracundiae vero tyrannidem in seipso per obedientiae gladium occiderat. Raro praeterea congressu corporis, rarioreque usu sermonis, inanis gloriae sanguisugam, araneae similimam, mortificavit. Quid octavi vitii supremam diligentissimamque emundationem, superbiae scilicet, prosequar, quam coepit quidem per obedientiae mansuetudinem, perfecit vero coelestis Dominus, praesentià suâ adveniens, humilitatemque adversus illam exaltans, qua sine diabolum ejusque conformem classem destrui possibile non est.

§ 5. Ubi vero in hujus coronae contextu ponam lacrymarum illius fontem, rem quidem raram, et quae in multis non facile invenitur, quarum hodie superest secreta officina, spelunca brevissima in extremitate quadam ad radicem montis posita, tantumque ab illius atque omni alia cellula remota, quantum ad observandas gloriae inanis aures, satis esse videbatur? Ad coelum vero usque gemitibus, suspiriis, singultibus, precibusque et ejusmodi reliquis quae ab his fieri solent qui gladiis cauteriisque punguntur, et quibus effodiuntur oculi, pertingens: somni tantum capiebat, quantum sufficere posse arbitrabatur ad servandam animi intellectusque substantiam, ne per enormitatem vigiliarum contabesceret. Ante somnum vero utplurimum orationibus vacans, libellos etiam conscribere solitus erat, quo solo opere acediae languorem ab se fugabat. Porro cursus ejus omnis, perpetua erat oratio, amorque incomparabilis ad Deum: hunc enim die noctuque mundissimo castitatis speculo intuens, satietatem ullam capere nolebat, immo vero (ut magis proprie èloquar) non poterat.

§ 6. Hujus aliquando divini patris vitam imitari cupiens, ejusque disciplinis imbui, atque ab eo verae philosophiae elementa percipere, quidam ex his qui vitam solitariam delegerant, Moyses nomine, plerosque sanctorum patrum precatores exhibuit, per quos, ut se in discipulum susciperet, summis precibus oravit. Igitur illorum precibus fretus, a sancto viro, ut optaverat, susceptus est. Huic aliquando sanctus pater praeceperat, ut quodam ex loco pinguis glebae materiam conveheret, pro laetiori hortuli olerumque cultura. Perveniens igitur Moyses ad denotatum sibi locum quod jussus fuerat impigre exequebatur. Sed cum jam meridianum tempus adesset, et solis incendio, fornacis in morem, locus ille ignesceret (erat enim mensis Augustus), victus Moyses, et ex transvectione fatigatus, aliquantula requie opus sibi esse decernit, atque sub immanis saxi umbra seipsum dimittens, obdormire coepit. Sed clementissimus Deus fideles servos suos in nullo contristari permittens, cum jam periclitaretur Moyses, consueta illum misericordia hoc modo praeoccupat:

Digitized by Google

§ 7. Magnus hic pater noster Joannes cum in cellula sua degeret, sibiipsi et Deo, ut consueverat, vacans, in somnum quemdam tenuissimum incidit, viditque per visum virum quemdam augustiore facie et habitu se excitantem, somnosque sibi exprobrantem ac dicentem : « Tu ne Joannes ita secure obdormis, et Moyses periculo proximus est? Citius itaque evigilans, oratione statim armatur, pro discipulo supplicans. Quem postmodum ad vesperam revertentem interrogat, num aliquid sibi adversum atque insperatum contigisset. » Tunc ille, « Saxum, inquit, mirae magnitudinis parum abfuit quin me demoliretur et penitus contereret, cum sub illo profunde obdormirem, nisi vocem tuam me audire existimans, ex loco, concito saltu, timore plenus desilissem. Quo facto, continuo saxum illud e rupe evulsum, ac terrae affixum conspexi. » Quo audito, vir Dei vere mente humilis, nihilque ex his quae viderat et audierat, discipulo annuncians, occultis clamoribus, et intimae charitatis vocibus hymnum dicens, gratias uberrimas retulit Deo.

§ 8. Erat enim vir sanctus occultorum vulnerum medicus. Monachus enim quidam, Isaac nomine, quum aliquando gravi carnis aestuaret incendio, cursu ad illum pervenit, undique moerore circumfusus, intestinumque bellum singultibus et lacrymis patefecit. Ejus itaque fidem et humilitatem vir Dei admiratus, blande his vocibus consolatur, dicens : « Stemus, inquit, ambo ad orationem fili et omnino clemens et misericors Dominus preces non despiciet nostras. » Quod cum factum fuisset, necdum oratione completa, adhuc prono in faciem infirmo fratre prostrato, voluntatem servi sui Dominus fecit, ut ex hoc prophetam suum vera dixisse ostenderet: serpensque carnis effugit, flagellis intentissimae orationis edòmitus. Porro is, qui hactenus fuerat aeger, liberatum se aegritudine conspiciens, omnique jam hujusmodi perturbatione curatum, obstupuit valde, Deoque et inclyto ejus famulo gratias retulit.

§ 9. Cum vero praeterea hic venerandus pater verbo gratiae ad se venientes affatim exatiaret, ac doctrinae fluenta largissime profunderet, maligni quidam homines, invidiae facibus inflammati, tantamque frugem, quanta ex illius doctrina gignebatur cohibere molientes, loquacem illum ac nugàcem vocare coeperunt. Quod ille animadvertens, cunctaque in eo qui se confortabat, Christo posse edoctus, nec solum per sermonis exhortationem eos qui ad se utilitatis suae causâ veniebant, erudire volens, sed multo potius per silentium, et per operum philosophiam, ut, sicut scriptum est, abscinderet quaerentium occasiones, usque ad certum tempus tacere instituit, mellifluumque doctrinae fluvium compescere : satius esse et melius existimans, hoc interim detrimento affici studiosos bonorum amatores quibus fortasse per silentium amplius profuturus erat, quam ingratos illos judices amplius

Digitized by Google

iritari, ne ulterius eorum malitia et malevolentia excresceret. Quocirca et illi revèriti humilitatem ac modestiam viri, consciique quod sibi ejusmodi utilitatis fontem obturaverant, quantique detrimenti omnibus extiterant, ad virum supplices adveniunt, doctrinaeque sermonem communi voto cum aliis exposcunt. Cessit igitur statim, ut qui contradicere non norat, et denuo prioris status arripuit normam.

§ **10**. Cum igitur ita bonis omnibus excelleret, ut similis invenire non posset, uno simul ovens voto, unoque affectu tanquam novum quemdam Moysem invitum illum ad fratrum magisterium et règimen assumpserunt, lucernam (ut ita dixerim) super principatus candelabrum elevantes, optimi sane talium judices: nec spe sua frustrati sunt. Ascendit enim et ipse ad montem sacratamque caliginem subiens, Dei manibus conscriptam legem suscepit, Deique contemplatione fruens, et intellectualibus gradibus scandens, verbo Dei aperuit os suum, et spiritum attrahens, eructavit verbum bonum de bono thesauro cordis sui.

§ **11**. Sic igitur implevit finem visibilis vitae in principatu Israëlitarum monachorum, in hoc solum a Moyse differens quod supremam Jerusalem summa facilitate conscendit. Ille enim, nescio quo modo, etiam terrena frustratus est. Attestantur autem his quae diximus, quotquot per eum Spiritus Sancti eloquiis et gratiâ potiti sunt, plurimique ex his ejus gratiâ salvati sunt, hodieque salvantur. Testis optimus sapientis hujus salutis simulque sapientiae novus David. Testis item et pastor noster optimus Joannes, a quo magnus ille exoratus, de Sinai monte ad nos usque animae cognitione descendens, veluti novus aliquis Dei speculator, suas a Deo tabulas inscriptas ostendit nobis: extrinsecus quidem activae vitae, intrinsecus vero contemplativae doctrinam continentes. *

* E *Climàcide, Climate, Climace* (gradu vel *scala*) S. Abbati cognomentum *Climaci* factum ex egregio ejus libro de Religiosorum perfecta vitae ratione quem *Paradisi Scalam* inscripsit.

BEATI PETRI DAMIANI

EPISCOPI OSTIENSIS

SERMO IN COENA DOMINI

UT HABETUR OCTAVO TOMO ALOISII LYPOMANI

§ 1. Hodie, fratres charissimi, dum coenae Dominicae solemnia celebramus, plurima virtutum coelestium sacramenta recolimus. Hodie namque Salvator noster, qui caput est Angelorum, dum suis discipulis vestigia tersit, verae nobis humilitatis exemplum manifeste proposuit: ut quod impendit Dominus famulis, servi non dedignentur exhibere conservis: et pulvis non dèneget pulveri, quod sibi congruere tantae visum est majestati. Ubi cum Petrus obsequium suscipere tanti Praeceptoris abnueret, et ille minas repulsionis nisi se lavari permitteret, intentaret, tremefactus tandem, et insistentis imperio protinus acquiescens, ait: *Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput* (*Joan*. XIII). In quibus utique verbis beatus Apostolus opera nostra, simul et cogitationes, ut a Domino purificentur atque mundentur, indigere signavit. Siquidem manibus operamur, cognitiones autem ex mente, quae caput est interioris hominis, proferuntur. Vera ergo ac perfecta purgatio est, cum Deus omnipotens non solum opera nostra munda et immaculata custodit, sed etiam pravas cogitationes a cordibus nostris Sancti Spiritus infusione repellit. Hodie Salvator terreni panis ac vini speciem in sui Corporis et Sanguinis sacramenta convertit, suisque discipulis vitalis alimoniae pabulum ministravit. Cibus enim ille vètitus, quem primus homo, intumescente superbiâ et gula pruriente, percepit, per universa ejus viscera vitiorum omnium ac mortalis corruptionis venena diffudit. Contra hoc igitur letale virus antidotum a Christiano populo sumitur, per quod spiritualis morbi pestilentia salubriter evomatur. Hujus novi sacramenti virtute fermentum ilico condemnatae vetustatis expellimus, ut de servitute ad libertatem spiritus, et ad nova regenerationis azyma transeamus.

§ 2. Hodie sacrum chrisma conficitur, per quod in nobis omnium coelestium charismatum sanctificatio designatur. Hoc videlicet illud esse sacrosanctum chrisma cognoscitur, quod non modo Sacerdotes, Reges atque Prophetas unxit in veteri Testamento, sed etiam sanctos Apostolos, Martyres et Confessores sanctificavit in novo. Hodie etiam nos oleo divinae virtutis inungimur, ut in spiritualis palaestrae certamine colluctantes, de subactis atque convictis hostibus triumphemus.

§ 3. De quo nimirum oleo Propheta dicit: Computrescit jugum a facie olei. Nam cum per hoc divini chrismatis sacramentum libertatis nobis spiritus redditur. servitutis antiquae jugum in putredinem necesse est redigatur. Hoc mysterium chrismatis Propheta David indubitanter agnovit, cum vultus nostros in oleo exhilarandos esse cantavit. Enimvero cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuso, futuri muneris columba similitudinem praetulit, cum olivae ramo pacem terris redditam nuntiavit. Ait enim Scriptura: Expectatis autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit Noë columbam ex arca. At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum olivae virentibus foliis in ore suo. In remissione ac reversione columbae septenarius numerus ponitur, quia septem esse proculdubio Sancti Spiritus dona noscuntur. Vespertina vero horâ ad arcam columba revertitur, quia Spiritus Sanctus, qui in mundi principio ferebatur super aquas, jam vesperascente seculo sanctam replevit Ecclesiam.

§ 4. Ad hoc etiam divini chrismatis pertinet sacramentum, quod omnipotens Deus Moysi famulo suo mandatum dedit, ut Aaron fratrem suum aquâ prius ablueret, deinde per infusionem hujus unguenti constitueret sacerdotem. Aaron, inquit, et filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi. Filiis quoque Israël dices: Hoc oleum unctionis sanctum erit in generationes vestras. Porro autem sicut jam abluto per diluvium mundo, cum olivae ramo ad arcam columba revertitur: sic etiam Aaron aquâ prius ablutus est, deinde chrismate perunctus, ut ad sacerdotium promoveretur. Sic etiam nunc quilibet ad regenerationis gratiam veniens, prius sacri baptismatis undis immergitur, ut postmodum divini chrismatis mysterio consignetur. Illud praeterea oleum, quod et tabernaculum foederis, et cuncta ejus utensilia consecravit, hoc divini chrismatis sacramentum perspicue figuravit. Ait enim Dominus Moysi: Tolles oleum de olivetis, mensura Hin, faciesque unctionis oleum sanctum: unguentum compositum opere unguentarii, et unges ex eo tabernaculum testimonii, et arcam testamenti, mensamque cum basibus suis, candelabrum et utensilia ejus, altaria thimiàmatis, et holocausti, et universam supellectilem, quae ad cultum eorum pertinet, sanctificabisque omnia, et erunt sancta sanctorum: qui tetigerit ea, sanctificabitur. Mysticum itaque chrisma, quod tunc consecrabat tabernaculum in deserto, nunc Ecclesiam in novo sanctificat testamento. Quod etiam sacramentum tunc uberius, et copiosius videtur impletum, cum Redemptor noster de Jordani undis baptizatus exiit, et apertis coelis protinus in eum Spiritus Sanctus in columbae specie manifesta visione descendit, moxque vox Patris intonans ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III): hunc esse perspicue comprobans, cui David olim eodem Spiritu edoctus ajebat: *Unxit te*

Digitized by Google

Dominus Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis (*Psalm*.44). Ex illo sane tunc Spiritu, qui nostrum quoque chrisma nunc consecrat, tantam virtutem aquarum omnium natura concepit, ut in quibuscumque fluentibus sub professione deificae Trinitatis abluendus immergatur, plenum atque perfectum novae regenerationis myst·rium divinitus impleatur.

§ **5**. Hoc nostrum chrisma illud etiam oleum typice designabat, quo Dominus in tabernaculo septem lucernas impleri, ac jugiter ardere praecepit: Praecipe, inquit, filiis Israël, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas jugiter extra velum testimonii in tabernaculo foederis, ponetque eas Aaron a vespere usque in mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus vestris super candelabrum purissimum ponetur semper in conspectu Domini. Quid autem per septem lucernas in tabernaculo, nisi septem significantur Ecclesiae in uno populo Christiano? In quibus nimirum oleum jubetur indesinenter ardere, quia in iis sincera charitas, quae per Spiritum Sanctum datur, gemini debet amoris igne fervescere, et claris atque conspicuis semper operibus coruscare. Sed cum una sit proculdubio catholica et universalis Ecclesia, sicut per Salomonem dicitur: Una est columba mea, una genitricis suae: quid est, quod in sacris eloquiis septem esse referuntur Ecclesiae, nisi quia una est per unitatem fidei, septiformis est per totidem dona Spiritus Sancti? Hae sunt enim septem mulieres, quae juxta Prophetae vaticinium, accepere virum unum. Vir autem Ecclesiae Christus. Hoc plane Sancti Spiritus oleo cuncta sacrarum scripturarum pabula condiuntur, ut animarum nostrarum viscera saginentur. Hoc oleum vitalibus epulis eloquii coelestis infusum sapit in faucibus animae, cujus et stomachum recreat, et gustum percipientis obdulcat. Nam scriptum est: *Litera occìdit, spiritus autem vivificat* (1 *Cor*. III). Unde sciendum est, quia omnes sacrorum voluminum paginae Sancti Spiritus oleo sunt conditae. Quamobrem et in libro Numerorum legitur: Quia circuibat populus, et colligens manna, frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, et faciens ex eo tortulas sapòris quasi panis oleati.

§ **6**. Porro autem quasi per multa in cancellario Domini dolia transitum habuimus, ut ad solum oleatum, velut olei vasculum, pervenire possemus. Manna denique, quo plebs vivebat Israëlitica, sacrum designabat eloquium, quo nutritur et vegetatur religio Christiana. Quod utique veraciter oleatum est, quia mystica Sancti Spiritus est unctione conspersum. Notandum vero quia idem manna, quod in libro Numerorum dicitur oleatum, in Exodo legitur non olei, sed mellis potius habuisse saporem. Gustus, inquit, ejus erat quasi simile cum melle. Quidnam est, quod Angelicus ille cibus prius dicitur mellis exhibuisse

Digitized by Google

dulcedinem, et postmodum non mellis, sed olei praebuisse suavitatem, nisi quod Redemptor noster sacrarum omnium auctor et conditor scripturarum, quem videlicet illud manna principaliter figurabat, et ante passionem velut mel dulcedinem exhibuit miraculorum, et post Ascensionem suam, tamquam oleum, in discipulos suos effùdit Spiritum Sanctum? Nam quasi mellis videtur propinasse dulcedinem: dum signis atque virtutibus coruscavit: olei vero tunc suavitatem dedisse, cum in Apostolos suos Sancti Spiritus Paracleti dona diffùdit. Quem videlicet ordinem Moyses congrue tenuit, cum in Deuteronomio de petra, quae et nihilominus manna erat, typice decantavit: Ut sugeret, inquit, mel, de petra, et oleum de firma petra. De hoc mysticae unctionis oleo sponsa ad sponsum dicit in Canticis: *Unguentum effusum nomen tuum* (*Cant.* I). Unguentum quidem effusum sponsi nomen assèritur, quia sicut a Chrismate Christus, ita consequenter a Christo dicitur Christianus.

§ 7. Quia igitur, dilectissimi, per gratiam Salvatoris nostri jam hujus Chrismatis percepimus sacramentum, quia tam regiae dignitatis expressum praeferimus in fronte signaculum, studeamus ita nobiliter vivere, ut conversatio nostra tam divinis tamque magnificis mysteriis valeat concordare. Nos enim sumus, quibus per primum Apostolorum dicitur: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutem annuncietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum* (1 *Pet.* II). Et certe satis ignobile est sub vitiorum carnalium vivere servitute, qui, Deo nos adoptante, regii obtinemus generis dignitatem. Nimis turpe est, ut terrenae simus concupiscentiae dediti qui et Dei vocamur filii, et ad obtinendam coelestem haereditatem per Christi gratiam meremur ascribi. Plane quia Crucifixi praeceptoris nos constat esse discipulos, dignum est ut etiam nosmetipsos huic nequam seculo praebeamus extinctos. A portanda igitur Cruce post Magistrum nostrum et Dominum nulla nos negotii temporalis cura praepediat, nullus amor terrenae substantiae vel illecebrae carnalis avertat. Dirigamus fidei ac devotionis nostrae oculos per stratam jam, nobisque propositam viam Crucis, ut per eam inoffensis gressibus incedentes, ad eum mereamur attingere qui auctor est et provocator ad gloriam resurrectionis, cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivens et regnans in secula seculorum, Amen.

Digitized by Google

IN LAUDEM VEN. SACRAM. EUCHARISTIAE

SERMO B. JOANNIS DAMASCENI
HABETUR LIBRO IV, CAP. 14 DE ORTHODOXA FIDE
JACOBO BILLIO ABBATE INTERPRETE

§ 1. Bonus ille, atque undequaque bonus, immo bonitate omni sublimior Deus, quique totus bonitas est, pro eximiis bonitati suae opibus bonum solum esse, hoc est naturam suam, qua nulla res frueretur, minime passus est: verum et eam ob causam primum intellectuales illas et coelestes virtutes, ac deinde mundum hunc visibilem et insensum cadentem, atque ita demum ex intellectuali et sub sensum cadente hominem procreavit. Ac res quidem omnes ab eo conditae essentiae ratione, bonitatis ipsius participes sunt. Ipse enim rebus omnibus esse est, quandoquidem in ipso omnia sunt: non eo tantum nomine, quod ipse ea ex nihilo in ortum pròtulit, verum ob id etiam quod ipsius vis ac facultas res a se conditas tuètur atque conservat. Uberius autem animantia. Nam et quatenus sunt, et quatenus vitâ praedita sunt, bonum ipsis impertìtur. At vero ea quae ratione utuntur, tum ob ea, quae ante diximus, tum ob rationem etiam boni participatione copiosius adhuc fruuntur. Arctiori etenim quodammodo necessitudine cum eo conjuncta sunt: tametsi alioqui ille incomparabili magnitudine omnia superet. Et vero homo, utpote ita conditus, ut et ratione uteretur, et arbitrii libertate praeditus esset, hanc potestatem acceperat, ut per suam voluntatem, animique inductionem sine ulla intermissione Deo conjungeretur, si quidem in bono, hoc est in Creatoris obedientia, perstitisset.

§ 2. Quoniam autem Creatoris sui praeceptum violavit, ac sub mortem et corruptionem cecidit, idcirco generis nostri parens et effector ob viscera misericordiae suae nobis adaequatus est, per omnia videlicet, excepto peccato, homo effectus, nostraeque naturae unitus. Nam quia ipsius imaginem ac spiritum, quem nobis tribuerat, minime servavimus, ipse paupèris et imbecillae naturae nostrae particeps factus est: quo nos lustraret, atque in incorruptionem vindicaret, divinitatisque suae rursus participes redderet. Oportebat porro non primitias tantum nostrae naturae, sed et quemlibet hominem in participationem summi illius boni venire, ac denuo nasci, novoque alimento ac nativitati consentaneo vesci, sicque ad plenam ac perfectam mensuram pervenire. Ac proinde Christus per nativitatem suam, hoc est, incarnationem et baptismum, ac passionem et resurrectionem, naturam nostram a primi parentis peccato et morte ac corruptione

Digitized by Google

liberavit, resurrectionemque auspicatus est, ac seipsum viam et normam atque exemplar constituit, ut nos quoque ipsius vestigiis haerentes quod ipse naturâ est, hoc adoptionis beneficio simus, filii nimirum et haeredes Dei, ipsiusque cohaeredes.

§ 3. Nobis itaque secundum, ut jam dixi, ortum dedit: ut quemadmodum ex Adamo progeniti, similitudinem ipsius contraximus, ac maledictionem et corruptionem haereditate consecuti sumus: ad eumdem quoque modum ex ipso progeniti, similes ei efficiamur, atque immortalitatis et benedictionis, ipsiusque gloriae haereditatem percipiamus. Quoniam autem spiritualis hic Adamus est, par scilicet erat, ut nativitas quoque spiritualis, atque item cibus esset. Verum quia ex duplici natura compositi atque concreti sumus, duplicem quoque proinde nativitatem, atque item compositum cibum esse necesse erat. Quocirca nativitas quidem nobis per aquam et Spiritum, hoc est per sanctum Baptismum, data est: cibus autem panis ipse vitae, hoc est Dominus noster Jesus Christus qui de coelo descendit. Nam cum voluntariam mortem nostra causâ suscepturus esset, ea nocte, qua seipsum tradebat, Testamentum novum sanctis suis discipulis et Apostolis, ac per eos omnibus qui in eum credunt instituit. Itaque in sanctae et illustris Sion coenaculo, cum vetus pascha cum discipulis suis edisset, ac vetus Testamentum explevisset discipulorum pedes lavit, per id videlicet sanctum Baptismum designans. Ac cum fractum panem porrexit eis, dicens Accipite et manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Consimilique modo acceptum calicem, ex vino et aquâ constantem, impertivit eis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus novi Testamenti qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem hunc bibetis, mortem filii hominis annunciabitis resurrectionemque ipsius confitebimini, donec veniat.

§ 4. Quamobrem si sermo Dei vivus est et efficax, ac Dominus omnia quaecumque voluit fecit: si dixit, Fiat lux, et facta est, Fiat firmamentum, et factum est: si verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum: si coelum et terra, aqua item et ignis et aër, et omne eorum ornamentum, Domini verbo completum et absolutum est, atque hoc etiam nobilissimum animal quod homo nuncupatur: si ipsemet Deus Verbum, posteaquam ita voluntas ipsius tulit, homo factus est, atque ex puris et immaculatis sanctae semper Virginis sanguinibus carnem sibiipsi sine semine condidit, quid tandem afferri potest, quin ex pane corpus suum, ex vino et aqua sanguinem suum, efficere queat? Dixit antiquitus, Producat terra herbam virentem: atque ea etiamnum orto imbre foetus suos producit, divino praecepto impulsa ac roborata. Dixit Deus, Hoc est corpus

Digitized by Google

meum, et hic sanguis meus, et, Hoc facite in meam commemorationem: atque omnipotenti ipsius praecepto, donec ipse veniat, hoc efficitur (His enim verbis usus est, Donec veniat): ac pluvia huic novae sègeti per consecrationem existit Sancti Spiritus vis inumbrans. Quemadmodum enim quicquid Deus fecit, id Sancti Spiritus opera fecit: eodem modo nunc quoque Spiritus operatio ea quae naturam superant, efficit, quaeque nisi sola fide capi atque intelligi nequeunt. Quo tandem modo mihi fiet istud? ajebat sancta Virgo: quoniam virum non cognosco. Respondet Archangelus Gabriel: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Tu quoque nunc quaeris quomodo panis corpus Christi, et vinum cum aqua conjunctum sanguis Christi fiat? Tibi item respondeo: Spiritus Sanctus supèrvenit, eaque efficit, quae orationis facultatem ac mentis intelligentiam excedunt. Panis porro et vinum ob eam causam adhibentur, quia Deo nota et explorata est humana imbecillitas, quippe quae utplurimum ea quae usu et consuetudine minime trita sunt, graviter ferat, et aversetur. Quo fit, ut ille, pro ea, qua uti solet, erga nos indulgentiâ, per ea quae naturae usitata ac familiaria sunt, ea quae naturam superant, efficiat. Et quemadmodum ipse, quoniam in hominum more positum est, ut aquâ laventur, et oleo ungantur, idcirco in Baptismo gratiam Spiritus cum oleo et aqua copulavit, fecitque illud lavacrum regenerationis: eodem modo quoniam ita fert hominum usus atque consuetudo, ut panem edant, vinumque et aquam bibant, idcirco divinitatem suam cum ipsis conjunxit, èaque corpus et sanguinem suum fecit, ut per usitata naturaeque consentanea, ad ea, quae supra naturam sunt, assurgamus.

§ 5. Sane corpus divinitati vere unitum est illud corpus quod ex sancta Virgine ortum est: non quod assumptum illud corpus e coelo descenderit: sed quia panis ipse ac vinum in corpus et sanguinem Dei immutantur. Quod si, quo pacto id fiat, requiris sat tibi sit audire, quod per Sanctum Spiritum, id fiat, quemadmodum et ex sancta Dei matre per Spiritum Sanctum Dominus sibiipsi et in seipso carnem condidit. Nec quicquam amplius nobis perspectum et exploratum est, quam quod verbum Dei verum est et efficax, atque omnipotens: nam modus ejusmodi est ut nulla ratione indagari queat. Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per cibum et vinum, et aqua per potum, in comedentis ac bibentis corpus et sanguinem immutantur, corpusque alterum fiunt, atque a priori ipsius corpore diversum: sic propositionis panis ac vinum et aqua per Sancti Spiritus invocationem et adventum mirabili modo in Christi corpus et sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed unum et idem. Quocirca iis qui sacramentum istud per fidem digne percipiunt, in peccatorum remissionem et vitam aeternam

animique et corporis praesidium cedit: iis qui perfide indigneque suscipiunt, in poenam ac supplicium: haud secus videlicet, ac Domini mors credentibus quidem vita et incorruptio extitit ad sempiternae beatitudinis oblectationem, incredulis autem, Dominique carnificibus, in poenam ac cruciatum sempiternum.

§ 6. Nec vero panis et vinum corporis Christi figura sunt (absit enim hoc), verum ipsummet Domini corpus divinitate affectum: quippe cum Dominus ipse dixerit. Hoc est, non corporis signum, sed corpus, nec sanguis signum, sed sanguis. Et prius adhuc, ad Judaeos sermonem habens, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro enim mea verus est cibus, et sanguis meus verus est potus.* Ac rursus, *Qui manducat me, vivet.* Ac proinde summo cum metu et purâ conscientiâ, fideque haudquaquam dubiâ accedamus: ac profecto sic nobis fiet, quemadmodum firme ac constanter credimus. Ipsum porro omni puritate colamus, hoc est, et spirituali, et corporeâ: siquidem duplex ipse est. Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusque in crucis formam compositis crucifixi corpus suscipiamus, atque et oculis, et labiis, et frontibus impositis, divini carbonis participes efficiamur, ut ignis desiderii in nobis insiti, assumpta ea quae ex carbone oritur, inflammatione, peccata nostra exùrat, ac pectora nostra collustret: demusque operam, ut per divini ignis perceptionem inardescamus, Diique efficiamur. Vidit quippe carbonem Isaias. Carbo porro non simplex lignum est, sed igni unitum. Sic panis quoque communionis non simplex panis est, sed divinitati unitus. Corpus autem quod divinitati unitum est, non una natura est: sed una quidem corporis, altera autem divinitatis cum ipso conjunctae. Quo fit, ut utrumque, non una natura sit, sed duae.

§ 7. Abrahamum ex alienigenarum strage redeuntem ille summi Dei sacerdos Melchisedech pane ac vino excepit. Mensa illa mysticam hanc adumbrabat, quemadmodum et sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram et imaginem prae se ferebat. Tu enim, inquit, es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Panem hunc panes propositionis adumbrabant. Hoc videlicet illud est purum et incruentum sacrificium quod Dominus a solis ortu usque ad occasum oblatum iri per prophetam praedixit. Corpus ac sanguis Christi est, ad animae et corporis nostri incolumitatem tendens, quod nec consumitur, nec corrumpitur, nec in secessum abit (avertat hoc Deus) verum ad nostram substantiam, et conservationem tendit, atque omne incommodum propulsat, eamque vim habet, ut spurcitiem omnem abstergat. Si adulterinum aurum nanciscatur, per explorantem inflammationem purgat, ne in futurum cum mundo condemnemur. Omnes enim morbos, immissasque calamitates purgat: quemadmodum

Digitized by Google

ait Apostolus, *Si enim nosipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Cum judicamur autem a Domino, corripimur ut non cum hoc mundo damnemur.* Atque hoc est quod ait, Itaque qui percipit corpus et sanguinem Domini indigne, judicium sibi manducat et bibit. Per illud porro purgati, corpori Domini, ipsiusque spiritu unimur, ac Christi corpus efficimur. Panis hic delibatio est futuri panis qui supersubstantialis est. Siquidem supersubstantiale, vel futurum significat, hoc est panem futuri seculi, vel eum qui ad tuendam substantiam nostram adhibetur. Quamobrem sive hoc, sive illo modo accipiatur, corpus Domini apte dicetur. Vivificus etenim spiritus est caro Domini: quandoquidem ex vivifico spiritu concepta est. Quod enim ex spiritu natum est, spiritus est. Quae tamen non eo a me commemorantur, ut corporis naturam submoveam ac de medio tollam, verum ut illud vivificum esse ac divinum ostendam.

§ 8. Quod si nonnulli panem ac vinum Corporis ac Sanguinis Domini figuram esse dixerunt, quemadmodum ille divinitus afflatus Basilius, non hoc post consecrationem dixerunt, sed antequam oblatio ea consecraretur, hoc vocabulum usurparunt, Participatio autem etiam hoc sacramentum dicitur: quia per illud divinitatis Jesu participes efficimur. Communio item optimo jure appellatur: quia per illud cum Christo commercium habemus, ac carnem ipsius et divinitatem percipimus, atque adeo nos inter nos communicamus atque copulamur. Quoniam enim ex uno pane participamus, omnes unum Christi corpus, et unus sanguis, et alii aliorum membra efficimur, Christique concorporei existimus. Caeterum illud pro viribus caveamus, ne sacramentum hoc vel ab haereticis accipiamus vel illis demus. (Nolite enim sanctum dare canibus, inquit Dominus, nec projiciatis margaritas vestras ante porcos): ne alioqui et eorum errorem, et condemnationem, nobis contrahamus. Nam si omnino hoc affert istud sacramentum, ut et Christo, et alii aliis uniamur, non est dubium quin omnibus qui nobiscum illud percipiunt, animo ac voluntate copulemur. Ex voluntate quippe conjunctio haec existit, non autem citra animo nostri sententiam. Omnes enim, ut Apostoli verbis utar, unum corpus sumus, quoniam ex uno pane participamus. Figurae porro rerum futurarum idcirco dicuntur, non quod non vere corpus ac sanguis Christi sunt, sed quod nunc quidem divinitatis Christi per ea participes efficiamur, tunc autem intellectuali modo, ac per solum aspectum.

Digitized by Google

LAMENTATIO BEATISSIMAE DEI GENITRICIS

PROPE CRUCEM STANTIS

PER DIVUM EPHRAEM EDESSENUM.

§ 1. Stans apud Crucem purissima Virgo, Salvatoremque in ligno suspensum suspiciens, plagas rèputans, intuens et clavos, querelas, còlaphos, ac flagellationem, cum gravibus suspiriis, cum fletu ingenti, cum lamentis dolorosissimis exclamavit, dicens: Mi fili dulcissime, dilectissime fili, quomodo Crucem sustines? Mi fili et mi Deus, quomodo sputa, clavos et lanceam, quomodo pàteris àlapas, risus, injurias, spineam coronam, purpuream vestem, spongiam, arundinem, fel et acetum? Quomodo pendens in Cruce denudatus, mi fili, qui coelum nubibus contegis? Quomodo sitim fers qui es òpifex, quique mare et aquas omnes creasti? Quomodo mòreris insons in medio scelestorum? Quidnam commisisti? Qua in re, fili mi, Hebraeos offendisti? Et cur ergo te isti simul iniqui, simul ingrati, Cruci suffigunt? Quorum claudos et permultos valetudinarios sanasti, mortuos vivificasti, paralyticum, id est, membris omnibus laxatum, consolidasti, mi fili pientissime: qui ab utero caecum illuminasti, mi Salvator, viduae filium suscitasti, o omnium vita: qui filiam Cananaeae servasti, Centurionis filium a morte liberasti. Arena, quantumvis numerosa, mensuram habere potest, at tua miracula, fili, omnem prorsus modum excèdunt. Lazarum a monumento suscitasti: Mi Lazare, inquiens, exi de sepulcro: et vox tua eum traxit ab inferis et ad vitales auras revocavit. Tu vero quomodo interis, fili mi dulcissime, magnanime Deus? Deficio te suspiciens in ligno suspensum, conclavatum, plagisque plenum, mi fili.

§ 2. O Judaei illeges et Christi interfectores, iniqui in Deum et in creatorem vestrum ingrati, nonne mannâ vos aluit in erèmo? Nonne mare per Moysem dirèmit? Nonne traduxit in terram promissionis? At tu, popule nequam, et Christi abnegator, pro commodis et bonis contraria reponis, pro manna fel, pro aqua acetum. Amarissimâ te potione potarunt impii, mi fili. Quinque panibus aluisti quinque hominum millia: Judaeam tuis concionibus implesti, mi fili. Ubi nunc pulchritudo tua, fili? Ubi tuus modo decor? Quomodo in Cruce extinctus es, mi fili et Deus meus? Sol lumen suum obscuravit et alius factus est, splendida luna in tenebras evanuit, petrae sunt perfractae et monumenta aperta, templique velum in duo est discissum. Creaturae conditorem suum et opificem cognoverunt: et hi perversi et miseri

Digitized by Google

Hebraei aures obstruxerunt, oculos clauserunt, ne solem nunquam occidentem suspectarent, fili mi.

§ 3. O Gabriel Archangele et minister Domini, o Gabriel Archangele, age, causam tuere. Ubi nunc illud Ave? Ubi benedictum Ave quod mihi dixisti, Angele? Ubi nunc laetitia ac benedictio qua dixisti ad me: Benedicta tu in mulieribus? Ad quid vero moerorem et victimam filii mei quam eram acceptura, non denunciasti? Semper tribulationes, gemitus, Judaeorum immensam invidiam, ingratitudinem perversorum et transgressorum. O Simeon admirande, en nunc gladius quo mihi praedixisti cor meum trajiciendum. Ecce gladium, ecce vulnus, fili et Deus mi. Tua mors meum cor subiit, viscera mea sunt disrupta, meum lumen obtenebratum est et pectus meum gravis pertransiit gladius.. Horrendam cerno passionem tuam, mi fili et Deus mi. Video immeritam caedem tuam, nec ferre opem possum. Ubi tua nunc forma, mi fili? Miserere dejectae et orbatae, mi fili. Miserere, o suavissime, abjectae Mariae. Miserere, clementissime et me solare. Prospice, fili mi, lacrymas, attende meos gemitus et aperi os tuum. Da mihi solatium. Non habeo prorsus, mi fili, quo caput reclinem. Non alium cognatum, patrem, aut matrem, vel fratrem, vel sororem qui mihi animum reddat. Tu mihi pater, tu mater, tu frater, tu filius. Tu mi vita et spiritus, spes mea et protectio. Tu mea consolatio, tu et creatio, tu Deus meus, tu creator meus, tu opifex meus. Lugete mecum omnes discipulae Domini, dolorem meum et vulnus profundum cordis mei contuentes.

§ 4. Decumbe, Crux sanctissima, lignum benedictum, ut plagas filii mei et Dei mei exosculer, ad consolandum proprium filium meum, ut amplectar filii mei corpus, ut os suavissimum deòsculer, oculos, faciem, manus et caedem iniquam. Decumbe Crux mea, decumbe. Magna, o Crux, gloria tua, magna tua gratia, magna potestas tua O lignum benedictum, quoniam innocens Deus et creator tuus, tanquam latro et nocens super te expansus est. Fili mi charissime, veneror tuas afflictiones, colo et adoro tuam misericordiam et magnanimitatem. Honoro lanceam, vulnus, arundinem, clavos, spongiam, àlapas, opprobria et acetum, còlaphos et sputa et verbera, fili mi, quandoquidem tuae creaturae causâ ista ferre sustinuisti. Dèdecus tuum, fili mi, decus cunctis factum est. Mors tua facta est mundi totius vita. Caeterum resurgito quamprimum, fili mi et Deus, quemadmodum praedixisti mihi, ut salvus fiat mundus. Mortem conculcasti et interitum, ut gaudeam ego humilis mater tua; et mecum laetentur dilecti tui. In verecundiam autem et confusionem tui inimici omnes deveniant.

§ 5. At vero nos te, o immaculata et benedicta, filii tui, Deique omnium mater inculpata, pura, integra, sacrosanctissima,

Digitized by Google

desperatorum spes et damnatorum, collaudamus, benedicimus tibi, ut gratiâ plenae quae Christum genuisti, omnes tibi advolvimur, omnes te imploramus. Erue nos, o intemerata, ab omni necessitate, a cunctis diaboli tentationibus. Esto nostra conciliatrix et advocata in hora judicii. Libera nos a futuro igne et tenebris. Et tui Filii gloriâ, Virgo, nos dignare. Tu namque es spes apud Deum Christianorum sanctissima, cui honor in secula seculorum, Amen.

BEATI PETRI DAMIANI

SERMO DE RESURRECTIONE DOMINI

HABETUR OCTAVO TOMO ALOISII LYPOMANI

§ 1. Postulavi Patrem meum, dedit mihi gentes, Alleluja. Si consulamus adjutorium Jurisperitorum, primum capituli propositi verbum sic describitur: Postulare, est desiderium suum, vel amici sui, in jure apud eum qui jurisdictioni praeest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. Actus iste publicus est, et est officium advocatorum qui gloriosae vocis confisi munimine, lapsa èrigunt, fatigata rèparant, nec minus pròvident humano generi, quàm si clypeis et thoracibus sese patriamque defendant.

§ 2. In exequendo actu isto attendere debemus qui postulet quem, ubi et quid postulet. Advocatus postulat judicem in jure rem suam, vel sibi postulat actione proposita. In negotio praesenti advocatus est Christus, judex Deus Pater et locus juris patibulum Crucis, res postulata Ecclesia de gentibus, nomen actionis, petitio haereditatis. Recte Jesum Christum dicimus advocatum. Unde Joannes: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Dominum Jesum Christum: ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (1 *Jo.* II). Advocatus iste apud Patrem desiderium suum exposuit, quando pro salute humani generis oblatus est, quia ipse voluit. Desiderium ejus est salus nostra quam in cruce sitiens usque in finem suos legitur dilexisse. Sed et hoc desiderium amicorum, fuit quibus dixit: *Jam non dicam vos servos, sed amicos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quae audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Item, *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Convenienter Patrem postulat qui semper exauditus est. Nam et vulgo et vulgaritur dicitur: Securus vadit ad placitum qui patrem habet judicem. De eo namque Pater dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi*

Digitized by Google

bene complacui. Nam cum Filius ejusdem substantiae sit cum Patre, in natura quidem humana, quam sibi personaliter univit, postulat pro nobis, vel allegat propitium judicem et propositi sui desiderii nobis fructum reportat. Nec incongrue Patrem dicimus, cum in persona Filii Propheta dicat: *Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me* (*Ps.* 34). Et ipse Filius: *Non quaero gloriam meam, est qui quaerat et judicet.*

§ 3. In plerisque sacrae Scripturae locis ordo quidem judiciorum ab ipso Deo instituti videtur et servari. Quidam vir simplex et rectus, ac timens Deum, cum expleto officio matutino, egrederetur ecclesiâ, et a discipulis rogaretur: Quid audisti in ecclesia, Pater? respondit: Quatuor audivi, sex notavi. Subtilis plane responsio fuit et fidelis. Quatuor namque versiculos Psalmi decimioctavi audierat, scilicet, Lex Domini immaculata, convertens animas et tres alios qui sequuntur, in quibus sex notantur quae sunt: Lex, testimonium, justitia, praeceptum, timor, judicia. In his partim personae quae in jure sunt necessariae, partim actus eorum exprimuntur. Nam et Dominus qui judex est et lex, secundum quam judicatur: et officium testium sub hoc nomine testimonium. actoris quoque et rei merita per hoc nomen justitiae designantur. Nam et merita causarum partium assertione panduntur. Sententia judicis sub hoc nomine praeceptum, accusatoris et executoris officia, duobus ultimis nominibus quae sunt timor et judicia, indicantur. Quinque priora binis accidentibus innituntur, sextum quadrinis. Lex Domini immaculata, convertens animas. Testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. Justitiae Domini rectae, laetificantes corda. Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. Judicia Domini vera, justificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum. Praefata sane Domini dicuntur esse. Est etenim lex, quae non est Domini, at peccati, de qua dicit Apostolus: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati quae est in membris meis. Sunt et justitiae humanae, de quibus dicitur: Omnes justitiae nostrae, tanquam pannus menstruatae. Sunt et praecepta humana, quibus Petrus obediendum non esse dicit: *Obedire*, inquiens, *oportet magis Deo*, *quam hominibus*. Timor quoque humanus a Domino reprobatur. Unde ait: *Nolite timere eos, qui occìdunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

§ 4. In propositis autem versiculis omnia dicuntur esse Dei. Primum, scilicet lex, bina habet accidentia quae sunt, immaculata, convertens animas, sive de lege intelligas naturali, vel scripta, seu lege gratiae. Unicuique enim harum trium legum, scilicet naturali, scriptae et legi gratiae, haec duo conveniunt: nam immaculata debet esse et convertens animas. Naturalis lex haec

Digitized by Google

duo habebat praecepta: *Quod tibi fieri non vis, alii ne feceris :* et quod tibi vis fieri, alii facias: quae sunt, non obesse et prodesse. Et hoc quantum ad primum, scilicet immaculata. Quantum ad secundum, convertens animas, in primo non malefica, in secundo benefica: in primo sine macula malitiae, in secundo convertens animas ad mansuetudinem benevolentiae. Nam cum tres naturales potentiae insint animae, scilicet ira, ratio, concupiscentia: concupiscentia data est, ut monearis ad appetendum quae tibi licita sunt: ira ad indignandum contra ea quae illicita sunt: ratio data est in medium, cohibens et dirigens utrumque, ne ira ultra terminos irae moveatur, et ne concupiscentia appetat illicita. Itaque lex naturalis, quantum in se est, est immaculata. Lex quoque scripta immaculata est, et convertens animas. Immaculata, id est, sine sordibus idololatriae: convertens animas ad serviendum Deo: quod tantum filii Israël faciebant. Lex autem gratiae revera est immaculata et convertens animas. Nam et Ecclesia hac lege ducitur: dicitur enim esse sine macula et ruga, sine macula criminis, sine ruga simulationis. Etiam lex Evangelica est sine errore haeresis, convertens animas simpliciter et directe sine figmento hypòcrisis. Attendite gradus istos quia prima lex est, immaculata secunda magis, tertia maxime: sic et convertens animas.

§ **5**. Testimonium Domini bina habet accidentia, scilicet *fidele, sapientiam praestans parvulis.* Testimonium Domini dicitur, quaecumque in scriptis sanctis testificatur Dominus, aut promittens, aut praecipiens. Continentur itaque testimonia in promissis et praeceptis: quia quae promittit, solvit, sive justis praemia, sive injustis tormenta. Sapientiam praestans parvulis, inquantum est praecipiens: quia qui parvuli sunt scientia, ex praeceptis Domini redduntur sapientes: ut ibi ostenditur, A mandatis tuis intellexi. Est itaque fidele testimonium Domini, in explanatione praeceptorum ejus. In primo intellige promissiones et comminationes: in secundo, prohibitiones. Fidele est, promittens et comminans. Sapientiam praestans parvulis, pròhibens et praecipiens.

§ **6**. Justitiae Domini binis convertuntur accidentibus quae sunt, rectae, laetificantes corda. Justitiae Domini, opera justorum: unde et ipsi justi appellantur. Sed dicuntur esse Domini quia omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. Quid enim habes, o homo, quod non accepisti? Item, Gratiâ Dei sum in quod sum. Ea autem opera justitiae appellari possunt quae fide nascuntur et dilectione consummantur. Nam sicut sine fide impossibile est quemquam placere Deo, ita et fides sine operibus mortua est. Fides autem quae per dilectionem operatur, et proficit et sufficit ad salutem. Haec sunt justitiae Domini rectae, laetificantes corda per serenam conscientiam.

Digitized by Google

§ 7. Praeceptum binis gaudet accidentibus. Est enim lucidum, illuminans oculos ex sui doctrina. Sunt quippe quaedam lucida et non illuminantia, ut carbo sine flamma lucidus est, non tamen illuminat. Flamma sine carbone et lucet, et illuminat. Praeceptum Domini lucidum est sine confusione sententiarum, illuminat oculos ex infusione gratiarum. Unde illud : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen sèmitis meis.* Et beatus Petrus: *Cui benefacitis,* inquit, *attendentes tanquam lucernae lucenti in caliginoso loco.* Singulariter autem ponitur praeceptum, quamvis multa sint praecepta, quia, ut ait Gregorius, praeceptum Domini et unum est, et multa sunt: multa propter diversitatem operis, unum in radice charitatis.

§ 8. Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. Excluso humano timore, hic notatur filialis, sive castus. In hoc quod dicitur, Timor Domini sanctus, intelligitur castus, et est initium sapientiae timor Domini. Quod autem dicitur, permanens in seculum seculi, filialem designat.

§ 9. Judicia vero Domini suo quaternario vehuntur: sunt vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, dulciora super mel et favum. Judicia Domini sunt retributiones, quibus vel reprobos punit, vel justos remunerat. Ea quamvis sint saepe occulta, semper tamen vera sunt et justa, veritatem justi judicis sequentia. Sunt justificata in semetipsa, non sicut humana judicia, quae aliunde formantur, sicut ex allegationibus advocatorum, et ex depositionibus testium, et recitationibus instrumentorum. Unde et per hoc saepe falluntur judices; et quamvis ordo judiciarius servetur, nonnumquam tamen innocens condemnatur, et nocens absolvitur. Judicia autem Dei ex semetipsis justificationem accipiunt, sicut per Prophetam dicitur: Non secundum visionem oculorum judicabit, nec secundum auditum aurium arguet, etc. Sunt autem desiderabilia, id est desiderari dignissima super divitias et delicias. In auro et lapide pretioso intellige divitias, in melle et favo delicias. Divitiae autem maxime intelliguntur in pecunia et potentia. Per lapidem pretiosum, quo potentes et nobiles utuntur, gloria potentiae. Porro divitiae aliae cum difficultate acquiruntur, aliae sine difficultate. In melle, quod liquidum est, deliciae et voluptates sine labore. In favo, quod mel et ceram continet simul, voluptates cum difficultate.

§ 10. Ecce quidam ludus judiciarius occurrit nobis in Scripturis. Deum Patrem repraesentans. Locus juris, in quo Advocatus noster postulat, patibulum Crucis fuit. Cum enim ex officio suo advocati habeant stare, ipse non stans, sed toto corpore extenso in ligno Crucis, apud Patrem pro nobis allegavit, desiderium suum et amicorum suorum exponens, et adversarii desiderio contradicens usque ad proprii sanguinis effusionem. Rem suam

Digitized by Google

postulat, id est genus humanum, quod ipse creavit, cujus verum dominium habebat. Ecclesiam de gentibus converti postulavit, tamquam proprius haeres, haereditatis petitionem proponens, et in possessionem de jure mitti desiderans. Petitio autem haereditatis ex ordine et regulari jure proponitur adversus eum, qui possidet pro haerede, vel possessore. Pro haerede possidet, qui dicit se haeredem esse, cum non sit: pro possessore possidet quis, cum nullo titulo potest tuèri suam possessionem, qui si requiratur quare possideat, nullam aliam causam allegat, nisi quia sic possideo. Recte autem proposuit Dominus noster adversus diabolum, quia haereditatem Domini pro possessore possidebat malignus praedo: de quo Propheta: Vae qui praedaris, nonne ipse praedaberis?

§ **11**. In hac advocatione sive postulatione Advocati nostri maxime gaudet Ecclesia die Resurrectionis Dominicae, quia Advocatus postulavit, quia postulata impetravit, quia impetrata obtinuit et possèdit. Inde est quod tripliciter laudem subjungit, Introducens enim Filium loquentem ad Patrem, et dicentem: *Postulavi Patri meo:* Ecclesia respondet: Alleluja, id est Deo laudes quia postulasti. Item, *Dedit mihi gentes:* et respondet Ecclesia: Alleluja, idest Deo laudes, quia impetrasti. Item: *In haereditatem mihi:* respondet: Alleluja, quia obtinuisti et possedisti. Consociemur igitur et nos in hanc laudem universalis Ecclesiae, ut cum electis in haereditatem Domini intraturi, ad resurrectionem Domini pervenire valeamus perpetuo gavisuri. Quod ipse praestare dignetur, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

MONITUM

Ne aegre feras, Lector benevole, aequam hujus III Voluminis mensuram Vitis *compleri Sanctorum extra Martyrologium a Julio ad Decembrem mensem inclus. Non leviter equidem, sed, omnibus perpensis, quadam ex necessitate, ut quod proposuimus, et majoris momenti profecto est, assequeremur, Martyrologii scilicet ordinem servare, frequenter a Surio neglectum, in hoc adducti sumus consilium. Inspice Monitum hac de re appositum in Vol. II, p.* 516.

Digitized by Google

VITA S. UDALRICI

EPISCOPI AUGUSTAE VINDELICORUM

EDITA A BERNONE AUGIENSI ABBATE

Obiit an. 973 aetate annor. 83 — Nat. Germanus.

§ 1. Egregius Christi Confessor Udalricus, ex Alamannorum prosapia extitit oriundus. Cujus parentes, Hupaldus scilicet ac Thietburga, ambo quidem secundum seculi hujus dignitatem clari et nobiles, sed fide atque divina religione multo clariores fuerunt atque nobiliores. Qui talis ac tantae prolis foecunditate divinitus ditati, mox eandem cuidam fideli ad alendum, ut Moysen, commendaverunt nutrici. Ubi inter ipsa nativitatis primordia, coelestia non defuere auspicia. Nam licet blando nutriretur affectu, foeda tamen macies quaedam apparebat in vultu. Qua ex causa dum nimium tristes ejus efficerentur parentes, ac in augustis illorum pectoribus cusae versarentur ingentes: quidam hospes peregrinus, officio clericus, secundum quod illorum ostium semper viatori patuit, benigne ab ipsis suscipitur, per aliquod temporis spatium humane tractatur: dum interim quadam die, horâ refectionis residens, praedictum infantulum nondum duodecim hebdomadarum dies ab ortu ad plenum habentem, audivit inter vagitus vocem emittentem. Ex qua providus futurorum, tale edidit oraculum: « Nisi, inquit, iste infans, celerius fuerit ablactatus, non poterit esse salvus.» Cumque semel ac secundo admoniti, minus tanti praeconis dicta vellent exequi, tertia demum die cum praedictum ac saepe dicendum infantulum adhibitâ aure persensisset adhuc infirmiorem, hanc praesagam coram omnibus intulit vocem: « Sciatis pro certo, quod nisi continuo a lacte fuerit suspensus, hac nocte erit moriturus. At vero si eo, quo dixi, ordine, morti subtractus fuerit, magnus in futurum coram Domino erit.» Hujus prophetiae mysteria qualiter sint adimpleta, non nostri styli eget officio designari: quod tam assidue ad ejus sepulcrum coruscantibus miraculis potest probari.

§ 2. Tandem igitur amotus a lacte, coepit corpore et animo in admirationem omnium ita proficere, ac circumquaque manentibus tantum de suo profectu gaudium conferre, ut id quod de Isaac ejusque patre Abraham scriptum est: Crevit igitur puer, et ablactatus est, fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis suae: non incongrue ejus quoque possit personae aptari. Merito tantus patriarcha in ablactatione filii, quem ex promissione a Deo suscepit, grande convivium fecit.

Digitized by Google

Merito Pater coelestis sanctae matris Ecclesiae filiis in istius ablactatione convivium fecit grande, invitans eos hujusmodi voce: Comedite, amici, et inebriamini charissimi. Hic itaque mysteriorum Dei dispensator futurus, jam solido cibo opus habebat confortari, ut in mensa altaris Christi, velut ad coeleste convivium quandoque consistens, posset in tempore suo tritici mensuram dare conservis suis. Incipiebat enim tunc inter coaevulos modeste conversari, timorem Dei habere, honorem parentibus deferre, lasciviam declinare, ac inquantum possibile tali adhuc erat aetati, in corporis motu, gestu, incessu foris ostendere, qualis habitus formaretur intus in mente. Videntes autem parentes ejus tantam Dei gratiam in eo fulgere, commendaverunt eum in monasterium sancti Galli fratribus religiosis, ut eorum magisterio tam secularium literarum studiis, quam coelestibus instrueretur disciplinis. Ubi inter egregios regularis disciplinae magistros, dulces theoriae carpebat quotidie fructus, cum verba, quae in sacris codicibus legebat, mox in opera vertebat. Jam summitatem illius Jacob scalae virtutum gradibus ascendendo tangebat: jam a Salvatore audiebat: Vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus: et veni, sequere me. Et jam tunc monachicae conversationis habitum sumpsisset, nisi divina revelatione admonitus desiisset.

§ 3. Erat tunc temporis in eodem monasterio quaedam ancilla, pro Christi nomine inclusa, Wiberata nuncupata, quae die noctuque jejuniis, orationibus ac vigiliis vacans, castum in arcano pectoris sui Domino praeparabat templum, in quo gratum Creatori omnium mactavit semper holocaustum, dicens cum Psalmista: In me sunt Deus vota quae reddam laudationes tibi. Huic sanctus adolescens dum sui desiderii secretum panderet, illa rem a Deo quaerendam statuit, ac trium dierum inducias super hoc postulavit. Post triduum vero spiritu instructa divino, hujusmodi usa est responso: «Non, inquit, vir religiose, divinae est voluntatis, ut hoc in loco detinearis: sed est in plaga Orientali locus, ubi quidam fluvius duas dividit regiones, in quo, Deo jubente episcopalis apicem dignitatis debes conscendere. Et licet multa tam a paganis, quam a malis Christianis sis passurus adversa, tu tamen, confisus in eo qui dixit: Confidite, ego vici mundum: superabis universa, dicens cum Psalmista: In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.» Haec auditu percipiens ac mente pertractans, quibusdam qui sibi familiarius amicitiae causâ adhaerebant, secreto pandit, et ut interim silentio tègerent, admonuit. Ipse vero per diversos sacrorum librorum campos ceu prudentissima apes, flores sententiarum carpens, ac in alveario pectoris sui recondens, summa coepit ope niti, ut spiritalia posset mella conficere, quae postmodum in populos illum decèret eructare, juxta illud Psalmistae: Quam

dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo. Et quod de praedicatoribus dicitur: Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt. Dehinc ad unguem instructus, cum omnium fratrum conniventiâ remeavit ad propria. Parentes vero de ejus profectu nimium gaudentes, ac Deo gratias agentes, iterum commendant eum Adalberoni, Augustensis ecclesiae praesuli venerando, viro fidei dote ac vitae merito multis praeferendo: quatenus reverendae illius praesentiae jugiter assistens, velut in quodam disciplinae speculo conspiceret, si quid in ipsius moribus adhuc corrigi deberet. Quem ut praedictus Dei pontifex fide firmum, spe robustum, charitate radicatum et fundatum, omnique morum probitate decoratum agnovit, familiarius illum adscivit, ejusque domi forisque in omnibus uti consiliis coepit, quatenus ejus prudentiâ, totius episcopatus disponerentur negotia, tam publica, quam privata.

§ 4. Libuit interim viri Dei animo Romam pergere, Apostolorum limina visitare, ut se sùaque omnia ipsorum aliorumque sanctorum precibus posset attentius commendare. Quo cum venisset, ab Apostolicae sedis Praesule, nomine Marino (*a*), apud Deum et homines magnifico et glorioso, officiose susceptus, ac requisitus quis esset, aut unde venisset, respondit, se ex Alamannorum stirpe progenitum, Adalberonis Augustensis ecclesiae esse clericum. Ad haec Apostolicus: « Ne dure, inquit, accipias, quae dico: quia idem, de quo retulisti, tuus pontifex Adàlbero jam migravit de hoc seculo, ac Dei ordinatione dispensante, oportet te hujus regiminis curam suscipere. » At ille propriae conscius infirmitatis, immo non immemor illius mandati: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Eccl.* III): judicavit seipsum indignum fore, ut tanti honoris pondus subiret. Tunc Papa divino spiritu repletus ait: « Si nunc delitescendo subtèrfugis, quo minus in hoc pacis ac tranquillitatis tempore Ecclesiae navem gubernes, veniet dies, in qua nullo modo statuta Dei praeterire valebis, verum etiam inter multiplices ac fluctivagas varii laboris, moeroris, anxietatis undas regendam suscipies, ac Deo praesule, ad litus placidae quietis acsi nimium fessus, perdùces. » His auditis, ad metatum perrexit, atque inter sacra orationum libamina, tam se, quam defuncti senioris animam cum lacrymis Deo ac sanctis Apostolis ejus commendavit: sicque posterâ die, nesciente Papa, latenter discessit, etiam in hoc Dominicae actionis exemplum sequens, de quo sanctus Joannes Evangelista refert, quia cum voluissent eum rapere et regem constituere, statim fugit. Sed mox ut bonae memoriae Adàlbero ex hac vita migravit, Hiltinus ei in episcopatu successit. Quo post quindecim annorum curricula ex hac luce subtracto, volente Domino hoc, quod de

(*a*) Lege hic Sergio III, cum haec adolescentis Uldarici (erat annos natus 19) ad Urbem peregrinatio fuerit anno DCCCCIX at Papa Marinus triginta post annos sederit.

Digitized by Google

servo suo Udalrico per ora suorum fidelium antea praedixit, adimplere, totius cleri ac populi voto in unum concurrente, et Henrici regis voluntate in idipsum consentiente, idem vir Dei sanctus in cathedram episcopalem hac in urbe est sublimatus (*a*).

§ **5**. Adepto vero tantae dignitatis honore, qualis quantusve extiterit, nullius sermo ad integrum explicare valebit. Totus erat semper in oratione, totus in lectione, et maxime attendens, quibus virtutum ornamentis Apostolus (*ad Tit.* I) describebat episcopum decoratum esse debere. Harum virtutum ita vicariâ utebatur successione, ut nisi inevitabili alicujus necessitatis articulo intercedente, nullum tempus transire sineret otiosum, quo minus aut orationi insisteret, aut lectioni operam daret: sicque pene semper optatis Rachel amplexibus uteretur, nisi Liae interpositione interim a tantae sedulitatis dulcedine suspenderetur. Suberant ei curae maximae de reparandis ecclesiae muris, de reaedificandis domorum ac ipsius civitatis aedificiis quae sub antecessorum suorum temporibus aut nimiâ vetustate dilapsa, aut igne fuerant consumpta. Sed et familia maxima ex parte a paganis occisa, et pars quae remanserat, egestate nimium erat afflicta. Inter haec venerabilis heros, coepit cautâ mentis intentione circumspicere, providam omnium curam gerere: ac sapienti usus consilio, materialibus quidem aedificiis prudentes ac idoneos magistros praefecit: ipse vero quasi sapiens architectus, cum Apostolo Christum fundamentum posuit, super quod aedificavit aurum, argentum, lapides pretiosos, et caetera hujusmodi: ut sanctarum animarum aedificatio, per ejus praedicationem constructa, cresceret in templum sanctum Domino. Et quoscumque ad tale aedificium verbo et exemplo praeparabat caetera humanitatis officia, prout illi facultas suppetebat, praebere non desinebat, non solum his qui praesentes aderant manum misericordiae porrigendo, verum etiam eis qui aegritudine praeventi vel carceribus inclusi longe aberant ministrando.

§ **6**. Nulli itaque avarus, omnibus extitit largus, ita ut illud beati Job posset dicere: *Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduae consolatus sum.* Et paulo post: *Oculus fui caeco, et pes claudo: pater eram pauperum.* Et iterum: *Flebam quondam super eum qui afflictus erat. et compatiebatur anima mea pauperi* (*Job* XXIX). Unde in refectione quotidiana semper ejus mensae chara sibi intererat pauperum turba, quam et victu pavit, et indumentis vestivit. Seipsum vero nimia maceratione castigavit, ita ut carnem non manducaret, et intrinsecus super nudam cutem laneam vestem portaret, illud Apostoli opere proclamans: *Castigo corpus meum et in servitutem rèdigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse rèprobus efficiar.* Et nocte quidem in oratione pervigil, seipsum in ara cordis per orationis studia mactavit: die vero

(*a*) Nempe Augustae Vindelicorum (*Augsbourg*) in Svevia.

Digitized by Google

super altare visibilem ac salutarem hostiam Domino immolavit, quo ejus sacrificium redemptori omnium esset gratum et acceptum. Die cum Martha Domino in membris suis ministrabat: nocte vero cum Maria sedens secus pedes Jesu, audiebat verbum illius, sciens scriptum: Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. Erat ei solemnis consuetudo, post Completorium nil cibi aut potus sumere, silentio studere: sciebat enim a Domino dictum: *Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* Unde jugiter a Domino postulabat: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis.* Sed si quando necessario ei loquendum fuit, erat illius sermo sapientiae sale conditus, modestus, humilis, et ad persuasionem utilis, et, ut quidam sapiens dicit, in sermone pondus, atque in verbis modus. Quando vero membra in Dei servitio fatigata necesse habuit quiete aliqua recreare, non hoc in plumarum mollitie, sed subterposito psiathio, tapète, vel sago, parum quid indulgebat somno. Et ut brevitatis compendio utar, sic exterius gerebat officium sacerdotis, ut interius non omitteret religionem monasticae conversationis. Erat etiam ei moderata ciborum parcitas, ac quidam singularis abstinentiae modus, quo solebat religiosa arte secum convivantes circumvenire.

§ 7. Quodam tempore cum artifices ecclesiae cryptam in melius reparare vellent, erat quidam clericus nomine Rambertus, sancti viri obsequio deditus. Hic quadam die in excessu mentis effectus, videbatur sibi cum domino suo Episcopo solito more Psalmos canere, necnon Adalberonem quondam, ut supradiximus, pontificem ad Aquilonarem ejusdem cryptae plagam sacerdotalibus indutum vestibus prope assistere, sibique, ut ad se veniret, innuere. At ille mente perculsus, ac inter vivum et mortuum quid ageret, dubius ac anceps, tandem in viventem pavens figit obtutus, velut sciscitans quid esset facturus. Tunc episcopus: «Ut quid, ait, sic in me oculos defigis?» Cui ille respondens, dixit: «Ecce dominus meus Adàlbero Episcopus, ad celebrandum divinum mysterium paratus astat, et me ad se vocat.» Cui Episcopus: «Festina, inquit, ire, ejusque jussis in omnibus obedire.» Qui mox ut propius accessit, haec ab eo audivit: «Ramberte, dic domino tuo quia magnam a Domino mercedem habebit pro orationibus ac eleemosynis, quas pro me fideliter exhibuit. Et hoc sibi sit in signum quod ego et Fortunatus in proxima Coena Domini, concedente Deo, sacrosanctum chrisma cum illo sanctificabimus: insuper aedificatio istius cryptae ruet citissime. Ipse autem propter hoc ab incepto non desistat opere quin illud firmioribus studeat fundamentis stabilire. Fratres quoque admonere curato, quia orationes, quas sua sponte se facturos pro me spoponderunt, nequaquam, sicut promiserant, impleverunt. Et nisi hoc studuerint emendare, sciant se pro hoc in

conspectu Domini rationem reddituros esse. » Episcopus autem a civitate regia revertens (nam tunc temporis ibi morabatur), ita de crypta contigisse rèperit, sicuti per visionem Ramberto ostensum fuit. Tunc ille impatiens morae, non antea a labore cessavit, quam omnia in meliorem statum reparasset. Iterum alia vice cum praedictus Rambertus juxta morem in oppido Waringa cum sancto viro Psalmodiam decantaret, coepit terrore nimio concuti, ac reflexis oculis Deo dignum antistitem intueri. A quo requisitus quidnam sibi esset, respondit seniorem suum Adalberonem eodem, quo et ante, ornatu paratum se videre, sibique praecipere, ut illi sacri altaris mysterium celebranti assistat, solitaeque servitutis officium impendat.

§ 8. Nec praetereundum puto, qualiter coelestis signi visione ipsum etiam voluerit Dominus mirificare. Nam in ipsa solemni die Paschae, multa fratrum catervâ astante, dum sanctus sacerdos divina celebraret mysteria, dextera quaedam apparuit superna quae cum ipsius dextera divina sanctificavit sacramenta. Expletis vero Missarum solemniis, quidam Henricus presbyter, qui eo die cantoris officium agens, tanto interfuit miraculo, sequens Episcopum usque in cubiculum, ad ejus pedes cècidit, atque in praesentia popularium personarum eamdem visionem minus caute explanavit. Cui vir Dei: « Melius, inquit, tibi esset tacere, quam talia in aures vulgi proferre. » Mox ille rubore perfùsus exiit, et in vestibulo cubiculi rèsidens, tantas lacrymas emisit, ut ex illarum suffusione cogeretur lucis hujus dispendia sustinere. Vir autem Dei memor suae fragilitatis, cavebat favorem humanae laudis, ne caderet in praecipitium elationis, semper gratias agens Deo super inenarrabili ejus dono: et sicut de sanctis scriptum est, Ibunt de virtute in virtutem, velut coeleste animal, ante faciem suam gradiebatur, ut eo mente conscenderet, quo eum impetus spiritus duceret. His virtutum gradibus ad alta proficiens, quadam nocte quae antecedebat diem sanctum, quem diem indulgentiae vel Coenam Domini Christiana religio vocare consuevit, vox quaedam beato sic ait in visu: « Udalrice Episcope, scias te hospites suscepturum esse. » Expergefactus, coepit secum admirando tractare, quinam illi hospites futuri essent. Non enim erat inanis sopor ille qui solet aliquoties hominum mentes illudere: sed talis potius, quali sponsa se dicit in amoris Cantico obdormire: *Ego*, inquit, *dormio et cor meum vigilat*. Talis igitur somni dum vir Dei frueretur quiete, iterum vocem in haec verba meruit audire: « Orationes tuae et eleemosynae, Uldarice, Deo sunt acceptae qui binis antecessoribus tuis, Fortunato scilicet atque Adalberoni, te commendavit, ut tibi hodie et deinceps sacra mysteria celebranti assistant, et ea tecum benedicant. » Mane autem facto, horâ, qua inclytus mysteriarches divina sacramenta celebravit, quibusdam etiam qui ad videndum digni erant,

Digitized by Google

cernentibus, dextera Domini denuo apparuit, quae cum sancto Episcopo signo Crucis imponendo èadem consecravit. Iidem ipsi cum ad percipiendam sacram communionem ad sacrum altare accederent, et sanctus Dei illos hujus secreti conscios esse per spiritum non ignoraret, quando panem eis Dominicum porrexit, ori singulorum digitum superposuit, ut per hoc intelligerent, quod visa minime divulgare deberent: quin etiam expleto sacrorum officio, ad se vocatis revelati sibi in nocte praeterita mysterii ordinem exposuit, et tam hoc, quam quod ipsi viderant, alicui dicere, donec ille maneret in carne, interdixit sub interminatione praesentis vitae.

§ 9. Alio vero tempore, dum iterum sub cujusdam noctis silentio membra quieti commendaret, sancta Afra martyr pulchrâ facie, veste decora, tunicâ succincta apparuit, eique dixit: «Surge, et sequere me.» Et statim eduxit illum in campum qui ex nomine ibidem decurrentis fluvii, Lecfelt dicitur, ubi sanctum Petrum Apostolorum principem velut in synodali colloquio sedentem invenit cum magna Episcoporum aliorumque sanctorum multitudine, vel quos olim in carne vidit, vel tunc primum, revelante sibi gratiâ divina, cognoscere coepit. Ibi inter alia, quae tractabantur, sicut olim in Apocalypsi sancti Joannis, audita est vox animarum, de suis interfectoribus vindictam expetentium: ita tunc clamor ortus est sanctorum de Arnulpho Duce Noricorum adhuc vivente, ob destructionem ecclesiarum atque monasteriorum, quorum res distribuit in beneficia laicorum. Quapropter dictante omnium sententiâ, damnatus est poenâ. Proferebantur in medium etiam duo enses: unus quidem cum capulo, alter vero absque capulo. De quibus princeps Apostolorum ait ad beatum virum: « Dic regi Henrico: Ensis absque capulo, significat illum qui sine unctione regnat in populo. » At alter capulatus, illum, qui per sacrae benedictionis ordinem divinitus fuerit coronatus. Finito sanctorum concilio, praedicta Dei martyr sanctissima monstravit illi adhuc loca, in quibus Otto rex postea castra posuit, et generale colloquium cum suis habens, Berengarium Italiae regem, cum multis aliis praesentata, in suum suscepit dominium. Praedixit etiam efferae gentis Hungarorum irruptionem, durissimamque cum nostratibus congressionem, necnon et loca certaminum: et licet cum magno suorum detrimento, tamen victoriae triumphum promisit populo Christiano. O beatum virum, coelesti visione dignum, in talibus etiam sanctis Apostolis, Petro videlicet ac Paulo, conferendum: quorum alter in linteo coelitus demisso, electionem gentium per visionem didicit: alter vero, sive in corpore, sive extra corpus, usque ad tertium coelum raptum se esse asserit, ubi et arcana Dei audivit et vidit. Iste vero sanctus et in ostensione dextrae sacrae super altare, et in hac visione, et postmodum in

Digitized by Google

aliis, ut ante exitum nostri sermonis satis patebit, et arcana Dei vidit et audivit, et salvationem non tantum suae gentis, sed et multorum populorum cognovit. Haec non passim tunc vulgi auribus se inaniter jactando divulgavit, sed paucis, quos ad hoc dignos duxit, secreto manifestavit. Ipse vero sentiens se tanto divinae gratiae dono praeventum, non se erigebat in altum, sed omnia referebat ad illum, a quo acceperat quicquid boni habebat, vel esse poterat, dicens cum Apostolo: Gratia Dei sum id, quod sum.

§ **10**. Coepit igitur commissi sibi gregis curam agere, talentum sibi creditum non sudario illigatum terrae commendare, sed ut bonus verbi Dei dispensator, ad usuram accommodare. Unde suae dioecesios terminos saepius lustravit, ac congregatis coram se clericis ac laicis, pervigili studuit curâ investigare, inprimis qualiter ipsi ecclesiarum presbyteri cum suis ministris viverent: utrum populum recte ac secundum catholicam doctrinam docerent, ac quod praedicabant ore, et opere implerent. Deinde discutiebat, si laici eorum doctrinae obedirent, si in Dominicis diebus et aliis sanctorum solemnitatibus ab opere illicito vacarent, si ecclesiarum limina ea, qua deberent, devotione frequentarent, aut Decimas recte darent: multaque id genus. His ita investigatis, quaeque erant rata et bene ordinata, laudavit et confirmavit: quae vero aliter, correxit et emendavit. Simoniacorum haeresin quasi perniciosam pestem devitandam esse admonuit, asserens perpetuae tradendos poenae qui haeresi huic nequissimae studerent animos inclinare. Unde numquam pro Clericorum ordinatione, vel ecclesiarum consecratione quippiam muneris accepit: sed sicut in sacri chrismatis unctione per impositionem manus Spiritum Sanctum paracletum gratis dedit, ita et ista concessit, sciens a Domino praeceptum: Gratis accepistis, gratis date: nisi forte ipsi ecclesiarum fundatores aliquid pro bona voluntate offerrent, et hoc illum pro gratiarum actione suscipere rogarent.

§ **11**. Accidit tunc temporis, ut inter Ludolphum Ottonis Magni Imperatoris filium qui Alamannorum genti praeerat, et ejus patruum Henricum Noricorum Ducem, oriretur lis odiumque per instigationem satanae, et ex malignorum hominum persuasione. Quos cum Imperator ad concordiam minime revocare potuisset, fratri adjutorio contra filium fuit. Tunc quidam Arnulphus Comes Palatinus, Arnulphi quondam ducis filius extitit, cujus fidei praedictus Dux Henricus totam Bavariam cum ipsa metropoli Ratispona commendavit, ac in Saxoniam ad Imperatorem se contulit. Ibi eo moram faciente, ille velut perfidus transfuga, se cum ipsa civitate et multitudine populi, Ludolphi subègit potestati. Haec cum sancto Pontifici comperta fuissent, relicta militum custodiâ in civitate Augusta, in Noricorum regionem pròpere contendit, ubi tunc Imperatorem cum exercitu consistere audivit.

Digitized by Google

Praefatus vero tyrannus Augustam adiit, ac rebus circumquaque direptis, quibusdam Episcopi militibus captis, praedâ onustus, et quod verius est, peccati pondere gravatus, in Bavariam est reversus. Interim vero ipsum Dei famulum postquam comperit a regia servitute reversum, in castello, quod Mantachinga * dicitur non timuit obsidere: sed non cessit ei in prosperum quod talia praesumpsit contra Dei servum. Nam parvo interjecto dierum spatio, a Comite Adalberto ac Episcopi fratre Thietbaldo ab obsidione cum detrimento suorum coactus est secedere, et debita respersus confusione, in patriam redire, etiam ibi capto ejusdem fratre Herimanno. Sed et fortissimus pugnator Adalbertus, velut alter Machabaeus, pro Ecclesia Dei acriter dimicando, cecidit in eodem bello, ut veraciter est credendum, per mortalitatis dispendium trasiens ad immortalitatis compendium. Cujus corpus sanctus Udalricus Augustam deferens, in ecclesia sanctae Mariae semper virginis condidit: spiritum vero per sacrae immolationis hostiam Domino commendavit.

§ **12**. Ex hoc tantus omnium mentes timor invasit, ut nullus de rebus ecclesiae sanctae Mariae semper virginis ad Augustam pertinentibus, aliquid usurpare praesumeret: quia nullus eorum qui antea inde aliquid injuste abstulerunt, vel in sanctum Dei deliquerunt, impunitus evasit, nisi qui per dignam satisfactionem per misericordiam Dei, Episcopo intercedente, promeruit absolutionem. Ut enim ex pluribus pauca exempli causâ proferamus, unus ex his, vicinis in veritate contestantibus, tamdiu perdito sensu proprias manus laceravit, quousque vitam finivit. Alius vero librum quemdam de civitate Augusta rapuit, ex cujus precio caballum emit. Quem cum domum perduxisset, uxori suae ait: « Melius mihi fuerat, ut istum tam praestantis formae equum emissem, quam librum quo illum comparavi, in Augusta dimisissem.» Cui illa: « Utilius, inquit, ut spero, tibi fuisset, si numquam manus tua ipsum librum tetigisset.» Ille vero, dum molli attactu per posteriora dorsi, ut assolet, equo blandiri voluit, mox ab eodem percussus interiit. Post non multum temporis praefatus Arnulphus pro injuriis, quas viro Dei ingessit, etiam ipse justi judicis iram sensit; obsessa namque civitate Ratisponâ, paratus ad praelium exiit, ibique occisus interiit.

§ **13**. Quidam homo de Episcopatu qui Eistete dicitur, partem vilissimi mensalis de saepedictis rebus injuste usurpavit, secumque absportavit. Sed mox a daemonio occupatus, nullum neque intra neque extra ecclesiam abscondendi locum invenire potuit: nec benedictâ aspersus aquâ, carere valuit ejus praesentiâ, quin semper juxta eum videretur individuus comes manere, donec Augustam rediens, rem injuste ablatam reddidit, seseque emendari obnixe rogavit. Cui Episcopus, ut totus erat

* *Mechinhen.*

visceribus pietatis plenus, et indulgentiam pro Christi amore tribuit et a daemone liberatum, ad propria redire permisit.

§ **14**. Interea dum contentio inter Ottonem Imperatorem, propter fratrem ipsius Henricum, ut supra diximus et Ludolphum exorta, intantum accrevisset, ut non aliter nisi ferro finiri potuisset, jamque acie utriusque partis ordinatâ, ut cominus committi deberet pugna, athleta Dei Udalricus, sciens quia beati sunt pedes pacem portantes, et quod ipse Dominus in evangelio ait: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v): assumpto Hartberto, Curiensis ecclesiae Episcopo religioso, se in medium injecit: ac tantae eos arte suadendi aggressi sunt, spiritu patris in amborum ore loquente, ut facile ad pacis foedera revocarent, et verae charitatis donum firma stabilitate in illorum pectoribus consolidarent. Non aliter tunc Otto poenitentem Ludolphum, quam ille evangelicus pater olim suscepit revertentem filium. Uterque enim filius mortuus fuerat, et revixit: perierat et inventus est. Fit gaudium ingens et exultatio in exercitu cuncto. Laus et gratiarum actio resonat in ore omnium: quia per servos suos liberavit Dominus populum suum.

§ **15**. Sequenti vero anno, id est, Dominicae incarnationis nongentesimo quinquagesimoquinto, gens Hungarorum omni belluâ crudelior, juxta quod viro Dei caelitus ante fuerat revelatum, cum innumerabili multitudine erùpit, omnemque Noricorum regionem a Danubio usque ad nigram sylvam, quae ad montana pertinet, et partem provinciae Alamannorum usque Hilaram fluvium, devastando occupavit. Quae Licum transiens, ecclesiam sanctae Afrae igne combussit, atque civitatem Augustam obsidione circumdedit. Sanctus autem Dei pontifex nequaquam, visis tot lupis, instar mercenarii, sui gregis custodiam fugiendo dereliquit, sed ex adverso se opposuit, ac totam causam Domino commendavit. At militibus circumquaque per murum et ante portam acriter contra hostes dimicantibus, ille super equum sedens, non clypeo protectus aut galeâ, sed stolâ indutus, intra lapidum ac sagittarum imbres incedebat securus. Videres novum Josue arcam Domini circumferre *, buccinis concrepare: nisi quod Josue extra muros urbis Jericho, iste vero intus erat cum Dei populo. Sed merito noster Josue, jam coruscante gratiâ Christi, intus in domo Rahab ad Deum conversae, hoc est, Ecclesiae, manebat et civitatem diaboli foris manentem expugnabat. Josue duce sacerdotibus qui arcam Domini ferebant, buccinis clangentibus, ac cunctis populis clamantibus vociferatione maxima, muri Jericho funditus corruerunt. Isto arcam Domini in pectore mundo gerente et cum sacerdotibus ac Levitis tubis, id est, psalmis, hymnis et canticis spiritalibus sonantibus, cunctisque populis maxima prece ad Deum et ad ejus sanctam genitricem Mariam

* *Josue C. VI.* Sacer Christi miles precibus armatus ac victor cum Josue comparatur.

Digitized by Google

semper virginem pro sua ereptione clamantibus, Hungari qui erant civitas diaboli, ceciderunt. Comperto namque Ottonis gloriosissimi Imperatoris adventu, retractâ obsidione. obviam pergunt, armisque decertare contendunt. Inito praelio, Deo, juxta viri Dei praesagium, victoriam populo Christiano donante, multa millia Hungarorum ceciderunt: caeteri fugam arripuerunt. Quos Christianorum exercitus tandiu caedendo persecutus est, donec principes eorum cum aliis multis una caperentur, atque Ratisponam perducerentur, ubi ad ignominiam suae gentis postmodum suspensi sunt in eculeis. His ita gestis, praesul venerandus Deo in omnibus gratias agens, velut ex arce quadam mentis coepit dispicere, ac subditorum necessitates pertractare, non sibi ratum aestimans, si solummodo ea quae sua essent, quaereret, suorumque causas negligeret, juxta illud Apostoli: *Qui suorum et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit et est deterior infideli* (1 *Tim.* v). Unde suorum congregationes clericorum quae hostium depraedatione ad tantam fuerunt inopiam redactae. ut ad quotidianae refectionis usum nil possent habere, secum retinuit, ac inquantum potuit, pauper ipse praesentis vitae necessaria pauperibus ministravit: et non solum illis, sed et omnibus se petentibus, prout habuit, misericordiae manum porrexit, juxta illud Dominicum praeceptum: *Omni petenti te, tribue* (*Luc.* vi).

§ **16**. Eo tempore admonetur in visione, ut ecclesiam sanctae Afrae *, quae a paganis fuerat concremata, non tardaret reparare, necnon et Simperti Episcopi sepulcrum quod situm erat juxta gradus in choro, congruo procuraret tecto. Ex hoc coepit Dei famulus in jejuniis et precibus cum cordis contritione, aliis quoque viris religiosis secum assumptis, se Deo mactare, supplicans devote, quatenus omnipotens Deus per misericordiam suam dignaretur sibi manifestare locum, ubi sanctissimae martyris suae corpus esset reconditum, vel si in parte orientali crypta eo loci esset aedificanda, ubi suadebat ei voluntas suà. Ergo ut Dominus verum comprobaret quod per os sancti David dixit: *Ecce oculi Domini super justos et aures ejus in preces eorum* (*Ps.* 33): et in alio loco, *Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet* (*Ps.* 144): quadam nocte in visu ei sancta Afra apparuit et locum sui corporis in ecclesia demonstravit. Cryptam vero illo in loco fieri prohibuit propter reliquias sanctorum, qui illic in pace quiescentes, adventum justi judicis expectant. Hac revelatione perdoctus coepit destinato operi vigilanter insistere, ecclesiae muros instaurare, cryptam in occidentali parte construere: nec antea a labore cessavit, donec brevi omnia perfecto decòre consummavit.

* Haec est S. Afra martyrium passa in Augsburgensi urbe anno CCCIV, ibique ut Patrona colitur et in Rom. Martyrol. memoratur die v augusti.

Digitized by Google

§ 17. Dignum est nunc demonstrare qua veneratione dignus sit locus ille, in quo sancta Dei martyr prohibuit cryptam fieri. Erat quidam hortulanus qui inter gramina ibi deambulando, speluncam quamdam rèperit, in qua et transformatam aediculam sub terra muratam conspexit. Et veniens. Episcopo nunciavit, eique dixit: «Si tuae placeat sanctitati, hic olera mea et alia quae mihi sunt necessaria, possunt recondi.» Cui ille in spiritu dixit: «Si hoc feceris, mox sensu et membrorum sospitate carebis.» Sed miser haec parvipendens, supellectilem suam in praedictam speluncam congregavit, statimque sensum cum visu et auditu perdidit. Qui ad sanctum Dei perductus, ut reatum suum agnovit, veniam petiit, ac indulgentiam cum sanitate promeruit. Mira dicturus sum. Ex illa namque hora nunquam ab hortulano ipsa reperiri potuit spelunca. Ex eo tempore coepit vir Dei sanctum illum locum magis frequentare, sibique sepulcrum ibi praeparare. Ubi omni sextâ feriâ, si domi esset, solebat salutarem hostiam Domino immolare.

§ 18. Interea orationis causâ Romam perrexit, ubi et caput S. Abundii martyris acquisivit, secumque religiosa cum devotione Augustam reportavit. Solebat loca sancta visitare, ac praecipue monasterium sancti Galli, ubi nutritus erat et eruditus. Inde cum quodam tempore ad cellam S. Meinardi, ad videndum servum Dei Everhardum venisset, post sacra orationum libamina, post fraternae collationis dulcia colloquia, cum jam praelibatis osculis sanctus Episcopus disposuisset redire in sua, et ea vice speraret Dei famulum non amplius esse visurum, jamque ire coepisset, festinato anhèlus cucurrit, atque iterans oscula charitatis, in hanc vocem lacrymabundus erùpit: «Ex hac hora non videbimus nos ulterius in hac vita, donec corporibus exempti, videre nos mereamur in praesentia Dei.» Cui Episcopus dixit: «Pater venerande, scis nunc pro certo tempus meae resolutionis instare quo debeam ex hac vita migrare?» Cui ille respondit: «Finis quidem vitae tuae adhuc non erit: sed verum esse quod dico, exitus rei comprobabit.» Tunc discessum est. Sed antequam Episcopus eamdem cellam iterum visitaret, ille Dei famulus Everhardus de hoc seculo migravit. Processu quoque temporis locum Agaunensium, ubi S. Mauritius cum sacra legione quiescit, orandi gratiâ adivit, ac non modicas Thebaeorum martyrum reliquias acquisivit. Quas cum summo honore Augustam attulit, ac in oratorio sanctae Dei Genitricis cum hymnis et psalmòdiis religiose collocavit. His quoque diebus venerabilis heros ad monasterium Insulanense quod Augia dicitur, venit, ubi tunc temporis Dominici gregis vir venerandus, nomine Aluvigus, curam gessit. Qui eum digno, ut par erat, honore suscipiens, multiplicibus sanctarum reliquiarum, quarum gratiâ illo advenerat, pignoribus donavit, sicque ad propria laetum redire permisit.

Digitized by Google

§ **19**. Nec praetereundum quod propter ipsius merita, plurima infirmis praestabantur beneficia: et maxime qui caduco gravabantur morbo, per ejus benedictionem a tanto liberabantur incommodo. Quod ita humilitatis causâ studuit occultare, ut si forte aliqui illorum hanc sanitatis gratiam palam postularent, donum benedictionis subtraheret, hoc magis asserens Apostolicae dignitati quam suae congruere parvitati. Per oleum, ab eo in Coena Domini consecratum, variis languoribus detenti, pristinae restituti sunt sanitati: necnon et oculorum caligine obtenebrati, hujus sancti olei unctione merebantur illuminari.

§ **20**. Operae pretium est inferre, qualiter etiam ipse per efficientiam hujus sancti liquoris, consecutus est gratiam sospitatis. Quodam itaque tempore ad monasterium Campidonense veniens, tanta infirmitate tenebatur, ut non nisi inter aliorum manus sustentatus, quoquam posset gressum movère, vel quid cibi pro recreatione virium percipere. Tunc sub omni celeritate Augustam mittitur: oleum ab eo consecratum, defertur. Quo in ipsa sancta Pentecostes vigilia, horâ diei nonâ delibùtus, intantum per gratiam Dei contra spem omnium subito convaluit, ut se reficeret cibo, ac cum fratribus vespertinae synaxi incolumis interesset, totamque instantis festivitatis diem spiritali jucunditate celebraret. Sicque omnibus in commune gratulantibus, ipse sospes in suam sedem est reversus.

§ **21**. Quodam tempore cum vir Dei Vindicem fluvium esset transiturus, intantum alvei ejus cursum excrevisse invenit, ut nullus suorum auderet transire per illum. Tunc sociis sui itineris abeuntibus, et vadum, sicubi possent reperire, ad transeundum quaerentibus, ipse cum uno clerico solus remansit, ac praedictum fluvium sine aliqua trepidatione in nomine Domini transivit. Et ut magis mirèris, clericus altiori caballo residens, a cingulo deorsum se totum aquâ infusum: de Episcopi autem soccis e sago factis quos propter frigus induerat, nec saltem unum pilum madefactum perspexit. Cui valde super hoc admiranti interminatus est, dicens: «Cave, me adhuc manente in carne, hoc alicui dicere: humilitatis magistrum sequens qui de semetipso discipulis praecepit, ut visionem quam vidissent, nemini dicerent, donec Filius hominis a mortuis resurgeret. Tua sunt haec o Christe opera, tuarum gratiarum insignia qui in sanctis tuis etiam nunc antiqua coruscare facis mirabilia. Qui enim illi antiquo Hebraeorum populo quondam diviso mari rubro aridum iter praebuisti: tu hunc famulum tuum per idem elementum siccis vestibus traduxisti: nisi quod illis aquae erant pro muris a dextris et a sinistris, ut siccis vestigiis per medium transirent: iste vero per medias transiens aquarum undas, in nullo madefactus, te duce, pervenit ad litus.» Alio item tempore dum Ratisbonam navigio per Danubium tenderet, ex incuria nautarum

Digitized by Google

navis super quoddam impingitur lignum: ex quo patentibus rimis coepit paulatim impleri aquis. Timore perterriti nautae, ad litus contendunt pròpere. Quo pervenientes, omnibus quae in navi erant, exportatis, obliti sunt Episcopi in puppi residentis. Tunc unus ex clericis trahens suspiria ex intimo cordis, ait: «Vae nobis miseris quia in tanto periculo obliti sumus nostri senioris.» Et haec dicens, velocius cucurrit, et humeris impositum ad litus exposuit. Quo egresso, navis in posteriori parte mergitur et mirum in modum navis, quae plena hominibus caeterisque suppellectilibus super aquas nataverat, viro Dei cum suis egrediente, non potuit diutius quin mergeretur, subsistere: ut inde colligeretur quia hanc omnipotens Deus sua manu tenuerat, quando vir Dei cum suis in ea manebat. Item alia vice vir Dei Romam pergere desiderans, venit ad fluvium Tar * nominatum: quem tam periculosâ reperit inundatione effusum, ut nec equo, nec navigio aliquis posset transire illum. Sed sanctus pontifex fiduciam habens in Deo, celebratis in ipsius fluminis ripâ Missarum solemniis, praedictum fluvium transvadavit cum incolumitate omnium suorum.

§ **22**. In illis diebus electus Dei pontifex sacrae religionis studio incitatus, divini amoris igne succensus, coepit in ecclesia S. Stephani protomartyris Christi, quae extra urbis moenia sita est, religiosas foeminas congregare: quatenus in sancto proposito tanto liberius ibidem Deo servirent, quanto longius a mundanae actionis labore distarent. Ad quod monasterium dum quaedam matrona ad conversionem veniret et a congregatione suscepta fuisset, coepit in Dei servitio manere devota: et licet literarum scientiâ minus instructa, tamen ad exteriora providenda satis erat idonea. Unde sorores ei voluerunt officium cellerariae commendare, sed illa noluit consentire. Tunc res ad Episcopum defertur. Qui cum eidem juberet obedire, noluit, sed in obstinatione mentis perduravit. Sequenti vero nocte hujusmodi verbis corripitur in somnis: «Quia, inquit, non obedisti Episcopi praeceptis, tandiu ambulandi usu carebis, quousque ab illo absolvi merèberis.» Expergefacta, omnino permansit debilis et clauda et revertente ad civitatem Episcopo, ante ejus praesentiam in lectulo est deportata. A quo de inobedientia pariter correpta est et sanata. Ipsa autem, ut se sensit sanatam, currendo antequam ad ecclesiam Episcopus veniret, praecessit eum, laudans et benedicens Deum.

§ **23**. Quodam tempore dum omnipotentis Dei famulus ad synodum Episcoporum quae in villa regia, Ingelenheim dicta, erat congreganda, pergeret, quemdam pauperem nomine Rotbertum, obvium habuit qui ventris sui interiora foris prolapsa in sinu gestavit. Quem ut conspexit, misericordiâ motus, ei denarium

* Italice *Taro* qui Parmensem provinciam interfluit.

Digitized by Google

dari jussit, dicens: «In nomine Domini, accipe et vade in pace.» Qui mox eleemosynam accipiens, perrexit ac meliorari paulatim intantum coepit, ut post aliquod temporis spatium sospitati redderetur ad integrum. Idem etiam post mortem viri Dei, aliis iterum praeoccupatus infirmitatibus, ad sepulcrum ejus veniens, sanari meruit, sicut lector suis locis plenius scriptum invenire poterit. Die quadam sancto Dei iter agenti homo quidam astitit, qui Conradi Constantiensi Episcopi obitum certissimum indicavit. Illis vero qui aderant, sperantibus, quod statim requie illius solita exequiarum officia vellet celebrare, ille per secretum nuncium, sibi adesse solitum, sciens quid ex hoc esset verum, ait eis: « Manete interim animaequiores; mane comperietis, quid inde credere debeatis.» Crastinâ die diluculo quidam Constantia venit, qui praedicti viri sospitatem annunciavit.

§ 21. Dei famulus Udalricus licet tempus resolutionis suae jam instare non ignoraret, tamen quandiu potuit, vehiculo superpositus, divini verbi semina in audientium corda spargere non cessavit. Quem equitandi usum, etiam dum adhuc sanus esset, habebat, ut quocumque sibi eumdum fuisset, sellâ super quadrìgam positâ solus sederet, comite uno tantum clerico, cum quo, absque impedimento aliorum, posset liberius vacare decantationi psalmorum. Festinabat autem quantocyus Augustae civitatis moenia ingredi, ut ibi sicut bonus mercenarius, praestolaretur finem operis sui. Quo cum pervenisset, quandiu vires sufficiebant, inter quotidiana Missarum solemnia, salutarem hostiam Domino exterius immolabat, ac seipsum interius victimam in ara cordis mactabat. Ad mensam cum aliis sedens, illis manducantibus et bibentibus ipse pene manebat jejunus. Erat ei cibus aut dulcis psalmorum suavitas, aut sacrarum lectionum assiduitas: inter quas maxime delectabatur audire ex quarto libro Dialogorum S. Gregorii qualiter multi e corporibus exempti, in spiritu rapiebantur, ac iterum revertebantur. Inter haec praecepit suarum rerum procuratoribus, ut in omnibus omnino locis, ad suum jus proprie pertinentibus, quaecumque invenire possent, in tres portiones partirentur, et unam ex his, ipso adhuc vivente, presbyteris et pauperibus largirentur. Ipse autem quadam die se ad audiendam Missam in ecclesiam deferri jussit. Qua auditâ, unum tapete coram sancta Cruce sterni fecit, seseque super hoc in orationem dedit, et quasi post dimidiam horam surgens, quicquid suppellectilis habere potuit, coram se importari praecepit, praeter paraturam unius domus ac mensarum, et unum opertorium, quae reliquit ad sui successoris servitium. Caetera cum perspexisset ingemiscendo dixit: Ah, quid mihi haec omnia? quae statim per manus praepositi praecepit partim inter pauperes dividi, partim clericis erogari: sicque vigilanter studuit se ad hoc praeparare, ut pulsanti confestim posset aperire.

Digitized by Google

conspectu Domini rationem reddituros esse. » Episcopus autem a civitate regia revertens (nam tunc temporis ibi morabatur), ita de crypta contigisse rèperit, sicuti per visionem Ramberto ostensum fuit. Tunc ille impatiens morae, non antea a labore cessavit, quam omnia in meliorem statum reparasset. Iterum alia vice cum praedictus Rambertus juxta morem in oppido Waringa cum sancto viro Psalmodiam decantaret, coepit terrore nimio concuti, ac reflexis oculis Deo dignum antistitem intueri. A quo requisitus quidnam sibi esset, respondit seniorem suum Adalberonem eodem, quo et ante, ornatu paratum se videre, sibique praecipere, ut illi sacri altaris mysterium celebranti assistat, solitaeque servitutis officium impendat.

§ 8. Nec praetereundum puto, qualiter coelestis signi visione ipsum etiam voluerit Dominus mirificare. Nam in ipsa solemni die Paschae, multa fratrum catervâ astante, dum sanctus sacerdos divina celebraret mysteria, dextera quaedam apparuit superna quae cum ipsius dextera divina sanctificavit sacramenta. Expletis vero Missarum solemniis, quidam Henricus presbyter, qui eo die cantoris officium agens, tanto interfuit miraculo, sequens Episcopum usque in cubiculum, ad ejus pedes cècidit, atque in praesentia popularium personarum eamdem visionem minus caute explanavit. Cui vir Dei: « Melius, inquit, tibi esset tacere, quam talia in aures vulgi proferre. » Mox ille rubore perfùsus exiit, et in vestibulo cubiculi rèsidens, tantas lacrymas emisit, ut ex illarum suffusione cogeretur lucis hujus dispendia sustinere. Vir autem Dei memor suae fragilitatis, cavebat favorem humanae laudis, ne caderet in praecipitium elationis, semper gratias agens Deo super inenarrabili ejus dono: et sicut de sanctis scriptum est, Ibunt de virtute in virtutem, velut coeleste animal, ante faciem suam gradiebatur, ut eo mente conscenderet, quo eum impetus spiritus duceret. His virtutum gradibus ad alta proficiens, quadam nocte quae antecedebat diem sanctum, quem diem indulgentiae vel Coenam Domini Christiana religio vocare consuevit, vox quaedam beato sic ait in visu: « Udalrice Episcope, scias te hospites suscepturum esse. » Expergefactus, coepit secum admirando tractare, quinam illi hospites futuri essent. Non enim erat inanis sopor ille qui solet aliquoties hominum mentes illudere: sed talis potius, quali sponsa se dicit in amoris Cantico obdormire: *Ego*, inquit, *dormio et cor meum vigilat*. Talis igitur somni dum vir Dei frueretur quiete, iterum vocem in haec verba meruit audire: « Orationes tuae et eleemosynae, Uldarice, Deo sunt acceptae qui binis antecessoribus tuis, Fortunato scilicet atque Adalberoni, te commendavit, ut tibi hodie et deinceps sacra mysteria celebranti assistant, et ea tecum benedicant. » Mane autem facto, horâ, qua inclytus mysteriarches divina sacramenta celebravit, quibusdam etiam qui ad videndum digni erant,

Digitized by Google

cernentibus, dextera Domini denuo apparuit, quae cum sancto Episcopo signo Crucis imponendo èadem consecravit. Iidem ipsi cum ad percipiendam sacram communionem ad sacrum altare accederent, et sanctus Dei illos hujus secreti conscios esse per spiritum non ignoraret, quando panem eis Dominicum porrexit, ori singulorum digitum superposuit, ut per hoc intelligerent, quod visa minime divulgare deberent: quin etiam expleto sacrorum officio, ad se vocatis revelati sibi in nocte praeterita mysterii ordinem exposuit, et tam hoc, quam quod ipsi viderant, alicui dicere, donec ille maneret in carne, interdixit sub interminatione praesentis vitae.

§ 9. Alio vero tempore, dum iterum sub cujusdam noctis silentio membra quieti commendaret, sancta Afra martyr pulchrâ facie, veste decora, tunicâ succincta apparuit, eique dixit: «Surge, et sequere me.» Et statim eduxit illum in campum qui ex nomine ibidem decurrentis fluvii, Lecfelt dicitur, ubi sanctum Petrum Apostolorum principem velut in synodali colloquio sedentem invenit cum magna Episcoporum aliorumque sanctorum multitudine, vel quos olim in carne vidit, vel tunc primum, revelante sibi gratiâ divina, cognoscere coepit. Ibi inter alia, quae tractabantur, sicut olim in Apocalypsi sancti Joannis, audita est vox animarum, de suis interfectoribus vindictam expetentium: ita tunc clamor ortus est sanctorum de Arnulpho Duce Noricorum adhuc vivente, ob destructionem ecclesiarum atque monasteriorum, quorum res distribuit in beneficia laicorum. Quapropter dictante omnium sententiâ, damnatus est poenâ. Proferebantur in medium etiam duo enses: unus quidem cum capulo, alter vero absque capulo. De quibus princeps Apostolorum ait ad beatum virum: « Dic regi Henrico: Ensis absque capulo, significat illum qui sine unctione regnat in populo.» At alter capulatus, illum, qui per sacrae benedictionis ordinem divinitus fuerit coronatus. Finito sanctorum concilio, praedicta Dei martyr sanctissima monstravit illi adhuc loca, in quibus Otto rex postea castra posuit, et generale colloquium cum suis habens, Berengarium Italiae regem, cum multis aliis praesentata, in suum suscepit dominium. Praedixit etiam efferae gentis Hungarorum irruptionem, durissimamque cum nostratibus congressionem, necnon et loca certaminum: et licet cum magno suorum detrimento, tamen victoriae triumphum promisit populo Christiano. O beatum virum, coelesti visione dignum, in talibus etiam sanctis Apostolis, Petro videlicet ac Paulo, conferendum: quorum alter in linteo coelitus demisso, electionem gentium per visionem didicit: alter vero, sive in corpore, sive extra corpus, usque ad tertium coelum raptum se esse asserit, ubi et arcana Dei audivit et vidit. Iste vero sanctus et in ostensione dextrae sacrae super altare, et in hac visione, et postmodum in

Digitized by Google

aliis, ut ante exitum nostri sermonis satis patebit, et arcana Dei vidit et audivit, et salvationem non tantum suae gentis, sed et multorum populorum cognovit. Haec non passim tunc vulgi auribus se inaniter jactando divulgavit, sed paucis, quos ad hoc dignos duxit, secreto manifestavit. Ipse vero sentiens se tanto divinae gratiae dono praeventum, non se erigebat in altum, sed omnia referebat ad illum, a quo acceperat quicquid boni habebat, vel esse poterat, dicens cum Apostolo: Gratia Dei sum id, quod sum.

§ **10**. Coepit igitur commissi sibi gregis curam agere, talentum sibi creditum non sudario illigatum terrae commendare, sed ut bonus verbi Dei dispensator, ad usuram accommodare. Unde suae dioecesios terminos saepius lustravit, ac congregatis coram se clericis ac laicis, pervigili studuit curâ investigare, inprimis qualiter ipsi ecclesiarum presbyteri cum suis ministris viverent: utrum populum recte ac secundum catholicam doctrinam docerent, ac quod praedicabant ore, et opere implerent. Deinde discutiebat, si laici eorum doctrinae obedirent, si in Dominicis diebus et aliis sanctorum solemnitatibus ab opere illicito vacarent, si ecclesiarum limina ea, qua deberent, devotione frequentarent, aut Decimas recte darent: multaque id genus. His ita investigatis, quaeque erant rata et bene ordinata, laudavit et confirmavit: quae vero aliter, correxit et emendavit. Simoniacorum haeresin quasi perniciosam pestem devitandam esse admonuit, asserens perpetuae tradendos poenae qui haeresi huic nequissimae studerent animos inclinare. Unde numquam pro Clericorum ordinatione, vel ecclesiarum consecratione quippiam muneris accepit: sed sicut in sacri chrismatis unctione per impositionem manus Spiritum Sanctum paracletum gratis dedit, ita et ista concessit, sciens a Domino praeceptum: Gratis accepistis, gratis date: nisi forte ipsi ecclesiarum fundatores aliquid pro bona voluntate offerrent, et hoc illum pro gratiarum actione suscipere rogarent.

§ **11**. Accidit tunc temporis, ut inter Ludolphum Ottonis Magni Imperatoris filium qui Alamannorum genti praeerat, et ejus patruum Henricum Noricorum Ducem, oriretur lis odiumque per instigationem satanae, et ex malignorum hominum persuasione. Quos cum Imperator ad concordiam minime revocare potuisset, fratri adjutorio contra filium fuit. Tunc quidam Arnulphus Comes Palatinus, Arnulphi quondam ducis filius extitit, cujus fidei praedictus Dux Henricus totam Bavariam cum ipsa metropoli Ratispona commendavit, ac in Saxoniam ad Imperatorem se contulit. Ibi eo moram faciente, ille velut perfidus transfuga, se cum ipsa civitate et multitudine populi, Ludolphi subègit potestati. Haec cum sancto Pontifici comperta fuissent, relicta militum custodiâ in civitate Augusta, in Noricorum regionem pròpere contendit, ubi tunc Imperatorem cum exercitu consistere audivit.

Digitized by Google

Praefatus vero tyrannus Augustam adiit, ac rebus circumquaque direptis, quibusdam Episcopi militibus captis, praedâ onustus, et quod verius est, peccati pondere gravatus. in Bavariam est reversus. Interim vero ipsum Dei famulum postquam comperit a regia servitute reversum, in castello, quod Mantachinga * dicitur non timuit obsidere: sed non cessit ei in prosperum quod talia praesumpsit contra Dei servum. Nam parvo interjecto dierum spatio, a Comite Adalberto ac Episcopi fratre Thietbaldo ab obsidione cum detrimento suorum coactus est secedere, et debita respersus confusione, in patriam redire, etiam ibi capto ejusdem fratre Herimanno. Sed et fortissimus pugnator Adalbertus, velut alter Machabaeus, pro Ecclesia Dei acriter dimicando, cecidit in eodem bello, ut veraciter est credendum, per mortalitatis dispendium trasiens ad immortalitatis compendium. Cujus corpus sanctus Udalricus Augustam deferens, in ecclesia sanctae Mariae semper virginis condidit: spiritum vero per sacrae immolationis hostiam Domino commendavit.

§ **12**. Ex hoc tantus omnium mentes timor invasit, ut nullus de rebus ecclesiae sanctae Mariae semper virginis ad Augustam pertinentibus, aliquid usurpare praesumeret: quia nullus eorum qui antea inde aliquid injuste abstulerunt, vel in sanctum Dei deliquerunt, impunitus evasit, nisi qui per dignam satisfactionem per misericordiam Dei, Episcopo intercedente, promeruit absolutionem. Ut enim ex pluribus pauca exempli causâ proferamus, unus ex his, vicinis in veritate contestantibus, tamdiu perdito sensu proprias manus laceravit, quousque vitam finivit. Alius vero librum quemdam de civitate Augusta rapuit, ex cujus precio caballum emit. Quem cum domum perduxisset, uxori suae ait: « Melius mihi fuerat, ut istum tam praestantis formae equum emissem, quam librum quo illum comparavi, in Augusta dimisissem.» Cui illa: « Utilius, inquit, ut spero, tibi fuisset, si numquam manus tua ipsum librum tetigisset.» Ille vero, dum molli attactu per posteriora dorsi, ut assolet, equo blandiri voluit, mox ab eodem percussus interiit. Post non multum temporis praefatus Arnulphus pro injuriis, quas viro Dei ingessit, etiam ipse justi judicis iram sensit; obsessa namque civitate Ratisponâ, paratus ad praelium exiit, ibique occisus interiit.

§ **13**. Quidam homo de Episcopatu qui Eistete dicitur, partem vilissimi mensalis de saepedictis rebus injuste usurpavit, secumque absportavit. Sed mox a daemonio occupatus, nullum neque intra neque extra ecclesiam abscondendi locum invenire potuit: nec benedictâ aspersus aquâ, carere valuit ejus praesentiâ, quin semper juxta eum videretur individuus comes manere, donec Augustam rediens, rem injuste ablatam reddidit, seseque emendari obnixe rogavit. Cui Episcopus, ut totus erat

* *Mechinhen.*

Digitized by Google

visceribus pietatis plenus, et indulgentiam pro Christi amore tribuit et a daemone liberatum, ad propria redire permisit.

§ **14**. Interea dum contentio inter Ottonem Imperatorem, propter fratrem ipsius Henricum, ut supra diximus et Ludolphum exorta, intantum accrevisset, ut non aliter nisi ferro finiri potuisset, jamque acie utriusque partis ordinatâ, ut cominus committi deberet pugna, athleta Dei Udalricus, sciens quia beati sunt pedes pacem portantes, et quod ipse Dominus in evangelio ait: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v): assumpto Hartberto, Curiensis ecclesiae Episcopo religioso, se in medium injecit: ac tantae eos arte suadendi aggressi sunt, spiritu patris in amborum ore loquente, ut facile ad pacis foedera revocarent, et verae charitatis donum firma stabilitate in illorum pectoribus consolidarent. Non aliter tunc Otto poenitentem Ludolphum, quam ille evangelicus pater olim suscepit revertentem filium. Uterque enim filius mortuus fuerat, et revixit: perierat et inventus est. Fit gaudium ingens et exultatio in exercitu cuncto. Laus et gratiarum actio resonat in ore omnium: quia per servos suos liberavit Dominus populum suum.

§ **15**. Sequenti vero anno, id est, Dominicae incarnationis nongentesimo quinquagesimoquinto, gens Hungarorum omni belluâ crudelior, juxta quod viro Dei caelitus ante fuerat revelatum, cum innumerabili multitudine erùpit, omnemque Noricorum regionem a Danubio usque ad nigram sylvam, quae ad montana pertinet, et partem provinciae Alamannorum usque Hilaram fluvium, devastando occupavit. Quae Licum transiens, ecclesiam sanctae Afrae igne combussit, atque civitatem Augustam obsidione circumdedit. Sanctus autem Dei pontifex nequaquam, visis tot lupis, instar mercenarii, sui gregis custodiam fugiendo dereliquit, sed ex adverso se opposuit, ac totam causam Domino commendavit. At militibus circumquaque per murum et ante portam acriter contra hostes dimicantibus, ille super equum sedens, non clypeo protectus aut galeâ, sed stolâ indutus, intra lapidum ac sagittarum imbres incedebat securus. Videres novum Josue arcam Domini circumferre *, buccinis concrepare: nisi quod Josue extra muros urbis Jericho, iste vero intus erat cum Dei populo. Sed merito noster Josue, jam coruscante gratiâ Christi, intus in domo Rahab ad Deum conversae, hoc est, Ecclesiae, manebat et civitatem diaboli foris manentem expugnabat. Josue duce sacerdotibus qui arcam Domini ferebant, buccinis clangentibus, ac cunctis populis clamantibus vociferatione maxima, muri Jericho funditus corruerunt. Isto arcam Domini in pectore mundo gerente et cum sacerdotibus ac Levitis tubis, id est, psalmis, hymnis et canticis spiritalibus sonantibus, cunctisque populis maxima prece ad Deum et ad ejus sanctam genitricem Mariam

* *Josue C. VI.* Sacer Christi miles precibus armatus ac victor cum Josue comparatur.

Digitized by Google

semper virginem pro sua ereptione clamantibus, Hungari qui erant civitas diaboli, ceciderunt. Comperto namque Ottonis gloriosissimi Imperatoris adventu, retractà obsidione. obviam pergunt, armisque decertare contendunt. Inito praelio, Deo, juxta viri Dei praesagium, victoriam populo Christiano donante, multa millia Hungarorum ceciderunt: caeteri fugam arripuerunt. Quos Christianorum exercitus tandiu caedendo persecutus est, donec principes eorum cum aliis multis una caperentur, atque Ratisponam perducerentur, ubi ad ignominiam suae gentis postmodum suspensi sunt in eculeis. His ita gestis, praesul venerandus Deo in omnibus gratias agens, velut ex arce quadam mentis coepit dispicere, ac subditorum necessitates pertractare, non sibi ratum aestimans, si solummodo ea quae sua essent, quaereret, suorumque causas negligeret, juxta illud Apostoli: *Qui suorum et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit et est deterior infideli* (1 *Tim.* v). Unde suorum congregationes clericorum quae hostium depraedatione ad tantam fuerunt inopiam redactae, ut ad quotidianae refectionis usum nil possent habere, secum retinuit, ac inquantum potuit, pauper ipse praesentis vitae necessaria pauperibus ministravit: et non solum illis, sed et omnibus se petentibus, prout habuit, misericordiae manum porrexit, juxta illud Dominicum praeceptum: *Omni petenti te, tribue* (*Luc.* vi).

§ **16**. Eo tempore admonetur in visione, ut ecclesiam sanctae Afrae *, quae a paganis fuerat concremata, non tardaret reparare, necnon et Simperti Episcopi sepulcrum quod situm erat juxta gradus in choro, congruo procuraret tecto. Ex hoc coepit Dei famulus in jejuniis et precibus cum cordis contritione, aliis quoque viris religiosis secum assumptis, se Deo mactare, supplicans devote, quatenus omnipotens Deus per misericordiam suam dignaretur sibi manifestare locum, ubi sanctissimae martyris suae corpus esset reconditum, vel si in parte orientali crypta eo loci esset aedificanda, ubi suadebat ei voluntas suà. Ergo ut Dominus verum comprobaret quod per os sancti David dixit: *Ecce oculi Domini super justos et aures ejus in preces eorum* (*Ps.* 33): et in alio loco, *Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet* (*Ps.* 144): quadam nocte in visu ei sancta Afra apparuit et locum sui corporis in ecclesia demonstravit. Cryptam vero illo in loco fieri prohibuit propter reliquias sanctorum, qui illic in pace quiescentes, adventum justi judicis expectant. Hac revelatione perdoctus, coepit destinato operi vigilanter insistere, ecclesiae muros instaurare, cryptam in occidentali parte construere: nec antea a labore cessavit, donec brevi omnia perfecto decòre consummavit.

* Haec est S. Afra martyrium passa in Augsburgensi urbe anno ccciv, ibique ut Patrona colitur et in Rom. Martyrol. memoratur die v augusti.

Digitized by Google

§ **17**. Dignum est nunc demonstrare qua veneratione dignus sit locus ille, in quo sancta Dei martyr prohibuit cryptam fieri. Erat quidam hortulanus qui inter gramina ibi deambulando, speluncam quamdam rèperit, in qua et transformatam aediculam sub terra muratam conspexit. Et veniens. Episcopo nunciavit, eique dixit: «Si tuae placeat sanctitati, hic olera mea et alia quae mihi sunt necessaria, possunt recondi.» Cui ille in spiritu dixit: «Si hoc feceris, mox sensu et membrorum sospitate carebis.» Sed miser haec parvipendens, supellectilem suam in praedictam speluncam congregavit, statimque sensum cum visu et auditu perdidit. Qui ad sanctum Dei perductus, ut reatum suum agnovit, veniam petiit, ac indulgentiam cum sanitate promeruit. Mira dicturus sum. Ex illa namque hora nunquam ab hortulano ipsa reperiri potuit spelunca. Ex eo tempore coepit vir Dei sanctum illum locum magis frequentare, sibique sepulcrum ibi praeparare. Ubi omni sextâ feriâ, si domi esset, solebat salutarem hostiam Domino immolare.

§ **18**. Interea orationis causâ Romam perrexit, ubi et caput S. Abundii martyris acquisivit, secumque religiosa cum devotione Augustam reportavit. Solebat loca sancta visitare, ac praecipue monasterium sancti Galli, ubi nutritus erat et eruditus. Inde cum quodam tempore ad cellam S. Meinardi, ad videndum servum Dei Everhardum venisset, post sacra orationum libamina, post fraternae collationis dulcia colloquia, cum jam praelibatis osculis sanctus Episcopus disposuisset redire in sua, et ea vice speraret Dei famulum non amplius esse visurum, jamque ire coepisset, festinato anhèlus cucurrit, atque iterans oscula charitatis, in hanc vocem lacrymabundus erùpit: « Ex hac hora non videbimus nos ulterius in hac vita, donec corporibus exempti, videre nos mereamur in praesentia Dei.» Cui Episcopus dixit: «Pater venerande, scis nunc pro certo tempus meae resolutionis instare quo debeam ex hac vita migrare?» Cui ille respondit: «Finis quidem vitae tuae adhuc non erit: sed verum esse quod dico, exitus rei comprobabit.» Tunc discessum est. Sed antequam Episcopus eamdem cellam iterum visitaret, ille Dei famulus Everhardus de hoc seculo migravit. Processu quoque temporis locum Agaunensium, ubi S. Mauritius cum sacra legione quiescit, orandi gratiâ adivit, ac non modicas Thebaeorum martyrum reliquias acquisivit. Quas cum summo honore Augustam attulit, ac in oratorio sanctae Dei Genitricis cum hymnis et psalmòdiis religiose collocavit. His quoque diebus venerabilis heros ad monasterium Insulanense quod Augia dicitur, venit, ubi tunc temporis Dominici gregis vir venerandus, nomine Aluvigus, curam gessit. Qui eum digno, ut par erat, honore suscipiens, multiplicibus sanctarum reliquiarum, quarum gratiâ illo advenerat, pignoribus donavit, sicque ad propria laetum redire permisit.

Digitized by Google

§ **19**. Nec praetereundum quod propter ipsius merita, plurima infirmis praestabantur beneficia: et maxime qui caduco gravabantur morbo, per ejus benedictionem a tanto liberabantur incommodo. Quod ita humilitatis causâ studuit occultare, ut si forte aliqui illorum hanc sanitatis gratiam palam postularent, donum benedictionis subtraheret, hoc magis asserens Apostolicae dignitati quam suae congruere parvitati. Per oleum, ab eo in Coena Domini consecratum, variis languoribus detenti, pristinae restituti sunt sanitati: necnon et oculorum caligine obtenebrati, hujus sancti olei unctione merebantur illuminari.

§ **20**. Operae pretium est inferre, qualiter etiam ipse per efficientiam hujus sancti liquoris, consecutus est gratiam sospitatis. Quodam itaque tempore ad monasterium Campidonense veniens, tanta infirmitate tenebatur, ut non nisi inter aliorum manus sustentatus, quoquam posset gressum movère, vel quid cibi pro recreatione virium percipere. Tunc sub omni celeritate Augustam mittitur: oleum ab eo consecratum, defertur. Quo in ipsa sancta Pentecostes vigilia, horâ diei nonâ delibùtus, intantum per gratiam Dei contra spem omnium subito convaluit, ut se reficeret cibo, ac cum fratribus vespertinae synaxi incolumis interesset, totamque instantis festivitatis diem spiritali jucunditate celebraret. Sicque omnibus in commune gratulantibus, ipse sospes in suam sedem est reversus.

§ **21**. Quodam tempore cum vir Dei Vindicem fluvium esset transiturus, intantum alvei ejus cursum excrevisse invenit, ut nullus suorum auderet transire per illum. Tunc sociis sui itineris abeuntibus, et vadum, sicubi possent reperire, ad transeundum quaerentibus, ipse cum uno clerico solus remansit, ac praedictum fluvium sine aliqua trepidatione in nomine Domini transivit. Et ut magis mirèris, clericus altiori caballo residens, a cingulo deorsum se totum aquâ infusum: de Episcopi autem soccis e sago factis quos propter frigus induerat, nec saltem unum pilum madefactum perspexit. Cui valde super hoc admiranti interminatus est, dicens: «Cave, me adhuc manente in carne, hoc alicui dicere: humilitatis magistrum sequens qui de semetipso discipulis praecepit, ut visionem quam vidissent, nemini dicerent, donec Filius hominis a mortuis resurgeret. Tua sunt haec o Christe opera, tuarum gratiarum insignia qui in sanctis tuis etiam nunc antiqua coruscare facis mirabilia. Qui enim illi antiquo Hebraeorum populo quondam diviso mari rubro aridum iter praebuisti: tu hunc famulum tuum per idem elementum siccis vestibus traduxisti: nisi quod illis aquae erant pro muris a dextris et a sinistris, ut siccis vestigiis per medium transirent: iste vero per medias transiens aquarum undas, in nullo madefactus, te duce, pervenit ad litus.» Alio item tempore dum Ratisbonam navigio per Danubium tenderet, ex incuria nautarum

Digitized by Google

navis super quoddam impingitur lignum: ex quo patentibus rimis coepit paulatim impleri aquis. Timore perterriti nautae, ad litus contendunt pròpere. Quo pervenientes, omnibus quae in navi erant, exportatis, obliti sunt Episcopi in puppi residentis. Tunc unus ex clericis trahens suspiria ex intimo cordis, ait: «Vae nobis miseris quia in tanto periculo obliti sumus nostri senioris.» Et haec dicens, velocius cucurrit, et humeris impositum ad litus exposuit. Quo egresso, navis in posteriori parte mergitur et mirum in modum navis, quae plena hominibus caeterisque suppellectilibus super aquas nataverat, viro Dei cum suis egrediente, non potuit diutius quin mergeretur, subsistere: ut inde colligeretur quia hanc omnipotens Deus sua manu tenuerat, quando vir Dei cum suis in ea manebat. Item alia vice vir Dei Romam pergere desiderans, venit ad fluvium Tar * nominatum: quem tam periculosâ reperit inundatione effusum, ut nec equo, nec navigio aliquis posset transire illum. Sed sanctus pontifex fiduciam habens in Deo, celebratis in ipsius fluminis ripâ Missarum solemniis, praedictum fluvium transvadavit cum incolumitate omnium suorum.

§ **22**. In illis diebus electus Dei pontifex sacrae religionis studio incitatus, divini amoris igne succensus, coepit in ecclesia S. Stephani protomartyris Christi, quae extra urbis moenia sita est, religiosas foeminas congregare: quatenus in sancto proposito tanto liberius ibidem Deo servirent, quanto longius a mundanae actionis labore distarent. Ad quod monasterium dum quaedam matrona ad conversionem veniret et a congregatione suscepta fuisset, coepit in Dei servitio manere devota: et licet literarum scientiâ minus instructa, tamen ad exteriora providenda satis erat idonea. Unde sorores ei voluerunt officium cellerariae commendare, sed illa noluit consentire. Tunc res ad Episcopum defertur. Qui cum eidem juberet obedire, noluit, sed in obstinatione mentis perduravit. Sequenti vero nocte hujusmodi verbis corripitur in somnis: «Quia, inquit, non obedisti Episcopi praeceptis, tandiu ambulandi usu carebis, quousque ab illo absolvi merèberis.» Expergefacta, omnino permansit debilis et clauda et revertente ad civitatem Episcopo, ante ejus praesentiam in lectulo est deportata. A quo de inobedientia pariter correpta est et sanata. Ipsa autem, ut se sensit sanatam, currendo antequam ad ecclesiam Episcopus veniret, praecessit eum, laudans et benedicens Deum.

§ **23**. Quodam tempore dum omnipotentis Dei famulus ad synodum Episcoporum quae in villa regia, Ingelenheim dicta, erat congreganda, pergeret, quemdam pauperem nomine Rotbertum, obvium habuit qui ventris sui interiora foris prolapsa in sinu gestavit. Quem ut conspexit, misericordiâ motus, ei denarium

* Italice *Taro* qui Parmensem provinciam interfluit.

dari jussit, dicens: «In nomine Domini, accipe et vade in pace.» Qui mox eleemosynam accipiens, perrexit ac meliorari paulatim intantum coepit, ut post aliquod temporis spatium sospitati redderetur ad integrum. Idem etiam post mortem viri Dei, aliis iterum praeoccupatus infirmitatibus, ad sepulcrum ejus veniens, sanari meruit, sicut lector suis locis plenius scriptum invenire poterit. Die quadam sancto Dei iter agenti homo quidam astitit, qui Conradi Constantiensi Episcopi obitum certissimum indicavit. Illis vero qui aderant, sperantibus, quod statim requie illius solita exequiarum officia vellet celebrare, ille per secretum nuncium, sibi adesse solitum, sciens quid ex hoc esset verum, ait eis: « Manete interim animaequiores; mane comperietis, quid inde credere debeatis.» Crastinâ die diluculo quidam Constantia venit, qui praedicti viri sospitatem annunciavit.

§ 21. Dei famulus Udalricus licet tempus resolutionis suae jam instare non ignoraret, tamen quandiu potuit, vehiculo superpositus, divini verbi semina in audientium corda spargere non cessavit. Quem equitandi usum, etiam dum adhuc sanus esset, habebat, ut quocumque sibi eumdum fuisset, sellâ super quadrigam positâ solus sederet, comite uno tantum clerico, cum quo, absque impedimento aliorum, posset liberius vacare decantationi psalmorum. Festinabat autem quantocyus Augustae civitatis moenia ingredi, ut ibi sicut bonus mercenarius, praestolaretur finem operis sui. Quo cum pervenisset, quandiu vires sufficiebant, inter quotidiana Missarum solemnia, salutarem hostiam Domino exterius immolabat, ac seipsum interius victimam in ara cordis mactabat. Ad mensam cum aliis sedens, illis manducantibus et bibentibus ipse pene manebat jejunus. Erat ei cibus aut dulcis psalmorum suavitas, aut sacrarum lectionum assiduitas: inter quas maxime delectabatur audire ex quarto libro Dialogorum S. Gregorii qualiter multi e corporibus exempti, in spiritu rapiebantur, ac iterum revertebantur. Inter haec praecepit suarum rerum procuratoribus, ut in omnibus omnino locis, ad suum jus proprie pertinentibus, quaecumque invenire possent, in tres portiones partirentur, et unam ex his, ipso adhuc vivente, presbyteris et pauperibus largirentur. Ipse autem quadam die se ad audiendam Missam in ecclesiam deferri jussit. Qua auditâ, unum tapete coram sancta Cruce sterni fecit, seseque super hoc in orationem dedit, et quasi post dimidiam horam surgens, quicquid suppellectilis habere potuit, coram se importari praecepit, praeter paraturam unius domus ac mensarum, et unum opertorium, quae reliquit ad sui successoris servitium. Caetera cum perspexisset ingemiscendo dixit: Ah, quid mihi haec omnia? quae statim per manus praepositi praecepit partim inter pauperes dividi, partim clericis erogari: sicque vigilanter studuit se ad hoc praeparare, ut pulsanti confestim posset aperire.

Digitized by Google

§ 25. Talia meditando, aliquoties ad superna rapiebatur in spiritu, ac quaedam vidit et audivit, quae etiam ex parte sibi assistentibus narravit. Nam Wernhero Fuldensium Abbati se visitanti annuntiavit, ut si duo in electione ejus caeteris concordarent, sibi in Episcopatu successurus esset. Aderat toti orbi venerandus dies, videlicet Praecursoris Christi natalitius, et vir Dei gravi infirmitatis oppressus languore, quasi de somno evigilans, coepit astantibus dicere: « Vestibus me induite, et calceamenta pedibus meis praebete.» Qui licet illum per excessum mentis putarent talia praecipere, tamen studuerunt obedire. Insuper etiam pontificalibus indutus ornamentis, cum omni, ut mos est, Clericorum officio contra spem omnium processit in publicum, et sic ad Ecclesiam beati Joannis Baptistae, quam ipse construxit, veniens, tandiu sine aliquorum sustentatione hominum invictus perstitit, donec bis, sicut ea die statutum est, sacra Missarum solemnia celebravit. Quibus rite expletis consèdit, atque coram astantibus clericis dixit: « Hujus celebrationem officii non mearum virium possibilitate, sed ex divinitate praesumpsi Christi atque jussione. Nam hodie cum dulci quiescerem somno, astiterunt coram lectulo meo juvenes duo aspectu formosi, quorum unus dixit mihi: Quare non surgis? debes enim hodie ad S. Joannem Missam celebrare. Cui alter respondit: Quomodo potest hoc fieri? quia pro impossibilitate virium adhuc Primam non explevit? Tunc ille qui prius: Surge, ait, et secundum meum sermonem in praefata ecclesia divinum mysterium festina implere: quia praeter te nullus ibi cantabit hodie.» His dictis ad cubiculum rediit, atque imminentem vocationis suae diem laetus expectavit, atque illud Psalmistae saepius iterando dicebat: *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei?* Interim dum ab eo, qui coram se lectoris fungebatur officio, interrogatus fuisset, utrumnam prae infirmitate, qua detinebatur, se de hoc seculo migraturum speraret, respondit: « Certissime scio, quia brevi de hoc transiturus sum mundo.» Cui cum moerens diceret, quem Episcoporum vellet ad corpus suum sepeliendum vocare, maxime cum nullus comprovincialium remansisset Antistitum, qui non esset invitatus ad regale in Francia colloquium, ait: «Nostis terram terrae commendare. Vos tantum, cum tempus fuerit, quod vestrum est, facite: Dei est, mei corporis commendatorem providere. »

§ 26. Paucis vero diebus interpositis, in vigilia Apostolorum, certissime sperabat se migraturum de hac vita. Quod licet nominatim non exprimeret, verbis tamen quibusdam aperuit, ac signis evidentibus declaravit. Sane signis omnibus ad vesperam circumquaque sonantibus, ipse balneatus, et sacris vestibus ad hos usus paratis indutus, humi se prostravit, acsi horâ eàdem moriturus. Finita ergo synaxi vespertina, cum aliorum adjutorio

Digitized by Google

se levavit, et quasi quodammodo mente consternatus, dixit: « O sancte Petre, nunc non fecisti, sicut ego aestimavi. » O beatum virum omni laude prosequendum, cujus spiritus quidem erat promptus, licet caro infirma: cui vivere Christus fuit et mori lucrum, unde tantopere corporeae inhabitationis molem velut carcerem abhorrens, cupiebat dissolvi et esse cum Christo. Iterum spiritu recreatus, per continuos quinque dies mansit quietus, petens ab omnibus venias, et benedictionem tribuens; donec jam aurorâ sexta die illucescente, clericis canentibus et flentibus, in manus Domini spiritum suum commendans, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCLXXIII, aetatis suae octogesimo tertio, Ordinationis suae quinquagesimo, velut in jubilaeo, hoc est plenae remissionis anno, transit de hujus mundi Aegypto, in aeternum victurus ad promissionis terram et supernam regni gaudiorum Jerusalem. Transit autem IV Nonas Julii. Cujus corpus cum ex more ad lavandum esset denudatum, tanta de eo manavit suavissimi odoris fragrantia, ut cunctorum astantium perfunderet nares et vestes. Post haec autem adveniente S. Wolfango Ratisbonensi Episcopo, sancti viri corpus in S. Afrae martyris honorifice humatum est, in quo loco multa per ejus merita fiunt assidue miracula, multa infirmis praestantur beneficia, donante Christi gratiâ qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat, etc.

VITA S. DISIBODI EPISCOPI

A S. HILDEGARDE ABBATISSA JUSSU HELENGERI ABBATIS CONSCRIPTA: SED LAUR. SURIUS STILUM MUTAVIT. NUNCIATUR DIVINITUS REVELATA; SED PROPTER AUCTORIS SINGULAREM SANCTITATEM MINIME CONTEMNENDA.

Obiit anno 674 — Nat. Hibernus.

PRAEFATIUNCULA S. HILDEGARDIS (*a*)

In mystica visione, ut Deus voluit, propter preces et mandatum Praelatorum meorum, Abbatis Helengeri et fratrum omnium, in monte beati Disibòdi Deo famulantium, de vita et meritis ejusdem beati patris aspiciebam, et post oblatas visiones libri meritorum vitae, anno Dominicae incarnationis millesimo centesimo septuagesimo, regnante Friderico Romanorum Imperatore, sub pressura Apostolicae Sedis triennio fere lecto decumbens, ex divinae Sapientiae pietate vocem de coelo, corpore et animo vigilans, ita audivi dicentem:

(*a*) Hildegardes Virgo sanctissima Ordinis S. Benedicti, exeunte XI saeculo in pago *Bickelnheim* in Alamannia, quanto infirmiori et extenuato corpusculo, tanto magis spiritu vivens et supernis ditata visionibus et dignata revelationibus, divinae vocis praecepto, licet humaniorum litterarum penitus ignara, quae caelitus audisset et vidisset scribenda suscepit, jubente insuper Eugenio Pp. III qui in Cardinalium et Episcoporum Rhemensis Concilii coetu quaedam admirandae Christi Sponsae scripta legenda et judicanda commiserat. In his scriptis eminet hujus S. Episcopi *Vita*; Hildegardes enim Reclusae vitam ducebat in loco qui *Disibòdi Mons* appellabatur. Die XVII sept. ejus memoria in Rom. Martyrol. recolitur.

Digitized by Google

§ 1. Electus Dei Disibòdus ab ipsa infantia sua, instar beatorum Nicolai, Benedicti et consimilium, Sancti Spiritus gratiâ perfusus, ad bona omnia, quae vel vidisset, vel audivisset magno cordis desiderio aspirabat, ut possit de illo quoque dici: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem* (*Psalm*. 8): * quae sic accipienda sunt. Pio affectu infantium, verba necdum formare valentium: illorumque qui lac potius sugere, quam mira efficere deberent, tu qui cunctorum Dominus es, nominis tui laudem complevisti, quando mirabilia tua saepe in eis operatus es, illis necdum plenam habentibus medullam divinitus tuam gratiam aspirando, ut multa per Spiritum Sanctum et dixerint et ègerint nescientes: et quando alios contra carnis jura tantâ animi fortitudine roborasti, ut toto pectore ad coelestia tendentes, carnis opera peccando minime perpetrarint. Nec vero quisquam de his debet ambigere, cum satis constet, antiqui serpentis versutiam in sanctis illis bona haec et sancta haudquaquam efficere potuisse. Fecisti enim haec propter inimicos tuos, nempe perditos spiritus, ut ad sui pudefactionem, virtutem tuam in parvulorum ignorantiâ viderent: sicque destruas inimicum, id est, illum, qui in bonis omnibus te abnegat: et ultorem, id est, lapides et jàcula impietatis suae contra dicta et miracula tua vibrantem, ea carpendo et sinistre interpretando.

§ 2. Porro Deus in beato Disibòdo ab ejus infantia usque in decrepitam aetatem per gratiam suam id effecit, ut nec pueritia ejus improbis ludis et levitatibus dedita, nec juventus libidini obnoxia, nec matura aetas ad sinistram intenta fuerit. Adeo enim pompam omnem et fastum mundi hujus animo et corpore calcavit, ut quibusdam stultus, nonnullis vanus, aliis errori obnoxius, plerisque vero etiam admirabilis ea causâ in suis factis videretur, dicerentque isti: Quid est hoc, quod Disibòdus facit? Parentes sane illius ingenui erant et nobiles, praeclaris in Hibernia orti natalibus: sed nec ipsi tamen seculi pompam et gloriam inaniter sectabantur. Tyrannis autem quibusdam superbiâ tumidis, in ea regione complures per vim et tyrannidem opprimentibus, atque etiam hujus beati viri, qui tum adhuc puer erat, parentes in servitutem redigere nitentibus, cum illi non ignorarent se ingenuos et liberâ conditione natos, nec vellent perpeti, ut ab illis praeter jus fasque servitute premerentur, procul recesserunt, et in eàdem regione juxta flumen quoddam una cum filio Disibòdo in oppido habitarunt, ubi etiam literis et liberalibus disciplinis imbuendum, religiosis viris eum commendarunt. Agente autem gratiâ Dei, puer docilis, quae a praeceptoribus tradebantur, capaci ingenio accurate memoriae affigebat,

* Verborum Ps. 8: Ex ore infantium etc. interpretatio.

Digitized by Google

atque ea re parentibus suis, exilii molestiâ laborantibus, non mediocre levamentum adferebat.

§ 3. Ita vero in dies proficiens, et tum aetate, tum sanctitate crescens, a studio literarum ad studia bonorum operum progrediebatur, precibus et eleemosynis vacans: ita ut quicquid de Deo auditione accipere aut discendo consequi posset, illud multâ aviditate complecteretur. Denique per gradus virtutum et aetatis incrementa singulis initiatus sacris ordinibus, cum trigesimum ageret annum, presbyter ordinatus est. Ea autem dignitate cum Dei timore accepta, fecit instar boni cujusdam pharmacopòle, in horto suo herbas et aròmata plantantis, atque in eam curam sèdulo incumbentis, ut hortus semper viridis sit, nec ulla in parte arescat. Memor enim fuit vir sanctus Scripturae, dicentis: Messui myrrham meam cum aromatibus meis: quorum verborum haec sententia esse potest: Ego qui justis operibus recta animi intentione operam navare debeo, carnis meae mortificationem exhibeo praepotenti Deo, quando pro illius amore vitiis peregrinus fieri, illorum spurcitiem et immunditiam fugere, nihilque cum illis commercii habere appeto: sed virtutum excolendis aromatibus ipsum verum Deum amore et veneratione prosequi connitor, coelestis desiderii studio a corde meo illius auxilio non deficiente. In hac nimirum rectâ et sanctâ voluntate hic vir beatus tanquam mortuus mundo fuit, ita ut non pauci id animadvertentes, haud aliter se gererent, quam si illum non novissent: prorsusque ab ejus convictu et consuetudine abhorrèrent, quod se totum ille non carni, sed spiritui servire cogeret.

§ 4. Interea vero, dum ille sic virtutibus addictus, Deo laudabiliter famularetur, atque ea causâ Deum amantibus cumprimis gratus et charus esset: quidam ejus regionis Episcopus ab hac luce ad illam futurae spei vitam commigravit: cumque populus novi Episcopi eligendi causâ ex more convenisset, quidam ex illis qui honestos mores et vitam integerrimam S. Disibòdi non ignorarent, eum sibi Antistitem magnâ animorum consensione elegerunt. Plerìque vero alii, quorum vita erat reprehensibilis, opponebant sese, ita dicentes: Quorsum attinet hominem mutum, nihil loquentem, nullam populi notitiam habentem, magistrum nobis expetere? Verum enimvero Deus omnipotens ad beatum virum respexit. Dicit Scriptura divina: *Humilem et pauperem justificate (Psal. 81)*: id est: Justum qui se causâ Dei ad terram abjicit, seque ex animo egènum et pauperem confitetur, in sanctis operibus justificate. Justitia enim aperto pietatis oculo in eum respicit. Sanctus enim vir iste egregie fuit humilis, paupertatemque perpetuo desideravit, columbino simplicitatis oculo semper in Deum intentus, ut aeternas sibi divitias pararet. Itaque et illum dilexit Deus.

Digitized by Google

§ 5. Itaque elegit eum justus ille judex, vulgo quidem illum abscondens, sed se diligentibus reddens manifestum: atque tametsi quidam id summopere admirarentur, eum voluit et magistrum et antistitem haberi. Cum autem illi, quorum erat sanior sententia, eum cogerent Episcopi onus in se recipere, illi pro singulari modestia indignum se clamabat, et, qua potuit vi, manus ac pedes retrahebat: at illis tamen impellentibus, et praevalentibus qui Deum timebant, divina dispositione etiam invitus in Episcopi sede collocatus est. Tum vero Dei justitiam praedicare et docere coepit, omnesque, quos potuit, hortabatur ut se Deo morigeros praeberent, quodque ab infantia Sancti Spiritus gratiâ perfusus fuerit, jam eructando patefecit. Sanctarum virtutum optima exempla paterno affectu in se illis praebebat: et alii quidem propter virtutes, quas in eo cernebant, amabant eum, et arrectis cordis auribus doctrinam ejus excipiebant. Alii vero, qui divini erant timoris expertes, cum furore vociferabantur: Hic ita vivit, quasi nihil habeat hominis: unde fit, ut nos vitam ab omni humana consuetudine alienam vivere cogat. Ecquis vero illum audire sustineat? atque ita multis injuriis illum afficiebant. At ille paucos eosque fideles sibi adjungens qui ipsi possent in omnibus solatio et auxilio esse, cor suum quotidie affligebat, dicens ad Deum: Ego tuus servus, Dòmine Deus meus, tuae me pietati prosterno, faciens quae jussisti. Tu scis, me non nisi te unum desiderare: planeque confido fore, ut quandoque impleas desiderium meum, sicut scriptum est: *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui* (*Psal.* 36): quod sic accipiendum est: O homo qui in peccatis conceptus et natus es, contra carnis propensiones et affectum delectare in praeceptis illius qui creavit te, ad memoriam crebro rèvocans, quis sit ille qui sua passione redèmit te. Quod ubi feceris, dabit ille tibi ea quae petis: quandòquidem non ea petis quae petenda non sunt.

§ 6. Ea tempestate, qua vir sanctus populo suò verbis et exemplis praefuit, ingens schisma et magna ludibria in tota illa regione extitere: aliis vetus et novum Testamentum oppugnantibus, Christumque abnegantibus, aliis haereses complectentibus, plerisque ad Judaismum se conferentibus, nonnullis in ethnicismum prolabentibus, quibusdam non ut homines decet sed instar pècudum, turpiter vivere appetentibus, aliis denique morum quamdam disciplinam prae se ferentibus propter humanitatem, sed tamen nihil boni facere studentibus. His vero tam foedis erroribus et Babylonicae confusioni beatus Disibòdus se virili et infracto animo opponens, multa opprobria multasque injurias patienter tulit, ipsam quoque vitam profundere magis optans, quam tam absurdis et nefariis rebus suffragari. Cum autem annos aliquot durasset in tot malis aequo animo, licet non sine corporis periculo, nec tamen ea extirpari possent, tandem pertaesus, ad Dominum cum multis

Digitized by Google

lacrymis has fudit preces: O Deus omnipotens qui judicaturus es vivos et mortuos, et in hominum facta inquisiturus: quae mea utilitas est, labore confici in gente hac, quae tuam justitiam non modo ferre non potest, sed etiam rabidis morsibus sibi lacerandam sumit?

§ 7. Sic ille oravit. Porro eorum, quos diximus, errorum architecti et patroni, populusque iis erroribus implicatus, ut viderunt virum sanctum ipsis nolle assentiri, sed potius ubique ipsos sine ulla mortis formidine, multa animi constantiâ reprehendere, non paucas ei tetendère insidias: et tandem incredulorum coacto agmine, e sede sua multis affectum contumeliis exturbarunt. Et ille quidem Deo malens in quiete servire, quam sine fructu diutius apud illos haerere, paucis sibi adjunctis religiosis viris, sedem illam, quam annis decem strenue et pie gubernarat, patriam quoque ipsám et res suas omnes Christi amore reliquit, dicens: neque sibi neque aliis prodesse, si illic velit morari, ubi usqueadeo increverit perfidia, incredulitas, et pertinax iniquitas. Atque ita peregrinationem diu optatam, pro vita aeterna jucundo animo suscepit. Cum autem ex Hibernia egressus esset, multis peragratis regionibus, et locis non paucis accurate exploratis, ubi animae suae posset invenire requiem, tandem in Alemaniam pervenit. Ubi in durum sane et ferum populum incidit, at tamen fessus, aliquamdiu pedem illic fixit, gentique illi verba salutis et sanctitatis exempla proposuit. Nec deerant qui audito illo, amarent sanctum Dei hominem: at permulti nec audire eum sustinebant, tantum abest, ut amore et benevolentiâ pròsequi vellent. Interim dum apud illos moram facit, apud se deliberans, quonam conferre se debeat, gratissima beati Benedicti et religionis monasticae ab illo institutae fama ad eum perlata est. Nam non ita pridem e vita excesserat sanctus Benedictus, et plurimos instituti sui cupidos sectatores post se reliquerat. Intellexit igitur divinitus edoctus vir Dei, desiderium suum necdum completum. Jamdiu enim optarat, ut pro populo suo aliquot verae perfectaeque religionis viros sibi posset adjungere socios. Atque ea causâ rursus loca alia post alia invisit, nec tamen in gentium illarum moribus, quod ipsi placèret, potuit comperire.

§ 8. Flens igitur et orans, dixit ad Dominum: *Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego* (*Psal.* 85) *: quorum verborum ista est significatio: Afflictiones meas miseratus, inclina tu Domine qui omnium es rector, aurem misericordiae tuae, et exaudi verba orationis meae: quoniam inops in anima per mentis pusillanimitatem, et pauper in corpore per afflictionum contritionem sum ego qui te sequi, te diligere super omnia debui. Recordare itaque, quod ab infantia tibi servire studui, tuique amore paupertatem et mundi contemptum

* Versus Ps. 85: Inclina, Domine etc. paraphrasis.

Digitized by Google

semper dilexi. Tum vero Deus propter ingens sancti viri desiderium preces ejus suscipiens, suavi consolatione ejus animum affecit, quemadmodum solet ros in herbam dècidens: atque etiam per nocturnam visionem indicavit ei fore, ut quandoque locum voto suo opportunum reperiret. Fecit enim huic beato viro Deus, ut caeteris amicis suis qui toto pectore ipsum desiderarunt, quibus propter rectam animi intentionem, qua fidenter in eum toto corde intendebant, videndo, loquendo, audiendo, tanquam coram adesse visus est, omnemque ventosam vanae gloriae famam ab illis depulit, qua permulti delectantur: qui pro sua voluntate, quando a Deo quippiam praeter fas obtinere cupiunt, simulatas preces et jejunia suscipiunt: et si id, quod petunt, eveniat ipsis, inaniter sese ostentant et efferunt. Sed ejusmodi homines ceu stipulam ventus disperget. Porro qui vanitatibus moriuntur. ad eas tanquam obdormire videntur: sicque superbia, vana gloria, honoris appetitio, caeteraque vitia divinitus comprimuntur, ne animus humanus ab amore et amplexibus creatoris sui, eorum infestatione ulla ratione avellatur. Beatus itaque Disibòdus gaudio perfusus pro bona spe desiderii sui quandoque coelestis gratiae ope complendi, ubi de hominibus ad Rhenum degentibus percepit, duros quidem et asperos illos esse, sed tamen Ecclesiasticam religionem vitae devotione colere: jam pertaesus ludibriorum ipsum irridentis populi, omnis morae impatiens, propere ad Rhenum intendit iter, atque inde deflectens, et per avia quaeque ingrediens, ad fluvium, quem Glavu vocant, pervenit: quo transmisso, montem excelsum et sylvigerum conspicatus, in eum post decem peregrinationis suae annos ascendit, ibique lassus residens et quietem captans, ad comites suos Gisvaldum, Clementem et Salustum, qui ex Hibernia eum secuti erant, Sancto Spiritu permotus, ait: Haec requies mea erit.

§ 9. Cumque deinde montem illum circumquaque perlustrasset, et cuncta ejus latera accurate inspexisset, amoenitas illius magis ac magis eum incitavit, ut illic cuperet sedem figere, nam et ascensus arduus difficilem praebet, adventantibus accessum, et rivuli ex utràque ejus parte manantes, corporibus magnam adferunt refocillationem. In montis ergo descensu ad Orientem, propter aquae compendium, sibi habitationem designavit, vitaeque institutum, quod diu concupierat, strenue inchoans, orando, vigilando, jejunando, dure et aspere solitariam illic vitam duxit. Socii autem ejus qui cum eo erant, ne sibi invicem gaudio essent singulatim sibi construxere habitacula procul ab illo. Sustentabantur autem aliquamdiu radicibus herbarum, cum alias escas non haberent. Porro mons ille in circuitu cum sylvis ipsi adjacentibus, locis quoque tum perviis, tum inaccessis. non unius alicujus dumtaxat erat, sed ejus provinciae complures homines plusquam

Digitized by Google

unius milliaris spatia sibi vendicabant. Inde accidit, ut vel venationis, vel piscationis in propinquis fluminibus, vel lignorum caedendorum, vel aliarum rerum necessariarum causâ in eam sylvam plerique ingrederentur, et beatum Disibòdum aut radices effodientem, aut alia necessaria circumquaque colligentem crebro cernerent. Inde vero coepit post aliqua temporis spatia in populi notitiam venire. Jam enim rumor sparsus erat in vulgum, sanctum quemdam hominem, cum aliquot sociis a Deo missum, in eum locum advenisse. Quod cum plerisque admirationi esset, ad eum accedebant, et de rebus utilibus cum illo sermones conferebant. Accipiebant autem ab eo verba salutis et vitae. Ab eo enim tempore, quo a patria exulare voluit, usque in praesens multam posuerat operam in gentis ejus lingua discenda, eamque pro suo modo et capere et exprimere poterat. Unde factum est, ut quibus ille sermones et adhortationes indeficientis vitae promebat, ii res corpori sustentando necessarias ei et sociis ejus saepe suppeditarent. Ille vero cum sociis suis pauperes et egenos colligens, quicquid de victu quotidiano superesset, illis distribuebat. Semper enim memoriâ retinebat, Adamum e cibo periisse: attendebatque Antonium, Macarium et eis similes patres, herbis et aspero victu fuisse contentos, ut eorum confirmatus exemplis, corpori suo molles et delicatos cibos non permitteret, ne ab antiquo serpente deciperetur. Quanto autem magis affligebat carnem suam, tanto illum Deus copiosiori augebat gratiâ suâ, et per miracula quoque eum celebrem cunctisque manifestum reddebat.

§ **10**. Permulti enim ad eum adducti infirmi et debiles, per ejus merita divinitus repente curati sunt. Sed hocipsum ille prae humilitate reformidans, humanas laudes, quantum licuit, declinavit. Famâ vero sanctitatis ejus per totam regionem volitante, quidam religiosi homines ad eum venere parvumque oratorium in montis descensu versus Orientem ei aedificarunt, in quo divina officia cum suis celebraret, ut tum ipsi, tum alii ad eum venientes, vitae verba et pascua ab eo perciperent. Alii autem ad occidentem in planitie pedis ejusdem montis, vepres et frutices extirpantes, beato viro hortos et pècudum pascua parvaque tuguria appararunt. Propter eos frutices, quos vulgo studinos vocant, locus ille initio dictus est *Studernheim*. Multi autem etiam ex longinquis regionibus ad beatum virum confluxere, animas suas bona fide et spe illi commendantes. Interim ejus provinciae habitatores, divino instinctu compuncti, timere sibi coeperunt, seque negligentiae accusarunt quod locum illum, quem Dominus ad honorem et gloriam nominis sui per sanctum suum visitasset, ipsi tam propinquum non adirent, nec facultatibus suis ornarent et augerent. Inde adeo factum est, ut principes et nobiles opulentique homines, cum reliquo ejus regionis populo, montem

illum cum omnibus finibus ejus ultra decurrentes fluvios Naham et Glan in longum et latum ei et posteris ejus donarent, ut piis hominibus illic congregatis vitae degendae necessaria affatim suppeterent. Videbant enim in sancto viro mira Dei opera, dicebantque: Laus tibi Domine Deus qui hunc sanctum tuum nobis mittere dignatus es.

§ **11**. Eo autem munere accepto, vir sanctus multum extimuit, recordatus malorum quae erat plurima perpessus in Episcopatu, flexisque genibus Dominum oravit, ut oblatio illa ad fructum et profectum animarum Spiritus Sancti operatione cederet. Deinde diu noctuque multum aestuans, secum animo reputabat, quemadmodum ex longo tempore desiderasset rationem aliquam invenire, qua locum quemdam posset obtinere, ubi religiosos et asperioris vitae studiosos viros colligeret. Didicerat enim in spiritu, par esse, ut spiritalium hominum conventus eo in loco suo creatori serviret. Agente autem Spiritu Sancto, omne animi sui studium et voluntatem ad vitam et doctrinam S. Benedicti qui jam ad Deum transierat, et quosdam beatos viros sanctae institutionis suae fideles administros, iis temporis adhuc superstites reliquerat, appulit, et ad longinqua loca, ubi ea institutio religiose et sancte colebatur, nuncios misit, supplices preces offerens, ut quidam ad ipsum venirent, vineam Domini Sabaoth ad praescriptum doctrinae beati Benedicti plantaturi.

§ **12**. Is enim sanctus Pater Benedictus regulam quae spiritalibus hominibus esset accommodata, e sanctorum vitis sancto spiritu docente et ostendente condiderat. Ita ergo quamplurimos beatus Disibòdus ejusmodi instituti et conversationis viros religiosos ad se adduxit, quibus etiam oratorium et congrua domicilia in montis supercilio, propter difficilem et arduum accessum, contra Orientem construenda curavit, ne adventantis populi strepitu interturbarentur, et fervor atque rigor instituti, quotidiana eo confluentium visitatione dissolutus et enervatus, in desidiam et segnitiem abiret. Porro ipse solitarius permansit in domicilio et oratorio illo quod in montis descensu ad Orientem, ut diximus, extructum erat: ut ad occursantia omnia paratus esset, et supervenientibus pro cujusque ratione et conditione opportuna posset responsa dare. Ea vero fratrum congregatio, tam pietate erga Deum, quam habitatorum numero crescebat: cunctaque agenda et habenda, imperio sancti Disibòdi subjacebant, communisque ab illis vita secundum beati Benedicti institutionem exercebatur. Dabat autem operam sanctus pater, ut congregatio illa consuetudine ipsis perscriptae regulae intantum confirmaretur et coalesceret, ut diabolus vitia in ea parturire non posset, nec suis eam jaculis configere, aut fratres alios ab aliis separare: et ut eadem ipsa congregatio et daemonibus et hominibus terribilis videretur tum vitiorum abstinentiâ, tum concordi

Digitized by Google

studio virtutum. Itaque sapienter docebat fratres contra hostiles aëreorum spirituum turmas humilitate confligere, vanitatemque superbiae, mentis arrogantiam et seculi oblectamenta vitare. Proponebat etiam eis accurate sane quae laus et gloria maneret eos qui legitime certarent, et perpetuo circumspecti et cauti essent.

§ **13**. Denique universum illum fratrum conventum vallo rigoris et districtionis sive severitatis totius monasticae disciplinae munivit et circumfòdit, ne malignus daemon derepente clam in eum irrueret *. Noverat enim praecipuum hoc illi teterrimo spiritui studium esse, ut possit in homines religiosos sive spiritales incurrere: multoque majori eum laetitiâ affici, si vel unum religiosum prava voluntate possit superare, quam si multos evertat homines seculares. Cernit enim eum sui se effecisse similem, cum a coelesti desiderio corruit, quemadmodum ipse per superbiam e coelo ruit. Hoc igitur pacto vir sanctus filios suos coadunare et confirmare conatus est. Id vero ubi seculares homines didicere ex tota illa regione accurrunt, et quicquid ille ad res parandas necessarias facere inchoasset, ipsi promptis animis perfecere. Atque hac ratione effectum est, ut beata illa congregatio annis duodecim ad quinquagesimum usque perfectorum fratrum numerum excreverit. Illa enim tempestate pauci hujus instituti homines visebantur, nec quisquam viam hanc, nisi probatus, aggrediebatur. Sed Spiritus Sanctus qui congregationem hanc plantaverat, etiam rigavit eam, perinde ut ros solet, in pingue solum dècidens: ita ut fratres in ea sub monastica disciplina viventes, de virtute in virtutem proficiscerentur, nec eis remoram aut impedimentum posset adferre antiquus ille insidiator. Ubi enim Spiritus Sanctus se per miracula praesentem exhibet, illic tortuosus ille còluber timidus est, nec est ausus eo se inferre aut ingredi. Si quid vero clam ibi seminet, id Spiritus Sanctus ad ejus ignominiam plane conculcat. Et merita quidem sanctitatemque beati Disibòdi signa et miracula declararunt, eadem citra fastidium saepius repetebantur, semper enim Deus nova facit.

§ **14**. Vir quidam adeo impeditâ erat linguâ e nimia corporis invaletudine, ut verba nulla posset proferre. Is ad virum Dei ex longinqua regione veniens, nutibus et manuum indiciis, prout potuit, lacrymabundus eum orabat, ut apud Deum suis precibus tanto incommodo remedium impetraret. Tum vir pius pro illo orans, et gratiam Dei sibi adesse sentiens, Dominici exempli recordatus, in os hominis insufflavit, dicens: « In nomine illius qui dixit olim muto, Epheta, et ille loqui coepit, tibi praecipio vinculum infirmitatis, quod hominis hujus linguam enervasti, ut dissolvaris, nec deinceps, quo minus loqui possit, ullum ei

* De uno dejecto religioso viro magis delectatur Diabolus, quam de multis devictis saecularibus.

Digitized by Google

praestes impedimentum.» Dixit, et mox lingua illo nexu expedita, articulate humanas deprompsit voces, gratiasque egit Deo et beato Disibòdo. Oblatus est etiam viro Dei hydropicus quidam mire inflatus, cum multis lacrymis salutem petens ab eo. Sed illo nonnihil haesitante, et se indignum affirmante qui rem tantam faceret, amici hominis etiam suas junxere preces: quibus ille victus, omnipotentem Deum pro misero rogavit, eumque manibus suis tangens, benedixit, morbusque divina agente gratiâ paulatim evanuit. Leprosus quoque mire deformis et horridus, ad eum accessit, et primo quidem deprecabatur, ut morbo ipsius mederetur: deinde etiam minas addidit dicens se numquam ab illo recessurum, nisi prius depulsa leprâ. Ea importunitate tandem commotus vir Dei, introduxit eum in domicilium suum, et aliquamdiu retinens eum apud se, Dominumque identidem pro illo rogans, eum sana jam et eleganti corporis cute gaudentem, a se dimisit, re ipsa omnibus prodente, quid in eo divinitus actum esset. Plura alia per hominem Dei facta sunt miracula in caecis, claudis, debilibus, daemoniacis, et qui noxiorum humorum infestatione rationis usu carebant: qui omnes et ex vicinis et remotis locis ad eum perducti, curabantur virtute divina quae illi aderat.

§ **15**. Duxit autem vir sanctus inter suos vitam eremiticam, quae est radix vitae monasticae vel coenobiticae. Ejus enim vitae cultores a mundo prorsus separati et abstracti, in solitudine degunt, angelicis laudibus occupati : estque ea vita tam ardua et difficilis, ut permulti prae animi et corporis imbecillitate eam ferre non possint, si repente et inconsulto ac temere illam suscipiant. Porro sanctus pater Disibòdus in ejusmodi severitate vivens, subditos suos ad omne opus bonum verbis et exemplis animavit, ut solent, qui ignem jam ardentem appositâ materiâ magis etiam ardère faciunt. Atque eâ causâ, vivente illo, alium magistrum non requirebant, maxime cum ejus jussu et voluntate tales inter se haberent, qui ipsos sine offensione et murmure per iter rectum dirigerent. Habitum autem monasticum, quo ejus congregationis fratres utebantur, ipse non induit. Permiserat enim illis vivere ad praescriptum regulae Sancti Benedicti, cum ipse severius et magis arduum vitae genus sequeretur. Idcirco autem habitum illum sumere noluit, ne si fratribus habitu similis esset, nec tamen quicquam remitteret de suae vitae asperitate et rigore in jejuniis, vigiliis, caeterisque carni molestis exercitiis, ipsorum instituto derogare, et vivendi communem modum evertere videretur. Nam quoad vixit, vilissimo alimento, quod corpori sustentando vix sufficeret, et aspero duroque indumento, sicut e sua terra peregrinaturus exierat, frequenter utebatur, imitans beatum Paulum primum eremitam, ejusque similes patres qui in sylvis potius quam villis vitam exigere voluere. Porro

Digitized by Google

divina mysteria in altaris ministerio ab eo tempore, quo e sua sede ejectus est, usque ad vitae finem, non ut antistes, sed ut pauper presbyter celebravit, nihil prorsus ea ex re moeroris accipiens, sed potius animo exultans, Christi passionem imitando. Spiritalem vero patrem et defensorem, ut par erat, congregationi illi saepenumero praeficere voluit: sed fratres omnes plane recusarunt, nullum alium praeter ipsum, patrem et doctorem habere volentes, dicentesque se alios quidem habere inspectores conversationis suae, sed illum, donec viveret, ut ipsis in Domino sublimius praelucèret, nullo pacto mutaturos.

§ **16**. Itaque propter animi pietatem et sanctum propositum per multas provincias illorum fama sparsa est, compluresque venerunt ad eos, consilia et auxilia animarum saluti opportuna ab eis expetentes. Permulti etiam ex iis qui in hac degebant regione, et vicina monti praedicto, cujus ambitus et latus et longus est, loca incolebant, suavissimo odore et famâ sanctae conversationis eorum invitati, praedia et facultates suas Deo et beato Disibòdo absque omni retractatione offerebant, et quasdam villulas in ea, quam diximus, sylva sparsim aedificabant, quae illīs fratribus usui forent. Cum autem vir Dei diu illic laborasset, et jam prae nimio labore vires corporis pene deficerent, filiis suis tremebundus in Spiritu Sancto praedixit, ea prosperitate et securitate, qua hactenus sine offensione usi fuissent, ipsos non semper potituros, sed multas et magnas angustias et afflictiones perpessuros. Diabolus enim, inquit, quem recte vivendo saepius egregie pudefecistis, multa populi ludibria et irrisiones in vos et posteros vestros excitabit, summopere eo connitens, ut perturbare vos queat: at tamen multis gemitibus, magno cordis dolore, ingenti desiderio hactenus id obtinere conatus sum, ne dum spiritus hos reget artus, mihi videre contingat afflictiones vestras: idque ita fore confido in Domino: sed post obitum meum, qui brevi erit, quando jam vires corporis mei confectae sunt, et post afflictiones has, quas passuri estis, extrema tempora vestra prioribus feliciora erunt, et omnibus rebus animae corporique necessariis magis etiam abundantia, quam hactenus me vobiscum manente.

§ **17**. Haec cum illi audissent, magno dolore affecti, lacrymis madentibus oculis lugebant, quod finem ejus adventare didicissent: eoque rumore in vulgus abeunte, multi ad eum invisendum incitabantur. Cumque venissent ad eum, audiebant illum, ejusque se precibus et sanctitati commendabant. Ille vero salutares adhortationes eis reddens, filios suos et locum sibi dono datum, vicissim illis commendabat: utque animis suis verba ipsius attentius affigerent, non celabat eos propinquum obitus sui tempus. Ea re cognita, lugubri voce multos dabant gemitus, et quoad vixit, solito frequentius eum visitarunt. Unde autem finem

Digitized by Google

suum adesse sciret, nemini indicare voluit, demptis paucis religiosis viris, qui fere omnium secretorum ejus erant conscii. Iis enim exposuit, angelica revelatione cognovisse se suam a corpore migrationem: caeteros vero id latère voluit, quod omnium operum suorum, ne humana laude perirent, quantum potuit, zelantissimus esset. Jam triginta annis in eo monte Deo fideliter servierat, et fratribus suis necessaria quaeque abunde subministrarat. Inde porro aegrotare coepit, plus labore, quam senio exhaustis corporis viribus. Convocatis igitur fratribus, patrem eis nominavit, eundemque tum primum ipsis petentibus praefecit, omnia quae ejus loci erant, illi committens. Ante illum enim diem patrem sibi designari noluerant alium, praeter ipsum cui uni in omnibus tanquam patri obedierant. Locum quoque sepulturae suae illis ostendit, cum lacrymis et gemitibus eos orans, ne in sublimi aliquo loco, sed in humili oratorii ipsius umbraculo, in quo Deo solitarius servierat, ipsum humarent. Polliciti sunt fratres, se id curaturos, sed id sine magno dolore et lacrymis non fuit. Simul etiam omnia ejus bona opera et institutiones singulatim commemorabant, acerbeque plangentes, dicebant: Eheu, quid nobis futurum est, ubi te patronum et consolatorem corporum atque animarum nostrarum amiserimus? Ut autem cervus sitibundus fontes aquarum expetit: ita illi sanctum virum cupiebant apud se diutius retinere: quod antea quidem prae gaudio, quo crebro ex illo fuerant affecti, cogitare non poterant.

§ **18**. Denique ingravescente dolore, iterum convocatis fratribus, finem suum jam imminere, ut potuit, significavit: atque ita post multos exantlatos labores, post multas toleratas cruces et afflictiones, anno aetatis suae octogesimoprimo, octavo Idus Julii a corpore migravit, Domino, cui fideliter servierat, coram fratribus spiritum reddens. Tum vero suavissimus omnium nares perfùdit odor ceu balsami, myrrhae et thuris cunctorumque aromatum, et multa sunt illic divinitus edita miracula. Fama autem per omnem provinciam illam mox divulgata est, beatum Disibòdum e vita excessisse. Itaque copiosissima hominum multitudo ad ejus properans exequias, cupiebat ejus sepulturae interesse, et signa, quae illic fierent, videre. Tumulatus vero est in exiguo sui oratorii, quod ipse sibi paraverat, umbraculo, ut ejus precibus fieret satis. Is autem, quem diximus, mirae suavitatis odor ad trigesimum usque diem apud ejus sepulcrum perduravit: atque interea septem daemoniaci liberati, triginta claudi, multi caeci et surdi, compluresque alii, variis pressi morbis, ad contactum tumuli ejus, praestante Domino, curati sunt. Et quia multa haec signa erant, et ea tempestate frequens erat, ut miracula fierent, homines insolentius, quam par erat, exultabant animis, dicebantque: Omnipotens Deus post obitum beati Disibòdi

Digitized by Google

plura et majora efficit signa, quam illo vivente. Itaque confidimus ab omnibus periculis per ejus merita nos liberatum iri: praestante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum, Amen (*a*).

VITA S. MACLOVII EPISC. ET CONFESS.

AUCTORE SIGEBERTO MONACHO GEMBLAC. QUI CLARUIT SAECULO XII.

Obiit an. 565 annos natus 130 — Nat. Britannus.

§ **1**. Praeconia sanctorum, quae valde sunt in oculis Domini pretiosa, nullatenus sunt reticenda, verum omni memoriae tradenda. Nihilominus credendum est, omnipotentis Dei virtute facta esse sanctorum miracula pro felici eorum vita, prius cordibus eorum coelesti munificentià indita. Ergo primum indaganda est amicorum Christi vita, ut, dum eam studemus imitari, proficiat nobis virtutes eorum mirari. Siquidem nihil nos juvat stupere miracula, sine felicis vitae imitatione proficua. Jam nunc beati viri vita ad medium deducatur, ut, dum ejus merita recolendo ad ejus imitationem animamur, intercessionis gratiam in opportunitatibus habere mereamur.

§ **2**. Sanctus Maclovius nobilitate parentum apud homines seculi inter suos non mediocriter inclytus, citra oram Britannici maris fuit editus. Pater ejus Guent nomine, Comes fuit, qui urbis Gimicastrum vocatae *, conditor extitit. Matrem ipsius Darval appellatam accepimus. Et quia in omni rerum eventu nunquam abest Dei dispensatio, patuit etiam in hujus sancti viri nativitatis exordio. Natus est enim in die sancto, quo omnis mundus Paschalis solemnitatis celebrabat gaudia: ut in die, quam fecit Dominus, ut exultemus et laetemur in ea, etiam hoc gaudii mortalibus adderet divinae pietatis gratia. In hujus quippe articulo diei nati sunt in ipsa vicinia etiam alii trigintatres pueri. Quod quia creditum est dispensativa Dei ordinatione factum, placuit parentibus omnium, ut qui nascendo sortiti fuerant unius contemporalitatis exordium, unum in Christo tenerent vivendi contubernium. Nam omnes simul cum S. Maclovio ** scholaribus studiis eruditi, omnes simul divinae servituti sunt mancipati.

§ **3**. Bonae itaque indolis puero electo a Deo ad beatitudinis

(*a*) Monasterium a B. Disibodo fundatum in Moguntina Dioecesi, nomen ab eo accepit *Dysenberg* eoque loci S. coli Episcopum memorant Bollandistae.

* Angl. *Gastel-Went*, nunc *Chepstow* ad amnen Wye.

** Maclovius scribitur latine etiam Machutus, Machutes, Maclavius, Macliavus. Gallice autem *Malò, Maclou*, atque *Mahout*. Hodierna est dies obitus. Vide infra. p. 621.

opera exequenda, jam tunc divinitus inspirabatur, quod ait Sancta Scriptura: Ex studiis suis cognoscitur puer, si munda sint opera ejus. Et: *Beatus qui portaverit jugum ab adolescentia sua* (*Thren.* 3). Ab ipsis enim infantiae annis occupationi secularis vanitatis abrenuntiavit, et libertati divinae servitutis se sociavit. Qui, ut plenius haberet scientiam doctrinae et cognitionem Dei, arctius se addixit sanctarum scripturarum eruditioni in cujus rei intentione otiositas, quae inimica est animae, reprimitur: in cujus meditatione Deus agnoscitur. in cujus executione vita aeterna acquiritur. Appetebat scientiam, quae per charitatis humilitatem aedificat: refugiebat illam, quae per vanitatis elationem inflat. Incipiens etiam corpus suum castigare, et illud in servitutem spiritus redigere, assuescebat simplici victu et vestitu contentus esse, vilipendens corporis frigora, indignum ducens distendi ciborum copiâ, ne aliquo modo dominaretur animae suae per indulgentiam corporalis necessitatis carnis petulantia. Ideo exceptis his, quae expetebat simplex necessitas naturae, reliqua omnia expendebat in opera eleemosynae.

§ 4. Deus ergo, qui servos et prophetas suos aliquando etiam in ipso matris utero novit sanctificare, non distulit servum suum in primaeva aetatula sua virtutibus et signis mirificare, qui jam in ipsa infantilis aetatis simplicitate non destitit per bonam intentionem seipsum ad serviendum Deo praeparare. Dum quodam die cum coaevis sibi pueris ludendi gratiâ processisset ad litus maris, aliis in otioso ludendi negotio intentis, hic humi reclinato capite, somno coepit indulgere. Cum subito inundando redeuntis maris aestu adveniente, quod secundum Lunae cursum in mari Britanniae fieri est solemne, reliqui pueri fugâ consulunt vitae suae, illum dormientem in tanto periculo non occurrentes excitare. Sed puero ad salutem multorum nato, non longe abstitit Dei protectio, procurata magno rerum miraculo. Nam cum undique aquae circumfluerent, et undae undis supervenientes cum fervore tumendo circumstreperent, et tamen circumducto undique circulo, locum in quo puer jacebat, attingere non auderent, omnipotentia Dei fecit illic insulam excrescere, quae usque ad summum aequoris porrecta sui altitudine futurum Christi antistitem eruit a mortis discrimine. Tam vero inopinato in oculis omnium apparente miraculo, operâ parentum suorum citius procurato navigio, eductus est placitus Deo puer de maris periculo. Ne autem unquam a memoria excideret hujus facti novitas, et ut per hoc magis claresceret beati viri sanctitas, eamdem insulam usque in hodiernum diem permanere fecit divinitas, et, ut credimus, usque in finem hanc pro testimonio habebit posteritas.

§ 5. Sanctus postea Maclovius de adulta infantia transiens in pueritiam, quanto ampliorem divinae inspirationis cum cremento

Digitized by Google

aetatis hauriebat gratiam, tanto avidius atque instantius cor suum praeparabat ad appetendam Angelicae vitae sanctimoniam. Sciensque ex ore Domini, beatitudinem videndi Deum promissam esse mundis corde, ab ipsis pueritiae rudimentis se devovit operibus munditiae. Volens enim placere Deo corpore et spiritu, elegit omnem aetatem suam agere in virginitatis coelibatu. Sicut enim testa recens, quo semel est imbuta, diu servat odorem: ita et ei utile visum est, rude vas corporis sui aptare quamprimum ad sanctificationem et honorem, ne corrumperetur per carnalis desiderii passionem. Quod ut liberius et perfectius posset exequi, per parentum devotionem et propriam voluntatem assumpsit habitum Ordinis monastici. Ubi positus sub regularis disciplinae custodia, quam strenuum et promptum se exhibuerit prae caeteris in obedientia, saltem ex hoc probari poterit, quod invidiâ coaequalium suorum carere non potuit: quae semper ex aliorum profectu et gloriâ nascens, in seipsa contabescit. Patiebatur enim inter coaevos suos, quod Joseph olim passus est inter fratres suos. Joseph polymitâ tunicâ a patre donatus, et ab eo plus cunctis fratribus amatus, quia fratrum vitia carpebat, invidiam sibi conflaverat. Hic etiam, quia talarem perfectionis tunicam, et virtutum colore variatam a Deo meruit, aequalium suorum invidiam effugere non potuit. Mos est Ordinis illius, pueros ferre hebdomadatim lucernam cum luce ante paedagogum suum, quando nocturno tempore intrant vel exeunt oratorium. Adveniente ergo hebdomadâ felicis pueri, compares ejus extinxerunt ignem, quo debebat lucerna accendi: optantes, ut saltem pro hac offensa sufferret verbera magistri. Quid ageret simplicitas pueri? Ad officinam, ubi ex annonis aquâ infusis atque decoctis conficiebatur cerevisia, cucurrit, et ignem sibi dari a ministro petiit. Sed nec in crudo rustici pectore diabolicae invidiae malitia defuit. Aspernatus enim supplicis pueri humilitatem, negavit porrigere ignis fomitem. Ille angustiatus prae timore magistri, prunas a camino ardentes imposuit vesti, et ad lucernam accendendam recurrebat gressu celeri. Sed inveniens eam jam accensam divinitus, prunas excussit vestibus, quae tamen illaesae omnibus apparuerunt. Paedagogus geminato miraculo stupefactus, alumni se provoluit genibus. Et deinceps debitae venerationi habitus, cum omnes anteiret gloriâ, tamen charus erat omnibus.

§ 6. Vir sanctus quia Christi sacerdos erat futurus et caput et caudam hostiae in sacrificium Dei offerri debere sciebat, de die in diem de virtute in virtutem proficiebat, et per scalam bonorum operum gradatim ad summum perfectionis scandere laborabat. Quicquid enim in tenera aetate Deo fideliter vovit, id opportuno tempore sinceriter solvit. Ante omnia castitati operam dedit, sciens quia nisi mundum vas fuerit, quodcumque infunditur, acescit. Habens ergo praecinctos lumbos hac virtute

Digitized by Google

castitatis, etiam lucernam ardentem tenebat in manibus suis, cum per bona opera lucis exempla monstrabat proximis. Ita fideliter et prudenter gèminans a Deo sibi credita talenta intellectus et operationis, quoscumque potuit verbo et exemplo allicere ad propositum sanctae conversationis, participes et socios sibi concivit ad scandendum iter perfectionis. Jam vero quam ei frugalitas amica fuerit, quam ei parsimonia placuerit, quomodo utrinque reducto fune temperantiae, semper mediam virtutum viam in omnibus tenuerit, satis ex hoc patuit quia ad summum sanctimoniae culmen feliciter pervènit. Cujus vitae rectitudine omnis populus ad meliorationem morum non parum directus et miraculorum ejus gloriâ nimis jucundatus, promoveri eum fecit ad Ordinem Episcopatus, ut uberius sanctificari ejus benedictionibus mererentur.

§ 7. Cum enim in hoc totus esset, ut jam jamque perfectionis iter arriperet, cum de more interesset Ecclesiastici officii mysterio, audivit Evangelium pronunciari a Diacono: *Si quis venit ad me, et non odit patrem et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus:* et, *Qui non renunciat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Et rapiens vocem ex ore Diaconi, credens hoc consilium sibi in tempore mandatum esse ex ore ipsius Domini, ex ipsa lectionis opportunitate patrem suum convenit, legationem Dominici mandati per Diaconum sibi missam ei objecit, et licentiam abrenunciandi sibi suisque omnibus ab eo humiliter petiit, seque trans mare peregrinationem pro Christo velle suscipere praedixit. Pater diligens filium nimis carnali affectione, quem gaudebat rediisse de tam longinqua peregrinatione, voluit bonae ejus voluntati contraire. Et praecurrens ad maris litus, amotis usquequaque navibus, interdixit potenter nautis omnibus, ne quis eorum filio suo facultatem transfretandi praestaret aliquatenus. Sed vir Apostolicae vitae, sciens Dominum praecepisse. Si dextera manus, vel pes, vel oculus scandalizat te, erue eum, et projice abs te: maluit solus ad vitam ingredi, quam cum parentibus suis perniciose dilectis, in gehennam mitti. Omnem ergo carnalis necessitudinis affectionem postponens Christi amori, abrenunciavit patri, abrenunciavit paternae facultati, abrenunciavit etiam sibi, ut nudus et expeditus sequeretur discipulus vestigia magistri.

§ 8. Ascitis itaque omnibus qui secum tenebant propositum monastici ordinis, allegato quoque magistro suo Brendano Abbate *, venit ad litus maris. Ubi amotis navibus et nautis omnibus, juxta interdictum patris sui, cum nulla suppeteret via transfretandi, recolebat illud Psalmistae: *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine* (*Ps.* 117). Cumque cor ad

* Colitur die XVI maji.

Deum solum suspenderet, ecce navim vacuam hominibus praesto adesse videt, quam Christus ipse regebat: vir tamen sanctus puerum eum esse credebat. Qui puer mox illum ad navigandum invitavit, et quorsum iter vellet dirigere, eum interrogavit. Respondit ille quo voluntas Domini iter suum vellet dirigere, eo se libenter sequi velle. Adjecit puer: In sinu hujus sali est quaedam insula quam habitat vir satis probatus in monastica vita. Hic Aaron vocatur: a quo etiam locus, Insula Aaronis cognominatur. Ad hunc te dirigam, et te ab eo officiosissime excipi et humane tractari faciam. Hac vice sermonum intellexit tandem vir Dei, puerum cui colloquebatur, illum esse quem invocaverat, Deum. Cumque accelераret provolvi loquentis genibus, dicto citius evanuit ex oculis ipsius.

§ **9**. Igitur felicis navigationis viam aggressus, prosperis ventis, et recto tenore cursus ad insulam Aaronis est directus, et juxta promissum Domini, officiosa humanitate a famulo Dei est exceptus. Ibi cum sancto sancte vivebat et cum innocente innocenter agebat, et factus alter alterius speculum, si quid in semetipsis videbant esse corrigendum, aut adjiciendum, charitativa aemulatione meliorabat alter per alterum. Ibi ergo mundi hujus peregrinus permansit aliquantulum temporis, donec placuit divinae omnipotentiae, etiam in hoc seculo ei reddere mercedem laboris, in futuro servans ei plenitudinem remunerationis.

§ **10**. Jam fama nomen ejus celebre fecerat ubique, jam omni populo erat in ore quod peregrinus ille miraculorum pollèret potestate et supra homines doctrinae afflueret ubertate. Jam omnis populus in ejus declinaverat amorem, eo quod videret in eo esse et pii patris affectionem et facundi doctoris auctoritatem. Quocirca cooperante sibi divinâ gratiâ, fecerunt eum inthronizari in Episcopali cathedra, in urbe quae vocatur Aletha quae non longe aberat ab Aaronis insula (*a*). Hanc urbem fluvius, nomine Rinctus, ex uno latere, ex altero alluebat mare. Illis in partibus adhuc daemonum vigebat spurcitia, et jam passim Evàngelii regnante gratiâ, ibi restiterant idololatriae vestigia. Accinctus itaque vir Dei gladio verbi Dei, ostendit quam fidelis esset suo regi, pro ejus amore aggressus debellare regnum diaboli: nec ante destitit quam infidelium corda, virtutum mirificentiâ et doctrinae affluentiâ ad credendum inflexit et a regno diaboli abactos, Christi jugo subjècit. In hac vicinia sanctus Samson manebat qui beati Maclovii consanguineus erat. Hic in territorio urbis, in qua Episcopatum administrabat; non mediocriter laborem impendebat, ut de regno Domini sui exturbaret paganismum et ad laudem Dei ampliaret Christianismum. Sic in regione

(*a*) **Scopulus jam Aaronis dictus ubi resedit postea S. Maclovius, apud urbem Aleth in ora maritima Britanniae minoris, cujusque Episc. is fuit (at Regionarius), nomen ab eo accepit *S. Malò*, nunc continenti gallico per isthmum conjunctus.**

illa per fortes milites Christi, diminuta est adversae partis potentia et dilatata est longe lateque Christianitatis magnificentia.

§ **11**. Vigiliam Paschae Christianus populus celebrabat et in celebrandis Missae mysteriis sacerdos intentus erat. Et ecce tristes defuncti exhibentur exequiae et animos audientium ad compatiendum movent plangentium lacrymae. Plus cunctis movetur et ipse sacerdos, qui totus erat in misericordia et praestolari jubet, dum finiatur Missa. Circumstante frequentiâ populi, monet omnes appellare clementiam Domini: ut qui dominatur morti et vitae, dignaretur per membra rigentia vitalem animae calorem refundere. Nec longum fuit, et qui dixit: *Omnia possibilia sunt credenti*, devotioni fidelium adfuit: resurgit mortuus, et horrorem incutit omnibus, et palam fecit omnino Deum favère fideliter petentibus. Ut vivus astitit, poculum vini sibi porrigi petiit. Quid sanctus vir faceret? Vinum quod sitienti porrigeret, non habebat: aquae poculum quod porrigebat, tangere sitiens nolebat. Iterum confortatus in fide, recurrit ad fontem misericordiae, petens, ut qui orationi fidelium impenderat majus dignaretur impendere et id quod erat minus. Mox infundens vasi aquam, per virtutem sanctae benedictionis mutavit illam in vini naturam. Sicque porrigens homini redivivo novi vini poculum, non minimum divinae pietatis ostendit omnibus miraculum. Quem itaque alienis manibus carruca ad sepeliendum illuc advexit, ipse eam laetus domum reduxit, et quoad vixit, idoneus suae resurrectionis testis extitit.

§ **12**. Gessit et aliud, vel pro solo pietatis intuitu satis praedicabile. Imitatus Paulum Apostolum, cui manus suae operando supplebant, si quid sibi deerat: et ipse labori manuum suarum intendebat, quando ab evangelizandi officio vacabat. Cum quadam die in putanda vinea laboraret cum fratribus, depositam cappam reposuit in abdito, ut operari posset expeditius. Finito opere, cum cappam vellet recipere, aviculam quam vulgo bitrionem vocant, invenit, super eam ovum posuisse. Qui sciens nec aviculis deesse Dei providentiam (quippe quarum nulla sine patre Deo cadit super terram), dimisit ibidem cappam, donec fotis ovis, pullos in tempore excluderet avicula. In qua re et illud mirabile fuit quod quanto tempore illic cappa jacuit, nulla pluvia illam violavit. Quod quicumque audierunt, in Deo virtutem cum gratiarum actione magnificaverunt, in homine Dei pietatem laudaverunt.

§ **13**. In pago urbis Alethae, in qua antistabat Maclovius venerabilis, filiam habebat vir quidam praenobilis quam miserabiliter vexabat diabolicae infestationis passio intolerabilis. Omnes enim se contingentes attrectabat morsibus, nec ipsis parcebat parentibus. Nec comprimi aut sedari poterat hujus malae valetudinis vehementia, nisi ferreis catenis arctaretur tam immanis

Digitized by Google

insania. Pater, cujus animo, filiâ aegrotante, nihil poterat esse jucundum, ad medendum filiae suae, felicem invitat Maclovium quem olim audierat in curationum efficacia esse gloriosum. Nec differt ille misericordiam, sed credens quia facile est Deo, praestare fideliter petenti medèlam, pergit ad puellam: et volens diabolicae malitiae comprimere dolum, sudarium suum projècit in furentis puellae collum. Tunc vero potuisses audire horribiles voces daemonum, servo Dei in haec verba exprobrantium: O transmarine incola, non potuit te sustinere patria tua qui venisti huc quaerere aliena, et nos expellere de regione nostra? Discipulus Christi vilipendens haec inimici improperia, et gaudens cum magistro et Domino suo sibi ea esse communia, cui subdolâ confessione acclamabant daemonia. Quid nobis et tibi, Jesu fili Dei vivi? Venisti ante tempus perdere nos? exemplo Dominicae increpationis, comprimebat falsitatis vaniloquia. Sciensque hoc daemonium esse de illo genere, de quo dicitur a Domino, *Hoc genus non potest ejici, nisi in oratione et jejunio:* fusâ super aquam exorcismi oratione et addita Episcopali benedictione, potum dedit puellae. Per aquae benedictae poculum, infusâ virtute benedictionis per membra puellae, diabolica immissione diu contrita, cècidit in terram puella, quasi mortua. Paulopost resumpto spiritu, surrexit sana et laeta, effugato pessimi pervasoris impetu, et laetificavit alios pro integro restaurate incolumitatis statu. Pater videns satisfactum desideriis suis, pro gratiarum actione ditavit sanctam Ecclesiam Dei praediis et xeniis pretiosis. Quia gloria aut raro, aut numquam caret invidiâ, non pertulit diu tantam Maclovii gloriam antiqui hostis versutia: sed ne in regno Christi invalesceret amplius boni militis gratia, suscitavit contra eum hostes armatos dolo et injustitiâ, insuper fultos non mediocriter seculari potentiâ.

§ **11**. Hailoch quidam qui potenter principabatur toti Britanniae, stimulatus instinctu diabolicae malitiae, coepit basilicam destruere, quam beatus Maclovius fundaverat in praedio suae parochiae. Vir Dei apud aures principis agebat lacrymis et precibus, ut dignaretur desistere a destructione Ecclesiasticae domus. Sed ille efferatus per conceptam iniquitatis insolentiam, non poterat mitigari vel refrenari per aliquam piae admonitionis gratiam. Contra hujusmodi secularis dominationis potentiam, ad munimen et firmamentum sui, solam Maclovius assumpsit patientiam. Sed qui ad suos fideles loquitur per prophetas, *Qui tangit vos, tangit oculi mei pupillam* (*Zach.* I): et, *Mihi vindictam, et ego retribuam* (*Deut.* XXXII): non dimisit inultam pauperum suorum injuriam: et sicut Saulum recalcitrantem percussit triduana caecitate, ut postea totum mundum illuminaret aeterna claritate: percussit et hunc temporali caecitate, ut per tenebras transitorias liberaretur a peccatorum obscuritate. Extemplo ad cor reversus, et

Digitized by Google

poenitudine praecordiali compunctus, ad satisfaciendum Episcopo cucurrit quantocyus, se reum esse protestans amaris fletibus, se merito excaecatum esse confitens lacrymosis questibus. Ille qui didicerat a magistro summae bonitatis, etiam inimicis esse benefaciendum et pro persequentibus et calumniantibus nos esse orandum, cito et misericorditer indulsit poenitenti reatum. Et pròvidens ei utriusque hominis salutem, aquâ benedicta eum perfùdit, et oleo sacro oculos ejus perunxit, et ita ei pristinum visum restituit: pro admissa tamen temeritate congruum poenitendi modum indixit. Dux videns et animae et corpori utilem esse suam satisfactionem, Ecclesiae Dei non parvam delegavit terrarum haereditatem, et copiosam in re mancipii contulit benedictionem. Deinde quoad vixit, servum Dei uti patrem filius unico amore dilèxit, eique suisque tutor et adjutor opportunus fuit in omnibus.

§ **15**. Sic antiquus hostis hoc primo congressu victus discessit, sed non defatigatus cessit. Sicut enim olim ipsi Domino congressus, non recessit prima tentatione victus, sed secundo et tertio arma restaurare est ausus: in prima quoque Maclovii victoria non destitit a suis conatibus. Dux Hailoch qui se totum humiliter inclinaverat ad Maclovii obsequelam, et pro ejus gratia se totum potenter erexerat ad Ecclesiae Dei tutelam, postquam ingressus est universae carnis viam, morte sua locum fecit iniquis opprimendi Ecclesiam. Surrexit enim post eum impia generatio quae aversa facie a Deo, descivit penitus a rectitudinis consilio. Hinc nactus opportunitatem diabolus, et talibus utens officialibus, in virum Dei mille insurrexit artibus. Filii itaque Belial Maclovium infestantes execrabili odio. invehebantur in eum hujusmodi convicio*: Quis, inquiunt, hic regno nostro improbus successit advena qui usquequaque nobis concitat scandala? Quis est iste pellax sycophanta qui blanditiis suis humana a se alienat pectora? Quis iste est cupidus haeredìpeta qui ex nostris incommodis sua hic comparat commoda? Cum Apostolis et Apostolorum successoribus nihil in terra sit possidendum, hic sub obtentu paupertatis, velat cupiditatis vitium: et sub praetextu eleemosynarum, avaritiae exercet emolumentum: sub obtentu longae orationis, expoliat domos viduarum. Qui omnia se pro Christo reliquisse mentìtur, et omnia se in Christo habere gloriatur, nos et filios nostros exhaeredat, et haereditates nostras sibi avide captat. Qui sua se non curare simulat, cur aliena dispensat? Nihil ergo nobis magis utile, quam jam jamque nostris fessis rebus consulere, et hunc longe a regno nostro exturbare, et haereditates injuste ecclesiis mancipatas, iterum occupare. Siquidem nobis et filiis nostris nihil relìqui fecit qui sibi omnia nostra usurpavit.

* Ecce tibi (*hic Surius adnotat*) argumenta bonis ecclesiasticis inhiantium!

Digitized by Google

Solam spem futurorum nobis pretio omnium rerum nostrarum vendit, quarum usumfructum ipse in praesentiarum capit. Saepe lacessentes sanctum virum tam injuriosis invectionibus omni genere persecutionis eum exasperant, et homines ejus saevis verberibus tormentant: omni rerum direptione omnino Ecclesiam Dei devastant.

§ **16**. Pontifex Maclovius, qui ante Deum et homines sine querela justitiam tenere volebat pusillos Christi adeo ab impiis scandalizari, gravius quam dici possit, ferebat. Pro illis etiam sacrilegis, tam acuto avaritiae stimulo instigatis, nimis dolebat, quos apud Deum nulla ignorantiae excusatio absolvebat, quos videntes et volentes cupiditas in praeceps trahebat. Inde enim nequam et lividum invidiâ oculum habebant, unde patres eorum boni fuerant. Patres quippe eorum peccata sua, eleemosynas faciendo, redèmerant: isti, eleemosynis derogando, peccata sua cumulaverant. Ille doctus in patientia sua possidere animam suam, « Si, inquit, Dominus meus Jesus fugiendo declinavit Judaeorum perfidiam, cur ego homunculus non devitem cedendo istorum malitiam? Ecce quia isti ut vulpes foveas dolositatis, et ut vòlucres habent nidos vanitatis, et nos cum Filio hominis non habemus ubi caput reclinemus in illis: cedamus, et occasionem peccandi in nos, saltem fugiendo tollamus. Excutiendus est pulvis de pedibus nostris in testimonium illis. Et quia non sunt hic filii pacis, apud quos pax Christi requiescat, pax nostra ad nos redeat. Quando dixit Dominus noster Jesus, *Cum persecuti vos fuerint in civitate ista, fugite in aliam:* praevidit profecto hanc fugiendi occasionem quandoque nobis incutiendam. Agamus itaque, fratres, instanter: cedamus, quaeso, patienter. » Ita vir pius execratus illam pessimam generationem, intulit illis meritam maledictionem, quia elongaverant a se benedictionem. Sic Moses ille mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra: sic Isaias, sic Jeremias, offensi cervicosâ ingrati populi duritiâ, obligaverunt eos devotatione pessima, scilicet imprecantes propter eorum impoenitentiam, ne attenderet Deus eorum vota vel sacrificia. Eliseus quippe insultantes sibi pueros maledixit, et maledictionis poenae eos addixit. Quid de dominorum Domino dicam qui in ficulnea propter infoecunditatem ejus a se maledicta, et arefacta, devotationi subjecit dignam maledictione Judaeorum perfidiam? Hoc exemplo beatus Maclovius maledixit suis, ut traditi satanae in interitum carnis, animabus tamen eorum reservata spe salutis, desisterent ab opere iniquitatis: et qui propter duritiam cordis sui thesaurizaverant sibi Dei iram, tandem emolliti per poenitentiam, reconciliarent sibi Dei misericordiam.

§ **17**. Ergo per scandala impiorum expulsus a suo Episcopatu, apparato omnis profectionis commeatu, collecto quoque fideli monachorum discipulatu, longo navigationis exacto cursu,

Digitized by Google

tandem potitus Aquitaniae regionis portu, et deveniens ad partes Santonicae urbis *, primo omnium interrogandum esse putavit, si illis in locis vigeret ritus Christianitatis. Responsum est ei id, quo nihil potuit audire gratius, passim ibi fervere religionem Christiani cultus. Perrexit quaerere, quis ibi Episcopali praesidèret cathedrae, et audivit Leontium Ecclesiasticae provisioni superintendere, virum divinae sapientiae et humanae scientiae praeditum dignitate. Ipse exultans quod arridèrent sibi prima optatae prosperitatis auspicia, spem concipit ex rerum convenientia, quod decaetero omnia sibi cedere debeant ex sententia. Electos itaque ex suis legatos fidenter ad Episcopum dirigit, causam suae peregrinationis ex ordine digerit, locum sibi ad habitandum ab eo concedi humiliter expetit. Plenus ille spiritu prophetico, gaudebat animo se divinitus visitari, procurato fraternae societatis solatio. Exertàque hilariter manu liberalitatis suae, tribuit ei locum habitationis congruae, secundum Apostoli praeceptum, paratus ex sua copia illius inopiam supplère. Populares quoque delectati odore ejus bonae conversationis, ei suisque adminiculabantur multis donariis, volentes etiam ipsi participari fructibus alieni laboris.

§ 18. Agebatur namque non casu fortuito, sed dispensativo divinitatis consilio, ut quo latius diversis in locis diffamabatur tanti viri peregrinatio, eo diffusius magnificaretur nominis ejus cognitio. Filia Comitis, qui pago Santonico principabatur, per patris sui viridarium cum pedissequis suis exercebatur: ubi dum incaute incedit, venenoso occulti serpentis ictu vulnerata ingemuit, et magnam cunctis ejulandi occasionem dedit. Pater inconsolabiliter lugebat, mater dolori temperare nesciebat quae vitam filiae inter spem et metum fluctuare videbat. Omnis familia lamentabatur, tota civitas ferali justitia afficiebatur. Tandem hoc solum dolor admisit consilium, ut quia nihil humanum poterat valere auxilium, a beato Maclovio divinum quaereretur solatium. Uti consultum est, ita et factum est. Ad pedes Maclovii ventum est, et votum fideliter petentium frustratum non est. Episcopus ad orationis subsidium confugit, aquam exorcizatam benedixit: ex ea folium hederae perfùdit, folium loco vulneris superposuit. Contra vim sacrae benedictionis, non potuit subsistere vis venenosae pestis. Videres ex imis visceribus pestiferum virus èlici, et ad locum folio hederae obductum contrahi. Quod stillando in terram guttatim corpus puellae reddidit illaesum. Ita meritis Maclovii redintegrata est puellae sospitas, aucta est parentibus jucunditas, cunctos videntes et audientes confortavit in fide Christi miraculi novitas. Pater non ingratus beneficio, villam suae proprietatis delegavit Dei famulo, ut haberet, unde tribueret necessitatem patientibus pro Christo.

* Gallice *Saintes*.

Digitized by Google

§ **19**. Venerabilis Leontius videns beatum Maclovium meritis et virtutibus glorificari, coepit animo secum non modice laetari quod divina pietas eum tanto et tali hospite voluerit consolari. Unde suam dioecesim lustraturus, eum ut secum pergeret, obnixis coëgit precibus. Venerunt itaque ad villam, quam antiquitas appellavit Bream, geminis ecclesiis in honorem Dei nobiliter insignitam. Leontius ut Maclovium arctius applicaret sibi, unam earum attribuit ejus habitationi, alteram retinuit suo juri. Quod quantum Deo placuerit, ex eo satis apparuit quod praesenti miraculo ibidem eos Dominus laetificavit. Illucescente die cum lavari vellet Episcopus, puer familiaris ad hauriendam aquam cucurrit ocyus. Qui dum incaute haurit, elapso pede, in puteum corruit, et aquarum mole oppressus interiit. Exortus est subito clamor et gemitus, fit undique frequens populi concursus. Accurrit pater lugubris, non moratur adesse mater miserabilis, incultâ facie et seminudo corpore, sparsisque capillis compassionem incutiens universis. Movet cunctos, et maxime parentes, flos aetatis delectabilis: erat quippe puer jam duodennis. Auget tumultum concurrentium frequentia innumerabilis: erat enim puer parentelae nobilis. Leontius corde premens dolorem, et in Domino rètinens spem et bonam fidem, jussit deferri glebam defuncti in templum quod destinaverat ad sancti Maclovii partem. Usque ad auroram sequentis diei, parentes circa corpus excubias celebrarunt ritu solemni. At servi Dei pernoctantes in oratione, non diffidebant de ejus bonitate. Mane facto, sanctus Maclovius omnes elìminat a templo, duos tantum monachos retinens secum, cum quibus familiarius interpellaret Dominum. Cum his ergo septies flexis genibus, oravit ad Deum quam potuit affectuosius, donec sensit animam innocentis pueri refundi membris rigentibus. Assurgente puero, et astante ad testimonium miraculi, quid alacritatis habuerint Episcopi, quid stuporis passi sint astantes populi, quas grates omnes una voce reddiderint Omnipotenti, superfluum est inculcare sermone multiplici. Miraculum enim, quod pro commendanda famuli sui sanctitate monstraverat divinitas, latius diffamabat resuscitati pueri nobilitas, et gratius accipiebat affectuosa parentum charitas. Nec illud subtraham de tantarum virtutum catalogo quod adhuc gestum est in pago Santonico. Mulier quaedam, nomine Bona, quae vitam suam laudabiliter agebat in viduitatis continentia, annis quatuordecim fuerat caecitate òbruta. Quae obtutibus sancti viri fideliter praesentata, luci pristinae est reddita.

§ **20**. Porro homines illi qui in Britannia virum Dei exacerbaverunt, et improbitate obstinationis suae se, terramque suam ab eo maledici pertulerunt, maledictionis vindictam effugere non potuerunt. Terra enim in opere impiorum maledicta, tam in frugibus, quam in pomis omnium generum, sterilis et infructuosa

Digitized by Google

est reddita. Habitatores vero ejus mille modis morborum devotati, alii membrorum debilitate coeperunt contrahi, alii leprâ squalebant, alii visu se privari dolebant: isti oris officio se destitui, alii se auditu plangebant diminui. Nec aliquis erat omnium qui coelestis vindictae effugeret judicium. Tandem per culpae vindictam cognoscentes sero culpam suam, nec volentes, nec valentes ultra sufferre maledictionis et ultionis molestiam, communicato consilio deliberaverunt, a sancto viro veniam humiliter implorare. Missa itaque ad eum legatione, poscunt cum cordis contritione, ut absolvantur ab illata maledictione, spondentes si eos dignaretur sua reversione, deinceps se ei obtemperaturos sine aliqua contradictione. Amator pietatis et misericordiae Maclovius, ubi poenitentiam illorum accepit, summam consilii ad Leontium venerabilem dètulit: Leontius hanc ad ipsum Deum referendum censuit. Uterque indicto sibi triduano jejunio exorant sibi revelari a Domino, quid super hoc sibi esset opus facto. Inter orandum Angelus Domini Maclovio astitit, eique ex ore Dei haec suggessit: « Oportet te, o amice Dei, Britanniam revisere, omnem maledictionem auferre, homines salutifera benedictione sanare, terrae ubertatem restituere. Deinceps debes Sàntonas repetere, quia illic habes propediem obire. »

§ **21**. Sanctus itaque vir secundum Angelicam revelationem repatriavit, terram hominesque sua benedictione sanctificavit, Deoque largitori omnium bonorum eos orando commendavit. Sicque omnis terra repleta est dapsili ubertate per ejus benedictionem quae antea damnata fuerat per ejus maledictionem. Ita factum est omnibus palam quod pontifex pius hanc maledictionem non intulit per aliquam malevolentiae intemperantiam, immo per utilem severitatis benevolentiam, ut per hanc necessitatem saltem inviti traherentur ad poenitentiam. Britanni denique compotes voti sui effecti, tam princeps et optimates regni, quam Clerus et Episcopi in unum conjuncti, felicem virum poscebant cernui, ut reliquum vitae suae dignaretur secum agere, ut per ejus convictum, Dei gratiam mererentur acquirere. Ille hoc fieri posse abnuit, et simul impossibilitatis suae causam eis humiliter aperit, et vocationis suae tempus sibi impendere praedixit, et hoc apud Sàntonas sibi esse a Deo determinatum, ex verbis Angeli se didicisse dixit. Britanni flentes, et timentes adhuc coelestis irae vestigia restare, qui nec in vita nec in morte digni essent talem patronum habere, cum gaudio pacis et dilectionis eum prosecuti, vix tandem passi sunt ab eo separari. Igitur Sàntonas regressus, noctu et interdiu eo in sui custodiam laborabat vigilantius quo Dominum in proximo esse didicerat certius, ut quacumque horâ veniret, vigilans et paratus pulsanti aperiret. Qui enim tam longo aetatis tempore bonum certamen certaverat, et tandem cursum consummabat, de religione coronam justitiae

Digitized by Google

reposcebat, quam sibi justus Judex reposuerat. Recepturus ergo mercedem laborum, deductus est in via mirabili manibus Angelorum. Vixit centum triginta annis: obiit XVII Kal. Septembris *.

VITA S. REMACLI TRAJECT. EPISC.

AC POSTEA LEODIENSIS

AUCTORE NOTGERO LEOD. EPISC. (QUI CLARUIT CIRCA 850)
DURUM ET OBSCURUM STYLUM MUTAVIT LAUR. SURIUS.

Obiit circa 664 — Nat. Francus.

§ 1. Omnipotens Dominus, qui dives est in misericordia, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, sustinuit vasa irae, apta in interitum, in multa patientia. Tandem vero, sicut a reatu primae praevaricationis nullum liberum reperit, ita liberandis omnibus venit, divitias bonitatis et longanimitatis omnibus praerogavit, voluntatis omnipotentiam in ingratos et ejus gratiae respectu indignos, efficacissime exercuit, quando opus salvatricis misericordiae, ut reparari posset, clementissime ante procuravit. Forti illi armato arma, in quibus confidebat, abstulit: vasa, quae possidebat, distribuit: ut, sicut prius propter peccata, irae vasa, ita per ejus gratiam fierent vasa misericordiae. Ut enim non est credendum, ad salutem aliquem pertingere, nisi Deo invitante **: sic nec invitatum quidem operari salutem suam, nisi Deo auxiliante: nullum voluntate Dei perire, sed permissu, pro arbitrii electione: ne facultatis libertas et ingenuitas semel homini attributa, ad servilem quandam necessitatem redigatur. Ita ergo initium salutis nostrae Deo miserante habemus. Ut autem salutiferae inspirationi acquiescamus, nostri est arbitrii. Porro ut adipiscamur id quod monitioni divinae acquiescentes appetimus, divini est muneris. Ut labamur, nostrae est potestatis et ignaviae. Ut non labamur salutis munere adepto, nostrae quidem quodam modo est solicitudinis, sed omni modo adjutorii coelestis. Atque ei spei fortissime innitentes, beatos esse re ipsa comperimus: qui cum Christum in carne tanta efficientem non viderint, audita constanter credere non dubitarunt: e quibus etiam multos fecisse opera quae ille fecit, et juxta ejus promissionem majora quoque fecisse, non solum vicini confitentur, sed illi etiam praedicant, qui sunt ultra

* Nos diem obitus pro eo hic inserendo delegimus; sed communiter diei XV novembris assignatur.
** Salus aeterna per Dei vocationem et gratiam: damnatio autem, Dei permissu ex justo judicio.

Digitized by Google

Sauròmatas, et glaciale attingunt mare, et insulas habitant Fortunatas. Libenter igitur tanto bono subditi simus, delectetque tanto servire Domino: qui non modo fautor et adjutor est eorum, qui proficiunt: sed etiam remedia providet lapsis: dum et Angelica nobis praestat suffragia non deesse, et sanctorum confert patrocinia, quos pro nostris culpis intercessores implorare non dubitemus. Quòs licet passim diversis largitus sit provinciis, generatim et communiter honorandos: at tamen singulis quibusque locis speciales quosdam attribuit, etiam specialiter amplectendos et propensius exorandos. E quibus nobis beatum Remaclum adhibuit: cujus ut suffragiis plurimum innitimur, ita ejus vitam et gesta pro captu virium narrare aggredimur.

§ 2. Francorum regnum ab ipso suo exordio semper invictum, tum vel maxime prae caeteris ei vicinis regnis florere visum est, cum jugo Dominicae fidei colla supposuit, et quod prius adorarat, exussit: quod exusserat, adoravit. Ingens autem accepit incrementum, et sub eo firmum Ecclesia Dei statum *, cum Clotarius Rex legitimâ successione quartus, trium regnorum factus est monarcha, et eum principatus sui annum agebat quadragesimum, quem Heraclius sanctae Crucis recuperator imperii decimumquartum. Is Clotarius nullum ex vicinis Regibus passus est suae ditioni arma inferre, sed omnes Hispaniae, Galliae et Germaniae Reges populos suis habènis studuit coërcère. Porro inclytum filium suum Dagobertum Austrasianis praefecit, eique etiam Germaniae ditiones voluit esse subjectas. Eorum temporibus felicissimis usqueadeo Christianismus excrevit, ut pene nulla hodie aut rara intra limites regni ipsorum ecclesia inveniatur, quae non alicujus ejus tempestatis sancti patrociniis illustretur. Atque ut innumeros praetermittamus, Eligius et Audoënus viri sancti, palatii ministeriis fungebantur, beatus Arnulphus et Romaricus regiis consiliis adhibebantur, sanctus Amandus et beatissimus Remaclus, sanctusque Goar Aquitaniam ortu suo illustrabant. Eam Aquitaniam quidam volunt fere tertiam esse Galliarum partem, et ab obliquis Ligeris aquis, qui maxima ex parte eam alluit, ac pene in orbem circumdat, ita nuncupatam. A Circio habet Oceanum, qui Aquitanicus sinus dicitur: ab occasu Hispanias: a septentrione et oriente Lugdunensem provinciam: ab Euro et meridie Narbonensém. Rivulis et fluminibus piscosis, solo foecundissimo, pascuis pècorum uberrimis, vinetis nectareis, nemoribus copiosis, magnâ fructuum abundantiâ celebris, auri, argenti, aliorumque metallorum ferax, vectigalium proventu opulenta, sed prae aliis provinciis voluptatum omnium luxuriae dedita, denique viris fortibus, bellicosis et ferocibus instructa. Habet ea, praeter castra et loca munita, urbes quatuordecim praegrandes, easque populosas et

* Quae fuerit medio saeculo VII Francorum regni conditio.

Digitized by Google

celeberrimas: e quibus duae sunt metropoles, una Burdegalensis *, magnis semper viris conspicua: altera Bituricensis **, cujus tum Archiepiscopus fuit sanctus Austregisilus, et beatus Sulpitius Archidiaconus, Austregisili in episcopatu successor. In quorum paroecia per id tempus Remaclus in hanc lucem editus est, patre Albutio, Matrimâ matre: qui ambo pro seculi dignitate, et opibus et generis nobilitate pollebant. Testantur id magnae possessiones ejus, tam nostrae ecclesiae, quam vestro monasterio, sive ab ipso, sive a Majoribus ejus, vel etiam a regia sublimitate donatae: quemadmodum doceri potest ex literis, quae etiamnum in utriusque ecclesiae archivis asservantur.

§ 3. Educatus vero est bonae indolis puer Remaclus sub beato Sulpitio, in cujus honorem constat ab eodem sancto viro postea permultas in nostra dioecesi ecclesias dicatas. Ubi autem adolevit, et prout ea ferebat aetas, totius integritatis et probitatis fructus pròtulit, beato Eligio commendatus est, viro inter ejus aetatis homines meritorum gratiâ facile primo. Is vero in Solemniacensi *** monasterio, quod ipse in suo fundo construebat, eum sacris monasticae disciplinae institutionibus exacte imbuit. Intantum autem pius adolescens ejus monitis obtemperavit, ut, divina in eo gratia exuberante, omnibus in eo monasterio Christo militantibus, religiosae conversationis de se exempla praeberet. Erat in vigiliis assiduus, in precibus pernox, in abstinentia praecipuus, in universa morum integritate praeclarus. Cernens id beatus Eligius, cui traditus erat a parentibus, ejus profectui animi quadam alacritate congratulans, curam gregis sibi commissi in eum transtulit, suas ei vices demandans, eumque sibi substituens. Compellebatur enim redire ad palatium Regis, et suam ei operam navare. Postea vero longe lateque sparsa est fama sanctitatis vitae ejus, et ad ipsos etiam aulae pròceres pervenit. Itaque, divina id agente providentiâ, non potuit lucerna, divinae gratiae accensa ignibus, sub propriae considerationis modio latere: sed ut dèsides in fidei proposito ab ea lumen acciperent, candelabro imposita est. In aula Regis promulgatur, tantum virum Regis praesentiae deesse non debere, ut ejus prudentiâ regni negotia disponantur, cujus tam illustria meritorum insignia cernerentur. Evocatur ergo, ut par erat, honorifice, atque in Regis palatium introducitur, magno deinceps, ut rei postea eventus docuit, omnibus solatio futurus.

§ 4. Per idem ferme tempus beatus Joannes Tungrensium vel Trajectensium ecclesiam feliciter gubernans, hominem exuit. Porro inclytus rex Dagobertus, qui patri Clotario in monarchia successit, beatum Amandum, qui ad praedicandum: ut tum moris erat, factus fuerat Episcopus, ad se accersierat: et quia cum injuria eum expulerat, ab illo ob quaedam facinora reprehensus,

* *Bordeaux.* ** *Bourges.* *** *De Solognac.*

nitebatur arctius illum devincìre sibi per Sigeberti filii sui baptismum, atque in Trajectensi eum cathedra collocare. Et ille quidem vir sanctus per triennium vicos et castra perlustrans, verbum vitae disseminavit: sed nihil se proficere cernens, immo vero etiam ipsos sacerdotes et Levìtas sibi insultare animadvertens, pulverem pedum, quemadmodum Dominus jubet, in illos excussit, atque ad loca alia, ut prius fecerat, sese praedicandi causâ contulit. Incompertum vero est, quanto tempore plebs Trajectensis tum sine pastore permanserit, donec Sigebertum pater Regem Austrasianis dedit, et in Mediomatricum urbe * sedem habere voluit. Ei vero Trajectenses ex communi sacerdotum electione, magnatum multa frequentiâ, et omnium ordinum postulatione, ejusmodi preces offerunt, neminem ipsis, nisi beatum Remaclum, Episcopum praefici debere: qui sit et Deo et hominibus charus, nulli ejus aetatis sanctitate secundus, Angelicis spiritibus gratus, cunctis mortalibus suspiciendus et reverendus. Ejus se multa expertos beneficia, crebro et apud Regem et pròceres multum ipsis ejus profuisse suffragia commemorant. Nec ejus obscuram esse prudentiam, qui non raro regiis consiliis adhibitus sit. Suppetere ei scientiam Scripturarum, unde possit et vetera et nova proferre. Denique nihil ei carum rerum deesse, quibus Apostolus Episcopum instructum esse velit. Iis sermonibus Rex comiter et propenso animi favore assentiens, eorumque studiis obsecundans, statuit praestare, quod rogabatur. Accersit igitur ad se beatum Remaclum, et ea de re cum eo confert sermonem: et certe dici vix queat, quanta orationis suavitate ad ei persuadendum usus sit, quamque illi modis omnibus vir sanctus obluctatus sit. At Rex sacerdotum et pròcerum fretus consilio, ab intentione sua non destitit. Tandem vir Dei vèritus, ne divinae resisteret voluntati, invitus quidem, septimus et vigesimus Tungrensi vel Trajectensi (*a*) ecclesiae antistes datur: ut verbi divini semina, quae hactenus apud se celaverat, pluribus impertiret.

§ **5**. Qua vero religione, qua integritate illud munus executus sit, nos explicare nequimus, cum mox in ipso ordinationis ejus initio tantam ei verbi gratiam Christus largitus sit, ut omnes promptissimos sese ad obtemperandum exhiberent, nemo esset, qui non ex animo eum diligeret: unusquisque ad ejus se doctrinam conformare pro viribus niteretur. Nulla in ejus moribus arrogantia, sed totum illum sibi sancta humilitas vendicabat. Superbi eum reverebantur, ut superiorem: humiles amplectebantur, ut fratrem. Erga omnes communi erat animi benevolentiâ et amore. In terris degens corpore, habitu et moribus coelestem se declarabat. Aspectu Angelicus, incessu compositus, actione

* Sive Metis (*Metz*).

(*a*) Communis apud Latinos *Trajecti* nominis duo urbes fuere: una ad *Rhenum*, ad *Mosam* altera. Quoad vulgare autem nomen distingue; si de *Trajecto* ad *Rhenum* agitur, dices *Utrecht* (*Ultrajectum*) si de altero ad *Mosam*, *Maëstricht*. Et haec S. Remacli Episcopalis sedes fuit.

Digitized by Google

sanctus, integerrimus corpore, solertissimus animo, in opere circumspectus, ingenio excellens, magnus consilio, fide Catholicus, spe patientissimus, charitate diffusus. Cujus apud Deum meriti esset, facta ejus testabantur. Mira in eo cernebatur morum suavitas et facilitas, atque inter divites et pauperes ea noverat moderatione se gerere, ut pauperes eum suae sortis, locuplètes vero sui ordinis arbitrarentur. Non ille personas potentum, sed morum elegantiam pensitabat, tanto quemque propensius honorans, quanto eum didicisset sanctius vivere. Quod ore dicebat et adstruebat, nunquam actione vel opere destruxit: sed factis ostendit, quid voce doceri oporteret. Quod ei divina gratia contulit, id in posteros derivavit. Unde illud consecutum est, ut non ejus modo gesta nobis hodieque proficiant: sed etiam discipulorum ejus, et qui ab eo fideliter educati sunt: quorum actus et opera nobis exemplo sunt, et ad imitandum nos invitant.

§ 6. Multorum ille coenobiorum et fundator et rector fuit, in quibus usque in hunc diem Christo servientium agmina increscunt. Discipulorum complurium pater fuit et institutor: quorum ut ille Christo lucratus est animas, sic et ipsi, et eorum successores, multorum animas ad Christum adduxere: quorum sane merita in illum redundant. In iis fuit beatus Theodardus, ab eo proculdubio disciplinis ecclesiasticis informatus, quippe quem sibi successorem designarit: qui ad extremum martyr abscessit e vita. Itemque sanctus Lambertus, qui itidem sua tempestate martyrem egregium se exhibuit. Beatus quoque Adelinus, in Aquitania natus, et peregrinationis ejus, ut fertur, comes: qui ei quandoque in loco secreto digna Deo studia et opera exercenti per visum apparuit, vultu venustus, capillis reverendus, staturâ reliquâ praestantissimus, futuraeque conversationis et perpetuae quietis locum, fontemque humanis usibus opportunum indicavit. Quae res hodieque omnibus minime obscura est, quando in eodem loco corpore quiescit, et spiritu praesens, innumera illic quotidie credentibus beneficia praestare non cessat.

§ 7. Porro autem in S. Trudonis electione non difficulter potest animadverti, qua intentione sanctus vir caulis et custodiae Dominici gregis invigilaverit, quam ei non defuerit prophetiae spiritus, quam denique in illo magno Christi amore flagrante, cupiditates omnes extinctae fuerint. Pastorali ille solicitudine parochiam suam pro more visitabat, et quos poterat, e luporum faucibus extrahebat, summoque pastori lucrifacere conabatur. Bonis adminiculo erat, ut fierent meliores: dèsides atque torpentes, ut ad meliorem se frugem reciperent, hortabatur. Interea sanctus Trudo etiamnum puer, primos jam virtutis fructus proferebat. Cumque is superbi sanguinis multa generositate polleret, major tamen ei divini amoris et virtutum ardor atque studium inerat, adeo ut quandoque voto se obligaret si Christo opitulante

Digitized by Google

sacras didicisset literas, se in fundo suo ecclesiam exaedificaturum, illic Domino perpetuo serviturum, et quos posset, ad Dei cultum et ministerium sibi socios aggregaturum. Atque eo flagrans desiderio, nocturna visione afficitur, et Angelica consolatione hunc in modum confirmatur: « Nòveris frater, inquit Angelus, ea vota, quae Christo puer nuncupasti, illi esse grata, precesque illum admisisse tuas: nec dubites, quin quod praeveniens tibi aspiravit, etiam adjuvando sit prosecuturus, et affectum perducturus in effectum. Ille, inquam, sapientiâ sua imbuet cor tuum, et erudiet te praeceptis suis, et legem suam inscribet pectori tuo. Porro autem etiam ad Ecclesiasticae dignitatis munia evehèris, multosque Christo et Ecclesiae ejus filios tuis verbis et exemplis generabis. » Atque ut de his certior efficiaris, beatum Remaclum adito, qui non procul hinc abest. Illi Deus revelavit, quid tibi faciendum sit. Ille diriget eo gressus tuos, quo tu tantopere aspiras.

§ 8. Surgit ocyus beatus Trudo, nihil de Angelica visione haesitans, eoque quo jussus fuerat, ire contendit. Sanctus Remaclus tum occupatus erat pascendis et curandis ovibus suis et cum propius beatus Trudo accederet, ille divina revelatione edoctus, «Surgite, inquit, propere, et viro Dei qui nos invisere venit, obviam itote: reverenter illum excipite et cum honore ad me introducite.» En prope est: occurrite illi celeriter. Faciunt illi, ut erant jussi, et sanctum Trudonem ad beatum Remaclum, domi cum suis manentem, adducunt. Cernens illum pius pater, surgit *, et prae gaudio flens in ejus oscula ruit: volentem ad ipsius pedes se abjicere, retinet, moxque èrigit et ab intimo pectore gratias agens Deo: «Sit tibi, inquit, Jesu bone per Spiritum Sanctum cum aeterno Patre visitator animarum, gloria, laus et jubilatio qui voluisti nos hac die consolari adventu hujus famuli tui, in quo tu habitas; addiditque: Et tu fili mi, sis benedictus a Domino, qui te dignatus est mittere ad nos, et desiderium animi tui occulta inspiratione nobis significare. Scito igitur deinceps te mihi charitatis jure filium fore, meque semper tibi patris spiritalis officia praestiturum. Mihi enim servo suo revelavit Dominus, quid pro animae tuae salute faciendum tibi sit, et ex me disces, quemadmodum possis compos effici voti tui. Cognovi Domino me docente, in pueritia te vovisse, si tibi sacrarum cognitio literarum quandoque obtingeret, ecclesiam in fundo tuo te constructurum, atque illic Domino, dum vixeris, famulaturum. Isthuc autem hoc ordine te noveris completurum. Sancto protomartyri Stephano apud urbem Metensem tuas possessiones offeres, et ab ejus loci habitatoribus scripta divina doceberis. Id ubi consecutus fueris, ad me redibis et ecclesiam quo voles loco, ut es pollicitus, aedificabis.»

* Qua sincera laetitiâ et humilitate Sanctus Sanctum excipit.

Digitized by Google

§ **9**. Deinde cum ei bene precatus esset, dedit ei literas suas ad Metensis urbis Episcopum qui eum, ut divinitus ipsi revelatum erat, institueret ac erudiret. Praeerat tum Metensi ecclesiae Clodulphus, beati Arnulphi, ut carne filius, ita virtutum meritis in Pontificatu successor dignissimus. Is humanissime beatum Trudonem excipiens, non solum ejus ipsius causâ, sed etiam propter sancti Remacli egregiam commendationem, causis adventus ejus cognitis, sacris eum literis et divina lege erudiendum curavit, et quas obtulit sancto Stephano possessiones, suscepit. Multis vero annis illic moras trahentem bene habuit, diligenterque instructum et sacerdotio initiatum, sancto patri Remaclo remisit. Is percontans ex eo quid Dominus ipsi praestitisset et num prospero itinere ultro citroque usus esset, ubi comperit eum in sacris literis bene eruditum, immensas Deo gratias agit, ita dicens: «Laus tibi Pater, Domine coeli et terrae, quod complere dignatus es ea quae mihi de tuo famulo revelaras, eumque ad me, tuis praeceptis tuaeque legis eruditione instructum et ornatum, incòlumem revocasti.» Permisit autem beato Trudoni, in sua dioecesi praedicare verbum Dei, Missas in quibus vellet ecclesiis celebrare, denique oratorium, ut promiserat, in proprio fundo extruere. Permansit igitur aliquandiu apud eum, vivens sanctissime, ac tandem Episcopali percepta benedictione, natale revisit solum, et quod jampridem animo conceperat, re ipsa effecit, oratorium extruens in praedio suo, ubi multos Deo servituros collegit, atque ad extremum a beato Remaclo ejus oratorii consecrationem impetravit. In quo etiam post multivarios hujus vitae labores tumulatus est, et permulta illic perpetrans miracula, usque in hodiernum diem commoda illic efficit habitacula monachorum.

§ **10**. Libet hic paucis considerare quam in beato Remaclo, ut diximus, cupiditatum omnium ignis consopitus fuerit, quam ille omnium nostrae aetatis sacerdotum merita excesserit; quibus si forte is casus offerretur qui beatissimo viro oblatus fuit, secus proculdubio facturi videntur: non solum hortaturi homines pios, ut facultates suas non suae, sed alteri ecclesiae donent: sed etiam, si qui ultro id facere velint, eos dehortaturi potius, atque ut sibi eas largiantur, persuasuri, non sine fraude aliorum quod pace eorum dixerim. Quod sane quanto in nobis est culpandum magis, tanto meritum beati Remacli, id plane recusantis, majori est laude et praedicatione efferendum. Et haec quidem de sancto Trudone aliquanto fusius commemorare voluimus, ut etiam prophetiae donum beato Remaclo non defuisse ostenderemus. Cum enim Trudo ab ipso primum recederet, Metim petiturus, propter viliorem habitum ejus, domestici beati Remacli illum contemnentes, moleste ferebant quod hominem tam male vestitum, apud se collegisset Episcopus. Id vero ille ex divina

Digitized by Google

revelatione cognoscens, severissime eos objurgavit: sed cum eos poeniteret id fecisse, in gratiam illos recèpit, admonens ut deinceps cautiores essent.

§ **11**. Quam vero post haec sancte et religiose beatus Remaclus vixerit, quis satis commemorare queat? Quis ejus erga commissum ipsi gregem solicitudinem explicet? Monebat omnes, ut a blandientis mundi lenociniis sibi caverent, a curis mundi hujus se subducerent, fraternae paci et concordiae studerent, viam mandatorum Dei inoffenso pede tèrerent, mundum et ejus cupiditates fastidirent, et ceu foeni florem brevi exarescentem promptis animis calcarent, coelestia mente et actione consectarentur et appeterent. Cumque in his versaretur, majori coepit ardere desiderio liberius vacandi Deo, ut posset quam suavis sit Dominus, gustare. Optabat vero aliquam sibi rationem ostendi qua facilius id obtineret. Per id tempus Sigebertus Rex loca divino cultui mancipanda, in quibus non erant locis, cum ingenti animi devotione condebat: condita vel a se, vel a superiorum temporum Regibus, benignissima largitate et opibus sustentabat, atque ne debitus Deo cultus illic negligeretur, tam beati Remacli, quam caeterorum sacerdotum vigilantia curabat.

§ **12**. In eo loco quem Casaecongidunum vocant, ad Sesmarum fluvium, idem Rex procerum consilio in honorem Apostolorum Petri et Pauli atque Joannis coenobium condidit quod aptus videretur is locus monachorum habitationi et instituto: idque sua liberalitate ditavit, egregios Dei servos in illud adduxit, quorum beatum Remaclum voluit esse provisorem atque etiam magistrum et institutorem, ut ex eo discerent convenienter sanctorum patrum traditioni vivere. Extat hodieque locus orationis, ejus operâ in rupe excisus, in quo etiamnum male habentibus praestantur beneficia curationum. Illic enim vir sanctissimus Deo sese hostiam, jejuniis et vigiliis maceratam, aliquandiu obtulerat, et Christo familiarius conjunctus, divinae contemplationi se dediderat, atque salutaris doctrinae pluviis subditorum pectora irrigarat. Ad ejus tandem loci pertaesum, incertum quam ob causam, nisi quod fama sparsit, locum illum multas persensisse molestias a potentioribus qui circumcirca morabantur: regiâ auctoritate et necessariis comitibus munitus sanctus Episcopus, Arduennam sylvam, paludibus et montibus impeditam, petit: Warchinnam rivulum accedit: invenit illic certa indicia, loca illa quondam idololatriae fuisse mancipata; erant illic lapides, Dianae et id genus portentosis nominibus inscripti, vel effigies eorum habentes: fontes etiam, hominum quidem usibus apti, sed gentilismi erroribus polluti, atque ob id etiamnum daemonum infestationi obnoxii. Igitur adhibitâ adjuratione per Christi nomen et S. Crucis signo expresso, locum illum ad daemonum incursatione vindicavit et expiavit, moxque aqua ab ipso suo meatu

Digitized by Google

guttatim dilapsa evanuit. Videns autem vir sanctus locum illum tum piscosis aquis, tum pascuis uberrimis commodam praebere habitationem, prolixe super fontem precatus, eum benedixit, lapidi signum Crucis insculpsit, plumbum in foramina infundens. Et ecce subito erumpunt aquae largissimae quae usque in praesens dictis nostris fidem faciunt eas cernentibus. Et quia locum illum a malorum spirituum infestatione mundaverat, Malmundarium *, quasi a malo mundatum, placuit eum appellare. Extruxit autem illic oratorium, itemque habitacula in usus servorum Dei, auxitque ea quae ad Dei cultum spectarent.

§ 13. Sed cum is locus in Agrippinensi parochia situs esset, coenobium suscepit construendum, quod suae dioecesis limitibus contineretur. Procedens igitur inde quasi ad duo milliaria versus Occidentem, Callam rivulum qui parochiis conterminus est, transiit, et ad Amblavam fluvium in cujusdam montis confinio substitit: atque ibi aliquandiu commoratus, multa de se sanctae conversationis exempla dedit, quemadmodum possunt qui volunt, nosse ab incolis id referentibus. Etsi autem locus ille multos haberet fontes, tamen quod angustus esset, nec officinis necessariis sufficeret, ad Orientem reflectit gressus, parumperque procedens, videt locum spatiosiorem, futuroque operi accommodatiorem. Ibi ergo labori coepit instare attentius, aderatque illi, ut in talibus solet, divina virtus qua factum est, ut voluntatem effectus sequeretur. Porro quod ferae eo undique ceu ad stabulum vel potus, vel pastus causâ confluerent, antiquitus ille locus Stabulaus ** dictus fuit. Quod nomen vir sanctus minime censuit immutandum, sed et dici et esse voluit stabulum fidelium animarum, eo tanquam ad aeternae vitae pascua deinceps properaturarum. Porro fratribus quos illic vir Dei ad praesens congregaverat, non parvum saepe terrorem attulit strepitus ferarum, eo catervatim accurrentium: ita ut cum horrore quodam ad beatum Remaclum illi operi insistentem confugerent, quidque sibi adversum eas diaboli machinas praesidii capiendum esset, inquirerent. Quos ille benigne consolans et confirmans: «Credite, inquit, in Domino filioli fideliter: ejus mandata sectamini inviolabiliter: mentem a cogitationibus quae sunt sine intellectu, servate liberam: animas vestras castificantes, Domino puram impendite servitutem: sine intermissione orate: vespere, mane et meridie psallite: lectioni saepissime vacate: frontes vestras Crucis communite signo, ejus virtutem vestris imprimite animis: et confestim insidiae et machinamenta tetri hostis in nihilum redigentur, et ferarum, per quas putat se ad vos oppugnandos invenisse aditum, horror omnis facesset. His enim modis etiam ante nos infestabat Aegypti, Thebaidis et Nitriae erèmos incolentes, quorum

* Appellabatur *Malmédy*. ** Vulgo *Stavélo*.

Digitized by Google

utinam nos vel qualescumque possimus inveniri sectatores *. Habet ille mille nocendi artes, nec desunt ei innumerae fallendi viae. Sed nos non ignoramus dolos et fraudes ejus, qui etiam per muscas quandoque nos impugnat. Nos vero Christi servi quo illius incursatione crebrius prèmimur, eo magis assurgimus, fortiter illi resistentes. Expertus satanas, pertimescit initia recte vivere instituentium, vigilias, orationes, jejunia, mansuetudinem, patientiam, voluntariam paupertatem, vanae gloriae contemptum, humilitatem, misericordiam et praecipue purum erga Christum amorem. Quamobrem ut leo in spelunca insidiatur ab occulto, vos ut a proposito deterreat.» His et ejus generis aliis verbis eorum animos ad Dei cultum promptiores effecit, et adversum tentationes omnes confirmavit.

§ **14**. Postea institutis operum praefectis quid agerent, exposuit, atque ita Tungros vel Trajectum se recipiens, ad pastoralis officii curas animum intendit. Non multo post Rex ea didicit constructa monasteria, et immensas omnipotenti Deo gratias egit: et quia ecclesiae recens aedificatae, Episcopali benedictione indigebant, beatum Remaclum accersiens, tam eam quae erat Coloniensis paroeciae, annuente venerabili Cuniberto Episcopo, quam illam quae nostrae dioecesis est, ab eo voluit solemniter consecrari: ut cujus dispositione et ingenti studio conditae erant, ejus etiam operâ pontificali benedictione afficerentur. Nec vero ad has res vir sanctus ullas moras attulit: qui sane et Regi et proceribus adeo charus erat, tantaeque apud eos existimationis, ut nihil quod magni esset momenti, absque ejus consilio fieret. Atque ea causâ, Missarum peractis solemniis, utrumque monasterium Grimoaldus major domus, illius tradidit solertiae et industriae gubernandum: simul indicans ei, si qua essent monachis necessaria, ea Regem suppeditaturum, ubi per ipsum de iis certior esset factus. Ita nimirum sanctus sacerdos remotioris vitae sectandae et captandae solitudinis, uti semper optarat, Deo annuente, occasionem adeptus est: et licet summa cum difficultate, impetravit tamen tandem a Rege, ut alius ipsi successor daretur, ipse vero diu expetitam posset erèmum adire, ubi remotus a curis secularibus, liberius rebus divinis et coelestibus inhiaret. Proposuit Regi et optimatibus S. Theodardum, cujus erat vita probata, oravitque ut is suas explèret vices et sibi subrogaretur antistes. Tum vero, dici vix queat, quantus ob ejus recessum luctus extiterit, quam moestos et afflictos reliquerit, quibus vitae semina praebuerat: cum viderent illi se tali patre, tantoque doctore orbari. Omnis aetas, uterque sexus dolorem animi testabatur lacrymis, et eum abeuntem deducentes, magnis vocibus dicebant: « Heum miseros nos, quidnam acturi sumus, qui tanto pastore destituimur? Unde nobis suppetet consolatio illo amisso

* **Contra Satanae impetus munimenta.**

qui miseriarum nostrarum fuit praecipuum levamentum? Quis porro nobis medebitur, quando ille nos deserit qui doloribus nostris praecipue novit facere medicinam? Quae nobis salutis spes reliqua est, tanti patris praesentiâ carituris?»

§ **15**. Eorum vero lacrymis et querimoniis permotus vir Dei, his fere verbis eos consolabatur: «Nolite, quaeso, filioli animi mei propositum vestris lamentis retardare. Habetis Deum pastorem et patrem intra vos, qui benignissime consolabitur vos in rebus duris et adversis. Ne quid autem etiam extrinsecus desideretis, providimus vobis filium nostrum Theodardum, in omnibus probatum qui diligentissime saluti vestrae invigilabit et tritici mensuram vobis summâ fide dispensabit. Cujus prudentiam cum vobis non dubitem sufficere, cupio optatae me dare solitudini et in praesentia illius majestatis omnia contemplantis habitare mecum.» Ad haec responderunt qui inter eos erant prudentiores: «Vide etiam atque etiam, pater beatissime, quid agas: attende, qua nos ignominiâ afficias. Gregem quem semel pascendum susceperas, ut habent sanctorum Patrum statuta, nisi infirmitate cogente et nisi sponte tua id facias relinquere tibi non licet. Nam dum Episcopus vivit, quem ab officio suo valetudinis imbecillitas, non crimen, rèvocat, alium illi subrogari, nisi ipse prius recuset et petitionem scripto probet, nulla ratio permittit. Hac igitur ratione vide, pater sanctissime, quantum gravetur judicium tuum, quidve nostra fama accipiat detrimenti. Crimen tibi nullum intenditur, ob quod, si convictus sis, deponaris. Morbus te non premit, cujus causâ tanquam repudium exhibens, a tuo ministerio suspendaris. Itaque petitionem tuam qua cupis tibi functionem hanc abrogari, licet scripto confirmes, rejicimus: alium qui tuas gerat vices, prorsus non admittimus: tantum abest, ut alium tibi viventi succedere patiamur. Pater tu nobis datus est legitima successione: nos non adulterini, sed legitimi filii et dici et esse percùpimus.

§ **16**. «Advertisti jam, ubi praegravetur judicium tuum: accipe, quaesumus, unde existimationi nostrae ignominiae nota inuratur. Ut nos recte atque ordine deseras, nullae tibi causae suppetunt: Primum, quod minime sumus adulterini, ut jure nos relinquas. In Catholicae matris gremio a te sumus excepti: nunquam credulas aures perverso dogmati adhibuimus. Et si fortassis etiam ea in parte peccassemus, tu nobis mederi debueras. Deinde ut alio te conferas, nulla te nostra persecutio compellit. Quod si vero Dominus permittit fugere, dum saevit persecutor, certe infirmorum, nec satis perfectorum est ea consolatio. Multi sancti patienter tolerarunt malorum improbitatem et sua patientiâ illos curarunt. Postremo tum fugiendi, non aequo animo ferendi sunt mali, cum nulli adsunt boni, quibus prodesse queas. Sed heu miseros nos, qui dum tua hominis perfectissimi praesentiâ

Digitized by Google

destituimur, in eam infamiae suspicionem vocamur, te non modo studiorum nostrorum pertaesum esse, sed etiam pravis actionibus nostris expelli, tuo tanti viri recessu haud obscure significante, nullum apud nos bonum superesse. Nihil jam reliquum est, nisi ut calumnientur obtrectatores augurentur maledici, successores tuos non modo ejiciendos, sed etiam morte afficiendos, quando et tu te a nobis subducis et beatus Amandus, decessor tuus, pulverem pedum in nos excutiens, a nobis recessit. Verum Deus omnipotens, facilis ad ignoscendum, cum objurgavit Prophetam ob ederam subito arescentem male contentum, satis declaravit se longe aegrius laturum, si pereat creatura ipsius, seque malle poenitentiam peccatorum, quam mortem. »

§ **17**. His verbis commotus vir Dei, tacitus apud se cogitans aliquandiu, tandem in haec verba prorùpit: «Nolite, fratres mei, id genus verbis me perstringere. Equidem non moleste fero deplorare vos apud me dispendia vestra: sed ferre non possum quod tanquam injuriâ affecti, mecum expostulare vultis. Non ego vos adulterinos haberi volo, et quod ea causâ discesserim a vobis: nec tam male sentio de vobis, ut existimem me nullum apud vos fructum posse proferre, atque idcirco alio me transferam, ubi fructus major spes affulgeat. Sed neque mihi id tribuo, perfectum me esse: tantum abest, ut perfectissimus videri velim. Nec meo judicio perfectorum est, a coeptis non discedere, et se extendere in anteriora: actuosae vitae cum Martha insistere, ad contemplativam vero cum Maria ferventer non aspirare: et si se offerat occasio, actuosae vitae potius renunciare, quam contemplationi non cupidissime incumbere. Domino me adjuvante, vos mihi commissos, ut potui, gubernavi: ut labor meus in vobis fructuosus esset, magnâ instantiâ rogavi. Nec me taedio afficiunt studia vestra, nec offendit pravitas quae nulla est, actionum vestrarum. Hoc unum superest, ut talentum, quod in vobis gaudeo cumulatum, alio conferam magis magisque cumulandum, ut vestra abundantia illorum inopiam suppleat. Fecerunt hoc ante nos etiam sancti homines, quorum utinam nos vel extrema merita aequare possimus: e quibus plerique majoris utilitatis causâ ad alias ecclesias se transferri passi sunt: nonnulli spe uberioris meriti ultro commigrarunt. Postea vero, si se sentirent vel parum proficere, vel suam operam non admodum necessariam, sese subduxere, et ad majores labores suscipiendos obtulere: quippe qui ut fortissimi pùgiles Christi, intra quietis claustra teneri nollent, sed in apertum certaminis campum ultro prosilirent: non desertores pugnae spiritalis effecti, nec instar mercenariorum ad luporum conspectum fugientes, sed fortiter congressuri, eo sponte sese ingerentes, ubi aut rarior esset adversus hostes certantium numerus, aut ipsi hostes acrius et propius imminèrent. Nec tamen ego, filioli, horum mihi virtutem arrogo:

Digitized by Google

non me illorum meritis parem temere assevèro. Quod si vero successoris nomen ferre non potestis, sit sane cooperator meus. Neque me putetis vobis absentem fore qui tametsi ad alios instituendos proficiscor, non tamen extra hanc dioecesim excessurus sum. Non longe a vobis àbero: si quis casus evenerit, licebit consilii causâ ad me accedere: ubi et pro peccatis vestris intercessorem, et omnium quae vobis necessaria sint, quaeque vos angant, tanto solicitius memorem habebitis, quanto ero a curis popularibus remotior, et propterea ad divina contemplanda expeditior et studiosior *. Olim Moyses in monte stabat, et Israële cum Amalechitis pugnante, non armis, sed precibus certabat, efficiebatque, ut tanto esset in conflictu Israëliticus populus superior, quanto ipse Deo in oratione propinquior, et a strepitu praeliantium remotior. Et mihi, charissimi, deliberatum est illic divinae contemplationi attentius inhaerere, ubi me seculares tumultus minime interturbent. Ad hanc rem me incitat beatus Joannes Baptista qui etiam in tenera aetate maluit inter feras dègere, et earum cibo vesci, quam apud suos manere cives, ne vel otioso sermone se contaminaret. Habeo etiam ad hanc vitam egregium ducem Moysem, cui optatius fuit in vasta erèmo divinis frui colloquiis, quam Aegyptiorum opibus et deliciis enervari. Elias quoque et Eliseus, caeterique Prophetae, studio contemplationis insignes etiam Reges domuerunt. Abraham, omnium pater credentium fide effectus, huc me invitat, cujus jam antea secutus exemplum, contempto natali solo, res facultatesque omnes abjeci. Denique ipsius Domini Salvatoris exemplo provocor, qui cum teterrimo hoste conflicturus, solitarius ad eremum abscessit. Cujus misericordiâ et benignitate utinam fiat, ut et ego illic improbi hostis fraudes proterere, de illic instituendis lucra cumulare, et vestrae saluti meis precibus aliquid utilitatis adferre queam.» Ita beatus Remaclus dolores suorum lenivit, et querimonias sedavit, ac deinde suo perrexit itinere.

§ **18**. Postquam autem ea res innotuit, tum prope, tum procul degentibus religiosis viris, quorum Deus animos permovit, coeperunt undique ad eum ceu apes ad alvearia confluere, nonnulli se omnipotentis Dei servituti addicere, et levi Salvatoris jugo colla supponere: quidam liberos suos liberalibus, immo vero monasticis imbuendos disciplinis, atque illic Christo perpetim servituros offerre: multi de suis facultatibus et redditibus, sanctis necessaria ministrare. Inter quos etiam dominus et pater Papolenus ad eum invisendi quidem causâ venit, sed ejus inhaerere magisterio, quam domum redire, maluit. Susceptus est a beato Remaclo officiosissime, et vixit apud eum sine offensione: quique instruendus eo venerat, complures suis exemplis ad virtùtis studium incitavit. Cernens id beatus Remaclus, secumque

* Eremiticae vitae et contemplationis commendatio.

Digitized by Google

cogitans ea causâ missum eum fortassis a Domino, rogavit eum, ne ab ipso discederet: tum praeterea ob fratres in disciplina continendos, Malmundariensi coenobio, cujus monachi S. Benedicti instituto vivebant, salva in omnibus auctoritate sua, eum praefecit. Atque inde Stabulaum * reversus, ad majora virtutum opera se accinxit, suisque exemplis permultos ad sui imitationem pertraxit.

§ **19**. Quis apud illum tristitiam non mutavit in gaudium? ** Quis iram animi tranquillitate et pace non dèpulit? Quis orbitatis luctum, ad ejus conspectum non cohibuit? Quis non paupertate pressus, ejus sermonibus ita sublevatus est, ut et divitum opes despiceret, et sua inopiâ laetaretur? Quis laborum onere praegravatus, ejus non est adhortatione erectus? Quis adolescens saevientis libidinis igne succensus, non confestim ad ejus admonitionem saluberrimam, pudicitiae cultor extitit? Curabat vexatos a daemonio: illicitis cogitationibus aestuantes, ab opere malo retrahebat, docens eas ad petram Christum allidere. Noverat quo quisque laboraret morbo, et ex vitae meritis singulos existimans, pro ratione morborum, adhibebat reprehensiones. Interea crescebat illic divini amoris studium et ardor, monasticaeque disciplinae rigor inflexibilis. Quam vero in caeteris ejus monasterii officinis omnis fuerit peccandi interdicta facultas, testis est vel solus dormitorii locus. Testis est et sanctus Lambertus qui e sua pulsus sede, eo potissimum confugit quod non esset nescius, illic vel maxime sanctae religionis vigere cultum. Testis quoque est Crux lapidea, ad quam ob strepitum labentis calcei, quo fratrum quies fuit interrupta, ire jussus nocte media, usque in crepusculum sub illa stetit, psalmodiaeque et precibus vacans, atque frigus contemnens, et nives calcans, sanctitatis suae certa indicia dedit.

§ **20**. Post haec Rex ille, cum Austrasiae regnum praeclare rexisset, diem clausit extremum. Porro Grimoaldus major domus, sive praefectus palatii, vel, ut alii volunt, magister equitum, sub praetextu munerum accipiendorum, a Clodoveo fratre Sigeberti Parisios evocatus, illic retentus est quod filium domini sui Sigeberti, quem in suam fidem susceperat, ut eum patri in regno substitueret, Clericum effecisset sive totondisset, suum filium Regem volens constituere. Clodoveo quoque defuncto, Clotarius filius ejus in Occidente, frater Clotarii Childericus in Austrasia regnarunt. Hunc ergo beatus Remaclus adiit, et quod patruus ipsi donasset, ut confirmaret, petiit. Rex libens annuit, et ut vir Dei petierat, ejus successorem Theodardum et Odonem domesticum, jussit ejusdem mensurae solum remetiri: cujus partem dimidiam sibi Rex servavit, reliquam usibus servorum Dei testamento

* Sive Stabuletum (*Stavelo*).
** Quanta ex Remacli praesentia, verbis, exemplis, miraculis prodierint beneficia.

Digitized by Google

addixit et confirmavit. Quod quidem virum Dei prudenter admodum fecisse constat, ut si fortassis successores ejus aliquando minus possent, minori negotio, quod minus esset, sine invidia et infestatione vicinorum, liberius sibi vendicarent. Obiit vero ettiam Clotarius Rex, et ad Childericum monarchia devoluta est. At ille postea propter morum insolentiam interfectus, fratrem Theodoricum habuit in occiduis regni partibus successorum, cui magister equitum fuit Ebroinus. Horum tyrannidem aversati Austrasiani, Pipino principi studebant et parebant. Is ubi didicit, in supra dictis monasteriis cultum religionis augeri, duas ex fiscis suis villas in usus mensae servorum Dei, unam in Hasbanio alteram in Arduenna, pro Dei et S. Remacli amore, attribuit. Sub horum tempore ferunt eum Romam profectum, sancti Petri aliorumque sanctorum suffragia imploraturum, atque illic tamdiu in preces et jejunia incubuisse, donec divinâ et Angelicâ consolatione fretus, quamdam reliquiarum ejusdem beatissimi Apostoli partem meruit obtinere: quae quidem apud nos auro gemmisque ornatae praecipuo cum honore asservantur.

§ **21**. Jam vero senior beatus Remaclus, sed moribus tamen quam annis maturior, diem vocationis suae sentiens imminere, tempusque adventare, quo compensaret honor in coelis quod labor trivisset in terris, subditos suos ad se accersit, et tum ipsius obitu, tum sua desolatione moerentes, ita consolatus est: « Ecce patres sanctissimi, ecce fratres charissimi, quos habeo affixos intimis visceribus meis, pars dimidia animae meae: ego viam universae carnis ingredior, nec ad vos deinceps rediturus sum. Vestra itaque, quos desero, solitudo me habet solicitum, non mea abitio qui Deo me consolante confirmor. Non me terret conditio communis mortalium omnium, quando etiam tota sapientis vita, quaedam debet esse mortis commentatio *. Non potest foeda mors accidere viro forti, non immatura sapienti, non misera eam providenti. Vestra me teneritudo, quos adhuc expediret solidioribus informari disciplinis, non parum movet: vobis prorsus timeo, ne, si lupi rapaces incurrant, nemo sit qui eos repellat. Equidem haec monasteria Deo et sanctis ejus dicavi, vestrisque usibus accommodavi, vestra in hoc usus operâ forti et fideli. Quid autem in posterum eventurum sit, incompertum est mihi. Videtis sane, quo loco res nostrae sint, et quam sit hic mundus in maligno positus. Si quid igitur potest apud vos oratio mea, curate, obsecro, ne ab ea integritate, quam in vobis efficere volui, ullo unquam errore abducamini: sed sitis semper in Christo conjuncti et unanimes, quemadmodum et patrum traditione, et scripturarum sanctarum lectione, et mea solicita adhortatione accepistis. Ex vestris manibus numquam deponatur sacra lectio, sed in ea sit vobis jugis meditatio. Ut enim ager, quamvis fertilis,

* **Viri sapientis commentátio mortis — Sacrae lectionis, utilitas.**

Digitized by Google

sine cultura non potest esse fructuosus: ita nec sine doctrina animus. Nostis illud, docto et erudito homini vivere esse cogitare *.

§ 22. « Orationi frequenter incumbite: pro culpis humanâ fragilitate admissis, Deum deprecamini: nec solum precemini, ne alias deinceps admittatis, sed etiam accurate, ne id fiat, invigiletis. Si quis enim socordiae et ignaviae se dedat, frustra ille Deum imploraverit. Vobis virtus sit, vitium fugere: et sapientia prima, stultitiâ caruisse. Pudor, justitiaeque soror incorrupta fides, nudaque veritas, vestris in cordibus sibi domicilium vendicent, ut qui facta vestra conspiciunt, ad imitationem provocentur. Veram peccatorum confessionem faciatis Deo, et praelatis vestris: tentationum impressiones in ipso primo aditu detegatis. Stultorum enim praeposterus pudor, dum celat ulcera, illis majores subministrat vires. Obedientiam majoribus exhibete, eorum institutionibus animos accommodate. Tum enim quisque recte vivit, si curat id esse quod audit. Ab omnibus quae ira suggerit, vobis temperate, solus enim est triumphus innocentiae, non peccare cum possis. In optimis quoque temperantiam quamdam adhibete. Est enim modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citràque nequit consistere rectum: et metiri se quisque suo pede, suoque modulo debet. Nemo alteri injurius sit: accipere enim, quam facere, praestat, injuriam. Patientiam quae miseriarum portus est, amplectimini, nemo enim adeo barbarus est, ut non possit mitescere, modo culturae patientem commodet aurem. A nullo labore qui sit a praefectis vestris vobis impositus, absterreamini: quia omnes etiam duri labores, contentione fiunt tolerabiles, et usus sive consuetudo laborum, etiam dolores facit magis patibiles. Segnitiem prorsus fugite, non enim ignavas mentes facile comitatur virtus. Superbiam vel maxime respuite, ut vera possitis libertate potiri. Non enim ille liber censendus est, cujus animum superbia occupat. Castitatem sectamini, omnis namque ponderatio, ut ait scriptura divina non est digna continentis animae, Prosperi successus qui etiam sapientum animos fatigant, non vos delectent, nam qui plus nimio delectatur rebus secundis, in diversas mutatis quatietur. Ante omnia pacem et concordiam servandam admoneo, ut sicut in duobus estis monasteriis congregati, ita gemina in vobis ferveat dilectio, Dei et proximi: cumque sit unus vobis pastor praefectus, nullo unquam scandalo aut schismate vos dividi patiamini. Non vos ossa consumens vastet invidia, namque invidus alterius rebus macrescit opimis, et invidiâ Siculi non invenere tyranni majus tormentum. Si minores fortasse adsint facultates, nolite cònqueri. Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus: et ipsa nos natura quotidie

* Plura et egregia salutis monita. Virtutum colendarum congeries.

Digitized by Google

admonet, quam paucis, quam vilibus, quam parvis egeat. Non opibus mentes hominum curaeque levantur.

§ **23**. « Haec sunt, charissimi, quorum vos admonitos volui, tanquam ultimum vale vobis dicens, jam jamque e vita abiturus. Vos curate, ut tanto arctius vestris inhaereant pectoribus, quanto majorem ex meo recessu molestiam capitis. Quae si apud vos fructum aliquem effecerint, maximo me gaudio afficietis. Simul autem cogitetis, vos quoque morituros, et ita tempus poenitentiae agendae collatum, ne, quaeso, inaniter labi patiamini. Veniet, veniet ille dies *, cum frustra desiderabitis vel unius horae usuram. Dum ergo tempus est, operamini bonum ad omnes. Labuntur enim anni fugaces, dieque trùditur dies. Jam mortalia non speranda monet annus, et album quae rapit hora diem. Mors ultima linea rerum est. Perpetuus nulli datur usus, et haeres haeredem alterius velut unda supervenit undam. Pulvis et umbra sumus: omnes una manet mors, et calcanda semel via leti. In bonis autem operibus et recte factis si hinc decesserimus, beati erimus, una cum corporibus etiam omni cupiditate et aemulatione absoluti.»

§ **24**. His suavissimis, iisque extremis sermonibus moerorem illorum lenivit. Deinde modica correptus febre, cum se sacrosancti corporis et sanguinis Domini viatico confirmasset, inter charissimorum filiorum manus animam reddidit Creatori, post diuturnam Christo exhibitam servitutem. Verus Israëlita egressus ex Aegypto, spoliato vicino, aucta talenta reportavit. Corpus ejus honorifice curatum, cum multa psalmorum et hymnorum melodia in beati Martini oratorio quod ipse extruxerat, humatum est: ubi etiam aliquamdiu jacuit, miraculis interim testatum efficiens, se apud Dominum vivere. Successit illi dominus Papolènus, vir Apostolicus, cujus supra fecimus mentionem: Papoleno Sigolìnus, beati patris judicio aeque approbatus: Sigolino Godvinus, annis et morum maturitate grandaevus, qui sancti viri corpus transtulit, et in ecclesia beati Petri reposuit, lectumque illius auro et argento ornandum curavit. Ubi per ejus merita multa usque in praesens Dominus miraculorum signa efficit, quae illic conscripta habentur in laudem et gloriam omnipotentis Dei qui est benedictus in secula, Amen.

* Vitae brevitas.

Digitized by Google

DE MIRACULIS BEATI REMACLI

EODEM NOTGERO AUCTORE

sed ob lectoris vitandum taedium,
multa Laur. Surius in compendium redegit. *

§ 1. Post gloriosissimi agonis omnibus seculis laudabilem triumphum, quo deposito carnali indumento, immarcescibilem gloriae idem nactus est coronam, ad comprobandum quanti meriti, quantaeque sanctitatis beatus vir iste fuerit, noluit pius Dominus occultum manere, quod apud illum non latebat: sed fieret hominibus quoque clarum, quanta gloriâ ille polleat in coelis cui tanta miracula quae nostris aspectibus concessa sunt videre, praestat agere in terris. Non enim audemus silere quae novimus ne quasi desides et tardi ad opera Christi enarranda vel miranda, dijudicemur. Nec alia, nisi ea quae relatu veracium hominum didicimus, vel ipsi oculis perspeximus, dicere volumus, ne culpâ mendacii arguamur.

§ 2. Eo tempore, quo ecclesiae nostrae altare construebatur, adfuit illic Joseph quidam adeo contractus, ut in genua presso capite, non posset coelum suspicere, nec tamen caput uno in loco diu retinere. Id mali tum sibi accidisse referebat, cum in agro vicini sui gramina ipsius equus injuste carperet. Tum enim fulgure percussum sensisse se tantam adustionem, ut mox deposito capite contraheretur. Quadam autem Dominicae nocte fratribus divinum officium persolventibus, ille in pavimentum templi pròruens, magnis clamoribus complet templum, adeo ut prae horrore illi qui vigiliis illis intererant, fugerent, et in altaris locum irreverenter irrumperent. Monachi vero suo more matutinos hymnos sublimiter depromentes, abeunt ad hominem clamantem, videntque eum integerrime sanitati restitutum. Percontantur quid id factum sit: ille respondet vidisse se ceu faculam ardentem a lecto beatissimi Remacli vibratam, ipsum subito irradiare, et malum omne a corpore depellere. Ibi tum cernere mirum erat, quicquid fulguris ignis adusserat, simul atque abstersum esset, non solum simile esse carni reliquae, sed candidius etiam atque vegetius. Monachi solemnes laudes offerunt Deo et sancto patrono. Servantur autem lignea instrumenta, quibus tum ille, tum alii qui illic sanantur, usi fuere, et ad templi fores suspenduntur, ut sint monimenta virtutum Christi, et ea videntes enarrent magnalia ejus.

§ 3. Amulgerus quidam tempore messis Dominico die, non dans honorem Deo, plaustra onusta cum sua conjuge domum

* Quaedam et nos brevitatis ergo, perstringenda vel secanda censuimus.

adducebat. Et ecce festuca ejus oculo infixa, luscum reddit hominem: atque ex eo dolore, etiam alterius oculi lumen amittit. Tandem de misericordia Dei conceptâ fiduciâ, alterius ductu permulta obit sanctorum loca, eorum suffragia implorans. Interim quadam nocte audit, si velit effici incolumis, ut ad memoriam beatissimi confessoris Remacli pròperet. Laetus surgit e lecto, multisque peragratis locis, tandem sabbato venit eo quo jussus erat. Nocte sequenti fratribus vespertinos hymnos concinentibus, ille clamoribus implet ecclesiam. Fratres sentientes virtutem adesse divinam, magna vocum contentione laudant Deum. Absolutis precibus, veniunt ad hominem jam clare videntem, audiuntque ex eo, a mausoleo beati viri instar radiorum solis lucernam coruscantem, omne ipsius caput concussisse, lumenque ipsi redisse. Non diu post res gesta innotuit Ludovico invictissimo principi et proceribus ejus. Perductusque ad eum caecus, narravit ei ordine rem omnem. Imperator immensas Deo gratias agens, multumque exultans, ipsius temporibus tanta fieri miracula, lumina caeco divinitus restituta deosculatus est. Jam adventabat festus dies piissimi doctoris nostri Remacli, et Monachi loci quem Dervum vocabant a nostris de ejus rebus gestis edocti, statuunt noctem illam vigiliis celebrem ducere. Ecce autem opportune adest quidam membris omnibus contractus, cujus plantae femori adjunctae visebantur. Is ait, divinitus sibi dictum, monachos beati Remacli illic adfuturos, et ea nocte vigilias celebraturos, seque illic sanatum iri. Permissum est illi in templo permanere: porro simulatque omnes quieti se dederunt, ille repentinis clamoribus eorum quietem interturbat. Surgunt ergo, et ad celebrandum divinum noctis officium properant. Eo absoluto accedunt hominem, eumque salvum conspiciunt. Laudatur magnis vocibus Deus, quod etiam ipsis procul degentibus sancti memoria non desit. Deinde percontantur ex eo, quo pacto curatus sit: respondet, vidisse se pontificem, vultu Angelico et splendida specie, in templum ingredientem, ipsique manum porrigentem: moxque membra omnia suis locis et officiis restituta.

§ 4. Homo quidam improbus ausus fuit beati viri terram sibi vendicare. Admonetur a nostris blandis verbis, non decere illum, ut per vim usurpet res tanti patris. Ille nihil cunctatus, cum suae partis defensoribus venit ad locum illum: adducit falsos testes, qui sancte jurare non dubitant, eam terram ejus ditioni potius esse, quam ecclesiae nostrae. Ille vero etiam hunc in modum sibiipsi imprecatur: Ita mihi adsit in afflictis rebus meis sancti hujus meritum, et in capite et barba mea pili maneant, quemadmodum ego recte assevero terram hanc me jure obtinere. Eàdem nocte acerba premitur corporis valetudine, unguesque et pili ejus a capite et barba prorsus avelluntur. Territus tam dirâ omnipotentis Dei castigatione, non solum quod abstulerat

Digitized by Google

reddat, sed duplo plus etiam addit de suo, at tamen quoad vixit, nec capillos, nec barbam recuperavit.

§ 5. Alius quidam arietem voverat sancto viro, jamque eum ducebat ad ejus ecclesiam. Ubi autem in monasterii conspectum venit, tentante eum satanâ, mutat sententiam, mactatoque ariete, ea nocte egregie epulatur, totamque pècudem cum suis dèvorat. Sed non dormitat coelestis vindicta. Nam misero illi os et vultus fere ad aures retorquentur, talique deformitate affectus, clamat se voti reum: sicque discedens, non prius eo vitio caruit, quam vitâ.

§ 6. Ante hoc biennium Lungulfus quidam rogatus a conjuge sua gravissime decumbente, ut fibulas argenteas ad beatissimi antistitis locum deferret, et pro animae ipsius salute precaretur: promisit quidem se facturum, quod peteret: sed post ejus obitum promissi immemor, divino timore et amore posthabito, argentum in suos convertit usus. Eam temeritatem non ferens occultorum cognitor Deus, perfidum illum sex mensium caecitate damnavit. Sciscitantibus cognatis, unde illi tam repentina accidisset caecitas, suspicari se dicit ob argentum fraude retentum, eam sibi evenisse. Hortantur ergo eum, ut praestet, quod uxori promiserat. Paret ille, et pròpere ad monasterium abiens, fatetur culpam suam, et conjugis jussa exequitur. Deinde nocte totâ orans ad sepulcrum beati viri, sub auroram sentit lumen sibi restitutum.

§ 7. In villa pagi Fulminensis, quam Marram vocant, quaeque in ecclesiae monasterii nostri dotem cessit, nuper indigenae oratorium condere instituerunt. Habuit ea structura celerem progressum: erat enim lignea. Deinde rogant antistitem, ut consecret aedem, cum prius e monasterio reliquias S. Remacli, ut ejus nomini templum dicaretur, petiissent et accepissent, quas etiam Episcopus reverenter opportuno loco reposuit. Expletis autem vigiliis et caeteris dedicationi congruentibus, ubi ventum est ad altare tegendum, Grimuara matrona venerabilis, linteum offert antistiti, quo altare operiretur, idque sub testificatione, ne unquam nisi lotionis causâ inde amoveretur: cujus lotionis ministerium sibi relictum voluit, credens sibi profuturum, si quid officii praestitisset sancto Confessori. Non diu post sanctimonialis quae illic se servituram devoverat, oblita propositi sui, ea pallâ vel linteo ab altari sublato caput tegit, et abit, diabolico instinctui satisfactura. Sed confestim adest ultio: namque domum reversa, daemone eam exagitante, aquam calidam parat, eàque caput abluens, praedicto linteo se tergit. Eodem momento adeo capilli omnes a capite defluunt, ut nec vestigium eorum ullum appareret. Ita quae alienum sibi praeter fas velamen usurparat, naturale capitis tegumentum perdidit. Huc accessit totius capitis pruritus, et magna pediculorum vis. Tandem a fratribus monasterii oratum est pro illa, facinus suum agnoscente et

Digitized by Google

accusante, et capilli renati sunt. Potest hoc disci exemplo, res sacras minime temerandas. Hujus vero rei tot sunt testes, quot ejus praedii tum fuere habitatores.

§ **8**. Visum est aliquando fratribus, quaedam circa venerabile beati viri sepulcrum emendari oportere. Advocantur artifices, indicant illi, quid fieri debeat: deinde ad certum diem adsunt cum rastris et malleis, humum sepulcri effodiunt, foribus obseratis: in fodiendo magnam sentiunt difficultatem ob soli tenacitatem. Ubi autem superior terra nonnihil amota fuit, tanta ex sepulcro manavit odoris suavitas, ac si aromata omnia illic cremarentur. Terrentur artifices, fugamque capessunt. At templi custos, divinam intelligens adesse virtutem, confirmat eos, dicens certo inde liquère, adesse praesentem beatum virum, ipsorumque labori favere. Pergunt igitur, ut coeperant, fodere: porro odor ille foras erumpens, locum omnem complet, ita ut ad omnium notitiam perveniret, quod fratres celatum volebant.

§ **9**. In pagi Mosaliacensis praedio Maranco quidam hydropisi vexatus, atque omni medicorum operâ nihil adjutus, nocte in somnis admonitus fuit, ut ad tumulum beati Remacli preces fundat. Ille mox indicat cognatis visionem, petit summopere eo se adduci promittitque se quandam vineae partem sancto daturum, si salus amissa redeat. Parent amici, et cum cereis ducunt hominem ad locum optatum: adeunt tumulum reverenter, incendunt cereos, orant diutissime, et morbo se sentit homo liberatum. Vineam, uti pollicitus erat, tradit monasterio, et redit ad sua. Sed paulopost jam securus de salute corporis, dolet se vineam beato Remaclo dedisse, nec dubitat eam rursus vendicare sibi, et vinum ex ea collectum, in sua cella condere. Sed ecce redit ad miserum hydrops pristinus, adeoque eum exagitat, ut vitae spem omnem abjiceret. Dat igitur vexatio intellectum auditui, et sacerdoti atque cognatis exponens temeritatem suam, ducitur ab eis infelix una cum vino illo ad tumulum beati viri, multum trepidantibus illis, ne etiam ipsi ejus sceleris poenas luerent. Rogantur inde fratres monasterii, ut orent pro illo; jubent eum fratres ad ecclesiae fores expectare sancti confessoris virtutem, orantesque pro eo nocte illa, mane vident hominem sanatum. Hujus rei testes sunt plurimi.

§ **10**. Quidam a matris utero surdus et mutus, a parentibus commendatus est homini, qui eum ad sanctorum memorias circumduceret. Jam multum temporis illi confecerant diversis adeundis locis, cum tandem ad nostrum monasterium perveniunt. Excepti a nobis, in xenodochio ad dies octo humanitatis studio sustentantur. Dominico autem die, qui tum erat ante Christi nativitatem octavus, pulsabantur signa ad preces vespertinas, et populo ad ecclesiam confluente, miser ille excitatur, et licet, quid ageretur, nescius esset, tamen intrat cum caeteris in

templum, et in quemdam se abdit angulum. Nobis divinum officium reverenter exequentibus, ubi ventum est ad Antiphonam, *O Sapientia,* ille humi collabitur, sanguineque ex auribus et gutture manante, instar furiosi vociferatur, non vulgum dumtaxat, sed nos etiam rei adhuc ignaros perturbans. Laudibus Dei absolutis, imus ad eum, totum pavimentum cruore infectum, et miserum prope exanimen conspicimus. Tum vero agnitâ patroni nostri virtute, a terra elevatum et aquâ lotum, ad sacrum tumulum perferendum curamus: cunctisque pulsatis signis, *Te Deum laudamus* concinimus. Inde ille sumpto cibo, adeo confirmatus est viribus, ut ad quodvis opus nemo illo promptior esset. Porro instar infantis didicit formare verba, non aliud proferre valens, quam quod ante ab alio pronunciatum esset. Unde satis constat, eum hactenus nec audivisse, nec locutum esse. Ubi ea res ad Regem allata est, cum apud nos esset, jussit eum ad se adduci, sibique prandenti assistere: adeoque in eo veneratus est sancti Remacli virtutem, ut hominis illius et os, et oculos, et aures exoscularetur.

§ **11**. Carolo tertio Imperatore, Anno salutis octingentesimo octogesimotertio, invisa gens Danorum, magna instructa classe, in Gallias de improviso irrùpit, iisque pervagatis, caedibus, incendiis et direptione omnia vastavit. Inde transmisso Mosae flumine, Arduennam sylvam mire populantur, evertunt villas, incendunt oppida, regias arces et monasteria destruunt. Ventum est etiam ad nostrum coenobium, cujus situm clam noctu explorantes, ita nos includere constituunt, ut nemo possit evadere. Sed divino nutu et patroni nostri meritis eorum consilia nobis quidam fugâ elapsus patefecit. Nos metu perculsi, sublatis B. Remacli reliquiis, licet sero, fugae nos mandamus. Nocte intempestâ montem ascendimus, et illic respirandi causâ subsistimus. Tum vero immensum lumen igneae columnae effigie videmus descendere in loculum, sacra ossa retinentem. Lux illa longe fuit lunari splendore illustrior. Erat tum frigus ingens: at nos ita suavi quodam calore afficiebamur, ut vernum tempus agi videretur. Interim nos invicem respectantes: stamus attoniti, nihil loquentes, et tantae rei finem expectantes: cum post unius ferme horae spatium lux illa coelos repetiit. Nos ergo ire pergimus, atque ita illaesi a patrono illo nostro in tam praesenti hostilis persecutionis periculo conservati sumus, ut nullus fere barbarorum ense jugulatus sit.

§ **12**. At durante illâ procellâ, coacti sumus alio commigrare. Itaque in villa beati Remacli, quam Boviniacum vocant, ubi tum ab hostibus nonnulla quies dari videbatur, cum sacro ejus corpore consèdimus, donec ab Imperatore profligatis barbaris, patriae nostrae pacem redditam didicimus. Interim in villa illa precibus sancti patroni nostri, semper omnia nobis abunde

Digitized by Google

subministrabantur. Pace autem reddita, jam nihil morati, domum contendebamus : et ecce perfertur ad nos tristissimus nuncius, totum monasterium nostrum voracibus flammis absumptum. Ea res nos valde consternavit: tandem visum est adìre praedìolum Calcum, quod pene solum in ea vastatione nobis relictum erat. Sed illic tanta grassabatur lues, ut humandis vix superstites sufficerent cadaveribus, et quod dictu quoque foedum est, plerumque duo vel tres in uno sepulcro conderentur. Ea res fratrum animos in diversa rapuit, aliis dicentibus exilium tam praesenti exitio anteferendum : aliis contra asserentibus, nullum mortem evasurum, qui ea peste ex Dei voluntate sit periturus: fidendum virtuti beati confessoris, et incunctanter ad locum destinatum eundum: quorum sententia obtinuit itumque est et brevi perventum ad praediolum. Mira dicturus sum, sed fidem adhibeat, qui credit nihil impossibile Deo. Ad introitum nostrum omnis illa pestis, sancti Remacli meritis adeo extincta est, ut qui eâ nondum laborassent, nihil ab ea mali paterentur: ex iis autem, qui correpti eâ erant, permulti sanarentur, cum hactenus quisquis eam sensisset, certam sibi mortem impendere non dubitaret.

§ **13**. In eodem loco erat puella paralytica, quam ab ineunte aetate morbus lecto perpetuo affixerat. Ea nullo prorsus cibo, nisi lacte dumtaxat et paucis fructibus utebatur, solìus aquae et dulcis potionis, quam rustici bracisam vocant, et in primis vindemiis recentis musti potu contenta. Jam viginti et duobus fere annis ita victitarat. Nobis vero inde recedentibus ad monasterium nostrum, cujus jam quaedam tecta a nobis instaurata erant, illa mansit paralytica : sed paulo post monetur quidam per visum, ut dicat matri puellae, ut eam bene lotam apportet ad tumulum S. Remacli. Ille se illusum putans, negligit jussa. Iterum iterumque admonitus, tandem facit, ut erat jussus. Mater vero puellae eum confinxisse haec existimans, nihil se movet. Tandem puella ipsa per visum jubetur ocius petere oratorium S. Remacli. Illa mox multo clamore matrem excitat, dumque ejus operâ conatur e lecto surgere, ilico sanam se comperit, suisque pedibus intrat ecclesiam, gratias actura. Mater autem accensis cereis, signa pulsat, plebs concurrit, ingens omnes occupat stupor et gaudium, Deus laudatur et benedicitur ab omnibus. Eodem die puella citra ullam nauseam panem, carnes, vinum et quicquid ei appositum esset, edit et bibit, et suis pedibus, licet paululum nutante gressu, ambulabat quocumque vellet.

§ **14**. Per idem tempus a Capraemontis castello, quo nos ut conferremus, Nortmannica rabies compulerat, ad monasterium propter imminentem patroni nostri solemnitatem redire properabamus. Ubi paululum extra pagum Solomanniam processimus, multa nos hominum turbâ prosequente, cerei qui ante loculum quo beati Remacli corpus asservabatur, ferebantur, paulo ante

Digitized by Google

vi ventorum extincti, rursus accensi sunt divinitus. Nolebat id credere agrestis turba, sed numquam extinctos cereos affirmabat. Nos rei indignitate commoti, cereos extingui jubemus, beatoque Remaclo supplices preces offerimus. Mox adest manus praepotentis Dei, et coelitus lapso lumine, denuo cerei accenduntur. Adeo vero lux illa totum illustrabat locum, ut nemo posset ambigere coelestem eam esse. Tum omnes pariter prorumpimus in laudes Dei, mittuntur nuncii ad ecclesiam qui nobis interim psallentibus pulsent signa: et ecce totum oratorium vident illi divinis completum splendoribus qui nobis abeuntibus pariter disparuere.

§ **15**. Erat apud nos monachus, ecclesiae nostrae custos: qui cum carnis abominandis vitiis esset addictus, non dubitabat id officii exercere: et licet sese non corrigeret, tamen impudenter et obstinato animo apud sanctorum pignora et Deo sacratas aras versabatur impurus. Non attendebat, quid accidisset filiis Eli sacerdotis, quid filiis Aaronis, ignem alienum offerentibus: unde tamen facile animadvertere potuisset, si illae veteres caeremoniae neglectae, tam diris suppliciis addixère eos quos diximus, sobrie et juste ac religiose et salubri cum terrore Christi sacramentis inserviendum. Voluit autem sanctus patronus noster eum a detestandis facinoribus revocare. Sanctorum enim animae omnipotentis Dei claritatem intuentes quae foris aguntur, coelesti beneficio agnoscunt. Apparet igitur rustico cuidam, moestus ei exponit monachi temeritatem, jubet eum accedere, et suis verbis eum deterrere. Tum quoque monet, ut jubeatur monachus perscrutari conscientiam suam, ut hac ratione ad se reversus corrigat sese, ne divinitus puniatur. Rusticus facit, quod erat imperatum, venit ad monachum, ducit eum seorsum, humi coram illo se abjicit, orat, ut quod revelatione didicit, secum perpendere velit. At ille postquam audivit rustici sermones, non se èrigit contra se, non in seipsum descendit, sed instar fanatici verborum fulminibus verberat miserum, ait phantasmatibus ipsum delusum, prae nimia miseria incidisse in insaniam. Rusticus abscedit, et miser monachus contempto illo, tanquam indigno, cui aliquid divinitus reveletur, pergit, more suo licentiâ effrenata. Non cogitat saepe abjectos et viles homines etiam ad potentes mitti, nec despici ab eis contemplatione illius, a quo missi sunt. Non venit ei in mentem, olim prophetasse Balaam pessimum, prophetasse Saulem tum, cum sanctum David persequeretur, denique etiam Caipham acerrimum Christi hostem, futura praedixisse: unde colligere debebat, spiritum Domini et animas justorum non per bonos tantum, sed etiam per malos efficere, quae multorum saluti prosint. Dum ergo non vult agere poenitentiam, totum corpus ejus lepra sibi vendicat, et prurigo, unde tantus exhalabat foetor, ut etiam amicis toto animo subvenire ei cupientibus

intolerabilis redderetur. Ducitur ergo in domicilium quoddam extra coenobium, et illic res necessariae affatim ei suppeditantur. Sed foetor incredibilis omnem fratrum accessum ab eo excludit, cogiturque is qui cibum ei apportabat, escas in scamno apud ostium deponere, et velocissime abire quod foetor tolerari nullo pacto posset. Ea miseriâ diu vehementer afflictus, e vita abiit, nec cuiquam adhuc compertum est, num poena illa temporaria, peccati castigatio fuerit, vel initium sempiternae. Scimus ex Scripturis, duplici contritione conteri peccatores, et temporales afflictiones prodesse aliis, aliis obesse. Ex hoc vero et id genus aliis miraculis discimus, quam grave sibi judicium paret qui vitae integritate et castimoniâ posthabitâ, non ea, qua par est, in Deo dicatis oratoriis reverentiâ versatur.

§ **16**. Collegit quandoque Abbas argentum, quo volebat cujusdam arae tabulam ingentem pro decore domus Dei vestiri. Redigitur argentum in laminas, laminae inaurantur, exculpuntur et effinguntur vario opere in iis imagines, custodique servandae traduntur. Is alia re impeditus, ponit eas super reverendum altare beatissimae Virginis, paulo post tutiori loco repositurus. Erat tum in monasterio nostro clericus quidam sane officiosus, nobisque haud vulgariter charus. Cernens ille laminas tam male asservatas, cupiditate inflammatus, unam ex eis aufert. Ubi animadversum est deesse laminam, fit quidem diligens inquisitio, sed nihil certi deprehenditur. Tandem 'anathemate percellitur qui id sacrilegium perpetrasset: multumque sudatur, ut possit ad rem certam perveniri. Ille manet in scelere obstinatus, nec adducitur ulla re, ut prodat crimen suum. Sed ultio divina prodit sacrilegum. Arreptus enim a daemone, passim ab illo raptatur, atque interim crebrius repetito clamore, testatur se laminam subduxisse. Cum sic autem diu a nequam spiritu exagitatus, viribus corporis destitueretur, in lecto reponitur et ex ipso languore, mira Dei dispensatione, in terrorem aliorum ad horam fit rursus compos mentis et suum facinus confitetur, ita dicens ad amicos et cognatos qui lectum ejus circumsistentes, eum consolabantur: «Merito tam severum ultorem experior sanctum Remaclum, quandoquidem ex ejus aede argentum miser, jamdiu anathemate plexus, abstuli. Multa mihi in ejus monasterio praestita erant beneficia, quae me facile, ne id facerem, retrahere potuissent. Sed quia pro illis omnibus etiam tantum maleficium reddere volui, verbera verberibus cumulavi, atque in animae et corporis me summum conjèci discrìmen.» His dictis, iterum mente captus, fùrere perrexit et postea sine fructu poenitentiae in ea furia excessit e vita. Haec quisquis legit, caveat, ne simili se scelere obstringat. Perpendat animo quo in coeno iniquitas volutetur, quae virtutis et probitatis lux sit: ut virtus ipsa praemium quoddam sit sui studiosorum, et iniquitas improborum

Digitized by Google

supplicium. Quid vero clerici hujus horrendum judicium, aliud nobis innuit, nisi ut sanctos locum hunc incolentes revereamur? Sicut enim illi ante Dominum assistentes, pro culpis nostris benigne intercedunt: ita interdum, nostris maleficiis exacerbati, nos accusant.

§ 17. Fuit apud nos alius quidam clericus, a puero educatus, monasterio nostro ad multa utilis et accommodus. Is in nostro contubernio vivebat nobiscum familiariter et nobis erat impense charus. Contigit interim Comitissam quamdam venerabilem pro salute sua non parvi pretii fibulam auream ad coenobium nostrum (ita enim voverat) mittere. Inde malignus daemon qui diligenter hominum animos explorat, in quae vitia procliviores sint, occasione arrepta, clerici hujus mentem pertentat. Ille vero nequissimam suggestionem non gravitatis consilio, nec virtutis constantiâ respuens, oculos ad fibulam adjicit, eamque clam suffuratur. Non diu post Abbas noster Ravengerus dum quosdam e nobis ad sacros ordines vult promoveri, ad Episcopum nos mittit, adjuncto nobis etiam clerico, de quo nunc agimus. Erat tum Quadragesima. Etsi autem ille tanti sacrilegii sibi esset conscius, nullâ tamen id neque confessione, neque poenitentiâ expiavit, sed confidenter nobiscum proficiscens, Diaconus ordinatus est, non attendens, quod scriptum est: Mundamini qui fertis vasa Domini: cum utique eos, qui corporis et sanguinis Dominici vasis tractandis adhibentur, mundos et probatis moribus esse oporteat. Absoluto deinde sacrificio et precibus vespertinis, nos ad hospitium imus, eousque producta jejunia soluturi. Ibi inter edendum ille confrater noster cadit, frendet dentibus, mire ac misere se collidit, nosque admirabiliter obstupefactos, cogit laboranti sibi adesse. Mox a mensa surgimus, permulta remedia summâ benevolentiâ adhibemus: sed frustra omnia, divino judicio in eum jus sibi diabolo vendicante. Tota nocte discruciamur animis et valde afflictamur. Tandem benignus Deus, nolens apud exteros tam foedum casum nobis cedere ad ignominiam, profligato daemone, praestitit ut nobiscum incolumis rediret. Et integrâ tum hebdomadâ nullam sensit maligni illius infestationem: qua Dei benignitate ille abusus, noluit facinus suum confiteri: eaque incuriâ hostem reddidit valentiorem. Nam cum Completorii preces Dominico die persolveremus, acrius a daemone arripitur, nec jam succurrebat nobis, quo pacto ei opitularemur, quod incerti essemus, num satanae vexatio illa esset. At tamen prae fraterna commiseratione noctibus vicissim apud eum vigilabamus, visusque est nobis crebrius quam olim Saul, exagitari. Interim brachium dextrum quo rapuerat aurum, penitus exarescit. Nobis dubitantibus, an casu id acciderit, vel divina animadversione, Abbas noster rem altius perpendens, nequaquam censuit casui tribuendum, sed hominem dixit diaboli

Digitized by Google

laqueis constrictum teneri. Movebat eum quod statim a sacris acceptis ordinibus divinitus punitus esset, et unde animae remedium capiendum erat, id ei versum esset in perniciem. Noverat scriptum, gravius eum condemnari qui indignus suscipit quod non meretur. Sicut ergo in Judam temere percipientem corpus Domini satanas intravit, quem constat furem fuisse: ita colligebat Abbas etiam hunc fortassis aliquo sacrilegio contaminatum, quod eâ fere horâ atrocius cruciaretur a daemone, qua fuisset sacris initiatus: hortabaturque fratres, ut cum se illa vexatio remitteret, caute ab eo expiscarentur, numquid ejus conscientiam gravet. Fratres Abbatis jussa capessunt, clanculo ex eo sciscitantur, si quid habeat quod animum angat. Ille ad voces eorum modo rubore, modo pallore suffunditur: tandemque licet pudibundus, suam culpam et agnoscit et pure confitetur, orans ut apud Abbatem pro ipso velint intercedere. Fratres referunt omnia ad Abbatem, Abbas justitiam misericordiâ temperat, nec vult addere afflictionem afflicto: prohibet etiam, ne ejus crimen in publicum proferatur: indìcit fratribus ut pro illo jejuniis et precibus et Missarum celebrationi incumbant. Quid multa? Revalescit frater, restituitur brachium, daemon ab eo prorsus eliminatur: nosterque moeror multiplex, multâ consolatione permutatur.

VITA S. MEINULPHI DIACONI ET CONF.

STYLUM PASSIM MUTAVIT LAUR. SURIUS

Obiit circa 857. — Natione Germanus.

§ **1.** Anno Dominicae incarnationis septingentesimo septuagesimoseptimo, cum Carolus Magnus eam Saxoniae partem, quam nunc Westphaliam vocant, bello subegisset, omnes majores natu ejus regionis venerunt ad eum Paderbonam, uno dempto Witikindo, viro primario quem nonnulli Regem, alii ducem fuisse arbitrantur. Ii autem qui ad Carolum venère, omnes in eodem loco salutaribus baptismi undis expiati sunt, visumque est Carolo Regi, illic Episcopi sedem constituere. Itaque tertio abhinc anno parvam ibi construxit ecclesiam, eamque, quod locus necdum munitus esset, Herbipolensi Episcopo tum commendavit. Porro anno inde decimoquinto, Canonicum ecclesiae Herbipolensis Hatumarium, natione Westphalum, primum illic Episcopum instituit: cujus episcopatus anno quarto Leo Pontifex Romanus, ejus nominis tertius, ab aemulis Româ pulsus, ad Regem Carolum

Digitized by Google

Paderbonam venit, et ab eo honorifice inprimis acceptus, sedem illam auctoritate Apostolica confirmavit.

§ 2. Per id tempus vir quidam opulentus et nobilis, non longe ab eo loco habitans, Christiana religione jam initiatus, viam universae carnis ingressus est, relicta uxore catholica Wigtrude, et parvo filio, qui etsi per aetatem ambulare jam posset, necdum tamen baptismatis fonte renatus erat. Ea ergo Wictrudis, captata opportunitate, ad Carolum Regem cum filiolo suo fidenter accessit, atque ejus gratiam et benevolentiam studuit promereri. At Rex foeminam humaniter et pie accipiens, filium ejus coram se curavit baptizari et eum de sacro fonte suscipiens, Meinulphi nomen ei imposuit. Postquam autem Hatumarius primus Paderbonensis Episcopus eam ecclesiam annis octo administravit, e vita decessit. Ei vero subrogatus est alius quidam Canonicus Herbipolensis, Baduradus nomine, natione Westphalus, praefuitque illi Ecclesiae ad annos quadraginta et octo: primariamque sive cathedralem ecclesiam quam Carolus Magnus inchoaverat, ipse absolvit apud quam Meinulphus puer literis addiscendis est admotus. Cumque et aetate et scientiâ proficeret, Baduradus Episcopus eum monasterii ecclesiae Paderbonensis Canonicis accurate commendavit, ut sub instituto regulari, pietatis et bonorum morum acciperet incrementa. Ubi ille sane cum aetatis accessione tantos habuit in vera pietate progressus, ut Episcopus, morum ejus gravitate et haud obscuris virtutum indiciis multivariis permotus, eum sibi peculiariter a secretis esse voluerit. Erat namque ingenio perspicax, corpore castus, mente pius ac Deo devotus, justitiâ pollens, instructus temperantiâ, consilio providus, fortis in adversis, largus eleemosynis, sermone facundus, corporis formâ decorus. Deinde sacris initiatus, Diaconus ordinatus est, in quo ordine ad supremum usque vitae diem permansit.

§ 3. Quod vero Episcopus Baduradus, cui Meinulphus tantâ fuit familiaritate conjunctus, vir multa virtute clarus extiterit, suis testantur scriptis qui ejus aetate vixere, virtutum ejus hoc singulare quoddam documentum ad posterorum notitiam annotantes. Cum enim, ut ajunt, ab obitu ejus anno vicesimoseptimo sepulcrum illius quadam ex causa aperiretur, indumenta, cum quibus corpus ejus humatum fuerat, tam sana et integra sunt inventa, ut ne fimbria quidem dissoluta vel corrupta videretur. Ex qua re pia manavit opinio, ea vestium quae tot annis humo obrutae fuissent, incorruptione certum praeberi documentum, illum mentis integritate et vitae puritate vitam sibi aeternam conciliasse ac promeruisse. Accidit autem, ut quandoque idem Baduradus in familiari colloquio circumstantibus quaestionem proponeret, quid sibi vellent ea Salvatoris verba, Vulpes foveas habent et volucres coeli nidos: filius autem hominis non babet ubi

caput suum reclinet: et quidam ex eis responderet, Meinulpho audiente: Christus filius hominis, cordis nostri domicilium sibi expetit, sed peccata nostra eum inde excludunt. Quod responsum, cum Episcopus illud mox approbasset, sancti Meinulphi animum tanto Christum in pectoris sui hospitio recipiendi accendit desiderio, ut non satis putaret suum illi praeparare pectus, sed etiam templum materiale illi construere modis omnibus peroptaret. Cumque de loco opportuno multa apud se solicitus pertractaret, subulcus ejus pro more porcorum gregem pascens in valle patrimonii illius, de improviso mirae lucis splendorem inter arbusta conspexit. Ea visione obstupefactus, in eum locum, ubi splendor apparuit, cum curiosius intenderet, multas vidit cervas modo circumeuntes locum illum, modo in illo subsistentes. Tantae igitur rei novitate perculsus, relicto grege, abit ad inquirendum Meinulphum dominum suum, inventoque exponit quid viderit. His auditis, vir Deo devotus sibi pie persuadet, hac subulci visione voluisse Dominum locum ipsi fabricandae ecclesiae opportunum indicare. Sed cum nihil ea in re, ut par erat, absque Episcopi consilio statuere auderet, Episcopum adit: quid subulcus dixerit, ei exponit. Episcopus magno affectus gaudio, ait: «Non nobis subulci persona vilescat, cum constet pastoribus ante omnes nunciatam esse Salvatoris nativitatem. Interim tamen cogitans, nonnumquam angelum satanae transfigurare se in angelum lucis, mox adjecit. Expedit locum illum denuo adiri, si forte visum sit Deo, voluntatis suae aliud signum exhibere.»

§ 4. Itaque sanctus Meinulphus cum subulco petit locum illum et noctis caligine terrâ circumfusâ, dum in supplices preces genibus flexis incumbit, et splendorem lucis et cervarum gregem, perinde ut subulcus, videt. Laudans ergo Dei benignitatem, surgit ab oratione, venit laetus ad Episcopum: quid viderit, ordine commemorat. Episcopus de tanto Dei munere ei congratulans, ita respondet: «Ut ambiguitas omnis excludatur, mihi quidem consultum videtur, tertiam super hac re divinitus expetere visionem.» Paret vir humilis, redit ad locum, offert pias Deo preces: fruitur eadem, qua prius, visione. Tum vero ingenti repletus gaudio, ad Episcopum pròperat, sui eum gaudii participem facit. Agunt ambo pariter gratias summae Trinitati quod idem mysterium trina visione sub eadem forma revelare dignata sit. Etsi vero de illo eligendo loco ad structuram templi jam nulla apud eos relicta esset ambiguitas, at censuit tamen Episcopus hac in re deferendum auctoritati regiae, ut sine illa nihil operis ibidem inchoaretur. Ea autem tempestate Ludovicus filius Caroli Magni, Imperii habènas moderabatur et in concilio provinciali, apud Aquisgranum anno tertio Imperii ejus habito, Ordo Canonicarum, quas seculares vocant, tum recens constitutus erat. Itaque cum non nisi sexus foeminei ferae in ea quam diximus,

Digitized by Google

visione conspectae essent, sanctus Meinulphus tum majestati divinae, tum Imperatori quoque gratum fore pie sibi persuadebat, si in loco memorato ejusmodi canonicarum ex bonis suis et patrimonii sui facultatibus monasterium conderet, ut illic continenter viventes, devotum Deo impenderent famulatum.

§ **5**. Adit igitur Imperatorem, pium animi sui desiderium aperit: Imperator illud gratum habet, ejusque precibus annuens, literas ei suo obsignatas annulo impertit. Inde revertens Meinulphus, in ipso itinere nova quadam coelestis beneficii consolatione afficitur. Cernit enim capsam, sacris condendis reliquiis aptam, inter arbusta juxta viam haerentem: eam quidam ex familiaribus ejus deponit, offertque illi inspiciendam. At ille prius circumquaque jubet inquiri, num quis ejus dominus sit: nemine autem aliquid juris in ea sibi vendicante, divinae benignitatis muneri rem totam acceptam ferens, eam sibi divinitus transmissam pia quadam fiduciâ arbitratur: nec tamen eam, nisi Episcopo praesente atque jubente, aperiendam censet. Mox igitur apportat eam ad Episcopum, isque eam reverenter aperiens, multas sanctorum reliquias veneratione dignissimas, in ea contemplatur. Inde vero ad construendam Deo sacram aedem beatus Meinulphus fidentius inflammatur. Cumque rursus locum diligentius inspecturus, solus eo se conferret, ut ejus capacitatem et totius structurae rationem accuratius expenderet, alia ei visio oblata est. In eodem enim loco, ubi antea viderat cervas motibus instabiles, cervum praestanti corpore, cornibus in sublime erectis, accubantem videt: mox vero ad beati viri conspectum, tamquam sibi, illo adventante, accubare non liceret, sese erigentem. Ipso autem ad cervi conspectum nihil territo, sed propius etiam accedente, cervus humi se prosternit. Eum insolitum bruti animalis gestum vir sanctus divino muneri attribuens, in cervum suos defigit obtùtus, videtque inter ejus cornua radiare Crucis Dominicae signum, omni auro rutilantius. Eo conspecto, intelligens adesse Dominum suum, multumque ea re laetatus, in hujusmodi prorumpit verba: «Jam mihi spes certa affulget, eum qui quondam cum hoc vexillo inferorum claustra penetravit, adversus diabolicos incursus hujus loci fore protectorem.» Cumque haec et id genus alia diceret, cervus ab ejus oculis disparuit.

§ **6**. Tum ille accìtis operariis, excindit arbores, extirpat vepres et spinas, locum ocius repurgat, monasterium et ejus ecclesiam extruit, et quarto Idus Novembris eam curat dedicari, multaque ex paternis bonis ei loco praedia largìtur, instituitque illic congregationem secularium, ut vocant, Canonicarum. Ipsum vero locum dixerunt *Bodek*. Postquam autem sanctimoniales in eo monasterio nonnihil profecerunt, quaedam ex eis ad domum monasterio vicinam accessit, hyemis frigus arcere cupiens. Quae cum ad ignem se admovisset, et nudato capite, pectere se vellet,

Digitized by Google

capitis velum incaute deponit, idque mox a flammis correptum, conflagrare cernit. Sed extensa manu retrahere conatur, nec tamen nisi extremas partes recipit, toto fere velo in favillas redacto. Tum illâ in lacrymas prorumpente quod nullum haberet aliud, quo se tegeret, vir sanctus non casu, sed divina id agente providentiâ, in domum illam ingreditur: vidensque puellam gementem et plorantem, eam verbis primum, deinde facto admirabili consolatur. Vultu enim in manus deposito, oravit obnixe Dominum, collectisque reliquiis adusti veli, illud integrum restituit lacrymanti: iis vero quae illic aderant, praecepit ne cuiquam id indicarent. Pannus ille usque in hodiernum diem inter reliquias sancti Meinulphi asservatur: et licet ille sanus et integer sit, tamen in tanti miraculi testimonium, ignis vestigia repraesentat.

§ 7. Adventante autem tempore, quo Dominus fidelem servum ad aeternum convivium invitare constituerat, ille plenus virtutibus et jam maturus aevi, tertio Nonas Octobris migravit ad Dominum. Accidit tum res admiratione digna. Nam cum corpus ejus exanime in feretro jacèret, revixit: seque erigens, apertis oculis ad circumstantes ait: « Quandoquidem ego vobis praesentibus vitâ functus, rursus vitae restituor, vos gratias agatis Deo, quorum salutis causâ id fit, et ego, ut id fieret, apud Dei Genitricem et Virginem perpetuam impetravi. Nec mihi facile videtur denuo oppetere mortem, tametsi non ita acerbam, ut fuit nuperrime. Vos autem ite, quaeso, ad Episcopum, et quot sudoribus mihi constiterit hujus coenobii structura, ei indicantes, petite ab illo, ut quaecumque hujus loci fuerit electa Abbatissa, etiamsi Ancilla sit, non id interdicat: simulque dicite ei, me corpore exutum didicisse, quid de illis fieri oporteat qui pastores ecclesiarum esse videntur.» His dictis, clausit oculos, seque reclinans in feretrum, eo in loco composuit, unde prius se erexerat. Sepultus est autem intra ecclesiam illam, quam ibi condiderat, multique ad ejus confluxere monumentum, alii famâ praeteritorum, alii edendorum miraculorum spe invitati. Porro Christi famulae sepulcrum ejus pro reverentia linteo operuerunt, atque uni e suis non mediocriter religiosae id dedere negotii, ut ejus lintei et lucernarum curam gereret.

§ 8. Ea vero quandoque sopore pressa, cereum instar orbis contortum, atque ipsi nudo linteo impositum, non extinxit. Expergefacta autem, recordatur se cereum ardentem in panno lineo reliquisse. Itaque non parum animo consternata, propere accurrit ad sepulcrum, cernitque ex relictis favillis cereum totum absumptum absque ullo panni detrimento. Omnes igitur magnificant Deum, qui, per ignem, defuncti viri sancti merita denuo declararit, uti prius fecerat adhuc viventis.

§ 9. Porro non longe ab obitu cuidam cubiculario suo per

Digitized by Google

supplicium. Quid vero clerici hujus horrendum judicium, aliud nobis innuit, nisi ut sanctos locum hunc incolentes revereamur? Sicut enim illi ante Dominum assistentes, pro culpis nostris benigne intercedunt: ita interdum, nostris maleficiis exacerbati, nos accusant.

§ 17. Fuit apud nos alius quidam clericus, a puero educatus, monasterio nostro ad multa utilis et accommodus. Is in nostro contubernio vivebat nobiscum familiariter et nobis erat impense charus. Contigit interim Comitissam quamdam venerabilem pro salute sua non parvi pretii fibulam auream ad coenobium nostrum (ita enim voverat) mittere. Inde malignus daemon qui diligenter hominum animos explorat, in quae vitia procliviores sint, occasione arrepta, clerici hujus mentem pertentat. Ille vero nequissimam suggestionem non gravitatis consilio, nec virtutis constantiâ respuens, oculos ad fibulam adjicit, eamque clam suffuratur. Non diu post Abbas noster Ravengerus dum quosdam e nobis ad sacros ordines vult promoveri, ad Episcopum nos mittit, adjuncto nobis etiam clerico, de quo nunc agimus. Erat tum Quadragesima. Etsi autem ille tanti sacrilegii sibi esset conscius, nullâ tamen id neque confessione, neque poenitentiâ expiavit, sed confidenter nobiscum proficiscens, Diaconus ordinatus est, non attendens, quod scriptum est: Mundamini qui fertis vasa Domini: cum utique eos, qui corporis et sanguinis Dominici vasis tractandis adhibentur, mundos et probatis moribus esse oporteat. Absoluto deinde sacrificio et precibus vespertinis, nos ad hospitium imus, eousque producta jejunia soluturi. Ibi inter edendum ille confrater noster cadit, frendet dentibus, mire ac misere se collidit, nosque admirabiliter obstupefactos, cogit laboranti sibi adesse. Mox a mensa surgimus, permulta remedia summâ benevolentiâ adhibemus: sed frustra omnia, divino judicio in eum jus sibi diabolo vendicante. Tota nocte discruciamur animis et valde afflictamur. Tandem benignus Deus, nolens apud exteros tam foedum casum nobis cedere ad ignominiam, profligato daemone, praestitit ut nobiscum incolumis rediret. Et integrâ tum hebdomadâ nullam sensit maligni illius infestationem: qua Dei benignitate ille abusus, noluit facinus suum confiteri: eaque incuriâ hostem reddidit valentiorem. Nam cum Completorii preces Dominico die persolveremus, acrius a daemone arripitur, nec jam succurrebat nobis, quo pacto ei opitularemur, quod incerti essemus, num satanae vexatio illa esset. At tamen prae fraterna commiseratione noctibus vicissim apud eum vigilabamus, visusque est nobis crebrius quam olim Saul, exagitari. Interim brachium dextrum quo rapuerat aurum, penitus exarescit. Nobis dubitantibus, an casu id acciderit, vel divina animadversione, Abbas noster rem altius perpendens, nequaquam censuit casui tribuendum, sed hominem dixit diaboli

Digitized by Google

laqueis constrictum teneri. Movebat eum quod statim a sacris acceptis ordinibus divinitus punitus esset, et unde animae remedium capiendum erat, id ei versum esset in perniciem. Noverat scriptum, gravius eum condemnari qui indignus suscipit quod non meretur. Sicut ergo in Judam temere percipientem corpus Domini satanas intravit, quem constat furem fuisse: ita colligebat Abbas etiam hunc fortassis aliquo sacrilegio contaminatum, quod eâ fere horâ atrocius cruciaretur a daemone, qua fuisset sacris initiatus: hortabaturque fratres, ut cum se illa vexatio remitteret, caute ab eo expiscarentur, numquid ejus conscientiam gravet. Fratres Abbatis jussa capessunt, clanculo ex eo sciscitantur, si quid habeat quod animum angat. Ille ad voces eorum modo rubore, modo pallore suffunditur: tandemque licet pudibundus, suam culpam et agnoscit et pure confitetur, orans ut apud Abbatem pro ipso velint intercedere. Fratres referunt omnia ad Abbatem, Abbas justitiam misericordiâ temperat, nec vult addere afflictionem afflicto: prohibet etiam, ne ejus crimen in publicum proferatur: indicit fratribus ut pro illo jejuniis et precibus et Missarum celebrationi incumbant. Quid multa? Revalescit frater, restituitur brachium, daemon ab eo prorsus eliminatur: nosterque moeror multiplex, multâ consolatione permutatur.

VITA S. MEINULPHI DIACONI ET CONF.

STYLUM PASSIM MUTAVIT LAUR. SURIUS

Obiit circa 857. — Natione Germanus.

§ **1.** Anno Dominicae incarnationis septingentesimo septuagesimoseptimo, cum Carolus Magnus eam Saxoniae partem, quam nunc Westphaliam vocant, bello subegisset, omnes majores natu ejus regionis venerunt ad eum Paderbonam, uno dempto Witikindo, viro primario quem nonnulli Regem, alii ducem fuisse arbitrantur. Ii autem qui ad Carolum venère, omnes in eodem loco salutaribus baptismi undis expiati sunt, visumque est Carolo Regi, illic Episcopi sedem constituere. Itaque tertio abhinc anno parvam ibi construxit ecclesiam, eamque, quod locus necdum munitus esset, Herbipolensi Episcopo tum commendavit. Porro anno inde decimoquinto, Canonicum ecclesiae Herbipolensis Hatumarium, natione Westphalum, primum illic Episcopum instituit: cujus episcopatus anno quarto Leo Pontifex Romanus, ejus nominis tertius, ab aemulis Româ pulsus, ad Regem Carolum

Digitized by Google

Paderbonam venit, et ab eo honorifice inprimis acceptus, sedem illam auctoritate Apostolica confirmavit.

§ 2. Per id tempus vir quidam opulentus et nobilis, non longe ab eo loco habitans, Christiana religione jam initiatus, viam universae carnis ingressus est, relicta uxore catholica Wigtrude, et parvo filio, qui etsi per aetatem ambulare jam posset, necdum tamen baptismatis fonte renatus erat. Ea ergo Wictrudis, captata opportunitate, ad Carolum Regem cum filiolo suo fidenter accessit, atque ejus gratiam et benevolentiam studuit promereri. At Rex foeminam humaniter et pie accipiens, filium ejus coram se curavit baptizari et eum de sacro fonte suscipiens, Meinulphi nomen ei imposuit. Postquam autem Hatumarius primus Paderbonensis Episcopus eam ecclesiam annis octo administravit, e vita decessit. Ei vero subrogatus est alius quidam Canonicus Herbipolensis, Baduradus nomine, natione Westphalus, praefuitque illi Ecclesiae ad annos quadraginta et octo: primariamque sive cathedralem ecclesiam quam Carolus Magnus inchoaverat, ipse absolvit apud quam Meinulphus puer literis addiscendis est admotus. Cumque et aetate et scientiâ proficeret, Baduradus Episcopus eum monasterii ecclesiae Paderbonensis Canonicis accurate commendavit, ut sub instituto regulari, pietatis et bonorum morum acciperet incrementa. Ubi ille sane cum aetatis accessione tantos habuit in vera pietate progressus, ut Episcopus, morum ejus gravitate et haud obscuris virtutum indiciis multivariis permotus, eum sibi peculiariter a secretis esse voluerit. Erat namque ingenio perspicax, corpore castus, mente pius ac Deo devotus, justitiâ pollens, instructus temperantiâ, consilio providus, fortis in adversis, largus eleemosynis, sermone facundus, corporis formâ decorus. Deinde sacris initiatus, Diaconus ordinatus est, in quo ordine ad supremum usque vitae diem permansit.

§ 3. Quod vero Episcopus Baduradus, cui Meinulphus tantâ fuit familiaritate conjunctus, vir multa virtute clarus extiterit, suis testantur scriptis qui ejus aetate vixere, virtutum ejus hoc singulare quoddam documentum ad posterorum notitiam annotantes. Cum enim, ut ajunt, ab obitu ejus anno vicesimoseptimo sepulcrum illius quadam ex causa aperiretur, indumenta, cum quibus corpus ejus humatum fuerat, tam sana et integra sunt inventa, ut ne fimbria quidem dissoluta vel corrupta videretur. Ex qua re pia manavit opinio, ea vestium quae tot annis humo obrutae fuissent, incorruptione certum praeberi documentum, illum mentis integritate et vitae puritate vitam sibi aeternam conciliasse ac promeruisse. Accidit autem, ut quandoque idem Baduradus in familiari colloquio circumstantibus quaestionem proponeret, quid sibi vellent ea Salvatoris verba, Vulpes foveas habent et volùcres coeli nidos: filius autem hominis non babet ubi

Digitized by Google

caput suum reclinet: et quidam ex eis responderet, Meinulpho audiente: Christus filius hominis, cordis nostri domicilium sibi expetit, sed peccata nostra eum inde excludunt. Quod responsum, cum Episcopus illud mox approbasset, sancti Meinulphi animum tanto Christum in pectoris sui hospitio recipiendi accendit desiderio, ut non satis putaret suum illi praeparare pectus, sed etiam templum materiale illi construere modis omnibus peroptaret. Cumque de loco opportuno multa apud se solicitus pertractaret, subulcus ejus pro more porcorum gregem pascens in valle patrimonii illius, de improviso mirae lucis splendorem inter arbusta conspexit. Ea visione obstupefactus, in eum locum, ubi splendor apparuit, cum curiosius intenderet, multas vidit cervas modo circumeuntes locum illum, modo in illo subsistentes. Tantae igitur rei novitate perculsus, relicto grege, abit ad inquirendum Meinulphum dominum suum, inventoque exponit quid viderit. His auditis, vir Deo devotus sibi pie persuadet, hac subulci visione voluisse Dominum locum ipsi fabricandae ecclesiae opportunum indicare. Sed cum nihil ea in re, ut par erat, absque Episcopi consilio statuere auderet, Episcopum adit: quid subulcus dixerit, ei exponit. Episcopus magno affectus gaudio, ait: «Non nobis subulci persona vilescat, cum constet pastoribus ante omnes nunciatam esse Salvatoris nativitatem. Interim tamen cogitans, nonnumquam angelum satanae transfigurare se in angelum lucis, mox adjecit. Expedit locum illum denuo adiri, si forte visum sit Deo, voluntatis suae aliud signum exhibere. »

§ 4. Itaque sanctus Meinulphus cum subulco petit locum illum et noctis caligine terrâ circumfusâ, dum in supplices preces genibus flexis incumbit, et splendorem lucis et cervarum gregem, perinde ut subulcus, videt. Laudans ergo Dei benignitatem, surgit ab oratione, venit laetus ad Episcopum: quid viderit, ordine commemorat. Episcopus de tanto Dei munere ei congratulans, ita respondet: «Ut ambiguitas omnis excludatur, mihi quidem consultum videtur, tertiam super hac re divinitus expetere visionem.» Paret vir humilis, redit ad locum, offert pias Deo preces : fruitur eadem, qua prius, visione. Tum vero ingenti repletus gaudio, ad Episcopum pròperat, sui eum gaudii participem facit. Agunt ambo pariter gratias summae Trinitati quod idem mysterium trina visione sub eadem forma revelare dignata sit. Etsi vero de illo eligendo loco ad structuram templi jam nulla apud eos relicta esset ambiguitas, at censuit tamen Episcopus hac in re deferendum auctoritati regiae, ut sine illa nihil operis ibidem inchoaretur. Ea autem tempestate Ludovicus filius Caroli Magni, Imperii habènas moderabatur et in concilio provinciali, apud Aquisgranum anno tertio Imperii ejus habito, Ordo Canonicarum, quas seculares vocant, tum recens constitutus erat. Itaque cum non nisi sexus foeminei ferae in ea quam diximus,

Digitized by Google

visione conspectae essent, sanctus Meinulphus tum majestati divinae, tum Imperatori quoque gratum fore pie sibi persuadebat, si in loco memorato ejusmodi canonicarum ex bonis suis et patrimonii sui facultatibus monasterium conderet, ut illic continenter viventes, devotum Deo impenderent famulatum.

§ 5. Adit igitur Imperatorem, pium animi sui desiderium aperit: Imperator illud gratum habet, ejusque precibus annuens, literas ei suo obsignatas annulo impertit. Inde revertens Meinulphus, in ipso itinere nova quadam coelestis beneficii consolatione afficitur. Cernit enim capsam, sacris condendis reliquiis aptam, inter arbusta juxta viam haerentem: eam quidam ex familiaribus ejus deponit, offertque illi inspiciendam. At ille prius circumquaque jubet inquiri, num quis ejus dominus sit: nemine autem aliquid juris in ea sibi vendicante, divinae benignitatis muneri rem totam acceptam ferens, eam sibi divinitus transmissam pia quadam fiduciâ arbitratur: nec tamen eam, nisi Episcopo praesente atque jubente, aperiendam censet. Mox igitur apportat eam ad Episcopum, isque eam reverenter aperiens, multas sanctorum reliquias veneratione dignissimas, in ea contemplatur. Inde vero ad construendam Deo sacram aedem beatus Meinulphus fidentius inflammatur. Cumque rursus locum diligentius inspecturus, solus eo se conferret, ut ejus capacitatem et totius structurae rationem accuratius expenderet, alia ei visio oblata est. In eodem enim loco, ubi antea viderat cervas motibus instabiles, cervum praestanti corpore, cornibus in sublime erectis, accubantem videt: mox vero ad beati viri conspectum, tamquam sibi, illo adventante, accubare non liceret, sese erigentem. Ipso autem ad cervi conspectum nihil territo, sed propius etiam accedente, cervus humi se prosternit. Eum insolitum bruti animalis gestum vir sanctus divino muneri attribuens, in cervum suos defigit obtùtus, videtque inter ejus cornua radiare Crucis Dominicae signum, omni auro rutilantius. Eo conspecto, intelligens adesse Dominum suum, multumque ea re laetatus, in hujusmodi prorumpit verba: «Jam mihi spes certa affulget, eum qui quondam cum hoc vexillo inferorum claustra penetravit, adversus diabolicos incursus hujus loci fore protectorem.» Cumque haec et id genus alia diceret, cervus ab ejus oculis disparuit.

§ 6. Tum ille accìtis operariis, excindit arbores, extirpat vepres et spinas, locum ocius repurgat, monasterium et ejus ecclesiam extruit, et quarto Idus Novembris eam curat dedicari, multaque ex paternis bonis ei loco praedia largìtur, instituitque illic congregationem secularium, ut vocant, Canonicarum. Ipsum vero locum dixerunt *Bodek*. Postquam autem sanctimoniales in eo monasterio nonnihil profecerunt, quaedam ex eis ad domum monasterio vicinam accessit, hyemis frigus arcere cupiens. Quae cum ad ignem se admovisset, et nudato capite, pectere se vellet,

Digitized by Google

capitis velum incaute deponit, idque mox a flammis correptum, conflagrare cernit. Sed extensa manu retrahere conatur, nec tamen nisi extremas partes recipit, toto fere velo in favillas redacto. Tum illâ in lacrymas prorumpente quod nullum haberet aliud, quo se tegeret, vir sanctus non casu, sed divina id agente providentiâ, in domum illam ingreditur: vidensque puellam gementem et plorantem, eam verbis primum, deinde facto admirabili consolatur. Vultu enim in manus deposito, oravit obnixe Dominum, collectisque reliquiis adusti veli, illud integrum restituit lacrymanti: iis vero quae illic aderant, praecepit ne cuiquam id indicarent. Pannus ille usque in hodiernum diem inter reliquias sancti Meinulphi asservatur: et licet ille sanus et integer sit, tamen in tanti miraculi testimonium, ignis vestigia repraesentat.

§ 7. Adventante autem tempore, quo Dominus fidelem servum ad aeternum convivium invitare constituerat, ille plenus virtutibus et jam maturus aevi, tertio Nonas Octobris migravit ad Dominum. Accidit tum res admiratione digna. Nam cum corpus ejus exanime in feretro jacèret, revixit: seque erigens, apertis oculis ad circumstantes ait: « Quandoquidem ego vobis praesentibus vitâ functus, rursus vitae restituor, vos gratias agatis Deo, quorum salutis causâ id fit, et ego, ut id fieret, apud Dei Genitricem et Virginem perpetuam impetravi. Nec mihi facile videtur denuo oppetere mortem, tametsi non ita acerbam, ut fuit nuperrime. Vos autem ite, quaeso, ad Episcopum, et quot sudoribus mihi constiterit hujus coenobii structura, ei indicantes, petite ab illo, ut quaecumque hujus loci fuerit electa Abbatissa, etiamsi Ancilla sit, non id interdicat: simulque dicite ei, me corpore exutum didicisse, quid de illis fieri oporteat qui pastores ecclesiarum esse videntur.» His dictis, clausit oculos, seque reclinans in feretrum, eo in loco composuit, unde prius se erexerat. Sepultus est autem intra ecclesiam illam, quam ibi condiderat, multique ad ejus confluxere monumentum, alii famâ praeteritorum, alii edendorum miraculorum spe invitati. Porro Christi famulae sepulcrum ejus pro reverentia linteo operuerunt, atque uni e suis non mediocriter religiosae id dedere negotii, ut ejus lintei et lucernarum curam gereret.

§ 8. Ea vero quandoque sopore pressa, cereum instar orbis contortum, atque ipsi nudo linteo impositum, non extinxit. Expergefacta autem, recordatur se cereum ardentem in panno lineo reliquisse. Itaque non parum animo consternata, propere accurrit ad sepulcrum, cernitque ex relictis favillis cereum totum absumptum absque ullo panni detrimento. Omnes igitur magnificant Deum, qui, per ignem, defuncti viri sancti merita denuo declararit, uti prius fecerat adhuc viventis.

§ 9. Porro non longe ab obitu cuidam cubiculario suo per

Digitized by Google

visum in somnis apparuit, hortans eum, ut mundo et pompis ejus ocius valefaciat, et ad Regis aeterni se conferat militiam. At ille visionem illam non alio quam illusionis loco habens, nihil de vitae emendatione curavit. Sanctus autem vir, ejus infirmitati se accommodans, iterum eum, ut prius, admonuit. Sed cum neque sic quicquam ille de vita rectius instituenda cogitaret, tertio ei apparuit, aitque ad eum: « Nescis miser, nescis, quam immanis praedo mentem sibi vendicet tuam, qui tibi auctor et suasor est, ut neque mittenti Domino, neque mihi ab eo misso obtemperes. Certe cum tu male vivendo plane desipias, nec ab hac stultitia sponte recedere velis, divina te admonuit revelatio, ut vel sic ad meliorem frugem te reciperes. Tum autem stulte tibi pàteris misere et perniciose illudi qui veram revelationem pro phantastica habes illusione. Neque enim quisquam fidelium ambigit, illam visionem esse illusionis expertem quae ad Christianam pietatem et religionem invitet: quod si quilibet faceret tibi vigilanti, nequaquam negligere deberes. Sed quando te verba non corrigunt ad facta veniendum est. Itaque plane efficiam, ut visionem, quam te intelligere dissimulans, reipsa verissimam esse certo experiaris.» His dictis, ille expergiscitur: sentit a mento barbam omnem avulsam, fugit procul ab oculis somnus omnis animum pudor pariter et moeror occupant, surgit e lecto, abit ad ecclesiam, sanctum Meinulphum supplex orat, ut divinam sibi misericordiam conciliet. Ecce autem presbytero matutinas preces inchoante atque dicente, Domine labia mea aperies: vir iste cum literas prorsus nesciret, respondet: « Et os meum annunciabit laudem tuam.» Tum vero tanto obstupefactus miraculo, et barbâ evulsa, ad tonsuram clericorum se vocari existimans, clericus effectus est, et vitam corrigens, eam in bonis operibus finivit.

§ **10**. Quinquagesimo anno a beati Meinulphi decessu, Arnulpho Imperatore, et Bisone quarto Episcopo Paderbonensi decimoquinto Calendas Februarii, Diacono in ecclesia Budicensi Evangelium recitante, lapis viri Dei sepulcro impositus, instar Crucis divisus insonuit, multum ea re cunctis qui illic aderant, stuporem injiciens. Cumque accurrerent omnes, tanti fragòris causam accuratius exploraturi, nihil nisi lapidem fractum invenire potuerunt. At vero presbytero Missae officium. prosequente, et in sacri Canonis mysteriis immorante, idem lapis in partes innumeras dissipatus est, et terra in sepulcri superficie resoluta subsèdit, loculum beati viri libere spectandum offerens. Simulque tanta ibi suavissimi odoris fragrantia extitit, ut non vana fides sit, totius suavitatis illic auctorem adfuisse. Omnibus vero inter se conferentibus, quid ea res portenderet, ad Episcopum perlata est: qui singulis diligenter examinatis, sepulcrum confractum instaurari jussit. Quod cum factum esset, paulopost iterum divina ordinatione dissipatur. Ubi id Episcopus didicit,

Digitized by Google

rursus jubet instaurari. Obtemperat populus, et sepulcrum reparatur. Eodem tempore quidam Meinhardus presbyter ecclesiam parochialem pagi Attelnensis qui a Budicensi non longe aberat, gubernabat. Ei sanctus Meinulphus in visione apparet, mandat ut Episcopum, ob neglectam circa sepulcrum suum divinam admonitionem, reprehendat. Presbyter vir simplex Episcopum reformidans, negligit visionem. Apparet ei denuo sanctus Meinulphus repetit mandatum, sed presbyter timore ab eo exequendo retardatur. Tandem apparet tertio, minatur oculorum orbitatem, ni pareat. Evigilat presbyter, fert moleste non vanas fuisse visionis minas, quippe apertis oculis nihil videns. Petit mox scipionem, accipit ducem itineris, adit Episcopum, quid sibi acciderit, exponit.

§ 11. Iis auditis, Episcopus sibi metuens, confestim cum presbytero ad ecclesiam Budicensem proficiscitur, sancti Meinulphi sepulcrum petiit, corpus ejus inde sustollit, et in arca decenter conditum, in ipsa ecclesia collocat reverenter. Mox redit Meinhardo presbytero oculorum sanitas. Porro aquam illam, qua, jubente Episcopo, sacrae illae lotae sunt reliquiae, in spem bonam ancillae Christi sibi reservarunt. Cum mulier quaedam ex paralysi longo tempore membrorum omnium fuisset destituta officio, postquam hac aquâ in ecclesia Budicensi peruncta est, intra paucos dies sanata est. Alia quaedam mulier cancri morbo adeo exesa, ut costae ejus carnibus nudatae viderentur, cereum obtulit ad reliquias viri Dei, et cum multis lacrymis ejus se meritis commendans, domum rediit. Altera luce vulneris superficies novâ coepit obduci pelliculâ, et intra dies non multos, omni cessante dolore, mulier se sensit restitutam.

§ 12. Tintinnabulum quoddam aeneum bene sonorum, in eodem monasterio reverenter asservatur. Nam quoties aliqua ex ejus monasterii sororibus brevi erat abitura e vita, absque ullo humano ministerio per se fortem reddebat sonum. Assevèrant autem omnes, illud inventum inter ossa sancti Meinulphi, cum ea e sepulcro transferrentur: crediturque ille eo usus fuisse sub elevatione sacramenti in illo suo diaconi ministerio: eaque causâ cum illo in ejus sepulcro repositum est. Cumque de transferendo statu ejus monasterii tractari coeptum esset, illius tintinnabuli sonus a multis est auditus, idque non semel, sed crebro sane. Ea res Abbatissae quae sola ex eo collegio illic tum degebat, magnam attulit suspicionem et metum brevi adfuturae mortis. Atque ea causâ in sui quoque translatione multo propensius postea assensit, existimans vitam sibi prolixiorem fore, si locum mutaret. At vero monasterium illud prope desolatum, ab Episcopo dioecesano Canonicis regularibus datum est, et ab illis, Deo adjuvante, in statum pristinum revocatum. Beatus igitur Meinulphus in carne degens, ita vitae actuosae jecit semina, ut tamen

Digitized by Google

contemplativae quietem non amitteret: ita contemplationi coelestium se dedit, ut curam proximorum sibi minime putaret omittendam. Recte itaque in illum competere potest quod Eliphaz Themanites dixit ad beatam Job: *Ingredièris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo* (*Job* v).

VITA S. JOANNIS BRIDLINGTON. IN ANGLIA

CANONICUS REGULARIS

EX QUODAM MS. CODICE PER LAUR. SURIUM MUTATO STYLO PRESSIUS ET CONTRACTIUS DESCRIPTA. AUCTORIS NOMEN CODEX NON HABUIT, SED EST HISTORIA GRAVIS, SCRIPTA AB EJUS AEQUALI.

Anno decessit 1379. — Nat. Anglus.

§ 1. Prima Joannes florentis aetatis exordia virtutibus consecrans, profligatis vitiorum tenebris, divini timoris amplexus est itinera, et in Tobiae vestigiis insistens, atque spei et charitatis multos proferens fructus, Sancti Spiritus singulare quoddam sacrarium effectus est. A piis vero parentibus enutritus, et studiis liberalium disciplinarum admotus, brevi longo intervallo omnes post se reliquit suos condiscipulos. Neque tamen soli acquirendae scientiae deditus erat, sed coelestibus animo inhians, cum esset in schola Oxoniensi, crebro interruptis scholasticis disputationibus, interiori homini excolendo vacabat, templum animi sui supremo principi dedicans, et in Dei ac proximi amore ferventi spiritu sese exercens, ut quidem ad nos perlatum est ab ejus condiscipulis fide dignis: atque in ipsa juvenili aetate Deo toto animo addictus, adversus illatas injurias et contumelias placidum et tranquillum sese exhibebat. Levitatem et petulantiam omnem perpetuo vitabat, suo potius et omnium cupiens militare creatori, quam vanis et frivolis occupationibus tempus terere, et bonas horas male collocare.

§ 2. Hunc vero in modum in virtutibus enutritus et educatus feliciter in Comitatu Eboracensi * in locis maritimis, nec multum a monasterio Bridlingtoniensi remotis, cum biennium exegisset Oxoniae **, ocius domum reversus est, atque illic non tam humana institutione partam, quam coelesti unctione infusam perquisivit scientiam. Atque in ipsa juventute maturos annos induens, quod aetati deerat, virtutum studiosa conversatione supplevit. Cum sic autem et scientiâ et honestis moribus ornatus esset, vir quidam celebris ac opulentus illum suorum filiorum voluit habere paedagogum qui eos non solum literas doceret, sed

* Vulgo *Yorck*. ** *Oxford*.

Digitized by Google

etiam a vitiis coërceret. At ille perpendens teneram esse lilii substantiam quae spinarum aculeis facile perforetur, timens etiam insanientis libidinis aestus, vicesimo aetatis suae anno, magno religiosae vitae ardore correptus, virtutibus praeclare instructus, Christi sempiterno servitio se constituit mancipare. Movebatur enim etiam iis rebus, quas partim quotidiana discebat experientia, tot inter homines existentibus contentionibus et discordiis diuturnis: partim memoriâ repetebat e scripturis divinis, Abel et Cain uno parente editos, columbam et corvum pariter in arca commorantes, Isaac et Ismaëlem inter se colludentes, ab ipsis primis creati orbis initiis improbos bonis admixtos: denique multos undique male blandientis mundi propositos esse laqueos. Horum igitur accurata consideratione incitatus, Bridlingtoniense coenobium petiit, atque illic haud secus atque Angelus e coelo veniens, hilariter acceptus, monasticum habitum induit, multaque morum integritate conspicuus, et Sancti Spiritus flammâ incensus, regularis observantiae admodum studiosus fuit. Amabat Deum toto corde et tota animâ, mente coelestia suspirabat, mundi hujus res caducas omnes contemnebat, mire perfusus gratiâ coelesti. Erat humilis, obediens, abstinentiâ rigidus, justitiae tenax, continentiâ insignis, in vigiliis frequens, strenuus in precibus, spiritu fervens, in sermone circumspectus et maturus, spe firmus, perpetuo in Dei servitutem intentus. Cum alii more suo vanis oblectamentis sese dèderent, ipse vel orationi, vel lectioni incumbebat. Disciplinae monasticae tam fuit exactus cultor, ut nec minimas constitutiones negligeret: quod idem etiam suis fratribus in supremo spiritu attentius commendavit. Tanta vero humilitate fuit, ut cum divina officia attentissimo corde persolveret, libenter totis viribus aliorum vices impleret: in incessu autem omnem mundanorum hominum pompam prorsus fastidiret et negligeret.

§ 3. Propter ejus eximias virtutes demandata ei fuere Praeceptoris, Eleemosynarii et Superioris ministeria, in quibus recte atque ordine sese gessit. Ab aliis functionibus, quae mundi hujus tumultibus et tempestatibus expositae sunt, ad tempus illum divina providentia praeservavit, ne animus recens, virtutum ornamentis pulchre compositus mundi hujus occupationibus implicatus, fallaci rerum labentium amore obfuscaretur et excaecaretur. Ita ille protector noster Deus, ut quondam Noë a diluvio, Lot ab coelesti incendio, Isaac ab impendente gladio, Joseph a foeminae calumniâ et carceris angustiis, Moysen ab ira Pharaonis, Rahab a civitatis excidio, Jonam a mortis periculo, Susannam a falsis testibus, Danielem a leonibus, tres pueros ab ignibus, sic monasticae disciplinae specimen a saevientis seculi potestate servavit.

§ 4. Sed cum cresceret fama virtutum ejus, accidit, ut

monasterii Praeposito in fratrum manus suum munus resignante, vota omnium, Sancto id agente Spiritu, in eum conferrentur quod ea functione dignum eum existimarent. Sed ille, ut erat humillimus, ita ait ad eos: Itane vos pygmaei imbecillas vires in Ecclesiae structura columnam vultis constituere? hominem caecum hostiles dolos et machinas posse pervidere putatis? aut canem mortuum, latratu suo lupos gregi Dominico insidiantes abigere? An vero ignoratis dum abest maceria aut idoneum munimentum, vineam Domini fraudulentas vulpeculas demoliri? Itaque ego multa involutus ignorantiae caecitate, etiamsi ad columnam alliger et multis conficiar plagis, non tamen ausus ero isthuc in me onus recipere. Ita illo sese excusante, alius electus est. At illo intra annos non multos peste sublato, divinae sapientiae providentia volens lucernam, tanta luce conspicuam, suis radiis etiam aliis praelucere, id effecit, ut denuo liberis fratrum suffragiis electus sit. Et quamvis ille oneris ejus immane pondus attendens aegre ad tempus animi sui aestus tolerarit, tandem tamen divina consolatione perfusus, atque majori ex aetate maturiori accedente judicio, animadvertens quanto laboriosior est vitae hujus peregrinatio, tanto ex Dei gratia illustriorem quoque fore triumphum ex hoste tartareo, supposuit humeros sarcinae, confidens in clementia et adjutorio Salvatoris.

§ 5. Eo autem honore sublimatus, quemadmodum sese gesserit, ingenii nostri tenuitas pro dignitate explicare non potest. Esurientes pavit, nudos vestivit, frigus temperavit, dolori consolationis fomenta adhibuit, lacrymas abstersit, oppressos sublevavit, carceres aperuit, pacem conciliavit, foederatos confirmavit, consopivit lites, remoratus est bella produxit inducias, aegris salutem, servis libertatem restituit, dilatavit moenia, clementiâ profligavit crudelitatem, detexit fraudes quodam veritatis fuco illitas, destructa instauravit, nova construxit aedificia, agris foecunditatem horreis ubertatem attulit. Porro vero quieti contemplationis ferventius operam dedit, cum fratribus nocturnis pariter et diurnis horis preces Canonicas tam accurate persolvens, ut audito campanae signo negotiis secularibus occupatus si fuisset, voce lamentabili saepius fratribus diceret: Nunc quidem animus cupit cum caeteris ire ad ecclesiam, sed heu aliunde impeditur. Ita nimirum Rachelis castos amplexus expetens, ut tamen Liae diligentiam sibi minime putaret omittendam.

§ 6. Solebat etiam frigidissimis anni temporibus, in aurora, Missae sacrificium facere. Itaque omnipotentis Dei amore accensus inexplicabili, ob nimium animi ardorem quaedam deponebat vestimenta, frigori arcendo opportuna, nihil interim sentiens asperrimum gelu immo vero ab ejus vertice visebantur densi prodire vapores, perinde ut solet ex multum bulliente aqua. Interim nonnumquam rapiebatur spiritus ejus in Deum, corpus

Digitized by Google

vero quasi exanime cernebatur, suoque pondere depressum, subsistere vix potuisset, nisi ab aliis esset sustentatum. Quodam die ejusmodi jucunda devotione affectus, in sacello suo Missam celebrare voluit, ministro illius ei assistente cum homine quodam seculari. Praemissis igitur privatis orationibus et meditationibus, mox sacerdotales induit vestes: cumque anhèlo pectore coelestis patriae gaudia contemplaretur, usque ad Epistolam omnia rite peregit. Tum vero clam dixit ministro, ut secularem hominem e sacello juberet abscedere. Quod cum factum esset, usqueadeo divino est amore inflammatus, ut prae multo lacrymarum imbre verba pronunciare non posset. Quod tamen ille non virtuti, sed infirmitati attribuit, nolens ut minister ejus ad aliorum notitiam id gloriabundus perferret. Sed erat certe ille egregie humilis, ut etiam eos diligeret qui ipsum contumeliâ afficerent, ingratos beneficiis obrueret, vanas adulantium laudes odiret, honores fugeret, cum inferioribus ministraret, provectioribus sociabilem se exhiberet.

§ 6. Porro gregi sibi commisso vigilanter intendens, adversum maligni daemonis tentationes subditos suos et exhortationibus, et exemplis bonis egregie animavit. Dèsides et pigros in praestando officio, castigabat: pie et religiose se gerentes, favore et amore prosequebatur. Diligenter admonebat fratres, ut a domibus officialibus mulieres excluderent, ne mente vacantes libidini, a beatorum consortio fierent alieni. Cum fratribus in refectorio cibum capere solebat, nisi hospites ejusmodi supervenirent, quibus eum adesse oportèret. Noctibus cubabat in dormitorio, nocturnisque precibus, quas Matutinas vocant, pervigil intererat, multum reformidans, si secus tempus expenderet, cum lampade vacua non se perventurum ad epulas coelestium nuptiarum. Aegrotos solicite visitabat, eis opportuno tempore res necessarias subministrans. Apud hospites jucundus erat, et sapienter aliis escas appositas distribuens, ipse inter delicata fercula solo pane saepissime vescebatur. Quod tamen ne aliis admirationem, ipsi gloriam inanem pàreret, cibos conscindebat ac partiebatur, sed caute in quodam vasculo èos reponens, cum edere putaretur, Dei amore carnem abstinentiâ macerabat.

§ 7. Sermo ejus haudquaquam infructuosus fuit, nec delectabatur verbis frivolis et supervacaneis sed utilibus, ab ipsa scriptura divina depromptis, cujus erat admodum studiosus. Mos illi fuit, nocturnis precibus persolùtis, rèliquam noctis partem studio devotionis impendere, solo Deo conscio, quid ab eo fieret: accurateque in suos actus quotidianos inquirere, idque non sine lacrymis et ejulatu. Ita meditando et contemplando usque in auroram, qua sacrificium Missae offerebat, praeclare occupatus erat: communitusque adversum vitia, omnium conditori multas gratias agebat. Tanto igitur devotionis igne inflammatus, tot

Digitized by Google

virtutibus instructus, precibus diligenter intentus, rara benignitate conspicuus, coelesti consolatione abunde fruebatur. Quam vero insigni fuerit patientiâ, sequens historia declarabit.

§ 8. Quidam e fratribus ejus monasterii magno furore commotus, procaciter ingressus in aulam, ubi vir mansuetus cum quibusdam familiariter conferebat, multa in eum convicia contumeliose et impotenter jactitabat, minis et clamoribus id se effecturum sperans, ut irâ permoveretur. At ille fellis expers, columbinae simplicitatis amans, ne verbum quidem ei respondit. Id cernens quidam prae caeteris viro Dei familiarior. « Cur tam, inquit, atrocia hujus hominis dicta perfers, cum verbo uno edicere possis, ut redeat ad cubiculum suum? Vides, quas suis verbis rationes praetexat, utque ex latentis nequitiae fovea tumens superbia innocentiae proculcatrix, caput exerat suum? Quid ita negligis existimationem tuam, honorisque tui injuriam? Cur tantae nequitiae administrum non reprimis?» Ei beatus vir sic respondit: « Si flamma vorax aedificii tecta lambens, in sublime feratur, num tu consulte facturum putabis eum, qui plus etiam materiae in flammam injicere velit? Frater iste ad praesens magno ardet furoris aestu, cui si ego comminationum faculas admovere velim, furor ejus magis magisque inflammabitur, atque ita fiet, ut in rectam viam placide et amanter revocari non possit. Sed ubi haec flamma deferbuerit, tum demum ad opportuna remedia animo deliberato accedemus. » His dictis, nihil commotus abscessit, cum Davide sacrae scripturae pulsans citharam, atque ita Saülis insaniam temperans. Ea enim suavissima harmoniâ didicerat invidiae vesaniam profligare. Quis, obsecro, tantam in eo non admiretur tolerantiam et aequabilitatem, cum alioqui natura et habitudine esset cholericus, cujusmodi homines solent facile irâ commoveri, et tamen naturae propensiones comprimens, divinae gratiae beneficio Christi se fidelissimum sectatorem comprobarit?

§ 9. Porro etiam probatissimorum Ecclesiae Doctorum libros, scripturarum amator ardentissimus, studiose perlegit, lectosque memoriae commendavit. Rerum externarum ea moderatione curam gessit, ut tamen animae cum Deo conjungendae studia non omitteret. Otium, vitiorum omnium fomentum, strenue a se repellens, aut in Marthae labores actuosos, aut in Mariae quietas et jucundas contemplationes, incumbebat.

§ 10. Frater quidam, a mercatore, non parvo aere, sibi cucullum comparaverat. Sed postea conquestus est venerabili viro, mercatorem illum contra fidem datam intolerandâ ipsum injuriâ affecisse. Tum vero piissimus pastor, ejus fastum et superbiam sanare volens, cum non esset nescius, quemadmodum rubigo ferrum, et tinea vestem corrumpit, ita superbiâ religiosam vastari humilitatem: manum suo pectori admovit, sicque locutus

Digitized by Google

est: Nimii pretii est cucullus sex solidorum, ut illo tam putre cadaver obtegatur: his verbis fratrem cupiens provocare, ut spreto superbo habitu, ipsius humilitatem imitaretur. Nam quidam multa instantiâ apud eum egerant, ut propter functionis suae dignitatem pretiosis uteretur pellibus: sed ille modestissime respondit: Agnorum pelliculae abunde sufficiunt arcendo a nostris corporibus frigori: videlicet nolens eorum ineptis persuasionibus obsequi, qui jam in sui contemptu persevèrans, secularis pompae fastum omnem protriverat, et adulterantem superbiam enervandi acceperat vires.

§ **11**. Cum Vitas sanctorum Patrum legeret, diligenter observavit locum quemdam, ubi impurus daemon scribitur visibilis apparuisse cuidam eremitae. Quod etiam venerabilis memoriae Wilhelmum Slegththolmensem, tum quidem Capellanum, ut vocant, nunc vero miraculis celebrem, quibus illud monasterium egregie condècorat et illustrat, cum permovisset, sciscitatus est a beato viro quid causae sit, quod non ita jam conspicuum se praeberet satan, ut olim consuevisset sanctis illis patribus. Ille vero respondit: Antiquorum Patrum animos non fallax splendor et inanis gloria, sed divina gratia illustrarat. Itaque facile illi fraudulentas inimici machinationes pervidentes, ceu pugiles invicti illum fortiter expugnarunt. Quod ille superbus non ferens, difficillima tentationum certamina illis objiciebat, monstrosas formas et teterrimos impetus eis ingerens, ut vi illos protruderet in peccata. Nos vero qui facile ei obedimus, occultis tentationum jaculis cito prosternit, etiamsi nullam nobis tetram speciem repraesentet.

§ **12**. Famâ sanctitatis beati viri procul evagante, perfectissimi quique Britanniae viri, a finibus terrae properarunt ad eum audituri sapientiam Salomonis, plane persuasum habentes, se felices redituros in sua, si ejus essent perfrùiti colloquio. E quibus nonnullis sciscitantibus, cur perfectius institutum monasticum non complecteretur, ille sapienter respondit: In quolibet monasticae vitae genere possumus continenter animo coelestis patriae gaudia contemplari, et in virtutibus progredi. Interim tamen fateor me hujus instituti ea, quae substantialia vocant, necdum implevisse. Itaque temeritatis jure arguendus sim, si laxioris vitae etiam minima non observans, arctiori disciplinae me tradam, sublimia professurus. Quibusdam vero percontantibus, quis canon monasticus potissimum consectandus sit, ille mox respondit, Evangelium secundum Joannem, Canones omnes excellere. Et certe ipse beatus vir inter hujus procellosae vitae tam varios casus et innumera discrimina, divini amoris pennis ultra sidera sublatus, atque inde contemplans quicquid hic orbis habet, id omne instar aquae praeterlabentis evanescere, praeclaram sancti Joannis doctrinam, sibiipsi vitae normam delegit. Et

Digitized by Google

sicut inter quatuor Evangelistas beatus Joannes sublimiter ad coelestia instar aquilae evolans, summae Divinitatis mysteria evidentius pronuntiavit: sic nostris temporibus alius Joannes, coelestium mysteriorum probe conscius, eximio contemplationis volatu, calcatis terrenis, se coelestibus inservit. Cui rei confirmandae non parum confert id, quod jam dicturi sumus.

§ **13**. Cum aliquando ex officio inviseret loca diversa, quae monasterii ipsius ditione tenebantur, ad quamdam inclusam divertit in Comitatu Richemundiae, ut inter tot externas occupationes spiritualibus colloquiis animum accenderet et inflammaret. Oblata autem fuerat illi inclusae superiori nocte visio, illam consolans atque confirmans, quam ea beato viro exponens: « Vidi, inquit, obscura nocte, nulla apparente lunâ, aquilam mire formosam, expansis alis domum hanc circumvolitare, in cujus rostri acie chartula brevis haerebat, cui haec verba erant inscripta: Jesus est amor meus: addiditque inclusa illa: Tu vero pater, es aquila illa pro tuorum excellentia meritorum, qui magnâ animi constantiâ, mundi contempto amore, divino fortiter inhaeres.» Ille vero ad haec ita respondit: « Nos quidem eo animo huc accessimus, ut mutuis colloquiis omnipotentis Dei gratiam et benevolentiam nobis conciliaremus: at nunc, ut video, malus daemon, vitiorum nostrorum sagax explorator, per tot inanes sermones sibi in animos nostros aditum parat. » Atque his dictis, ocius abscessit. Eum autem subitum recessum inclusa moleste ferens, saepius conquesta est, se vix ullum unquam conspexisse, qui tam celeriter ab incauta laudatione sese subduceret.

§ **14**. Idem autem ipse beatus pater, animarum intrepidus et invictus moderator, adversus monasterii quantumvis terribiles oppressores clypeo fortitudinis sese armabat. Administer quidam Lancastriae illustrissimi Ducis, exactor saevissimus, illum suum dominum, tanquam Assuerum alter crudelis Aman, in augmentum facinoris sui, in innoxium Mardocheum scelerate incitabat: fretusque ejusdem principis auctoritate, tumenti animo viro mansuetissimo multas intentavit minas in monasterii irreparabile detrimentum. Contra vero sanctus vir, constantiâ armatus, nihilque ejus furore fractus, studuit lenire ejus commotum animum, copiose ei satisfaciens de iis omnibus, quae objiciebat: atque tandem in haec verba prorumpit: « Vide, ne pro vitioso erga dominum tuum studio et amore, qui te eo impellit, ut bona nostra quotidie affligas et diripias, in tartarum detrudaris, poenas illic daturus aeternas, moxque recedens, a Domino opem et consolationem petiit. Et ecce mane sole illucescente, qui paulo ante inflatus superbiâ, Luciferum quemdam repraesentabat, magna cordis contritione immutatus graviter pollicetur, se perpetuum deinceps ei monasterio amicum fore: quod etiam revera praestitit, in rebus agendis fidelem monasterio navans operam.

Digitized by Google

Ita nimirum gratia Sancti Spiritus mutat mentes improborum, efficitque ut bonos ament, quos ante stimulante invidiâ persequebantur. »

§ **15**. Multa vero etiam miracula perpetravit vir beatus, e quibus nonnulla his inseremus. Quinque viri maris tempestate jactati, in summo discrimine versabantur, ita ut se evasuros desperarent. Tandem sua lugentes peccata atque ad animum revocantes praeclare gesta a beato Joanne etiamnum in corpore de corpore egregie triumphante, illum, continenter invocarunt. Interim vident quemdam viro sanctissimo corporis lineamentis simillimum, in habitu regulari ipsis apparentem, et navis malum sua manu firmantem, ipsamque navim ad optatum litus appellentem. Illo tanto beneficio affecti laetabundi properant ad monasterium, beatum virum invisere cupientes. Ubi ad ecclesiam ventum est, ille eis venit obviam : et cum numquam antea visus eis fuisset, ex imagine, quam in mari viderant, eum agnoscunt: advolvuntur ad ejus vestigia, gratias agunt pro liberatione sui a tam praesenti periculo. Sed vir Dei docet eos divinae benignitati id tribuere, nihil sibi: ac ratione inanis gloriae fumos discutiens. Potest in hoc miraculo beatissimo Nicolao Episcopo comparari, cum quo tanquam illustris lucerna lucens in hoc mundo bestialis corporis motus edomuit.

§ **16**. Famulo quodam cum illo familiariter colloquente, vir piissimus de uxoris et filiarum ejus valetudine percontabatur. Respondit ille: «Uxor quidem recte habet: sed jam grandaeva, et filiarum solatio destituta, spem omnem foecunditatis mihi abstulit.» Tum vir Dei: « Abi, inquit, domum: Dominus autem prosequatur te indeficiente gratiâ sua. Ubi proxime ad me redieris, indicare ne omittas, quo in statu sint res uxoris tuae.» Et ecce concipit mulier, et duas in lucem edit filias : quarum alteram gibbus mire deturpans, ipsam quoque ejus faciem horrendum in modum occupavit. Reversus postea vir ille ad monasterium, et cum sanctissimo viro colloquens, rogatur ab eo, quinam uxor valeat et filiae. Tum ille: « Utinam, inquit, sanctissime pater, alteram filiam mors ab hominum oculis auferret, quam gibbus adeo deformat, ut sine horrore aspici non possit. » At vir Dei; « Ab originis, ait, macula salutari lavacro repurgatam, non debes horridam dicere: sed tamen ocius domum te conferens, digitum ponas in gibbi summo vertice, quemadmodum ego nunc digitum impono fronti tuae: ego vero rogabo incessanter Dominum, ut sanetur. » Redit ille domum, ter apponit digitum gibbo, atque intra brevis horae spatium puella curatur. Venit uterque parens ad virum Dei, pariter multis eum laudibus vehunt. Sed increpantur ab illo, perpetuumque eis indicitur ejus rei silentium, donec ipse superstes erit: monenturque laudare Deum, et ei sine intermissione gratias agere. En alterum nobis Eliseum,

Digitized by Google

Giezi puerum cum baculo mittentem ad excitandum mortuum: ubi tamen id interest, quod Eliseo absente, nihil profecit Giezi: at nostro Joanne etiam absente, ad famuli contactum restituta est puellae sanitas.

§ **17**. Alio tempore foeminam e febribus valde laborantem curavit precibus suis. Accessit quandoque ad granarium, et cum vidisset perparum illic haberi frumenti, quod fratribus sufficere non posset, ait ad ministros: « Frumentum isthuc diligenter asservate, cui Deus larga manu addat benedictionem suam, illudque augeat et multiplicet.» Non fuit inanis tanti viri deprecatio, frumento illo intantum aucto, ut decem partibus priorem mensuram excederet. Eundem in modum postea etiam hordeum auctum est.

§ **18**. Adveniente autem tempore, quo sancta ejus anima post reportatam ab hoste victoriam, sedes aethereas penetratura erat, peste correptus est in làtere. Venientes igitur ad se fratres, morbo ingravescente, paucis hortabatur, ut humilitatis, concordiae et obedientiae jura semper illaesa servarent, atque per charitatem unanimes, statuta monastica etiam minima religiose custodirent, ipso defuncto, concorditer eligerent pastorem, qui charitatis eloquiis gregem illum confirmaret, dirigeret ac tueretur. Et cum in mentem ei venisset, noluisse Christum in domum reguli intrare, ne divitias suscipere videretur: et divitem Epulonem cruciari apud inferos, Lazarum in sinu Abrahae quiescere, acriter in divitiarum amorem invectus, eas suo exemplo docebat contemnendas, ita subjungens: « Auri copiam nostra crumena non habet, nec tamen, Christo nos adjuvante, quicquam ulli hominum debemus. Animadverto quidem, nos non placuisse omnibus: sed tamen qua ratione functi simus munere nostro, certis indiciis, me defuncto, cognoscetis: resque ipsa quorumcumque, infensis animis facta nostra carpentium, ora occludet.»

§ **19**. His absolutis, cum magis magisque pestiferum virus incresceret, ille cilicio ad nudam carnem indutus, celeriter dissolvi cupiebat, et esse cum Christo. Supervènit autem medicus quidam, qui hortabatur eum remedium accipere adversus morbum illum, non quod speraret pelli eum posse, sed ut ad tempus mitesceret. Cui sanctus vir: « Si omnino, inquit, sumenda est medicina, parati sumus humiliter obedire: memor enim erat regulae, sic jubentis: Fiat sine murmure de consilio medicinae, et sequitur: Faciat, quod faciéndum est pro salute.» Postquam enim usus est pharmaco illo, perspicue animadvertit omnes spiritus interiores paulatim reviviscere. Sed paulopost cum alii egressi essent, dixit ad Capellanum: «Sentio jam, ut medicina vim morbi a corde depulerit, at tamen adest prae foribus mors.» Sic igitur tribus continuis diebus decumbens, saepe beatorum spirituum visitatione et coelestibus visionibus confortatus est,

Digitized by Google

idque adeo, ut pro illorum supernorum civium reverentia, quos sibi assistere cernebat, rursum aspiciens, crebro deponeret pileum, eosque hilariter salutaret. Tantâ autem virtutum gloriâ cumulatus, decem et septem annis Prioris officio strenue functus est, et anno aetatis suae sexagesimo, sexto Idus Octobris, eâ horâ, quam Capellano praedixerat, a corpore migravit in coelos, et in divinae lucis abyssum.

§ 20. Multis ille virtutum exemplis, tanquam luculentis radiis, militantis Ecclesiae firmamentum, dum adhuc viveret, illustravit. Innocentiâ Abel fuit, Enoch munditiâ, quando proculcatis vitiis, per virtutum itinera cum Deo ambulavit. Spei certitudine Noë, ex virtutum materia arcam cordis fabricans, qua ab inferorum diluvio et fluctibus aestuantis gehennae liberatus est. Abraham fide, duos enutriens filios, qui ejus vestigiis inhaerentes, illud monasterium miraculorum signis illustrarunt. Jacob labore, propter Rachelis obtinenda consortia, Liae actuosas occupationes non recusans. Job et Tobias patientiâ, inimicorum vexatus injuriis, nec tamen peccans labiis suis. Humilitate David, Salomon sapientiâ: dedit enim ei Dominus cor sapiens ultra omnes ejus decessores. Ezechias poenitentiâ, etiam ob minima peccata multis se lacrymis afficiens, et non mediocriter dolens. Joannes Evangelista castitate, corporis luxum castigans, et omnia contemplanti Deo semper placere desiderans. Joannes Baptista abstinentiâ, inter delicata fercula, contemptio gulae appetitu, paucis, iisque minime delicatis, contentus escis. Post obitum suum multis claruit miraculis, ab obsessis expellit daemones, paralyticos sanat, claudis restituit gressum, caecis visum, permultos vitâ functos excitat, leprosos curat: omnia morborum genera, si cum devotione invocetur, profligare novit. Quod si nos singulatim annotare velimus, quae virtus divina et in vita, et post obitum per illum operata est, lectori nimia rerum copiâ fastidium afferemus. Et tamen si quis nosse ea velit, extant in ejus monasterio codices, in quibus innumera beneficiorum ejus genera conscripta habentur. Obiit vir sanctissimus anno a partu Virginis MCCCLXXIX.

Digitized by Google

VITA S. BRUNONIS ARCHIEP. COLON.

AUCTORE ROTHGERO BENEDICTINO, QUI CLARUIT ANNO CHRISTI 1040.

Natus anno 925 — Obiit 965 — Nat. Germanus.

§ 1. Compertum est nuper a plurimis in venerabili Coloniensis Ecclesiae Archiepiscopo Brunone piae memoriae, et satis a prudentioribus intellectum, homo homini quid praestet. Cujus plerique dicta et opera qui familiarius eum noverant, satis admirari nequibant. Erant enim in illo uno homine res valde dissimiles: natalium nobilitas, honorum dignitas atque scientiae quae inflare solet, tanta sublimitas, ut nihil supra: animi vero et habitus humilitas, quantum a sagacioribus discerni potuit, ut nihil infra putares: media, charitate constrata sunt. Arridebant ei omnia quae ad fastum suppeterent, quae a se semper studiosissime vigilanti manu discretionis abegerat; ita aliud ad oculos hominum, aliud ad testem cordium exhibebat. Cujus conversationis exemplo plurimos salubriter institui posse credimus, si eamdem strictim a pueritia repetamus. Habent enim in illa mediocres et humiles, unde convalescant: elati contra et divites, unde obstupescant. Atavorum ejus atavi, usque ad hominum memoriam, omnes nobilissimi: nullus in eorum stirpe ignotus, nullus degener facile reperitur. Hic tamen omnes, salvâ Augustorum et Regum excellentiâ, omnino perspicacissime lineamentorum gratiâ, artium gloriâ et omnigenâ animi superabat industriâ: natus eo tempore quo pater ejus Henricus (*a*) Rex gloriosus, perdomitâ barbarorum saevitiâ, represso etiam intestinae cladis periculo, diruta magno studio reaedificabat, et volentem populum justitiae frenis in tutissima et optatissima demum pace regebat. Ita nativitatis ejus tempus jam quasi futura bonae voluntatis ejus insignia praeferebat. Nam cum omne quod bonum esset, vivacissime semper appeteret, pacis donum quasi nutrimentum et ornamentum quoddam caeterarum virtutum, solicitius expetivit quod bonis omnibus profuturum praescivit. Tranquillitatis enim tempore nutriri debent et solidari virtutes, ut perturbatione qualibet ingruente, a status sui vigore hominem emolliri non sinant.

§ 2. Eo tempore generosa Regum proles Bruno, annos circiter quatuor habens, liberalibus literarum studiis imbuendus, Baldrico venerabili Episcopo qui adhuc superest, Trajectum missus

(*a*) Filius Othonis Saxoniae ducis et S. Mathildis (vel Mechtildis); qui ab avium aucupio, quo maxime delectabatur, *Auceps* denominatus est. Hoc principe, romanorum imperium a Francis transiit ad Saxones.

Digitized by Google

est. Ubi cum ipse disciplinabiliter, utpote bonae indolis puer, ingenio sagaci proficeret, invisa Nortmannorum tyrannis, quasi per hujusmodi obsidem, nonnihil refriguit, et ecclesiae demum caeteraque aedificia, quorum ruinae vix extiterant, hac occasione restauratae sunt. Ita nulla aetatis suae spatia absque utilitate sanctae Dei Ecclesiae transigebat. Per ipsum enim, licet adhuc inscium jam Christianus populus ab hostibus liber, in Dei laudibus exultabat. Deinde ubi prima Grammaticae artis rudimenta percepit, sicut ab ipso in Dei omnipotentis gloriam hoc saepius ruminante didicimus, Prudentium poëtam (*a*), tradente magistro, legere coepit. Qui sicut est et fide intentioneque catholicus et eloquentiâ veritateque praecipuus et metrorum librorumque varietate elegantissimus, tantâ mox dulcedine palato cordis ejus complacuit, ut jam non tantum exteriorum verborum scientiam, verum intimi medullam sensus et nectar, ut ita dicam, liquidissimum majori quam possit dici, aviditate hauriret. Postea nullum penitus erat studiorum liberalium genus in omni Graeca vel Latina eloquentia, quod ingenii sui vivacitatem aufugeret.

§ **3**. Nec vero, ut solet, aut divitiarum affluentia, aut turbarum circumstrepentium assiduitas, aut ullum aliunde subrèpens fastidium ab hoc nobili ocio animum ejus unquam avertit, ita ut munditiam cordis ejus attestaretur jugis meditatio et indefessum continuae exercitationis studium, cum jam penitus omnis hujusmodi affectio transiret in habitum sicut scriptum est: Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera ejus. Huc accèdit quod sicut fervorem animi sui non passus est aliorum desidiâ et levitate extingui, aut superfluis vanisque corrumpi colloquiis: ita libros, in quibus studuit, aut quoscumque prae oculis habuit incaute refringi, aut corrugari, vel quomodolibet minus diligenter tractari, omnino aegerrime tulit, nihil sane in his quae ad se pertinebant, negligendum ducens: quoniamquidem, ut Salomon ait, qui minora negligit, paulatim dècidit.

§ **4**. Igitur postquam pater ejus, fundato et ad unguem pacato Imperio, rebus humanis concessit, Otto filius ejus major natu, benedictione Domini auctus et oleo laetitiae unctus, magna voluntate et consensu principum regnare coepit anno ab incarnatione Domini noningentesimo tricesimoseptimo, vir, in quem spiritus Dei donum contulit singulare veritatis et fidei. Cujus virtutes si me narraturum promiserim, nimium mihi sumpserim et ferendus minime fuerim. Excedit enim laus ejus et gloria, quicquid vel ipse Cicero sibi promitteret in facundia. Hic germanum suum Brunonem, Deo dicatum, àdhuc adolescentulum,

(*a*) Aurelius Clemens Prudentius, Hispanus ex Calagurri Castellae oppido, magnis functus dignitatibus sub imperatoribus Arcadio et Honorio (saec. v) sacris divinisque, piâ, doctâ, felici venustâque musâ canendis vacavit. Plures decerpsit ex laudabili suavique poëta hymnos Romana Liturgia pro Nocturnis Feriarum, nec non pro Festis SS. Innocentium, Epiphaniae et Transfigurationis Domini.

Digitized by Google

honorabiliter, ut par fuit, e scholis in palatium evocavit, locum videlicet tam lucidissimo aptum speculo, ubi quicquid deforme per totum pene mundum esset in studiis, liquidius apparèret. Huc enim ex omnibus ejus finibus confluebat totum quod sibi aliquid esse videbatur. Nihilominus ab omnibus, calumniâ qualibet oppressis, hoc asylum unicum petebatur. Exemplar ibi sapientiae, pietatis et justitiae, supra hominum memoriam eminebat. Inde reversi qui sibi paulo ante domi videbantur doctissimi, rubòre notati, rudimenta artium, quasi, Nunc coepi, dicentes, aggressi sunt. Vas illud suum implevit Dominus spiritu sapientiae et intellectus. Nec suffecit ei in gazophylacium cordis sui colligere quod in promptu habebat: peregrina insuper conduxit aenigmata, et quicquid philosophicum terrenisque sensibus remotissimum sensit, hoc undecumque contraxit *. Obliteratas diu septem liberales artes, ipse retexit. Quicquid Historici, Oratores, Poëtae et Philosophi novum et grande perstrepunt, diligentissime cum doctoribus cujuscumque linguae perscrutatus est, et ubi magister excelluit ingenii velocitate, ibi se discipulum praebuit humilitate. Saepe inter Graecorum et Latinorum doctissimos, de philosophiae sublimitate, aut de cujuslibet in illa florentis disciplinae subtilitate disputantes, doctus interpres medius ipse consèdit, et disputantibus ad plausum omnium quo nihil minus amaverat, satisfècit. Non enim examen improbum in illa castigavit trùtina, nec se quaesivit extra: gloriam sibi aestimabat esse testimonium conscientiae suae. Spectavit hoc frequentius judex, in talibus falli nescius, Rex orbis terrarum maximus: et qui regnum suum exterius fortitudinis et consilii vigore firmavit, interius illud tali splendore vestivit. Horum spectator et ipse Deus creditur, cujus misericordiâ donum, quodcumque tribuit, custodìtur. Quis enim a tanta et tam incomparabili altitudine prohiberet arrogantiam, nisi pius ipse suam adhiberet custodiam? Israël Episcopus Scotìgena, sub cujus magisterio illustrissimus hic, de quo loquimur, plurimum se profecisse testatus est, de moribus ejus requisitus a quibusdam, quos ipsi audivimus, hocipsum solicitius ruminantes et quasi pro oraculo habentes, sanctum eum apprime virum esse respondit. Satis laudabile scitumque doctoris de discipulo testimonium. Graeci, quibus aeque magistris usus est, ad tantam gratiam stupebant, digna nimirum de illo problemata domum suis civibus reportabant, quorum studium quondam fuisse dicitur, aut audire semper aliquid novi, aut invenire.

§ **5**. Millies interea per dies cogebatur calamitosis patrocinari, consulere afflictis, opem ferre miseris. Quae omnia sic administrabat, ut refugium factus egènis omnibus videretur. Ita cum

* In fratris aula regia, studiis incumbit et christianae sapientiae. Nota in seq. § pietatem gravitatemque Brunonis inter saecularium hominum rerumque tumultus.

Digitized by Google

esset in otio, nemo, fere magis videbatur in negotio: nec cum esset in negotio, unquam cessabat ab otio. Lucubrationibus intentissimus inveniendis, in dictatu, quaecumque sunt honestissima, acutissimus fuit. Latialem eloquentiam non in se solum, ubi excelluit, sed et in multis aliis politam reddidit et illustrem. Nullo autem hoc egit supercilio, sed tum domestico lepòre, tum urbana gravitate. Post èpulas, cum alii et majores etiam, ut accepimus, paulo agunt remissius; ipse lectioni et meditationi vacabat attentius. Matutinum crepusculum nullo pretio vendidit, nec tunc se somno solicitanti ullo modo credidit. Scurrilia et mimica quae in comoediis et tragoediis a personis variis edita, quidam concrepantes risu se infinito concutiunt, ipse semper serio lectitabat: materiam pro minimo, auctoritatem in verborum compositionibus pro maximo reputabat. Translatitiis usus est scholis, non corpore quidem, sed mente quietus. Quocumque enim circumagebantur tabernacula aut castra regalia, bibliothecam suam, sicut arcam Dominicam, circumduxit, ferens secum et causam studii sui et instrumentum: causam in divinis, instrumentum in gentilibus libris: utputa doctus paterfamilias qui novit de thesauro suo proferre nova et vetera. Nec in ipso itinere desidiae locus erat. In turba quod paucorum est, quasi solus erat. Confabulabatur namque utilimum aliquid cum quovis, aut meditabatur idipsum in quovis. Cum ad divinum ventum esset officium, animum gerebat intentum, brevi quidem, sed pura se oratione Domino commendans. Iis, quibus convixerat, habitu et gestu aliquando, mente aliud actitans, satisfecit. Non enim aliter tam vere popularis esset, neque tam multis meliora persuasisset.

§ **6**. Deinde cum de virtute in virtutem gigantaeis, ut ita dicam, passibus iret, et quocumque pedem intendit, semper in voluntate Domini proficeret: orta est subita tempestas dissensionis in Ecclesia, dormiente, credo, Jesu in pectoribus vigilum, ante fores domus Domini excubantium, ita ut quidam satanae socii, invidiae spiritu distenti, Imperatorem ipsum, per quem salus erat in populo, conarentur extinguere. Quare hoc, nisi ut non arguerentur eorum mala opera? Nam teste Evangelica veritate, omnis qui male agit, odit lucem. Cassato igitur per Dei miserationem hoc per serpentinum sibilum concepto consilio, nequitiae suae virus per totius ejus regni viscera diffuderunt. Quod licet ubique et legum minaretur silentium, et plebis per caedes et rapinas interitum: nusquam tamen atrocius, quam in Occidentis partibus aestuabat. Ibi principes vi et rapto assueti, populi rerum novarum cupidi, civilibus omnes cladibus intenti, aliorum ditescere miseris praeoptabant. Tunc sanctae Coloniensi ecclesiae pastor Wicfridus, diu admodum imbecillis, regiae tamen

Digitized by Google

majestati et patriae satis fidus, fessis tandem relictis terrae artubus, supernis spiritibus sociatus est.

§ 7. Plebs autem destituta pastore, in ipsa confusione nil anceps, nil varium molita, unicum unice optatum in domino Brunone, magnifico viro et probatissimo sibi delegit solatium, secuta magnatum et totius Cleri consilium. Qui in juvenili corpore moribus maturus, in maximo nobilitatis fastu humilis et mansuetus erat: in sublimitate sapientiae, quam percèpit, *non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, animum induxit: in regali affluentia, parcus sibi, dives amicis fuit. In ea primum electione praeter caeteros Godefridus floruit Episcopus: sed quis alium voto praeiret, difficile quispiam expediret. Hoc uno inter spem metumque dubii ferebantur, quod honoris dignitatem et viri gloriam metientes, indignum fore tantae sublimitati metuebant quod ei cum tanto ambitu praeparabant. Et revera si quis in toto hoc regno locus esset augustior, aut certe Clero, populo, ecclesiis, omnique apparatu elegantior, hic tanti pastoris receptui ab omnibus, qui eum noverant, dignior putaretur. Conspirantibus itaque omnibus, et idem in Christo sentientibus, cum adhuc inhumatum, et ad oculos positum, secundum consuetudinem loci, corpus bonae memoriae decessoris ejus aspicerent, electi sunt a senatu sanctissimo quatuor summi viri, et eodem numero laici, omnes apprime eruditi qui omnia haec perferrent ad palatium, et patefacta post defletam destitutionem, electionis unanimitate, memoratum desolatis flagitarent solatium. Quid multa? Complacuit (Deo gratias) Imperatoriae auctoritati sic et tempori et loco consulere, ut petitum tanta constantiâ visitatorem, festinanter ad destituti gregis custodiam mitteret.

§ 8. Missus tandem e castris terreni Imperii, in coëlestis Regis tabernacula cum spiritualibus nequitiis pugnaturus intravit, artes secum exercitationesque virtutum, arma fidei prae se ferens. In illo mox novi ejus comites viderant et quod blandiebatur, et quod terrèbat. Affabilem namque se valde et mitem praebuit, et cum ejus industriam in agendis nihil effugeret, requisivit tamen undecumque solicitius quid agendum sibi esset, quibus consuetudinibus inniti debuisset. Erat ei comitate condita gravitas, ita confluenti turbae modicum hilaris, et per omnia mirabilis apparebat. Ventum est ad sacratissimam sedem, huic pio provisori ab omnipotente Domino ante tempora praeparatam, in ipso tempore praesentatam. Factus est concursus ingens populi, infinita trepidatio vulgi: novis gaudiis exultavit civitas. Clerus ex monasteriis convènit, sanctimonialium multitudo concurrit: conditio quaelibet et sexus uterque plus solito ad gaudia convenerunt. Ecclesia laeta prolem suam *, maternis eàtenus lactatam uberibus, jam in Christi gratiâ adultam, in die tantae solemnitatis ablactavit,

* Ecclesiae cum matre quam proles laetificat comparatio.

Digitized by Google

et spiritualiter matrem esse constituit quae sibi postmodum filiolos, in quibus Christus formaretur, affectu dulcissimo parturiret. Episcopi autem qui frequentes àderant, et hujus sancti Cleri Senatus, acclamantibus cunctis in voce exultationis et salutis, electum a Deo et hominibus virum, super cathedram pontificalem sedere fecerunt, et laudem simul Deo universi clamore quo quisque poterat, in organis, nihilominus et cymbalis, et quocumque signo laetitiae personuerunt. Exinde omnis ejus intentio, omne studium sanctae matri Ecclesiae aut munimento fuit, aut ornamento. Munienda scilicet erat exterius, ornanda interius: munienda in secularibus, ornanda in spiritualibus. Dilexit ante omnia decorem domus Domini, et locum habitationis gloriae ejus. Hoc se ardere desiderio multis modis perspicaciter ostendit, quod hic scripto perstringere necesse non est, quoniam quidem illustrium ejus factorum memoria recens est, nec in ejus populo de eo loqui cessabit omnis qui veritatem et fidem amabit.

§ 9. Antequam in suggestum pontificalem vir iste in lege Domini eruditus ascenderet, seditiosis nostrae reipublicae civibus, quos inflammavit spiritus satanae insurgere in Christum Domini, erat spes quaedam Coloniâ potiundi. Ita magnanimum regni Lotharingiae populum aut pacis sibi foedere devincìri, aut crebro belli impetu, propter opportunitatem loci, terreri posse arbitrabantur. Sed postquam illam hic filius pacis, custos ecclesiarum Dei pèrvigil, introivit, dici non potest, quanto moerore sint afflicti, quanta desperatione incepti sui perficiendi, obducti sint, quicumque in hoc regno erant pacis inimici. Hinc blasphemiae, maledicta, probra et multimoda impietatis commenta. Sane mentita est iniquitas sibi, ut quia pastorem nec corrumpi, nec ullo modo sedùci posse sciebant, gregem saltem ab ejus amore, si quis daretur hujusmodi fraudis processus, his mendaciorum ostentis averterent. Docti namque et magni viri, invidiam promerèri norunt, habere nolunt. Ea tempestate ab Imperatore et exercitu ejus obsessa est Moguntia, urbs nobilis et opulenta. Erat enim referta hostibus et insidiatoribus regni: et ubi vigère solebat sinceritas religionis, illuc maxima confluxit sentina dissensionis. De Archiepiscopo loci, varius principum, aeque et vulgi, sermo fuit. Alii innocentiam ejus in coelum ferre, virtutes praedicare, ea quae passim, et in illis praesertim partibus, per civile malum perperam agebantur, ipsi prae omnibus odiosa dicere: quippe partes eum execrari testabantur. Idcirco e medio secedere, minimum curare, cui urbs patèret, cui milites obedirent. Haec fere illorum erat sententia qui conjuratione impia foederati, ejus jugi auxilio et consilio in omnibus se fretos esse jactabant: hoc solo causam suam defendentes quod nequaquam reproba esse posset, cui talis vir communicare vellet. Alii vero, et pene omnes quorum cordibus divina gratia inspiravit, potestatem ordinatam

Digitized by Google

a Deo venerari, Imperatorem omni devotione sequi, tutorem opum, vindicem scelerum, largitorem honorum: ipsi etiam, quibus domi sua res familiaris, conjuges et liberi curae erant, aut pax et salus sua quomodocumque dulcis extiterat, longe aliter hujus viri merita aestimabant. Nos interim haec Dei judicio relinquamus, et a diverticulo ad propositum redeamus.

§ **10**. Novum itaque Agrippinae civitatis custodem, et designatum Antistitem Imperator ad novum invitavit consilium, expertus quid ante hanc injunctam ei curam mente linguaque posset. Ibi varius altrinsecus assentantium favor, et prope cui merito crederetur, incertum. Audire hoc erat frequentius etiam ab iis qui in castris regalibus militabant, laudare adversae partis fortitudinem, praeferre in eisdem innocentiam causae quod coacti et nimis inviti, hunc sibi laborem assumerent: et quandòquidem nec inter hostes quisquam tam demens inventus est qui majestatem regiam blasphemaret, in Henricum fratrem ejus Bavariorum Ducem et marchionem inclytum, barbaris et omnibus id locorum gentibus, ipsis etiam Graecis formidabilem, crudelitatis inchoatae culpam omnem et malitiam retorquebant. Revera autem quo quis melior, et ad conservandam Imperatori et regno ejus fidem promptior erat, hunc magis exosum habebant. In hoc impie latrocinantis et perjurae partis odium, Bruno gloriosus et populo Dei optatus praesul, semetipsum sponte libensque conjecit, nec duplici corde, nec labiis dolosis cuiquam occasionem praebens, aut dissimulare quod vellet, aut simulare quod nollet. Ita neque alium fallere animum induxit, neque ab alio se falli ipse consensit. Prius tamen dura tentavit corda rebellium, si quo modo ullis salutiferae suasionis ejus et doctrinae possent curari fomentis, ultimam cauterii differens medicinam, donec pia solicitudine diligentius experiretur, quid sibi haec infrenis audacia polliceretur.

§ **11**. Erat in ea conjuratione princeps, Imperatoris filius Ludolphus unice clarus et spectabilis adolescens qui non solum ad conservanda, verumetiam ad exornanda patriae monimenta victoriae sufficeret, si seductoribus minime credidisset, et haeres esse, non proditor, voluisset. Sed quia festinans ditari, paterno non meruit obedire consilio, contigit illi secundum veridicam Salomonis sententiam, ut haereditas, ad quam festinavit in principio, in novissimo benedictione carèret. Egregius ergo et plenus consilii, futurus et jam designatus, ut diximus, sacerdos Domini, dolens de contemptu fratris, de interitu nepotis, eumdem, accepta fide per obsides, in castra belluino animo venientem, eductum, ut fertur, de turba seorsum, ita allocutus est: «Nescis juvenum omnium, quos terra tulit, clarissime, quantum tibi tuisque profueris, si admonitionis meae verba in pectoris tui secreta

Digitized by Google

demiseris *. Tu namque maxima gloriosissimi patris tui cura, et nostra gloria, quid nobis sperandum relinquis, si teipsum nostris votis adèmeris? Non respicis honorandam pii genitoris tui canitiem, quem te contristare, cui te injuriam inferre non expedit? Non recordaris ejus paternam erga te semper a puero pietatem? Deum, mihi crede, offendis, cum patrem contemnis. Non est quod te excùses. Ad injuriam ejus respicit, quicquid novum contra hoc regnum absque ejus voluntate molìris. Causam tuam tractas cum inimicis tuis quod contra decuit cum amicis. Illi enim non te, sed quae sua sunt, quaerunt in te: salutem tuam parvipendunt: verbis omnia, non rerum veritate, metiuntur. Vide, quaeso, quo te ducant, ne forte seducant. Qui eras gaudium et corona patris, spes et oblectatio totius regni, quomodo conversus es in amaritudinem? Desine tandem esse Absalon, ut possis esse Salomon. Cogita quis te tantum exaltaverit, quis omnes regni hujus principes tibi sacramentorum fide firmaverit. Quare hoc fecit? Numquid ut ingratus existas? Numquid ut proditor esse discas? Vere insaniunt qui te sic decipere volunt. Time quotidianos singultus, expavèsce frequentes gemitus, horresce lacrymas patris tui. Minus aegre ferret totum hoc sibi ab hostibus praeripi regnum, quam te, cui servat regnum. Innocens cor tuum venenosis heu blanditiis seductum est: paternae pietatis patet sinus, in quo nullus est dolus. Dolet pius pater filium sibi corruptorum impietate praereptum: gaudebit ad reditum. Si paulo iratior est seductoribus tuis, cito mitescet, cum te suas delicias receperit: nec scelere, sed errore hoc actum esse judicabit, cum te sibi restitutum senserit, quem etiam plus quam seipsum amavit.»

§ **12**. Haec et his similia dominus Bruno vir bonus, dicendi peritus, de salute pulcherrimi juvenis valde solicitus, perorabat. Ille vero, quasi cujus mentem Erynnis ad coeptum nefas instigasset, aurem cordis sui neutiquam passus est hujusmodi monitis admoveri: vix auditu exteriori, ne videretur nimis insolens, propinquavit. Innocens enim ab hujus dissensionis miseriâ, videri quam esse honestus duxit. Movit ejus juvenilem animum anxietas et metus elegantissimorum comitum: qui illius impiae conjurationis tabe essent infecti vel aspersi, ornatus et jucunditas esse possent etiam Imperatoriae dignitati. Et tunc utique tam desiderabilem, tam manufortem, tam egregiam ejus prolem deceret hoc agmine stipari, de hac electa juvenum excellentia gloriari. Erat prae omnibus in ejus animo quasi quidam stimulus, dux paulo ante fortissimus, tunc autem praedo audacissimus Cuno, etiam partâ, ut ipsi jactabant, divitiarum et regni gloriâ: sed revera labor sterilis pro tranquillitate, solicitudo semper anxia pro securitate. Nam is, cui, ut ita dicam, omnia erant in

* **Egregia principi in patrem imperatorem conspiranti consilia ut nefario molimine desistat.**

manibus, agendo ut plus haberet, ut nihil haberet, omnimodis effecerunt. Interea tamen modis omnibus, nec dolis minus, quam viribus certare, neque dies neque noctes requiescere adversarios inter se suspectos facere, nihil intentatum relinquere, neque quicquam pensi habere, dummodo id efficerent, ut maximis intra regnum urbibus et his opulentissimis, quocumque ingenio potirentur, inde cunctis regni finibus facile se imperaturos arbitrantes. Ac ne quid penitus sine fraude fieret, cum Arnoldo, strenuo inprimis viro, cui summa rerum per idem tempus in Bavarorum terra commissa fuit, secretius pollicitationibus infinitis, commemorando insuper odium vetus, egèrunt ut se primum, deinde urbem praeclaram, postremo totum illud regnum Henrico Duci perjurus abdicaret: tantum sibi ròboris inter eos invidia et odium vendicavit. Simul Hungaros, antiquam pestem patriae solicitabant, ut regnum in seipsum divisum invaderent: arbitrantes hoc modo sibi solicitudinem, qua premebantur, aut penitus àdimi, aut aliquatenus minui posse.

§ **18**. Hac de re, utputa tam subitâ et improvisâ, commotus Imperator, et magis illorum miseriâ, quam suo damno dolens, obsidionem Moguntiae, accepto tandem, quod petebatur, pacto, dimisit, e castris Orientem versus cum his, quos fidos habuit, consultum partibus illis festine proficisci disposuit, fratrem suum Brunonem Occidenti tutorem et provisorem, et, ut ita dicam Archiducem in tam periculoso tempore misit, cui talia mandata dedit: «Unum nos semper idemque sensisse, nec unquam vota nostra in quocumque negotio discrepasse, dici non potest, frater dilectissime, quantum delector. Et hoc est quod in acerbis meis rebus me maxime consolatur, cum video per omnipotentis Dei gratiam nostro Imperio regale sacerdotium accessisse. In te namque et sacerdotalis religio, et regia pollet fortitudo, ut et scias sua cuique tribuere quod est justitiae: et possis adversariorum sive terrori, sive fraudi resistere quod est fortitudinis et prudentiae *. Nec abesse tibi jamdudum perpendi ipsam ingenuarum artium matrem, et verae virtutem philosophiae quae te ad hanc modestiam magnitudinemque animi erudivit. Scio itaque, frater mi, scio, quod nemo prudentiae tuae persuadebit, id tua non interesse, quantum perversi de bonorum pernicie glorientur, quacumque id quod intenderint, honestate verborum velent. Dicent fortasse, bellis haec sedanda esse quae ad te non pertineant quae tui ministerii dignitatem non deceant. Hujusmodi fraudulenta verborum jactantia istius metropolis praesul vides quantos seduxit, quantos ad civilis cladis rabiem illexit: qui si subducere se vellet a dissensione; quemadmodum fingit, et bellorum periculo, ut religioso dègere posset in otio, nobis profecto et nostrae reipublicae melius id, quod ei regali munificentiâ contulimus reddidisset, quam

* Nota quibus S. Antistitem imperator prosequatur laudibus.

Digitized by Google

hostibus. Hostes dico, ut fere omnes sentiunt, nefarios civium praedones, patriae proditores, regni vastatores, militiae desertores: qui meipsum utique sacrilegâ audaciâ suis (credo) manibus necatum, aut quovis quam acerbissimo mortis genere perisse vellent, cui filium sustulerunt, fratrem regno, liberis, ipsàque dulci conjuge, vitâ denique ipsâ privare contendunt. Tu solus mihi demum es solidum, fidum, firmumque solatium qui tantum ab ineunte aetate in bonis actibus profecisti, ut bene facere, summàque benevolentià omnia circumspicere, tibi jam ex consuetudine in naturam venerit. Te plane sospite si jucunde et exintegro frùitus fuero, ut mens mea semper flagitat, desiderium postulat, animus implorat: tum dignitas, tum gloria, tum decus aderit. Praesidii satis abundeque nobis est, ne nobis nos desìmus, hoc vero summopere nobis curandum est. Tu mihi, tu, inquam, testis, quanta curâ, quantàque benevolentiâ foverem, tuerer, amplecterer hos, quos modo tam crudeles patior: quibus tamen adhuc quam libentissime mederi vellem, si sibi ipsi parcere vellent. Ah quanta importunitate praecipites perire festinant, secumque prolem meam innocenter educatam, in omnia scelera versant. Ita in potestatibus temperare sibi adeo illis difficile est, qui per ambitionem probos se non esse; sed videri praeoptant. Nosti dilectissime, quod quidem cum dolore rècolo, eos mihi frequenter duriores et magis infidos fuisse, quos amplius fovi, quos in multis necessitudinibus foederatissimos amavi, quos denique mihi conjunctissimos aestimavi. Grave hoc perpessu fuit: duplex miseria. Quod autem me urget, mala superiora praeponderat, cum ille, quem genui, praereptus mihi, paternae pietati didicit insidiari. Enìtere igitur vir Deo dedite, non quomodo primum, sed modo potissimum enitere, quaeso, consilio illo tuo, quo calles plurimum, ut pro loco et tempore aut arma dissuadeas, aut quoquo pacto compescas. Absens tibi corpore, ubicumque ero, gaudeam tibi, gràtuler providentiae et moderationi tuae. Id mihi reputare libet quod feceris: id etiam libeat tibi quod fecero. Opto et cumulate desidero, ut ea nobis sit votorum et oblectamenti summa, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus provideri bona alterutrum ea quae sunt, et si fieri potest, cum omnibus habere pacem.» Deinde postquam ruerunt in oscula, non sine lacrymis ab invicem digredientes, Imperator Orientem, frater ejus Occidentem petivit.

§ **11**. Moxque ad Aquasgrani * palatii Bruno properavit: ibi principes regni, quorum id intèrerat, convenit, eos variis multisque modis instruxit: atque hoc cum eis potissimum egit, ne seductoribus aut vanis eorum promissis crederent, ne minas timerent: regiae majestati et suae ipsorum fidei pollicitationes nullas praeponerent, spondens se ante tempus et semper

* Aquae-granum et Aquisgranum urbs in Westphalia.

paratum fore, ut pacem Ecclesiae violatam, si sic necesse esset, vitae etiam suae periculo reformaret. Hoc facto, Coloniam laetus adiit: expectabatur ordinationis tempus, et unctionis laetitia salutaris. Hoc facto, innovatum est gaudium plebis, et refulsit in conspectu omnium, qui convenerant, ornatus stolâ jucunditatis sacerdos Domini Salvatoris. Postea nardus pretiosa dedit odorem suum, in medio ecclesiae aperuit os suum. Audiebatur secundum legale institutum, sonitus intrantis in domum Domini Dei: exemplum et documentum factus est omnibus obtemperantibus sibi in salutem. Quid autem fecerit, quomodo docuerit, qualiter pro pace ecclesiarum Dei seipsum impenderit, actu est mirabile, dictu difficile. Tantum enim superiorum insignia, hujus quotidiana opera praecedebant, ut totum quod in ecclesiis sive ampliandis, sive restaurandis, quod in reliquiis et corporibus sanctorum in suam parochiam transferendis, quod in privatis vel publicis aedificiis componendis, quod in ordinandis domibus, familiaeque sanctae Dei Ecclesiae rebus fecerat, ad aliorum operam pene incomparabile videretur. Nam sicut super omnes docentes se intellexit: ita cordis sui aciem, ingenii acumen, animi vigorem, ad majora sapientiae et virtutis opera direxit.

§ **15**. De religione primo et cultu Dei, secundum datam sibi sapientiam, Canonicam et Apostolicam auctoritatem secutus, instituit, ut multitudinis, quae in diversis congregationibus, ad ejus honorabilem sedem pertinentibus erat, unum cor esset et anima una: ut vestium superfluitas, morum inaequalitas, et quicquid hoc modo effoeminatum et indecens in ejus ecclesia videretur, vera et spirituali circumcisione, quod est initium sapientiae, diligentissime abscinderetur: ut divinis ministeriis omnes quorum id intererat, intentissime secundum praefixam sibi regulam viverent, nec aliam sibi suae salutis causam ullàtenus aestimarent. Haec et his similia cum venerandis patribus et Cleri sui senioribus frequens egit, eosque in custodia Dominici gregis secum pariter invigilare solicitus admonuit. Et quia culpâ temporum urgebatur, ut rarius haec cum illis ageret, quam volebat, solicitius absens non minus, quam praesens, spiritu fervens, Domino serviens, aestuabat. Erant ei foris pugnae, intus timores. Pugnabat contra luporum, Ecclesiam Dei devastare cupientium, rabiem: timebat Domini ovium simplicitati, sicut Apostolus: Timeo, inquit, ne sicut serpens Evam seduxit astutiâ sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quae est in Christo. Ita exercitato pectore contra adversa omnia robustissimus erat: in prosperis quoque talis animus minime vacillabat, rebus aeque et crebris exercitationibus docens omnes sibi subditos, solicitos servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Visus est singulari illa mentis suae agilitate pene excessisse generale

Digitized by Google

illud, quod dicitur, mentem, cum dividitur ad multa, fieri minorem ad singula.

§ **16**. Cogente igitur Imperiali auctoritate suscepit, ut jam dictum est, tractare negotia regni apud Lotharicos: et cum unicuique de principibus et magistratibus suum partiretur onus, unicuique sibi congruum imperaret opus: nihil tamen erat, quod non ipse obiret, hoc maxima consilii vivacitate pròvidens quod omnibus expediret. Causantur forte aliqui, divinae dispensationis ignari, quare Episcopus rem populi et pericula tractaverit, cum animarum tantummodo curam susceperit. Quibus res ipsa facile, si quid sanum sapiunt, satisfacit, cum tantum et tam insuetum, illis praesertim partibus, pacis bonum per hunc tutorem et doctorem fidelis populi, longe lateque propagatum aspiciunt: ne pro hac re, quasi in tenebras amplius, ubi non est praesentia lucis, offendant. Nec vero nova fuit hujusmodi gubernatio, aut sanctae Dei Ecclesiae rectoribus antea inusitata: cujus exempla si quis requisierit, in promptu sunt. Nemo igitur super hac re culpabilem eum dicat, cum Samuelem sanctum, et alios plures, sacerdotes pariter legamus et judices, et Danielem prophetam duos presbyteros ad mortem damnasse legamus. Nos vero ad alia festinantes quid quisque de pio hoc viro loquatur, suo ipsius judicio relinquimus, scientes sani capitis esse neminem, qui bonum evidentissimum ullo maledicti opprobrio fuscare nitatur. Honestum enim et utile nostrae reipublicae fuit omne quod fecit. Factis vero suis hunc finem nequaquam constituit, ut non nisi per hominum ora favorem captando volarent; sed ita vixit: ita opera sua coram hominibus temperavit, ut pessimis horrori, bonis esset honori. His aperte cunctis innotuit, quod in Episcopatu bonum opus desideravit, in quo nec ab invidis et aemulis suis facile potuit reprehendi, nisi hoc ipsum in laude ejus magis proficeret, quod talibus displiceret. Hac igitur mirificâ occupatione detentus, pervigil summi patrisfamilias operator et summus praesul, lucernam ardentem, boni videlicet operis exemplar, in manibus ferens, ad ea, quae Dei sunt, alios volentes duxit, alios nolentes traxit.

§ **17**. Sed inter haec, humani generis antiqua pestis non cessavit invidiae suae virus per opera pii doctoris, jam in bona spe germinantia, longe lateque dispergere. Nam cum primum Lotharici regni populus, multimodâ magni hujus viri exhortatione vix tandem inductus, blandimenta pacis valde sibi insueta tentaret, et iis, qui sola civili dissensione tutum sibi aliquid pollicebantur, assensum in sui perniciem ex parte plurima praebère respueret, saeva Hungarorum gens, et qualem nunquam terra nostra sensit barbariem, a perversis illecta civibus, transitis Germaniae plerisque provinciis, Galliae, cui jam olim nobilis Francorum populus insèdit, omnia ferro et ignibus vastatura se

Digitized by Google

totam infudit. In hac acie Cuno, qui prius Dux erat egregius, cum suis sequacibus militavit: utrum ad hoc, ut odio suo, quod in virum Dei Brunonem, bonis certe mansuetissimum, conceperat, hac ferâ crudelitate satisfaceret, an ut quibus posset, in tanto periculo subveniret, incertum: sed illud prius, latius opinione disseminatum est. Nam et ante contra eum dura quaeque fraudulenter, quia vires defecerant, tentavit, ita ut Metim urbem opulentissimam dolo invaderet, ipsi Coloniae et caeteris regni munitionibus suspectum se faceret, probra jactaret, minas effunderet. Et postea aliquantum temporis in hac eadem qua dudum erat, immanitate permansit: nihil reliquit intentatum, quo foedus in populo nostro per sapientiam ductoris sui pactum dissolvere se posse putaret. Homo namque erat paulo ante summa potentiâ, summâque fortunâ, sed ignarus quomodo secundis rebus uti conveniret. Has quoniam, postquam abusus est, perdidit, in bonos ultra modum impatiens saeviit: sed a nefariis suis conatibus semper ita, Deo dispensante, repulsus est, ut hoc eum non leviter poeniteret, quod magnum facinus tanta levitate aggressus est.

§ **18**. Pepercit autem in omnibus sacerdoti suo et pio provisori populi sui misericors et miserator Dominus, et ita omnia ordinavit, ut absque bello et humana pernicie, maxima saepe pericula sedarentur. Inter quae frequenter ipse interritus, aut secum intentus legit, aut de maximis quibusque rebus, quasi curarum instantium nescius, disputavit. Hoc apud Treverim, hoc in Alisatio gentibus et populis innotuit, quanta constantiâ et securitate animi sui, inconstantes et temerarios adversariorum motus redarguit: cum eos qui in alienis se fortissimos jactabant, in propriis tam imbecilles esse monstrabat. Et revera quos nulla unquam acies, nulla inflexit asperitas, hos hujus viri pietas imbelles et timidos faciebat. Consilio namque et bonorum hominum multitudine, non saevitia, timendus fuit et quod nemo hostium tam acriter vigilabat ad perniciem, quam ipse ad salutem. Famâ autem et multitudinis judicio minimum motus est: suo sibi judicio usus est, et in quo recta probavit, non ut sibi, sed Deo placeret, optavit. Itaque ut paucis multa comprehendam, plura omittam: intus et foris, domi militiaeque indefessus Domini praeliator, animi plus quam corporis viribus tandiu contra pestilentes et inquietos, tantumque vitae etiam suae plerumque periculo decertavit, ut nominis quoque ejus fama quousque pervenit, bella sedaret, pacem formaret, studium in omnibus bonis artibus firmaret, sanctae religionis et salutiferae quietis gratiam ampliaret.

§ **19**. Quoniam igitur servus Domini Bruno, secundum dignitatem sedis suae, Romanae quoque Sedis et Apostolicae benedictionis privilegio debuit insigniri et cum eis pariter, qui

trāditam a beato Petro Apostolo sanam servavere doctrinam, catholicae fidei integritate in vera confessione et inviolabili veritate praedicationis uniri: synodicam suam Epistolam per Hadamarum, venerabilem monasterii Fuldensis Abbatem, Romam ad Agapetum mirae sanctitatis Papam direxit: in qua, cujus spiritus esset et quia pastor ab ovibus electus, a Domino missus esset, innotuit. Appellatusque est ibi concors et concivis Apostolorum, princeps et propagator Domini praeceptorum. Legatus inde cum magna mentis alacritate reversus, pio pastori, cui antehac gratiâ Dei collatum est, secundum prophetam, oleum gaudii pro luctu, tunc attulit pallium laudis pro spiritu moeroris. Spiritus namque Dei cordato homini et sacramenti hujus magnificae virtuti magis quam his quae visibiliter gerebantur, intento divinitus inspiravit, ut erigeret cor suum in spem per gaudium spirituale, ne tristaretur in eo quem sensit imminère, labore. Cor enim, quod novit amaritudinem animae suae, in gaudio ejus non miscebitur extraneus. Sapientiae haec verba sunt. Legatus ergo, ut loqui coepimus, Româ rediens, bonum nuntium Coloniam ferre acceleravit, portans sacrum habitum *, ab universali Pontifice missum, praetendentem jugum Domini suave et onus ejus leve et ipsum quod, sub eo dispensatur, humile ministerium, quod verba Domini testantur, dicentis: Qui major est vestrum, erit minister vester; ferens simul reliquias de proprio corpore S. Pantaleonis martyris et privilegium, Apostolicae sublimitatis auctoritate traditum, quo et eodem pallio praeter consuetudinem sacerdos Domini, quoties vellet, indui permissus et concessis omnibus quae petebantur, ipse prae magnitudine virtutis et sapientiae in participatum ejus operis, et prope in consessum tantae dignitatis admissus est. Properavit in occursum ejus laeta civitas, undique jubilans accurrit multitudo, convenerunt in suburbio prope antiquum locum, ubi ecclesia ejusdem pretiosi martyris erat inculta adhuc et ruinae proxima. Ibi deposita sunt grata onera, deinde suo quaeque loco reposita.

§ **20**. Monet me hic aliquantulum immorari festivus ille, qui postea in brevi proh dolor factus est funerosus, ejusdem loci occursus. Ibi venerabilis iste amictus primo, ibi postremo, semel laeto, semel lugubri carmine susceptus est. Corpus enim religiosi et Deo digni sacerdotis ibidem sepeliendum, officii sui insignia non amisit quae tamen spiritualiter et ideo feliciter, ut credimus, anima secum vexit. Arcano itaque omnipotentis Dei consilio provisum est, ut idem locus ad declaranda sancti sui martyris merita, prima hac occasione illustraretur et talis fieret, ubi vir iste Domini pacificus et mirabiliter humilis, potissimum eligeret sub ejusdem pii martyris patrocinio tremendi judicii diem et futurae resurrectionis gloriam exanimis praestolari. Non

* Hoc est *Pallium* archiepiscopale. De ejus mystica significatione, forma et materia alibi dicemus.

Digitized by Google

multo post ibidem, utputa in loco secretiori et ab urbanae inquietudinis molestia remotiori, fratres in laude divina pervigiles et solicitos, sub monasticae regula disciplinae, Domino servire instituit: quibus Abbatem praeposuit, nomine Christianum, suae videlicet professionis phoronomum et in lege Domini, sicut hunc decuit ordinem, apprime eruditum. Cui ordinato, huc breve commonitorium de Occidentis partibus scripsit: Ut sis quod vocaris, cura gentilitati ne degeneres. Id serio triumpha, ut non sicut prius antiquetur, sed de virtute in virtutem ut eatur, nava.

§ **21**. Nunquam ita civilium negotiorum occupatione detentus est (ad quam eum non sua libìdo, sed populi necessitudo attraxit) ut animo illo ad omnia vivacissimo non vigèret, intentus religioni praecipue et lectioni, in cujus studio mori videbatur. Ad id agendum exemplo suo et crebro monitu accendit omnes pene, quos prae oculis habuit. His vero qui hoc ita non amabant, vehementer indoluit, eosque, licet alias familiares essent, a secreto tamen et amico moeroris loco, ubi se sibi·libentius et ideo diligentius, solebat explicare, removit. Pectus cordati viri pertaesum fuit regifici luxus et consuetae, hoc praesertim tempore, potentibus jocorum et voluptatum illecebrae. Unde si quando suis coactus quodammodo reddidit quod non debuit, excessum hunc modicum fletu plerumque largiore detersit. Vitam praesentem et dulcem metuit et amaram expertus est: de vita vero, omnis solicitudinis et languoris ignara, haud dubium, quin ante omnia plurimum cogitaverit, qui de ea tam luculenter multoties et cum familiaribus et coram plebe sibi commissa disseruit. Juvenis, ut erat, omnique pompâ circumfluus, audeo dicere, dissolvi vellet, tantum ut cum Christo esset. Hinc lacrymae assiduae, suspiria fere continua, furtivae orationes et singultus in ipso etiam lecto clarius perstrepentes, ut testantur quos id minus celare poterat, etiam dum latère volebat. Quoties diem mortis posuit ante conspectum cordis? quoties ad hoc vocis quoque prorùpit officio, quod corde molìtus est? quoties audivimus eum vehementi gemitu praeoptasse id quod futurum, non tamen sine gravi trepidatione, speravit, ut aestuosum mundi hujus naufragium, in Dei sola misericordia tutus, evasisset, et in litore tandem securitatis intimae constitisset? Elapsurus quodammodo putabatur, ut quasi mortem aufugeret totum quod ei in hujus mundi deliciis blandiebatur.

§ **22**. Testes supersunt conversationis ejus quamplurimi: quoties eum in secretis corde contrito et spiritu humiliato persenserant, mirari plus poterant quam imitari. Nam ille popularis, plerumque quasi solitarius vixit. Mirum dictu: inter convivas laetissimos laetior ipse frequenter abstinuit. Molles et delicatas vestes, in quibus nutritus et ad hominem usque perductus est, etiam in domibus regum multoties declinavit. Inter purpuratos

Digitized by Google

ministros et milites suos, auroque nitidos, vilem ipse tunicam et rusticanas ovium pelles induit. Lectuli delicias vehementer aspernatus est. In balneis cum lavantibus, cutisque nitorem quaerentibus, vix aliquando lotus est. Quod eo magis mirum est, quia ab ipsis cunabulis ejusmodi munditiis et pompâ regiâ educatus est. Haec autem pro tempore et loco, modo palam, modo secretius egit, ut et laudem humanam subterfugeret, et tamen subditis exemplum hoc agendo praeberet. Multi enim verbis, plus exemplis proficiunt plerique. Apud mites et humiles nemo humilior: contra improbos et elatos nemo vehementior fuit. Hunc terrorem qui beneficio obligari non potuit, indigena aeque et alienigena formidavit, et recto convenientissimoque ordine omnis, ad quem magnitudinis ejus fama pervènit, primo eum timere, postea consuevit amare.

§ **23**. Sanctorum corpora atque reliquias et quaelibet monimenta, ut suis patrocinia cumularet et per multos populos ultra citràque hac celebritate gloriam Domini propagaret, undecumque collegit: iis loca et ministeria omni sumptu et apparatu copiosius praeparavit. De quibus singulis plura essent dicenda, si paterentur promissa compendia. Indicia sunt haec invictae fidei qua non ea quae sua, sed quae sunt Jesu Christi, quaesivit. Baculum et catenam sancti Petri qua diligentiâ, quo fervore, quo gaudio Coloniam, alterum Meti, alteram Roma adduxerit, omnes novèrunt. In cujus honore domum ejus honoratissimam mirabiliter ampliavit, quam de pulchra pulcherrimam fecit. Inclytos et praecellentis famae martyres, Pàtroclum, Eliphium, Privatum et Gregorium, quorum gesta sunt permagnifica, merita gloriosa, patrocinia tuta: Christophori, sanctique Pantaleonis, ut jam dictum est, pretiosas reliquias, quibus se patronis specialius delegavit, utputa gemmas gratissimas et dulcissima pignora, ad sanctissimam suae Ecclesiae sedem mirò ambitu variis de locis attraxit.

§ **24**. Sed solicitudo magni pontificis nihil negligendum ducens, ut perfecta quaeque de magnis maxima faceret, imperfecta suppleret, neglecta magnifice illustraret, modis omnibus invigilabat. Quocirca ratum duxit, ut locum quemdam Saxoniae, Susatium nomine, rebus seculi opulentum, populo plenum, longe lateque circumpositis Saxonum gentibus, nihilominus provinciarum populis notissimum, sed religionis adhuc pene ignarum, his sancti Pàtrocli pignoribus decorare, et quodammodo ad sacramenta futurae salutis initiari debuisset: fiducialiter agens in illo, et credens quod aromatizans fumus ille qui in manifestatione sancti ejus corporis, sicut supra diximus, invisibiliter aspersus et sensibiliter cognitus est, per famam meritorum ejus, multis foret profuturus. Unde factum est, ut corpus beati martyris a venerabili Brunone Archiepiscopo Coloniâ deductum, cum

Digitized by Google

honore magno et gaudio, occurrentibus cum clero populis, Susato inferretur: ubi repositum est in ecclesia cum divinis laudibus, quam idem pius Antistes fundaverat et donis competentibus ditaverat: ubi etiam a civibus et incolis terrae in magna veneratione habetur et colitur usque in praesentem diem. Nam et domus, in qua uncti sunt a Maria pedes Domini, repleta est ex odore unguenti. Cujus rei mysterium quasi explanari videtur, cum sponsa ad sponsum loquitur: Unguentum effusum nomen tuum. Nam quod tunc uni domui contigit, nunc totus mundus in se completum novit.

§ **25**. Caetera quae tam brevi tempore suae Ecclesiae filiis oblectamenta contulit et dona salutis, pensari nequeunt, aestimari non possunt quae ex omnibus pene mundi plagis et terminis religioso affectu et animo congregavit, quasi conjiciens quod futurum erat, ut pro brevitate dierum suorum, gregi sibi commisso dona perennia confirmaret. Quo tamen studio id curavit potissimum, ut et illis, unde abducta sunt, desiderium et iis quo adducta sunt, amplificaretur gaudium: quatenus utrique bono odore Christi qui est in martyribus, immo quod ipsi sunt, licet diversis affectibus provocati et illi vivacius appeterent quod negligebant: et isti perpetuo venerarentur quod ad se translatum esse gaudebant. Nam qui nescit bonum amare quod habet, si ablatum ab illo fuerit, discet fortasse bonum amare quo caret: et habebit illud, dum aberit, fructuosius in memoria, quod sibi inutiliter habuit in praesentia. Impletum est hoc modo Evangelicum illud quo dicitur: *Omni habenti dabitur et abundabit: ei autem qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo* (*Matth.* XXV).

§ **26**. Interea certatim multis in locis per parochias Episcopii sui, fidelis hic Domini servus et prudens, ecclesias, monasteria et caetera aedificia servitio Domini Dei sui et honori Sanctorum ejus apta, quaedam a fundamentis erexit, quaedam prius fundata, nobiliter auxit, alia olim dìruta reparavit. In his singulis qui Deo omnipotenti sub regula vitae canonicae, deservirent, provida ingenii sui arte disposuit: ac ne quid eis pro modo conversationis suae deesset, liberaliter disponendo provìdit. Cujus operis et saluberrimi studii monimenta perennius in iis ubi acta sunt locis firmata perdùrant, ita ut in laudem et gloriam Jesu Christi, memoriam tanti viri nulla aetate obscuratum iri in perpetuum patiantur. Idem ad exteras nationes transfùdit et in regno suae providentiae delegato, partim exemplo, partim opere proprio, partim variâ personarum qualitate et crebra admonitione diffùdit. Non enim passus est suorum quemlibet aut incassum occupari, aut otio torpère inerti: diffiniens, ut solebat loqui, ignavum pecus arcendum a praesepibus, ut secundum Apostolum qui non laborat, nec manducet. Non possunt singulatim conscribi bona omnia quae fecit, quae docuit, quae amavit.

Digitized by Google

Tantum semper materiei supererit id curantibus, ut ipsi profecto ante lassi cessaverint, quam id quod moliuntur, expleverint.

§ 27. Jam vere in praedicatione verbi Dei et in subtilitate disputationum de sinceritate Scripturarum, qualis quantusque fuerit, admirari possumus, diffinire non possumus: quae tam copiose sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ea quae secundum pietatem est doctrinâ, profudit, ut plenum eum esse sapientia Dei, per quam omnia facta sunt, nemo hoc audiens et recte intelligens dubitaverit. Et ut nihil quod divini cultus usui competeret, sagax eorum quae sunt Jesu Christi, scrutator intentatum relinqueret, si quos aut in suorum ovilium septis, aut extra reperit qui singulari acie contra diabolum dimicaturi, solitariam vitam appeterent, hos cum omni veneratione susceptos, suae quoque exhortationis charitativa consolatione munitos, per diversas monasteriorum et ecclesiarum cellulas, cum idoneo Ecclesiae testimonio et religioso, ut decebat, officio, alibi singulos, alibi binos inclusit: quibus tamen adinvicem, nisi sermone tantum et aspectu nullus pateret accessus. His sumptus et quaecumque humanae fragilitati necessaria videbantur, per fidelissimos suae administrationis vicarios solicite ministravit et praecipue per Apostolorum festa, quotquot in anno occurrerent, singulatim eos donis congruentibus visitavit. Ita secundum perspicuam Apostolicae normam doctrinae, bona providere curavit, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus: ut cujuscumque affectus sive conditionis homines, si Deum quaererent, inter ejus discipulos aut probari possent, aut erudiri.

§ 28. Ubi autem zelus et contentio, ait Jacobus Apostolus, ibi inconstantia et omne opus pravum. Similiter in eo quod nefarios quosdam patriae civiumque praedònes de regno, ubi quieti et pacifici esse noluerunt, quasi pestem bonorum expulit et exulare coëgit, ipsis licet nescientibus profecto consuluit. Quo enim diuturnior nequitia, eo graviorem et prolixiorem sibi comparabat poenam. Quando autem boni quiescerent, si malorum furori nemo resisteret? Nimirum pepercit illis Deus, quibus hoc magna sua patientiâ et bonitate permisit, ut de pace et statu patriae suae absentes audirent, quod praesentes numquam videre vellent. Felices, si bona sua saltem in peregrinatione cognoverint, et patriam cupierint, de qua expelli non possint: ubi beati omnes pacifici, quoniam filii Dei sunt vocati. Talis itaque per Dei omnipotentis gratiam vir iste fuit, ut nec odio, nec invidiâ ad persequendum eos qui tales erant, ullo modo excitaretur: nec a miserendo aut parcendo miseris duritiâ aut crudelitate aliquâ restringeretur: sed ut pastor solicitus et vere dux populi Dei, salutem omnium et utilitatem in omni quaesivit negotio, et quos ipse in via Dei duxit et docuit, ne a perversis seducerentur et in errorem mitterentur strenue decertavit. Tantum autem aberat a saevitia,

Digitized by Google

ut pro iis etiam, quibus amarum aliquid pro qualitate factorum necessario inferebat, ipse frequenter amare fleret: ita gaudere cum gaudentibus, cum flentibus flere consuevit. Nam et qui hoc dixit, quemdam satanae in interitum carnis tradere jussit, ut spiritus in die Domini salvus esse possit.

§ **29**. Erat in Occidentalibus Lotharici regni finibus velut indomita barbaries, ea quae videbatur Ecclesiae proles, felicitati invidens alienae, nec minus saluti suae: despiciens paternae blandimenta exhortationis, terrorem vix sentiens potestatis. Qui si juri suo permitterentur, suis perversi, sibimetipsis pessimi, viderentur. Ille vero ante omnia provido usus est moderamine discretionis, ut pro qualitate locorum et temporum, in praelatione pastorum, ad sapientissimi Imperatoris nostri imperium, Dominici gregis paci et tranquillitati consuleret: illos nimirum caeteris praeferens, quibus nequaquam esset incognitum, quid pastoris esset officium, quid mercenarii esset vitium, quid in ministerio suscepto, quid in angaria aut agendum esset, aut sperandum: alios, ut quasi cortinae hyacinthinae interiora domus Domini ornarent: alios, ut quasi saga cilicina dèforis violentiam tempestatum arcerent. Libet meminisse quoddam hujus pii patris pium et laudabile factum, quod in ipsis sacerdotii sui primordiis, ut pro luctu spirituque moeroris, in oppressorum cordibus excitaret spem salutis, effecisse cognoscitur: quamvis hocipsum ob inopiam recte dividentium, linguae calumnianti fuit obnoxium. Quid enim non pervertit invidentia, qua nulla major videtur esse amentia?

§ **30**. Multa sunt et prope infinita quae in brevi, non in Lotharicorum tantummodo populo, quem ipse exintegro susceperat gubernandum, quem etiam, ex inculto et fero pacatum reddidit et mansuetum: sed etiam per totum regnum gloriosissimi Imperatoris, in Dei rebus et salute totius populi strenuissime operatus est. Erat enim eidem omnino communis cura cum seniore et germano suo, quorum uterque de altero merito gloriabatur in Domino. Praeterea Lotarium, sororis suae filium, de antiqua Regum prosapia ortum, cum a sobrìnis suis vehementer esset oppressus, mirifice eruit et exaltavit, nec cessavit, donec in locum patris sui Regem constituit, ac majores ipso potentioresque Hugonis filios, omnesque illius regni principes sub jugum ejus stravit: ita prospiciens universis, ut sub unius moderamine imperii, omnes pariter et ab hostibus tuti et inter se invicem possent essé pacati. Imminet regno illi quod reticendum non est, saeva clades, Nortmannorum gens, quibus in piratico latrocinio non sunt alii exercitatiores. His ex magna jam parte praeda erat populus, dissensione et civili pernicie assuetus. Quod illis superfuerat, inter se domestica seditione consumpserant. Egit autem provida dispensatio rectoris nostri, ut ad se quasi ad

Digitized by Google

tutissimum portum confugerent omnes qui quietem et pacem amarent: ipsorum etiam barbarorum immanitatem et intolerandam dudum ferociam mitigavit. Siquidem eodem tempore et Rex eorum Haroldus, cum magna suae multitudine gentis, Regi regum Christo colla submittens, vanitatem respuit idolorum.

§ **31**. Cum Imperator tricesimum regni sui, germanus ejus duodecimum pontificatus sui ageret annum, nondum nisi vix praelapsus aetatis quadragesimum, sanctam Pentecosten simul Coloniae celebrantes, qua major mortalibus gloria concessa non est, sese invicem inter sancta solemnium dierum officia, una cum diva matre *, sorore regina, nepotibus, filiisque Regibus, totàque illa Deo dilectâ familiâ, et cunctis regni senatoribus adfuerunt. Constat enim, nullum aliquando locum tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, aetatum, ordinum floruisse. Hanc itaque gloriosissimi Caesaris Augusti, et germani ejus, summi et incomparabilis viri Brunonis Archiepiscopi, fidam Deoque placitam in omni voluntate et opere conjunctionem, hanc conspirationem in omni utilitate et honestate administranda et bene gerenda, hanc jucundissimam vitae officiorumque omnium societatem, mors saeva, mors horrenda, mors, inquam, sola diremit. Et revera quamvis nihil atrocius videretur, nihil tamen esse potuit quod eam innocentius diremisset. Ergo cum summus antistes Bruno senioris et fratris sui, Orientem versus euntis, contubernia, ruens prius in oscula, et flens largiter reliquisset, pacàtaque omnia et quieta intra metas regni sibi creditas, agens Deo gratias, aspexisset, iterum iterumque suos omnes Clerum populumque quae agenda fuissent, admonuit, et mox in Occidente Compendium adiit, ut ibidem nepotes suos ab invicem dissidentes ad concordiam revocaret, in fide et gratia stabiliret Ecclesiae religionem, Regi honorem, et quae sua essent, dictante aequitatis ratione, annuente Domino, singulis confirmaret.

§ **32**. Eo intentus negotio, infirmari coepit, et sic in Rhemensium civitate gravi corporis molestiâ detentum, quinto demum die, postquam invasit, aegritudo eum praevenit. Quibus diebus in itinere non minus, quam in hospitio, lectione assidua, nullo pene alio cibo refocillatus est. Interrogatus autem familiariter ab ipso Episcopo Wigfrido, ut ipse testis est, cujus morbi gravedine, urgeretur, non morbum, sed dissolutionem sui corporis esse respondit. Episcopus itaque supradictae metropolis dignissime eum recepit, humanissime tractavit. Et in festivitate quidem quae tunc inerat sancti Remigii, levius aliquantulum habuit ita, ut clientulis ejus et sociis spes esset recuperandae salutis ejus. Ipse autem vocatis Episcopis qui simul cum eo venerant, Theodorico et Wigfrido, postulavit ut testamenti sui faciendi copiam ei facerent, et adjutorium ei adhiberent. Quod cum

* S. Mathilde; vide Notam in principio *Vitae*.

Digitized by Google

perdolenter et lacrymabiliter valde excusarent, valetudinem optatam in brevi pollicentes futuram, ille animi industriâ, qua semper viguit, econtra renisus: Dum tempus est, inquit, hoc fiat: multa nobis alia post haec restant agenda. Ingravata est deinde infirmitas et invaluit: jamque anhelitus, intercluso faucium meatu, vitalium lassitudinem praemonstravit. Tunc vocato notario, coram memoratis testibus testamentum suum ipse dictavit: res omnes, quas habuit, a sese, dum adhuc in bona viveret spe, abalienavit, dispersit, dedit pauperibus: quodque ordinandis exterioribus ecclesiarum Dei aedificiis congessit, in brevi secundum collatam sibi sapientiam, facta et corroborata cautione sua, congrue et professione sua digne divisit.

§ **33**. Post haec pauper Christi, collecta animi virtute, iterum semotim Episcopos advocavit. Quibus assidentibus, et interioribus factis, haec verba, gemitu exuberante et fletu inundante, profùdit: « Tria mihi videntur genera esse confessionis, quibus se cor hominis Domino Deo suo, renum testi, et scrutatori cordium patefacit: non ut ipsi qui nihil non novit, lucidius innotescat: sed ut ille qui se parum novit, veracius semetipsum agnoscat, et aut Deum in benefactis laudet, aut se in malefactis accuset. Hoc cum semper fieri debeat (sic enim vigilare praecipimur, ne fur veniat, ne quando nobis incautis damnum illaturus irrèpat), tum pulsante Domino domus per infirmitatis molestiam, necesse est, ut mens se, quibus possit viribus, erigat: qua valeat intentione, judici suo appropinquanti assurgat, sopitis terrenis desideriis, spe ad superna flagret, bona perennia et si non meruit, minime tamen despèret: sibi diffidat, in Domino confidat. Ecce fratres dilecti, sicut cernitis, pulsatur janua pectoris mei *: vocor ad reddendam rationem operis mei: si quid potestis, rogo, ferte praesidium, orationis vestrae porrigite manum. Incertus inter spem metumque feror: ut in neutram partem pronior inflectar, id vero enitendum est. Sed quae sunt vires meae? Misericordiae remedium praestolor: in manu creatoris mei sum: de me quod ipsi placet ut fiat, expecto. Bonum est confiteri Domino: *Confessio et magnificentia opus ejus*. Non enim aliquid boni, nisi ipso operante, fieri potest. Est autem quaedam confessio, non peccata deplorans, misericordiam tamen implorans. De qua per Psalmistam ex persona Domini dicitur: *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare meum* (*Psal.* 49). Hoc salutare, id est, Dominum Jesum, ore confiteor, et corde credo quod Deus illum suscitavit a mortuis. Hic omnes thesauros sapientiae et scientiae absconditos agnosco. Hunc Dominum Jesum nemo potest dicere, nisi in Spiritu Sancto. Ante illum est omne desiderium meum, et gemitus meus ab eo non est absconditus. Dixi, confitebor adversum me injustitias meas Domino,

* Digna sancti et sapientis viri in mortis articulo verba. Trinum confessionis genus.

Digitized by Google

quod est secundum genus confessionis, lamentabile in peccatis. Tertium, quod commendat beatus Jacobus Apostolus: Confitemini, inquiens, alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini. Hoc vobiscum domini et fratres mei, agere volo, hoc anxie quaero. Spero autem quod advocatum habemus apud patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. »

§ **34**. Deinde postquam his se coram Domino totum effùdit, corporis et sanguinis Dominici sacramentum, virtutis ejusdem sacramenti non inscius, expetivit. Quod cum fuisset allatum, vir ille Domini quid animo senserit, toto corpore prostratus ostendit. Refectus autem hac vitali alimoniâ, spe validior, lectulo restitutus est, dies postquam non minus, quam quinque, in eodem corporis languore et spiritus fervore permansit. Solemni vero die beatorum martyrum Gereonis et sociorum ejus jam vergente, subito mentis excessu raptus, Episcopis, Ducibus, Comitibus, et cunctis qui aderant, luctum movit ingentem, quia dissolutionem optatissimi corporis instare putabant praesentem. Ille, ut solebat paululum convalescens, tumultum manu sedabat, fletus et rugìtus astantium mitigabat, majores et hoc affatu ultimo digniores ex nomine vocabat, «Nolite, inquiens, nolite fratres, hac meâ sorte tristari. Divinae animadversionis judicio cunctis mortalibus imposita est ista conditio. Non licet nolle quod omnipotens sanxit inevitabile, tristibus istis in brevi laeta succedunt. Illuc non absumptâ vitâ, sed mutatâ in melius, pergo, ubi viros longe plures et clariores, quam hic unquam viderim, cito videbo.» Nec plura his locutus, lectulo fessa mox membra reposuit. Consuetum paulopost, luce adhuc integrâ, vespertinae laudis officium, nocte jam profunda Completorium ipse cum fratribus consummavit, Domino Deo suo sanctorumque ejus precibus sese quasi mox iturum attentius commendavit, iter suum magno illo viatico, sancto videlicet et unico redemptionis nostrae pignore, munivit, Episcopos, seipsumque et eos qui praesto erant, benedictione consignavit. Ita tremendam dissolutionis suae horam animo intento ad Creatoris sui imperium expectavit. Exin mediâ nocte transactâ, conversus nisu, quo poterat, ad Episcopum Theodoricum, nepotem suum, Domine, inquit, ora, et mox inter psallentes Domino et orantes, nimiumque flentes, spiritum exhalavit. Quod in illo non potuit mori, redditum est Creatori. Corpus autem ejus exanime, sicut ipse vivus praeceperat, eodem die, id est quinto Idus Octobris, indefessi ejus comites levatum in feretro transferentes, octavo postea die ad augustam sedis ejus metropolim Coloniam pervenerunt. Quorum adhuc nonnulli jurejurando et mirum in modum affirmando testantur, in illo longo itinere nullam pene lassitudinem aut laboris molestiam se sub tanto onere pertulisse. Unde autem ibant, quocumque ibant,

Digitized by Google

quascumque gentes, quascumque terras attigerant, omnes mirabiliter hujus, ut eorum verbis utar, digni Deo viri merita in rempublicam, in Imperatorem, in Reges, in principes, in omnem populum eximia, qua quisque facultate poterat, aestimabant.

§ **35**. Jam vero cum ejusmodi exequiae Coloniam adventarent, et hoc per omnem regni Lotarici populum fama nimis odiosa dispergeret, ita dissoluti sunt omnes, praesertim sanctissimae sedis illius et Ecclesiae alumni, quasi discessus tanti pastoris et obitus, ejusdem esset Ecclesiae funus. Nam secundum amplitudinem prioris consolationis, tunc invaluit vis et magnitudo doloris. Flebant igitur omnes, plerique donec in eis exiccarentur lacrymae: multi congelatis membris attoniti, in tanta orbitatis hujus miseria semetipsis vivere obliti sunt. Ante omnes luctu se lacrymisque, magis autem interno dolore cordis affecit qui hunc patrem patriae prae caeteris amavit, Folcmarus memorabilis probitatis et industriae Diaconus, ac prudens fidelisque hujus sanctae Ecclesiae protus et oeconomus, quo nomine eum ipse pater, ut puta vicarium suum, et sibi in omni negotio conjunctissimum, honorare consuevit. In quo solo tunc omnium desolatorum ora, oculi, et animi versabantur: quorum certe omnium voluntate atque desiderio jam electus, licet nondum designatus, fuerat praesul. Huic pater pius absenti, quod eum nosset ex nomine, res suas omnes egenis et ecclesiis Episcopii sui distribuendas, praescius (credo) futurae successionis, summo studio delegavit.

§ **36**. Est prope muros civitatis ecclesia, structurâ quidem et opere humilis, sed Apostolorum nomine, in quorum veneratione consecrata perhibetur, insignis. In ea depositum pastoris sui corpus exanime, sacerdotii velabant insignibus: quo paucis nisi Episcopis et quibusdam secundi ordinis sacerdotibus, patebat accessus. Inde mox elevatum, Clerus et populus cantum planctumque permixtum ingeminantes, in ecclesiam beatissimi Petri Apostolorum principis, ubi sedes erat venerabilis, detulerunt. Noctem illam celeberrime in vigiliis et psalmodiis, vix refocillatis corporibus, insomnem duxerunt. Mane autem facto, convenit universa civitas, et eorum qui de diversis provinciis et regnis subita famâ exterriti advenerunt, innumerabilis multitudo. Adfuit Trevirensis Archiepiscopus, et Leodiensis antistes. Processerunt in medium Episcopi Theodoricus et Wigfridus, testes ultimae sanctionis ejus et legationis, quam filiis suis ibidem Deo militantibus misit. Lectum est testamentum ejus in presbyterio venerabili, ante altare sanctissimi Petri: recensita sunt et ea quae pio quidem et solicito in Dei rebus animo rogavit et jussit, sed scribenda non censuit: videlicet ut anno illo toto per singulos dies numquam minus, quam libra denariorum integra, in usus pauperum erogari deberet. Deinde secundum postulationem et

Digitized by Google

desiderium cordis ejus, quo flagrabat in extremis suis, suasum est Clero sanctissimo, ut volenti animo corpus ejus transferri permitterent ad monasterium monachorum quod in honore sanctorum Pantaleonis, Cosmae et Damiani atque Quirini, extra urbis muros non solum tunc construxit, sed adhuc usque consilio et providentiâ sua construit, et ordinare non cessat, gubernante Deo insignia bonae voluntatis ejus per sanctorum merita: quorum illuc et reliquias advexit, et patrocinia sibi religiosa et sedula supplicatione providit. Assenserunt promptissima voluntate omnes ad omnia quae imperavit: solum illud difficillime persuasum est, ut de summo sacratissimae sedis ejus loco corpus abduceretur exanime. Lugebant quasi iterum destituti, non audentes post longam deliberationem, vel in hoc resistere ejus gloriosissimae voluntati.

§ **37**. Deductus est ergo pastor ab ovibus: dici non potest, quibus lamentis et questibus sepultus est in ecclesia beatorum martyrum, quartodecimo Calendas Novembris. Ubi usque hodie perspicue monstratur, quantus fuerit in oculis bonorum omnium. Quem posteaquam amiserunt, qualis fuerit, et boni et mali lucidius agnoverunt. Frequentant locum sepulturae ejus, certatim memorant quid fecerit, quid docuerit: qualis vixerit, qualis obierit. Modo pro illo orant, modo ut ipse pro se orare dignetur, rogant: signa non quaerunt, vitam attendunt, doctrinam rècolunt, futurum in eo aut sibi, aut posteris suis magnum aliquid pollicentur. Denique omnes ejus monimentis sicut olim per vivum, ita nunc per mortuum ad Dei laudem et gloriam excitantur.

Fundite corda preces, lacrymosas mittite voces:
  Ecce pater patriae conditus in silice.

Regia progenies, terras memoranda per omnes,
  Bruno pacificus, vir bonus atque pius.

Archos antistes, cui clara Colonia sedes,
  Visus erat cunctis charus ubique bonis.

Offendit tenebras lux vivacissima tetras,.
  Invida lingua tacet, laus modo vera placet.

Non fuit hic mundus tam raro munere dignus:
  Raptus ab hoc aevo, jam fruitur Domino.

Digitized by Google

VITA

B. JACOBI ALEMANNI DOMINICANI

AUCTORE JOANNE ANTONIO FLAMINIO

Anno obiit 1491. — Annos nat. 103.

§ 1. Ulma Germaniae civitas est. Hanc beati Jacobi patriam perhibent, cui Alemanno cognomentum est inditum, viro hac nostra aetate, religione ac vitae sanctitate memorabili. Ortum ex honesta familia duxit, patre Theodorico: qui quidem vitae integritate ac moribus sanctissimis, magnum filio adjumentum attulit, ut in talem evaderet qui non suae tantum familiae, verum etiam patriae ac religioni, in qua enituit, et praesenti seculo splendori atque ornamento esse posset. Patrem ipsum accepimus cibi ac potus fuisse parcissimi, ac magno in rebus omnibus per totum vitae cursum fuisse usum temperamento: quod maxime testatur vitae longitudo, nam centesimum ac tertium implesse annum memorant, corpore ita recto ac firmo, ut juvenum esse solent, ut nec baculo uti opus esset, nec exarmatas dentibus quae prima senescentium jactura esse consuevit, fauces haberet. Liberos suos utriusque sexus ad religionem praecipue instituebat. Quare frequenter ipse ad officia divina et conciones sacras adducebat, atque ita assuefaciebat, ut nihil facilius aut libentius agerent. Quae quidem tam diligens institutio quantam vim habuerit, vel ex beato Jacobo, cujus vitam scribimus, licet conjicere.

§ 2. Agebat is annum aetatis quintum atque vigesimum, cum coepit illum ingens visendae urbis Romae desiderium quod eam sciret esse Christianae religionis caput ac sedem, quam principes Apostolorum Petrus et Paulus suo martyrio consecrassent, et tot Christi athletarum certamina illustrem fecissent. Patrem igitur, quem mira pietate colebat, summis precibus oravit, ut se sineret eo proficisci. Aegre pater, nec sine multis lacrymis tandem permisit, ut iret; dolebat enim obsequentissimum filium a se divelli, ad tam longinqua loca tendentem. Tamen quod pia causa juvenis animum moverat, nec justis assensum votis denegandum arbitrabatur, exorabilem sese praebuit. Provolutus igitur ad genua patris, inter fratrum, sororum, ac propinquorum fletus, quibus ob eximias dotes erat charissimus, supplex petiit, ut sibi benediceret: et sic abiit. Initio Quadragesimae Romam pervenit, et priusquam alio diverteret, celeberrimum toto orbe divi Petri templum invisit. Ibi autem ad Dominicam resurrectionem

Digitized by Google

commoratus est, quo quidem tempore nullam neque intra, neque extra urbis muros aedem reliquit, quam non adierit, tanto fruens gaudio, quantum verbis consequi nemo posset. Post Dominicam resurrectionem cepit illum desiderium in regnum Siciliae proficisci. Venit igitur Neapolim. Tunc forte Rex Alphonsus bellum gerebat, sub quo militare decrevit. Credo divinitus factum, ut juvenis optimus militari commercio graviter flagitiis offensus, quae militiae maxime vigent, consilium salubre demum caperet, ut tutiorem vivendi rationem iniret.

§ 3. Ad eam igitur militiam admissus, moerère coepit, nihil de sanctis moribus, aut de pristina consuetudine sua remittens. Multa ibi videbat, quibus valde offendebatur. Quare occasionem demum inde abeundi ex re levi ac pene ridicula invenit: quam ipse jam senior factus, et monasticam degens vitam, narrare solebat. Mos est militibus, praecipue belli tempore, de rapto vivere, et frequenter praedas abigere, nec etiam amicis parcere: de quorum praediis solent equis pabula rapere, gallinas et alia exculenta aut vi, aut furto surripere. Iis graviter modestissimus juvenis et alieni abstinens offendebatur, et commilitones suos liberius increpabat. Illi autem deridere juvenem, et accusare tanquam superstitiosum. Et quia raptis nullo pacto velle uti animadvertebant, dolo eum circumvenère. Ingressi sunt in quodam oppido Judaeorum synagogam quidam ejus amici commilitones, et ex lampade quae ibi ante Mosis libros die noctuque ardebat, oleum vel surripuere, vel se surripuisse finxerunt: ex horto quodam brassicam (vulgo caules nuncupant) quam optime conditam illi horum omnium inscio apposuerunt. Cum autem ita simul vesceretur, et eo cibo valde delectari videretur, ridère convivae coeperunt. Quaerens ille quae tanti risus causa foret, audit brassicâ se vesci ex horto quodam surrepta quae oleo Judaicae lampadis condita esset. Non posset dici, quantopere sit ea re offensus. Tum demum decrevit prorsus militiam relinquere. Quare compositis rebus suis, et impetrata abeundi facultate, Capuam venit.

§ 4. Ibi nactus est Campanum civem, praeclarum virum, jurisconsultum et equitem. Qui ubi juvenem conspexit formâ praestanti, atque, ut ex clarâ indole et lineamentis oris colligebat, probum, miro illius desiderio tactus, et apud se retinere maxime cupiens, percontatus est, num in suo vellet contubernio residere. Annuit ille, et apud eum moratus est quinquennium tanta fide ac morum integritate, ut eum patronus aeque ac filium diligeret atque tractaret. Verum exacto jam quinquennio, immisit illi Deus ingens desiderium in patriam redeundi, et genitoris senioris memoria multo vehementius, quam antea, illum stimulare coepit ad reditum. Sciebat enim patrem jam esse admodum senem, putabatque ingenti videndi filii desiderio teneri, cujus discessum

Digitized by Google

aegerrime tulisset, seque jam tot annos procul a patria tanto terrarum spatio divisum abfuisse: rationem sibi patriae pietatis habendam. Cum igitur abire decrevisset, consilium patrono aperuit. Ille autem qui eum amaret ut filium, et cujus diu fidem eximiam expertus esset ac integritatem, non dici posset, quantum ea re turbatus fuerit: nec ullo pacto volens eum dimittere, ea coepit omnia dicere ac polliceri, quae possent abire volentem retinere, nisi certa illi fuisset abeundi sententia. Juvenis autem contra orare obtestarique, ut sibi justissimis de causis, quas afferebat, abire salva ejus gratiâ liceret. Sed nihil proficiebat, ille enim pertinaciter in proposito perstabat, et rogabat ne se desereret. Fluctuabat animus juvenis, et praeter modum angebatur quod intelligebat oportere se tandem clam discedere, neque enim impetrare poterat, ut libere discederet.

§ 5. Cum igitur hoc saepius, sed nequicquam, tentasset, demum vel invito patrono, sed furtim, abire decrevit. Observavit igitur opportunum ad id tempus, et relictis melioribus indumentis quae a patrono acceperat cum pecuniis, quas idem illi persolverat, et resumptis vestibus atque pecuniis, quas secum ipse attulerat, habitâ prius ante Christi effigiem, quam in cubiculo habebat, diligenti oratione, ut propitio numine discederet, abiit. Tandem Bononiam pervenit, et ingressus divi Petronii celeberrimum templum quod in ipso civitatis foro est amplissimum, oravit, ac Deo gratias egit quod sospes eo pervenisset. Erat illi in animo, in Germaniam reverti ad genitorem, sed rem Deus aliter instituerat. Namque in ea urbe quidam ex comitibus qui cum eo venerant, hortati sunt, ut stipendia ibi faceret, et sub quodam Thoma Tartario militaret. Conditionem igitur accepit, atque in ea urbe remansit. Incredibili autem voluptate afficiebatur, cum tot ibi fratrum collegia cerneret: quorum loca quotidie frequentabat, praecipueque divi Dominici templum, ubi maxime versabatur, tanquam quod erat futurum, praesagiret. Ita paulatim et patris et patriae oblitus est, nec jam aliud quidquam cupiebat quam in eo monasterio vitam agere.

§ 6. Tali igitur incensus desiderio die quadam, ubi illuxit, ad aedem divi Dominici venit, suum consilium cum eo communicaturus qui primus factus esset obvius, et facturus quicquid ille consuluisset. Forte fortunâ opportune admodum incidit in ipsum monasterii praefectum Nicolaum Carbonellum Catalanum, concionatorem eximium. Ad cujus genua provolutus, rogavit ut sibi, cupienti maxime Deo famulari, consilium et opem afferret. Attulit ille continuo salutare consilium, et facunda oratione quae ex illius ore divinitus manabat, accensum jam per se juvenis animum sic inflammavit, ut sublata omni morâ, petierit in consortium Praedicatorum admitti: quod postero die consecutus est. Erat beatus Jacobus literis mediocriter eruditus, et annum

Digitized by Google

agebat quartum atque trigesimum, quando monasticam vitam ingressus est. Qui cum inter alias animi plurimas dotes praecipue mitis ac mansuetus esset, consistere in humillimo gradu voluit, et ex eorum esse grege qui Conversi vulgo nuncupantur. Sed exceptus est mira omnium laetitiâ, quasi praesagientium, qualis quantusque juvenis ille evasurus esset, nec quicquam fefellit opinio. Siquidem continuo totum se Deo tradidit, nec quicquam omisit, quod ad verum illius cultorem pertineret. Magistro tyrònum, quos novitios appellant, praecipue vacabat: quem frequenter supplex orabat, ut se instrueret, ac ea doceret quae sibi praecepta religionis ac instituta patrum panderent. Quo stùdio atque solertiâ brevi mire profècit, charusque omnibus et admirabilis esse coepit.

§ 7. Adeo autem mitis, adeo mansuetus erat, ut cum omnibus sanctior esset, omnibus se deteriorem putaret: quae res tum maxime patuit, cum decurso jam anno, de patrum judicio ac voluntate dubitavit. Nam ad genua singulorum provolùtus, rogabat ne suis offensi criminibus, a suo contubernio et societate se repellerent. Verba autem illa, quibus uti profitentes initam vitam solent, adeo tenaciter menti illius adhaeserant, ut nulla diei elaberetur hora, in qua eorum non reminisceretur. Quae autem profitendo promiserat, tam exacte, tamque constanter servabat, ut mirabile omnibus obedientiae, paupertatis ac patientiae exemplum foret *. Pudicitiam usque ad exitum vitae servavit, ut nihil illo purius ac mundius conspiceretur. Nam praeterquam quod suum corpusculum asperrime dormitabat, vigiliis quoque, orationibus, jejuniis et aliis multis macerabat modis: oculos suos diligentissime custodiebat, ne quid intueretur quod ad libidinem provocaret, atque ob eam rem numquam otiosus erat. Numquam illum sine negotio dies, numquam nox inveniebat. Quod si quando egredi in publicum cogebatur, impense Deum rogabat, ut se custodiret, et suos averteret oculos, ne vanitatem cernerent, quod sciebat solere per fenestras mortem ingredi. Quod si quando vestigium aliquod forte libidinum excitabatur, continuo Christi cruciatus inenarrabiles ad memoriam revocabat: quo quidem tanquam subito imbre, illud quicquid erat incendii restinguebatur.

§ 8. Sed inter plurimas virtutes, quibus excellebat, praecipua erat obedientia **. Recordabatur enim semper Christum usque ad mortem factum esse obedientem. Quae res quidem adeo promptum reddebat illum ad parendum, ut saepissime jussa praeveniret, et nondum bene auditis quae sibi mandabantur, tanquam audivisset, illa continuo exequi festinaret. Afferam hujusce virtutis memorabile exemplum. Praefectus monasterii Michaël

* Qua diligentiâ pudicitiam servarit.
** Quantâ claruerit obedientiâ.

Digitized by Google

Holandinus, per monasterium ducebat magnum quemdam antistitem. Incidit forte in beatum Jacobum, et conversus ad praesulem: Vides ne hunc? inquit. Mira vitae integritate inter nos effulget, in quo praecipua virtutum enitet obedientia. Hujus rei mox, si velis, periculum faciam. Annuit praesul. Praefectus igitur accersito ad se beato Jacobo. «Fili, inquit, opus est, ut sublatâ omni morâ, usque in Galliam te ad Parisinam urbem conferas magni enim momenti literae tibi eo sunt perferendae» Laetus ille, repente: «Praesto adsum, pater, inquit. Sed licet ne statim me in cubiculum meum tendere, ut baculum ac pileum sumam?» Stupuit antistes ille, nec satis mirari poterat incredibilem in re tanti momenti promptitudinem. Civis quidam Bononiensis aliquot ex coenobitis divi Dominici ad villam urbi propinquam invitaverat, praecipueque rogaverat, ut beatum Jacobum secum adducerent. Profecti igitur, cum jam pransi essent, unus, ex patribus qui primum ibi locum tenebat, ut summae illius obedientiae periculum faceret, jussit ut acceptâ fundâ (est autem id rete) ad propinquum Rhenum iret piscatum. Paruit ille continuo, et uno jactu mirandam pisciculorum vim cepit, ita ut omnes obstupescerent, sed id cuncti illius obedientiae adscripserunt. Quemadmodum cum praefectus monasterii quadam die illi jussisset, ut ad quaerendum panem festinaret. Nam tum forte quamdam in vitro effigiem pulcherrimam pinxerat (vitreas enim fenestras optime concinnabat), et ut colores vitro tenacius inhaerèrent, in parvo furno ex more posuerat: quae res ejus praesentiâ maxime indigebat. Attamen potius esse parendum suo praefecto ratus, sacculum arripuit, et ad mendicandum panem sese contulit. Reversus post multas horas, tam bene decoctos in pictura colores offendit, ut numquam alias melius illi ars successerit *.

§ 9. Erat admirabilis quoque in eo charitas. Nihil putabat antiquius, quam praecipue aegrotantibus in monasterio inservire: qui quidem illius praesentiâ et ministerio ita recreabantur, ut non dubitarent se mox omni aegritudine levandos: et certe plerique levabantur. Quod si qui forte obibant, et ipse eos ex more lavabat, et propriis humeris efferebat. Quare ea resèdit in animis hominum opinio, ut minime dubitent nunc vitâ functum facile aegrotantibus, si invocetur, adfuturum, quod tam promptam operam quolibet morbo laborantibus vivens exhibebat. Id ita esse, multis quidem exemplis postmodum comprobabimus. Ad hanc vero eximiam virtutem amplexandam lenissimis verbis et efficacissimis assidue alios hortabatur, eratque ipse praeclarum omnibus specimen et exemplar. Solus deinde orationi et contemplationi totus erat intentus, Deumque assidue pro vivis omnibus atque defunctis precabatur. Frequenter primus omnium ad nocturnum officium surgebat: quod ubi celebratum erat, angulum

* Hinc jure ab artificibus imprimendorum vitro colorum Patronus electus fuit et colitur.

Digitized by Google

quempiam remotiorem ac secretiorem deligebat. Ibi totus mente et corpore Deo vacabat. Nullus autem elabebatur dies, in quo praecipue Christi gesta non recenseret, et multis cum lacrymis diros ejus cruciatus acerbissimamque mortem repeteret. Cum vero jam multum orasset, et finem faceret, illum denique dicere solebat: « Gloria tibi, Domine, qui natus es de Virgine: succurre mihi hodie, cum Patre et Sancto Spiritu in sempiterna secula, Amen.» Et ad gloriosam Virginem, quam praecipuo cultu venerabatur, conversus, ajebat: « Ave Regina coelorum, pro salute mea et omnium fidelium. » Deinde ad sanctos omnes sese convertens, dicere solebat: « Sancti Dei omnes, etc. » Postea vero ad omnes ecclesiae aras accedebat, ibique a beata Virgine incipiens, orabat. Cum vero jam illucesceret, totum officium suum horarium usque ad vespertinum celebrabat: et ubi sacris altaris, quam Missam dicimus, semel aut saepius, prout dabatur, interfuerat, ad opera manuum, quorum pene in omni genere monasterio erat utilissimus, revertebatur, ut sic divinis functus, paratior esset ac expeditior, si quid sibi agendum mandaretur. Sed nullam orationem suaviorem sibi ac jucundiorem promebat, quam Dominicam. Tunc enim putabat sibi os melle ac omni nectare compleri.

§ **10**. Semper autem sancti aliquid, ubi finem orandi fecerat, meditabatur, nec ullum sinebat tempus èlabi vacuum: habebatque illud frequens in ore: « Qui non laborat, non manducet *,» et insuper illud addebat: « Multa mala docuit otiositas. » Taciturnitatis vero tantus erat cultor, ut nunquam, nisi usus exigeret, loqueretur. Sed et patientiae atque constantiae memorabile erat exemplum. Tres gravissimas aegritudines passus est, quas intensi dolores exacerbabant. Eas tamen ita dissimulavit, adeoque patienter tulit, ut nunquam a consuetis actionibus fuerit retractatus, nec alicui, quae pateretur, prodiderit. Erat praeterea mire affabilis, placidus omnibus, salva gravitate, charus atque amabilis, ac plurimarum virtutum splendore monstrabilis. Quâ famâ impulsus illustris princeps Calabriae Dux, qui postea Alphonsus secundus Siciliae Rex fuit, cum Bononiam profectus, divi Dominici sepulcrum viseret, beatum etiam Jacobum videre voluit: quem nunquam antea sibi visum, ubi cum multis aliis coenobitis ad se venientem conspexit, statim cognovit, et honorifice salutavit, et amplexus est ac rogavit, ut pro se Deum precaretur, ut posset incolumis in patriam et ad genitorem suum reverti: et factus est voti compos. Ad tantum autem sanctitatis gradum evaserat, ut coelesti circumfusum luce orantem noctu multi viderint. Infestum quidem per omne tempus daemonem habuit: sed ejus dolos, hucusque latentes expertus est: deinceps

* Quoties haec esset et memoranda sententia et poena infligenda! Sed minus plerumque operosi ventri magis serviunt, alienorumque laborum fructus copiosius dèvorant.

Digitized by Google

vero aperto Marte multa cum eo certamina habuit. Nam fustibus saepe orantem cecìdit, et aliis mille vexavit modis: semper tamen athleta fortissimus victor evasit. Mirifice post discessum daemonum coelesti luce, quam diximus, recreabatur, et voce Angelica. Adhortans enim de coelo missus Angelus, sic eum alloquebatur: « Serve Dei, esto fidelis usque ad mortem. Expecta Dominum: viriliter age, et confortetur cor tuum. Ingentia sunt enim, quae tibi pro parvo labore atque certamine praemia proponuntur. Ita melior in dies et sanctior fiebat. »

§ 11. Die quodam conatus est daemon illum ab oratione retrahere. Orabat autem ad aram divi Vincentii post Completorium. Venit igitur hostis antiquus in veste conscissa, et ad pudenda usque subducta, unicum habens in fronte ut Cyclops oculum. Ubi vero illum beatus Jacobus aspexit, signo se salutiferae Crucis armavit, et statim daemon evanuit. Nocte autem quadam post celebratum nocturnum officium, cum ad aram beati Antonii, quod remotior erat et obscurior, orandi causâ se recepisset, daemonum caterva specie laetantium cum tripudio ingenti ad eum venit. Miratus ipse tantam in eis laetitiam, audacter ad se vocatos per sacrosanctum Jesu Christi nomen jussit, ut sibi tantae laetitiae causam promerent: putabat enim, quod erat, eos vel patrasse ingens aliquod malum, vel quod mox patrandum foret, tantopere laetari: nec eum fefellit opinio. Responderunt igitur, se idcirco adeo laetos esse, quod postero die civium seditione ingens strages edenda esset. Quod ubi beatus Jacobus accepit, continuo ad Deum conversus, multis cum lacrymis civium pacem ab eo impetravit et urbis tranquillitatem. Cumque ab oratione surrexisset, et cubiculum suum esset ingressus, quieturus aliquantulum, ingentem ibi offendit teterrimorum corvorum multitudinem, crocitantium, et unguibus ac rostris sese impetentium. Ille vero signo se Crucis repente munivit, et dixit: « Deus in adjutorium meum intende: » quibus verbis foedissimae àlites continuo evanuerunt. Sed quo magis illum daemones infestabant, et oppugnare conabantur, tanto illum ad certamina fortiorem et alacriorem Deus reddebat.

§ 12. Raptum illum aliquando in coelum Pauli more, accepimus. Nam cum se die quadam orationi dedisset, sensit continuo sese auferri, et tanquam cadaver corpus suum relinqui. Putavit autem sese in quemdam amoenissimum locum esse perductum, ubi ex variorum florum aspectu et odore incredibilem voluptatem caperet. Ibi se mirificos audisse concentus, et omnia quae ad explendam voluptatem pertinerent uberrime fuisse. Ingressus est eo forte momento temporis, illius cubiculum ex coenobitis quidam, qui ubi jacentem ac veluti mortuum vidit, exclamavit continuo, et rem Praefecto monasterii trepidus nuntiavit. Accurrit ille cum caterva fratrum: qui eum statim, ut mos

est, confricare coeperunt, et aquam in faciem jàcere, et omnia experiri, quae circa exanimatos fieri solent. Resipuit ille tandem velut ex gravi quodam sopore excitatus, et conquestus est graviter, quod se incredibili suavitate ac voluptate privassent.

§ 13. Prodigiis multis claruit adhuc vivus, e quorum numero quaedam referam. Quidam Bononiensis sacerdos optimus, cui Jeronymo Aviolo nomen fuit, beato Jacobo familiaris et charus admodum erat. Is forte in gravem incidit valetudinem, ut minima de ejus salute spes esset. Misit ille, qui beatum Jacobum ad se perducerent. Venit continuo, ut erat benignus omnibus et expositus. Cumque se mutuo salutassent, et dulci colloquio paulum se recreassent, rogavit beatus Jacobus, ut omnes cubiculum egrederentur. Quod ubi factum est, continuo coepit orare, ac pro salute sui familiaris precari. Mox assurgens, a capite aegrotantis ad pedes dexteram suam leniter duxit. Miram rem afferam. Prout manum per corpus ducebat, ita repente ex illis partibus fugabatur morbus, ut subsecuta sit sanitas. Ejusdem sacerdotis soror graviter aegrotavit: speravit eamdem opem, quam in fratre fuerat experta. Igitur ad se accìtum rogavit, ut suis apud Deum precibus sibi adjumento esset. Ille vero habita brevi oratione, frontem aegrotantis Cruce signavit, et sospitem extemplo reddidit.

§ 14. Venio nunc ad ejus felicem obitum. Annos erat natus quatuor et octoginta beatus Jacobus, cum in valetudinem incidit, quae illi suprema fuit. Intelligens ipse finem advenisse suae vitae, vocavit ad sese illum, cui aegrotantium cura commissa erat, et ait: « Ego, frater, *jam delibor, et tempus meae resolutionis instat.* Proin rogo te, huc voces insignem doctrinâ et religionem virum magistrum Vincentium Castronovensem, monasterii hujus Praefectum, cui delicta mea generaliter confiteri volo.» Quod ubi fecit, et plenam remissionem ex more assecutus est, accessit ad eum ex coenobitis unus, cui Dionysio fuit nomen, cui intestina fluebant, spei ac fiduciae plenus, et ait: «Dilecte frater, tu quidem ad patriam pròperas, ego autem atroci morbo hic crucior: nec cantare possum, nec concionari. Sed te per Deum rogo, ad quem tendis, ut cum illi junctus fueris, memineris mei, ac tuis precibus hanc a me molestiam depellas:» qui se quidem id facturum spopondit. Cum autem ad ultimum devenisset, priusquam expiraret, ipse sibi manus decenter et pedes composuit, et ita felicem efflavit animam. Continuo autem color, qui morienti, ut solet, abierat, et vultus quaedam hilaritas, et per totum corpus candor eximius rediit, et claritas admirabilis, ut nulli dubium esset, quin recta in coelum migrasset. Is autem, cui intestina, sicut modo dixi, fluebant, quique illius opem paulo ante petierat, accèdens ad ejus cadaver, et multo cum fletu amplexatus, coepit promissa reposcere, et rogare ut sui

Digitized by Google

memor esset. Nec promissam ille opem distulit: nam priusquam inde abscederet, sese diro prorsus liberatum morbo sensit. Obiit autem beatus Jacobus anno ab adventu Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, quinto Idus Octobris (*a*).

§ **15**. Statim autem per totam urbem visa est vox divinitus diffundi, quae cunctos moneret, ut si sanctum virum, qui obisset, cernere vellent, continuo ad aedem divi Dominici concurrerent. Repente autem tota confluxit civitas, seque felicem putabat, quicumque sacrum cadaver posset contingere. Puellus ibi annorum trium, qui nec firmis adhuc gressibus consistere, nec loqui poterat, per confertam multitudinem, et per medios psallentes patres ad sanctum cadaver divinitus evasit: cumque illud tetigisset, stupentibus omnibus, et firmiter gradi, et recte loqui coepit: domumque profectus stupentem novitate rei matrem admonuit, ut ad aedem divi Dominici properaret, et sancti viri corpus viseret mox sepeliendum. Praefectus vero monasterii cum caeteris patribus, cum eum sepulturi essent, communi sententiâ diverso in loco sepelire decreverunt, ne caeteris commisceretur cadaveribus: cum sic multorum, qui cum sanctitatis opinione decessissent, permixtione et confusione cadaverum, memoria periisset. Separatim igitur eum in loco tumularunt, quod parvum Capitulum appellant: nec ibi diu perstitit. Nam cum incredibilis quotidie magis fieret ad ejus sepulcrum populi concursus utriusque sexus, et insolitum esset ac indecens, foeminas ad eam partem monasterii ingredi, ubi sepultus erat: necesse fuit post diem octavum, permittente id Bononiensi Antistite, in ecclesiam transferre, et ad aram divi Thomae sepelire, sic integrum et incorruptum, ac si tunc primum expirasset. Ubi vero sepultus fuit, pene infinita secuta sunt prodigia, quorum partem aliquam commemorabimus.

§ **16**. Quidam Bononiensis mercator filium habebat infantem, utpote anniculum: qui cum gravissime aegrotasset, expirasse putabatur: nullum enim in eo vitae signum apparebat. Parentes igitur moestissimi, confugientes ad opem beati Jacobi, cujus modo extincti fama sanctitatis erat celebris, voverunt, si puer revixisset, beati se Jacobi, hoc est, Praedicatorum vestitu illum induturos. Continuo igitur oculos infans aperuit, atque convaluit: tabèllaque ad sepulcrum beati Jacobi appensa est, cum inscriptione tali: Hic puer extinctus erat, sed meritis beati Jacobi revixit. Mulier quaedam desperatâ jam salute, et sacro inuncta oleo Christiano more, mox animam exhalatura videbatur. Propinqui ejus, beati Jacobi opem implorarunt, et mira res continuo secuta est. Nam quae loqui pauloante non poterat, caput extulit: et, Deo, inquit, gratias ago, qui beati Jacobi meritis me a morte revocavit. Vir clarus vitâ, literis et religione Jeronymus

(*a*) Virtutibus, sanctitate, miraculis rite recognitis, Leo Pp. XII hunc Beatorum cultu insignivit.

Digitized by Google

Bononiensis, ex divi Dominici Praedicatoribus, forte concionabatur, et beati Jacobi sanctitatem et prodigia multa, quae ad merita illius testanda quotidie Deus edebat, quibus aequum erat laudibus efferebat. Aderat concionanti Bononiensis quidam civis, qui filium domi reliquerat gravissime aegrotantem. Is accensus talibus, atque in magnam spem arrectus, Deum rogare coepit, ut beati Jacobi meritis praesenti aegritudine puerum suum liberaret. Factus est continuo voti compos, et postero die sospes cum patre epulatus est.

§ **17**. Bononiensis matrona legerat ad idem sepulcrum in tabella, quemdam monachum vehementissimâ febre beati Jacobi meritis esse liberatum. Haec sororem habebat, jam tres menses tertianâ et ingenti dolore capitis laborantem. Invocavit illa beati Jacobi pro sorore auxilium, et statim convaluit. Alia quoque matrona, centesimum transgressa annum, diro et pudendo morbo laborabat: tacto illius sepulcro, liberata est. In eadem civitate puella dolore gravi, qui totum corpus invaserat, jam quatuor menses laboraverat. Magnâ fiduciâ impetrandi, ejus opem imploravit, et consecuta est. Nam statim absque ullius adminiculo surrexit e lectulo, et die postero ejus sepulcrum invisit. Paulus etiam Boëmus, Ordinis Praedic., Bononiae studens, et ipse gravissima febre laborabat, futura judicio medicorum, diuturna. Dolorem praeterea capitis jam novem annis patiebatur. Is ad beati Jacòbi opem confugit, et extemplo utràque molestiâ liberatus est. Vincentius Soncinensis in eodem monasterio ex eorum numero, qui Conversi dicuntur, familiaris admodum beato Jacobo fuerat, et morientem in suo gremio foverat. Is forte in gravissimam febrem inciderat, adeo ut se non posse diutius vivere putaret. Beatum Jacobum precatus est, ut sibi adjumento esset, et extemplo affuit. Quidam ex agro Bononiensi, cui Magacaro fuit nomen, et ipse graviter febricitans, beati Jacobi auxilium invocans, ait: « Si vera sunt, quae de tua sanctitate praedicantur, et ad opem ferendam implorantibus tam facilem te, sicut audio, exhibes, mihi quoque, precor, subveni.» Non fuere spes ac preces illius irritae: nam continuo febris eum reliquit. Nobilis matrona Bononiensis, gravi terrore perculsa, ita exhorruerat, ut membra omnia contracta essent. Venit illi in mentem beatus Jacobus, et ejus opem rogavit, et mox pristinae valetudini restituta est.

§ **18**. Verum non Bononiae solum, sed etiam in remotis Italiae civitatibus claruit miraculis. Nam et Mediolani uxor ejus quem justitiae ducem vocant, cum jam tres annos contracta habuisset crura, auditâ beati Jacobi famâ, quae jam celebris in plerisque Italiae locis erat, illius opem imploravit, et mox sanata est. Et in Venetis, Murani quidam presbyter in aede divi Petri martyris depictam nuper effigiem attentius intuebatur:

Digitized by Google

cumque perquisisset, cujusnam esset, audivit esse beati Jacobi, Bononiae nuper extincti, admirabili sanctitate viri. cujus meritis multa prodigia Deus èderet. Is jam multis annis ingenti dolore capitis laboraverat, tanto quidem, ut saepe suspicaretur, ne mentem amitteret. Igitur spei plenus et fidei, beatum Jacobum precatus est, ut sibi adjumento esset. Adfuit ille, ac diuturna valetudine supplicem suum liberavit. Dionysius quidam Lucensis filium habebat Bononiae graviter aegrotantem, ut de ejus salute medici desperarent. Ad sepulcrum beati Jacobi accessit, et filium illi suum commendavit. Quem domum reversus, incòlumem rèperit, et cum ingenti gaudio ad aedem divi Dominici rediens, et magna voce Deum laudans, multis audientibus impetratam opem testatus est.

§ **19**. Puella Antonii tonsoris in eàdem civitate vitam monasticam in monasterio divae Agnetis agens, jam tribus annis gravem capitis dolorem passa fuerat. Beati Jacobi opem imploravit, et sanata est. Nobilis in eàdem civitate matrona, jam duos dies partus doloribus cum magno vitae discrimine vexata fuerat. Hortantibus obstetricibus, ut beatum Jacobum invocaret, quanta potuit voce imploravit, et exaudita est. Eamdem opem in simili discrimine plebejae mulieri attulit, et Calcaresio civi Bononiensi, qui captus oculis, nihil cernebat, visum restituit: et Mutinensi cuidam, qui tanti beneficii memor, argenteos oculos ipsemet ad ejus sepulcrum Bononiam pertulit: et cuidam calcis artifici, qui oculum ita calce oppleverat, ut per multos dies nihil inde prorsus cerneret. Is enim ad beati Jacobi sepulcrum profectus, priusquam templum ingrederetur, depulsis tenebris, visum recepit. Ancilla cujusdam matronae Bononiensis, brachium diu invalidum ac inutile habuerat. Accessit ad ejus tumulum, et brachio tetigit: momento temporis pristinum robur recuperavit. Quidam Bononiensis aromatarius, diuturnum in lingua morbum passus fuerat, sic ut difficillime et cum magno cruciatu cibum caperet. Vovit is argenteam beato Jacobo linguam, si dirus ejus suffragio morbus a se depelleretur. Mox liberatus est, et eodem die, quod voverat, persolvit.

§ **20**. Anno millesimo quingentesimo, mense Februario, vir quidam hydropicus ad idem sepulcrum cum uxore venit, ut ibi vota persolveret: qui affirmabat se implorata beati Jacobi ope, quatridui spatio, diro et exitiali morbo sanatum. Finem profecto non inveniam si cuncta persequi velim. Sed haec, ni fallor, satis esse videri possunt, quae viri tanti apud Deum merita et sanctitatem eximiam abunde testari queant.

Digitized by Google

VITA S. LEBUINI PRESBYTERI

SCRIPTA AB HUCBALDO ELNONENSI MONACHO. EXTAT IN ANTIQUIS MSS. EXEMPLARIBUS, MULTUMQUE COMMENDATUR A PETRO ARCHIDIACONO CAMERACENSI.

Floruit saeculo VIII. — Saxonâ gente Britannus.

§ 1. Dominus noster Jesus Christus propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos in secula seculorum, non solum pro nobis, sed etiam ex nobis factus homo, verus et perfectus idem Deus, Rex noster ante secula, cum per passionem Crucis, resurrectionemque a mortuis, secundum nomen suum operatus esset salutem nostram in medio terrae, consummato divini mysterii opere, quod absconditum fuit a seculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis suis, quibus voluit notas facere divitias sacramenti hujus, ascendens in altum, captivam duxit captivitatem et ut ait Apostolus, dedit gratiam unicuique fidelium Ecclesiae secundum mensuram donationis suae, alios Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios pastores constituens et doctores. Inter quae innumera ejus beneficia, quae ipse largus dator per universa terrarum diffùdit spatia, in Francorum quoque Saxonumque de coelo prospexit patrias: quibus salvandis et lege ejus imbuendis, atque in perseverantia boni operis confirmandis, post clara plurimorum lumina doctorum, quae idem Sol justitiae, ut Occidentis depellerent tenebras, proprio irradiaverat fulgore, ut et ipsi lux essent hujus mundi: unum quoque sidus eximium, jam pene advesperascente istius seculi die, sui splendoris gratiâ perfusum copiosissime, ad eorum illuminationem dignatus est pròmere, Lebuinum videlicet charum sibi amicum, juxta idioma nominis sibi optime congruentis. Fertur enim a suae perìtis linguae, quod Liefwyn patriotice sit vocatus, quod Romanis sonat, *charus amicus*. Demptis vero vel demutatis ad Latinitatem quibusdam literis, dictus est Lebuinus. Sed ecce quam dignitate plenum istius vocabuli praesagium, dum quod futurus erat opere, jam ejus praesignatum est nomine. Si enim quaeratur, cujus vir iste extiterit amicus, nequaquam mundanorum, vel mundi istius, cui non solum fuit inimicus, sed etiam crucifixus, sicut docet Apostolus, Qui voluerit amicus esse hujus seculi, inimicus Dei constituitur: sed potius mundi conditoris servus quidam fidelissimus: inter eos vero qui audire meruerunt: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos*, merito suae servitutis connumeratus. Nec ab re cuiquam videatur, quod nominis istius interpretatio a

Digitized by Google

nobis studiose perquiritur. Novimus denique, quibusdam patribus etiam ante conceptionem indita fuisse vocabula, quisbusdam postea immutata quae ex propriis causis aut praecedentibus, aut futuris, constat illis fuisse competentia. Quae et ideo sacra nobis tam solerter dènotat Scriptura cum patenter innuat, non modo in istis, sed et in aliis quibusdam sanctorum nominibus, quae nobis sint animadvertenda. Satis enim talium ìndicant acta vel dicta, quid eorum praesignaverint nomina. Unde sicut intelligi datur et hic vir sanctus quodam praesagio futurorum tale nomen est sortitus, ut linguâ patria vocaretur: *Dei charus amicus*. Haec satis dicta de nomine ipsius: jam nunc ad ejus gesta, Deo bonisque placita hominibus, licet humilis noster decurrat stylus.

§ 2. In salo quidem reposita, nobilis tamen vulgàtaque Britannia Oceani insula *, interfuso mari a toto orbe divisa, inter Septentrionem et Occasum sita, a vocabulo suae gentis cognominata. In ea multa et magna flumina, fontes calidi, metallorum larga et varia copia, achates lapis ibi plurimus et margaritae: cui àdjacet Scotia sive Hybernia. Sunt vero ibi populi multi, Britones, Saxones, Picti, Angli. Haec animalium messiumque ferax ubere fertili, diu dedita erat idolorum cultui. Postquam vero venit predestinatum a Deo tempus miserendi ejus, sicut in laudabilibus viri eloquentissimi Gregorii Papae gestis lègimus, data sibi occasione inspiravit Deus cordi illius, ut quoniam ipse dicebatur vir Apostolicus, illique commissum erat de omnibus, istius specialiter gentis fieret Apostolus. Quod pastoralis curae officium quam studiose fuerit ab eo administratum atque peractum, cooperante gratia Dei coelitus, nos sigillatim referre supersedemus: quoniam in libello vitae ipsius ter beati Pontificis Gregorii, satis propalatum recòlimus. Hoc tantum sufficiat commemorasse, quoniam directi ab ipso fortes et fideles agricolae, excoluerunt optimi cordis terram strenue bene polito linguae suae vomere, sparsimque dilatato divini verbi semine. Ac ne forte duplici deperiret laesione, et malarum cogitationum trito calle, et vòlucrum spiritualium nequitiae comestione, tutari studuerunt solicite. Insuper ne cito exortum semen propter duritiam petrae, hoc est, mentis indomitae, vel propter aestum tentationum posset arescere, irrigaverunt illud indeficiente sanctae charitatis humore. Ad postremum ubi fuerit necesse, extirpato spinarum, id est, divitiarum quas nunc solicitudo, nunc voluptas comitatur, angòre, gavisi sunt bonam terram suo labori respondisse et uberrimos fructus edidisse, scilicet trigesimum in casto conjugii foedere, sexagesimum in non parvo sufferentiae continentium labore, centesimum in perceptione virginalis coronae. Cujus seminis ac messis intantum excrèvit cumulus, ut non modo indìgenas illius

* **Majoris Britanniae situs — quae ejus feracitas — quo Pontifice Evangelii lumen susceperit — quos uberrimos protulerit sanctitatis fructus**

Digitized by Google

patriae satiaret, verum quoque exterarum regionum famelicos pasceret. Quis enim queat explicare, quot lumina doctorum, verbis et exemplis perfectorum prodierunt inde? Quos nostra gaudet Francia se ut veros Christi Apostolos hospitio gratanter recepisse, alimoniis abundanter refovisse, rebus ac facultatibus honorabiliter munerasse, praedicantes libenter audisse, magisque monentibus se salubriter obedisse: necnon et beatas sanctorum corporum exuvias se laetatur hactenus ad suorum patrocinium veneranter custodire, sperantes pro his omnibus se partem habituros cum eis in aeterna beatitudine. De quorum sanctissimo fulsit collegio sanctus Lebuinus *, ex praefata Anglorum patria oriundus, ab ipsis quoque pueritiae crepundiis, exercitiis Deum colendi deditus. Jam enim praetendebat morum conatibus, qualis piis futurus esset actibus: ut patenter daretur intelligi, hunc verum Dei cultorem fore qui in lege ejus meditaretur die ac nocte, sicut et Salomon in Proverbiis generali sententiâ promit de talibus: Ex studiis suis intelligitur puer, si recta sint et munda opera ejus.

§ 3. Hinc liberalibus, ac potius sacris, traditus studiis literarum, inhians, ut ait Scriptura, ad sciendam sapientiam, ad intelligendum verba prudentiae et suscipiendam eruditionem doctrinae, justitiam et judicium et aequitatem: ut sibi parvulo daretur astutia, adolescenti scientia et intellectus: vigilabat ad fores sapientiae quotidie, observans ad postes ostii ejus. Cumque eos extereret assidue, optabat ut veniret in se spiritus sapientiae, deprecatusque Deum ex totis praecordiis, dixit: Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam: mitte illam de coelis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te. Haec eo saepius deprecante, occurrit ei ipsa quae circuit quaerens dignos se, et ostendit se illi hilariter et obviavit illi quasi mater honorificata, stans in summis excelsisque verticibus, in mediis semitis juxta portas civitatis in ipsis foribus. Erat autem, ut jam ante nos per quemdam sui amatorem de ea dictum est, reverendi admodum vultus, oculis ardentibus et ultra communem hominum valentiam perspicacibus, colore vivido, atque inexhausti vigoris: quatenus ita aevi plena foret, ut nullo modo nostrae crederetur aetatis, statura discretionis ambiguae. Nam nunc quidem ad communem se hominum mensuram cohibebat: nunc vero pulsare coelum summi verticis cacumine videbatur. Quae cum altius caput extulisset, ipsum etiam coelum penetrabat, respicientiumque hominum frustrabatur intuitum. Haec aedificaverat sibi domum, ubi exciderat sibi columnas septem: atque immolans victimas suas, miscuit vinum et posuit mensam suam, misitque ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad moenia

* Juxta nominis originem, et patriis ejus sermonis indolem, scribendus foret *Lebwinus*.

Digitized by Google

civitatis, dicens : Si quis est parvulus, veniat ad me; itemque insipientibus: Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam et venite et ambulate per vias prudentiae. Tunc inter numerosos copiosae plebis auditores placido vultu respiciens humilem Lebuinum quem ante secula praescierat et praedestinaverat fore sibi charum amicum, voce amicabili affata est illum : Ego, inquit, diligentes me diligo, et qui mane vigilaverint ad me, invenient me. Principium me adipiscendi, timor Domini: intellectus bonus omnibus facientibus eum. Haec aure audiendi audiens sanctus vir Lebuinus, exultavit in Domino cor ejus et dixit: *Ego servus tuus et filius ancillae tuae. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis injustitia. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Ecce concupivi mandata tua, in aequitate tua vivifica me* (*Psalm.* 118). Exinde oleo laetitiae perfusus ab ea, proficiebat de die in diem amicitiae ejus gratia. Et ne quis forte putet, postposita rerum gestarum serie, nos quaedam veluti fabulosa ac frivola, ut iste beatus vir ad notitiam semitarum sapientiae, ejusque agnitionem contenderit, commentatos esse: si sobrius lector vel auditor extiterit, volumus pro certo noverit, haud aliter cuique inerrato viandum esse, ut ipsius desiderabilem queat speciem inspicere. Constat enim firmissime, quoniam quisquis praesignatos hujuscemodi progressionum gradus, quibus ad eam incedendum conscenditur, praetermiserit vestigare, ei nullo modo philosophandum esse.

§ 4. Ergo quoniam hic beatus ab ineunte aetate toto conàmine has prosecutus est vias prudentiae, sic maximam promeruit praerogativam divinae gratiae. Per hanc denique ìnerat ei cautae circumspectionis efficacia, ut velut oculatum animal ante et retro, incederet in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela. Erat enim vir magnae abstinentiae, sibi parcus, egènis largus, ore serenus, corpore castus, lectionibus sacris, vigiliis et orationibus indesinenter intentus, sermone jucundus, qualitate morum sobrius, omnique bonitate praeditus. His et hujusmodi pollens virtutibus, adeptus est honorem Clericatus. Quam dignitatem gradus et vocabuli credens divinitus collatam sibi, agebat studio pervigili, ne morum operatio suo nomini dissentiret. Cleros enim Graece, sors vel haereditas dicitur Latine. Unde et appellantur Clerici quod de sorte Domini sint et quasi de ejus haereditate peculiari: sicut in Testamento veteri Levitas ex filiis Israël ut proprios assumpsit sibi: vel ideo quia vicissim illi qui vere sunt Clerici, praeter Deum nullam concupiscant haereditatem in hac regione mortali, expectantes viva spe illam incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in coelis, per ipsum et cum ipso et in ipso se posse consequi, sicut et ipse eis repromittit, dicens : Ego haereditas

Digitized by Google

eorum; meditantes jugiter et dicentes: *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei: tu es qui restitues haereditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in praeclaris: etenim haereditas mea praeclara est mihi* (*Psalm* 15). His intentus vir sanctus Lebuinus, ac sedulo rècolens, quid de Clericorum moribus his pene verbis a sanctis institutum sit patribus * abstinuit a vulgari vita et conversatione, a mundi voluptatibus et spectaculis, a seculi pompis, a conviviis publicis, ab usuris et turpium lucrorum occupationibus, a fraudibus et ab ipsa cunctorum criminum matre avaritia: non officia ac negotia secularia, non gradus honorum sectans per ambitionem, non pro beneficiis medicinae Dei captans munera, dolos et conjurationes, odium, aemulationem, obtrectationes fugiens atque invidiam: non vagis oculis, non infrèni linguâ, aut petulanti tumidoque incèdens gestu: sed mentis pudorem atque verecundiam simplici ostendens habitu et incessu, obscoenitatem sic verborum sicut et operum penitus execrans: visitationes viduarum ac virginum, ac contubernia extranearum foeminarum nullàtenus appetens, castimoniam immaculati cordis et corporis perpetuo conservare studebat. Inter haec debitam praebens senioribus obedientiam, nullo se jactantiae vitio extollebat; et quid plura? Lectionibus, doctrinae, psalmis, hymnis, canticisque spiritualibus exercitio jugi insistebat, profecto sciens, quia tales oportet Clericos esse, qui divinis cultibus se mancipandos student exhibere. Unde et ipse Deo talem exhibens se, post tantae continentiam vitae, detonso rasoque capite, non capillos posuit urendos sacrificii veteris igne, sed ut verus Nazaraeus consecrans perfectionem devotionis suae. obtulit totum se hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, quae ureretur assidue Sancti Spiritus igne, ut fieret obsequium ejus rationabile, et illud signum tonsurae, quod figurabatur in corpore, ageretur in illo, in quo Christus habitat, in interiori homine: videlicet ut exterius abscissis crinibus, interius cunctis resectis criminibus, enitesceret denuo innovatis sensibus, quasi comis rudibus. Praeterea gestans quasi tiaram veri sacerdotii in detonsa superiori capitis parte, necnon èxprimens in inferiori dignitatem regalis coronae, gaudebat munus implèri in se hac typica similitudine, quod beatus Apostolus Petrus universali collàtum gaudet Ecclesiae: Vos, inquit, estis *genus electum*, *regale sacerdotium*.

§ 5. Igitur vir Domini Lebuinus, in talibus virtutum profectibus aetate simul et probitate morum adultus, vere per omnia irreprehensibilis Clericus, singulis sensim secundum instituta Canonica dignitatis Ecclesiasticae conscensis gradibus, eligitur ad officium presbyteratus: ut qui scientiâ et operatione perfectus erat, caeteros doctrinâ instrueret, exemplo ad bene agendum provocaret. Liberalis siquidem sui nominis et commissi officii

* Ex supra tradito vocabuli etymo quod esse debeat Clericis vitae institutum.

Digitized by Google

execùtor, satagebat solicite esse et videri presbyter *, id est, senior: non dierum prolixitate numerosior, non canitie capitis honoratior, sed augmento meritoque virtutum provectior, ut de eorum fieret numero qui a Moyse, praecipiente Domino, eliguntur: Congrega,. inquit, mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri etc. Tales namque presbyteri non subrogantur in sacerdotio favore populari: sed eliguntur a Moyse duce populi Christiani, quos ipse novit qui eis talem gratiam contulit quod sapientiae et sanctitatis merito senes sint populi. Et quia stant coram eo statu justitiae inflexibili, merentur ejus spiritus participatione munerari, completurque in ipsis quod dicit Dominus ad Heli: Glorificantes me, erunt glorificati. Quorum senum gloria, sicut dicitur in Proverbiis, canities est: haud dubium illa, de qua legitur alibi: Cani sunt enim sensus, id est, sapientia viri, et aetas senectutis, vita immaculata. His ergo donis spiritualibus praeditus, digne dignus sacerdos effectus est Lebuinus, explens verbis et actibus nomen et officium sacri ducatus, pura mente mundisque manibus, ut expedit sacerdotibus, cooperatione Spiritus Sancti conficiens et dans sacramenta vivifica populis fidelibus, congrua unumquemque docens exhortatione, pro suae professionis ac morum qualitate.

§ 6. Enimvero is qui operatur in suis omnibus et velle et perficere pro bona voluntate, suo gratuito munere operatus est in famulo sibi fideli Lebuino illud velle quod nullàtenus a suo velle poterat discrepare, saluti videlicet lucrandarum animarum jugiter inhiare, et continuam huic desiderio operam dare: ut sicut de speciali gratia Apostolatus B. Petri et suiipsius Paulus protestatur, dicens: Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes: ita et nos fidenter de hoc nostro dicere audeamus Apostolo, quia et ipse operatus est Lebuino inter Francos et Saxones. Unde quia ad eosdem docendos ab eo est destinatus, pro sui qualitate officii non inconvenienter dicetur Apostolus quod in lingua Latina sonat, *Missus*. Denique sicut suis ipse praecepit, discipulis, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine* Patris et Filii et Spiritus Sancti, *docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis* (*Matth.* XXVIII): ita et hunc suum affatus discipulum, velut eodem imperio praecepit ei praefatas docere gentes catholicae sacramenta fidei, tingere baptismo salutari, et exinde praecipere omnia servare mandata sibi. Et sicut de Paulo et Barnaba in Apostolorum Actibus legitur quod imperaverit Spiritus Sanctus, Segregate, inquiens, mihi Barnabam et Saulum in opus quo assumpsi eos, sicque ad docendas profecti sunt gentes: simili, ut ita dictum sit, modo, ejusdem Sancti Spiritus imperio qui dividens singulis prout vult, operatur omnia in omnibus: iste fidelis

* Quid *Presbyteri* appellatione dignum.

Digitized by Google

servus ac fortis operator Lebuinus, in opus sibi a Domino injunctum, segregatus est et assumptus.

§ 7. Cui etiam ut non solum cum Apostolis, sed et cum patriarchis digna foret operis communio, ipsius summi sacerdotis Abrahae proponitur imitatio. Nam quomodo illi praeceptum est a Deo, Exi de terra et cognatione tua, et veni in terram, quam tibi monstravero: et ejus protinus ille paruit imperio: ita et iste vir venerabilis hoc audito, ac veluti sibi specialiter delegato, ad exemplum beati patriarchae, huic irrefragabiliter inhaesit edicto. Exiens ergo impigre de terra et cognatione sua, posthabita insulâ Anglorum, evectione navali Trajectum petiit, castrum Wiltenburg antiquitus dictum, modo vero Trajectum: ubi reperiens quemdam venerabilem virum, nomine Gregorium, ex nobili Francorum sanguine procreatum, a beato Bonifacio Archiepiscopo olim a pueritia enutritum, gradu Ecclesiastico presbyterum, sed tunc pro tempore Episcopalis officii in eodem castro vel etiam parochia vicarium, exposuit ei omnem suae peregrinationis, sibique commissae praedicationis textum.

§ 8. Quia vero gratiâ Gregorii boni discipuli, mentio optimi facta est magistri Bonifacii, non indignum videtur, tanti praesulis dignam cunctorum memoriâ, licet succincte, relationem fieri. Hic denique vir ex praedicta Anglorum patria progenitus, a pueritia Deo dicatus, cum succrescentis aetatis profectibus, de die in diem, sapientiae et totius sanctitatis augeretur profectibus, sanctae paupertatis ac suae peregrinationis spontaneam viam ingressus, officium quoque plurimis evangelizandi populis, Dei gratiâ sibi cooperante, aggressus, sub Carlomanno et Pipino Francorum principibus, apud Apostolicam sedem legatione Germanica functus, decretioni Clericorum ac favori populorum annuentibus praefatis Principibus, ab ipso Papa Gregorio, Graeca Latinàque linguâ satis erudito qui alterius Gregorii successor, ab illo mirabili doctore Ecclesiae beato Gregorio Anglorum Apostolo, ordine Pontificatus fuit vicesimussextus, Moguntiae civitati ordinatur Archiepiscopus: et qui antea vocabatur Winfridus, gratiâ meritoque bonorum factorum, ut quidam volunt, dictus est Bonifacius (*a*). Qui vir, sicut de eo legitur, praedicatione sua Thuringos, Hessos, atque Austrasios ad fidem rectam, religionemque Christianam, a qua diu aberraverant, convertit, necnon et monasteria monachorum et virginum primus in Austrasiae partibus construxit. Hic etiam inter egregia bonorum actuum insignia, ut non modo suâ, sed et aliorum quoque praesulum vigilantiâ, catholica propagaretur, augmentaretur, ac confirmaretur Ecclesia, annuente sibi Carlomanno, auctoritate fultus Apostolica, in castro

(*a*) Summus Pont. Gregorius II fuit qui Bonifacium pro Winfrido appellatum voluit. Colitur nunc S. Bonifacius Ep. M., Germaniae Apostolus ab Ecclesia universa, die v Jun. qua in Rom. Martyrologio memoratur.

Digitized by Google

Wiltenburg quod nunc Trajectum dicitur, constituit ut Episcopalis esset cathedra. Cumque idem gloriosus Carlomannus felici nimium commutatione terrenum ac temporale respuisset regnum, ut coeleste mereretur adipisci quod est aeternum, profectusque Romam ad beatorum limina Apostolorum, clericatus ibi suscepit habitum, non post multum temporis in monte Soracte aedificato monasterio, ad summae perfectionis ascendens gradum, in coenobio beati Benedicti professus monachum, optimam cum Maria dilectrice ac dilecta Domini, visus est elegisse partem quae juxta Domini promissum, a nullo electorum eam perseveranter desiderantium auferetur in aeternum. Regni vero quod ante diviserant, et principatus sui Pipino fratri cessit fastigium. Sed Pipinus totius ditionis compos effectus, consultu Papae Zachariae, et unanimi Francorum consensu per unctionem sanctissimi Archiepiscopi Bonifacii, Suessionis civitate habito conventu, rex appellatus, et regali est sede donatus, repudiato ac tonsurato Childerico qui casso nomine ante rex vocabatur. At ubi beatus pontifex Bonifacius verbum Dei evangelizans Frisonibus, cum suis comministris, ut ferunt, quinquaginta duobus martyrio est coronatus, jam dictus vir Gregorius, ejus quondam discipulus, in praefato residens castro, bonus imitator magistri quod ab eo didicerat, impiger executor exercebat.

§ 9. Cui cum sanctus Lebuinus, ut jam diximus, retulisset, quid secundum Dei voluntatem gereret animo, ille gavisus in Domino, animatum consilio, et fotum auxilio, direxit eum ad locum sibi divinitus demonstratum secus Iselam fluvium, ut fieret velut quidam limes certissimus atque fortissimus in Francorum Saxonumque confinio: ut sicut lapis mediàstinus vice lapidis illius vivi, summi, angularis positus, ut et ipse duos in unam reciperet fidem populos, venientes ex diverso. Chari denique sui Lebuini sibi devotam respiciens humilitatem inspector mentium Deus, fecit illi magna, quia potens est in omnibus, ut evangelizaret Francis et Saxonibus sanctum nomen ejus. Adhibuit quoque illi Abbas Gregorius socium, quemdam venerabilem virum, ex discipulis sancti praesulis Willibrordi, nomine Marcellinum. Sed o quam mira alacritate noster aestuat animus facta sibi mentione super talibus viris, nec pàtitur, quin saltem per transitum de tanto praesule Willibrordo quid suus exprimat stylus. Et hic etiam vir Deo plenus, de Britannia gentis Anglorum progressus, pro aeterna patria a sua peregrinus, Romam venit beati Sergii Papae temporibus qui a beato doctore Gregorio Papa extitit vicesimus: quique Angelica visitatione commonitus, sanctum hunc honorifice suscipiens virum, ordinavit eum Frisonum genti Episcopum, vocans cognomento Clementem. Is autem credito sibi non dispar officio, ut sapiens architectus, non suas imposuit operas super alienum fundamentum: sed eradicato

Digitized by Google

primum denso aggere spinarum, fodit in altum, et super firmam, quae est Christus, petram stabile fidei collocavit fundamentum. Sanctis igitur praedicationibus fera gentilium èdomans corda, innumera diabolicae parti detrimenta, et non modica Christianae societati intulit augmenta. Et quia sibi tradita Domini sui fideliter erogavit talenta, jure ut bonus et fidelis servus, ipsius penetrare meruit gaudia. Praelibatis summatim his paucis, pro commemoratione Willibrordi * beati praesulis, chari nostri Lebuini insistamus gestis.

§ **10**. Veniens igitur vir Dei cum suo collega Marcellino ad praemonstratum sibi locum a Deo, usus est aliquandiu viduae cujusdam quae Abachilda vocabatur, hospitio: et nil veritus animositate gentis illius, insudabat quotidie Evangelicae praedicationi, instantius ostendens, neglecto Deo vivo et vero, vacuis ac per omnia superfluis inservire eos idolorum cultibus. Quid immorer multis? Salutaribus ejus monitis edocti, crediderunt quotquot ad aeternam vitam erant praeordinati. Quorum etiam sumptu compactum est primo oratorìolum in loco Wilpa vocitato, versus occidentalem Iselae fluminis oram. Nec multo post, accrescente sensim numero fidelium, aliud majus versus orientalem ejusdem fluminis partem ei construxerunt oratorium, et juxta illud ejus habitationi congruam domum: ubi sanctus Domini quotidiana vigiliarum ac Missarum Domino vota persolvebat, et confluentes ad se, verbi divini pane cibabat, cunctisque se cernentibus gratiosum vultu, verbis ac moribus exhibebat: unde et quamplurimis eorum, etiam nobilioribus, speciali affectione charus erat. Interea hostis antiquus, totius semper bonitatis invidus, cernens sibi minui, quos per beatum Lebuinum Christo constabat consociari, satègit per suae malignitatis fautores, ut multum de eo furiosae conquestionis murmur haberetur inter populares. Ajebant enim: Quidnam est illud phantasma vagabundum quod suis praestigiis alienat mentes, infatuat sensus, mores pervertit nostrorum? Nonne cernitis quod jam multos a suae qualitatis statu corrùperit, et quasi delìros effecerit? Ergo antequam nos omnes in posterum ille fascinationis suae fraudibus circumveniat, ocyus perquiratur, effugètur, aut potius pessundètur, vel cum sua illa magica scena vivus flammis addicatur. His continuatis, irruunt: et apposito igne, ecclesiae domum còncremant, et quoscumque Christianos ibìdem reperiunt, ab eodem loco insectando longius proturbant. Dominus autem qui custodit omnes diligentes se, famulum suum ab eorum insectatione eripuit, atque ad multorum salutem illaesum custodivit. Sed neque beatus vir illorum territus saevitiâ, ab evangelizandi cessavit instantia: sed ut fortis athleta, sumpto fidei scuto, et salutis galeâ, ad iterum rediviva atque fortiora se praeparavit discrimina.

* Colitur S. Willibrordus VII Nov.

Digitized by Google

§ **11**. In Saxonum gente priscis temporibus neque summi coelestisque regis inerat notitia, ut digna cultui ejus exhiberetur reverentia: neque terreni alicujus regis dignitas et honorificentia, cujus regeretur providentiâ, corrigeretur censurâ, defenderetur industriâ: sed erat gens ipsa, sicuti nunc usque consistit, ordine tripartito divisa. Sunt denique ibi qui illorum lingua Edlingi, sunt qui Frilingi, sunt qui lassi dicuntur, quod in Latina sonat lingua, Nobiles, Ingenui, atque serviles. Pro suo vero libitu, consilio quoque, ut sibi videbatur, prudenti, singulis pagis principes praeerant singuli. Statuto quoque tempore anni semel ex singulis pagis, atque ex iisdem ordinibus tripartitis, singillatim viri duodecim electi, et in unum collecti, in media Saxonia secus flumen Wiseram, et locum Marklo nuncupatum, exercebant generale concilium, tractantes, sancientes et propalantes communis commoda utilitatis, juxta placitum a se statutae legis. Sed etsi forte belli terrèret exitium, si pacis arridèret gaudium, consulebant ad haec quid sibi foret agendum. Hunc sciens imminere conventum Christi miles Lebuinus, destinavit animo se illuc iturum, quo aut suo regi acquireret copiosum fidelis exercitus numerum, aut fortiter contra hostes dìmicans, gloriosum victoriae suae reportaret triumphum. Interim tamen contigit divertisse ad domum illustris ac potentis viri, nomine Folcberti, quem charum habebat, cuique charus erat. Qui cum maximo illum excipiens gaudio, ait: « Gratulor quidem, mi dilecte, opportune te nunc advenisse: denique mihi pro te solicito gratam exhibes tuam praesentiam. Sed quorsum tendas, mihi pandas velim.» Cui vir sanctus: «Est, inquit, animus, supernâ juvante gratiâ, concilium invisere Saxonum.» Ad quem ille: «Cum tuae sanctitatis merito quamplurimis nostrorum acceptus habearis, non ignoro quosdam tibi inimicari, et vitae tuae libenter insidiari. Unde rogo, ut, me audito, aliorsum te vertas modo, vel domum redeas, vel tuum familiarem Davonem petas, quousque peracto concilio, totius, nos quoque revises. » Cumque hujusmodi sermonibus dissuadere conaretur athletae Christi, sancto quo agebatur spiritu animatus, constanter respondit: « Nullatenus praeterire queo, sed neque audeo, quod ipse meus Rex Christus Jesus Deus et Dominus mihi agendum instituit, cujus praetergredi mandatum nefas esse perpendo.» At ille: «Vitae, inquit, tuae timeo.» Et vir Dei: «*Dominus*, ait, *mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo* » (*Ps. 117*). Sic ejus firmatam perspiciens faciem, moestus tandem acquievit.

§ **12**. Instante igitur temporis articulo, quo ipsius concilii afforet concio, adsunt quorum intererat, coetu undique secum agglomerato. Adest et bonus miles Lebuinus, non ut ignavus vel desidiosus, sed ut strenuus et officiosus, lumbos mentis suae in veritate succinctus, loricâ justitiae indutus, pedes in praeparatione Evangelii pacis calceatus, scuto fidei protectus, galeâ

Digitized by Google

salutis capitatus, assumpto gladio spiritus quod est verbum Dei, armis justitiae virtutisque ejus a dextris et a sinistris circumdatus. Et cum his omnibus muniretur intrinsecus, non tamen competentia deerant ornamenta morum extrinsecus. Clericali siquidem schemate insignitus, sacerdotali quoque infulâ decoratus, ac velut quid divinum praesignans fulgore vultus, Crucis signum praeferebat manibus, utpote sui Regis antesignanus: necnon et Evangelium Christi quod jugiter mente recolebat, ore praedicabat, et opere exercebat, brachio quoque gestabat. Omnis itaque concionis illius multitudo, ex diversis partibus coacta, primo suorum proavorum servare contendit instituta, numinibus videlicet suis vota solvens ac sacrificia. Quae cernens agi sacrilegia Lebuinus, Christi fortis athleta, zelo zelatus pro Domino, ut olim Elias propheta, in media illorum prorumpit agmina, et ex improviso vociferans, exaltat vocem suam ut tuba, annuncians palam et redarguens scelera eorum. « Audite, inquit, omnes, audite me: et non tantum me, quantum eum qui loquitur vobis per me. Mandata illius vobis perfero, cujus omnia sunt imperio atque judicio subjecta.» Ad haec cum illi attoniti respexissent, aspectumque viri et habitum mirantes, conticuissent, ille praefatus sic institit *: «Auscultate, attendite, et scitote, quia Dominus creator coeli et terrae, maris et omnium quae in eis sunt, ipse solus unus et verus est Deus. Ipse fecit nos, et non ipsi: neque est alius praeter eum. Simulacra quae deos esse putatis, quosque a diabolo decepti, venerando còlitis, aurum vel argentum, aes, lapis aut lignum sunt: non vivunt, non moventur, neque sentiunt, opera enim hominum sunt, nec cuiquam alii, nec sibi possunt auxiliari. Ergo Deus solus bonus, solus justus, cujus misericordia et veritas manet in aeternum, condolens tam miserabili vos daemonum seductos errore, hac me praecepit fungi legatione, ut vetusti poenitentes erroris, ad eum convertamini recta et sincera fide, cujus creati estis bonitate. In ipso denique vos et nos omnes vivimus, movemur, et sumus. Si illum fideliter agnoscentes, poenitentiam egeritis, et baptizati in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti fueritis, et mandata ejus obedienter servaveritis, ipse vos ab omnibus servabit malis, et concedens tranquillitatem pacis, dabit hic jucundari temporalibus copiis, et in futura vita omnibus aeternaliter perfrui bonis. Si autem praecepta ejus saluberrima nihil feceritis, et iniqui cordis errorem corrigere nolueritis, scitote quia patiemini judicium poenae gravioris de contempta admonitione ejus benignitatis. Ecce enim ex sententia oris ejus quae est immutabilis, praenuncio vobis, quia nisi his monitis obtemperaveritis, jam celerrime veniet vobis malum inopinatae tribulationis. Praeordinavit namque Rex coelorum omniumque seculorum, Regem fortem, prudentem, et acerrimum, non de longinquo,

* Ad veram amplectendam fidem habita ad idololatras cohortatio.

Digitized by Google

sed de proximo instar torrentis rapidissimi properantem ad emolliendam duri cordis vestri ferocitatem, et comprimendam rigidae cervicis contumaciam. Qui vehementi impetu vestram aggrediens regionem, gladio, vastitate, incendio et exterminio cuncta depopulabitur, et ut vindex irae Dei, quem semper exacerbastis, vos quidem partim mucrone concidens, pèrimet, partim egestate tabescere faciet, partim perpetui exilii moerore consùmet. Conjuges vestras ac liberos passim ad serviendum distribuet, et si qui residui fuerint, ignominiosos suo dominio subjugabit, ut et de vobis jamdudum jure praedictum videri possit: Et pauci facti sunt, et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.»

§ **13**. Talia beato viro prophetali spiritu praeconante, illi daemoniaco bacchantes spiritu, pleni furoris et insaniae, perstrepunt undique clamore confuso: «En ecce adest seductor ille, sacrorum nostrorum et totius inimicus patriae: aequum est, ut debitas sumat suo sanguine poenas.» Tum vero ex proximis sepibus palos rapiunt, detruncant et exacuunt, ut veluti assolet fieri lapidibus, sic eum illis sudibus perìmerent. Sed taliter inardescente adversus virum sanctum furore malignantium, Deus suorum protector fidelium, protexit illum sub velamento alarum suarum. Denique sicut ipse Dominus Jesus olim a perfidis Judaeis ad supercilium montis ad praecipitandum perductus, suae virtutis potentiâ transiens, per medium illorum ibat illaesus: sic et iste famulus suus, ejusdem Domini sui munimine circumseptus, per medium se necare cupientium et ipse transiit intactus. Inter ipsos tamen quidam fuerant sanae mentis, quorum corda Deus tetigerat, qui haec fieri in sanctum Dei omnìmodis prohibebant. Quorum unus caeteris honoratior, nomine Buto, stans in eminentiori loco, ita protestatus est: «O viri quicumque adestis cordati, auribus percipite quae sum dicturus. Frequenter ad nos quarumdam gentium, Nortmannorum, Sclavorum ac Frisonum venerunt legati, quos more solito cum pace suscepimus, verba legationis diligenter tractavimus, et honorifice auctos muneribus ad propria remisimus. Et ecce nunc legatus summi Dei, dèferens nobis mandata vitae ac nostrae salutis, non solum spretus et contemptus est a nobis, sed etiam insectatus injuriis, ac pene subiit discrimen mortis. Quam vero sit potens qui illum destinavit, patenter ostendit, cum de manibus nostris eum tam potenter et mirabiliter eripuit. Unde et ea quae comminando vobis prophetavit, futura sive ventura proculdubio experiemini nimium vera, dum ea judicio Dei sui qui tam potens est, nobis fuerint illata.» Hujuscemodi redargutionis, ac potius terroris sermonibus perculsus aliquantulum est immansuetus eorum animus, et communi decreverunt consensu, ne a quoquam impeteretur ille Dei nuncius: sed quocumque vellet ire, absque ulla laesione pergeret securus.

§ **14**. Sanctus igitur Lebuinus, ab insectatione malignantium

Digitized by Google

divinâ virtute tutus, benedicebat Dominum. Videns autem se non assequi posse, ponendo pro fratribus animam, quem summopere desiderabat martyrii fructum, licet abnegando seipsum et tollendo crucem suam post Christum, crucifigendo carnem cum vitiis et concupiscentiis in fame et siti, in vigiliis ac jejuniis et laboribus plurimis quae cuncta libenter ac patienter pertulit, longum in pace traxit martyrium. Indeficientem tamen in se rètinens plenum fervore charitatis animum, injunctum sibi a Deo sui Apostolatus efficaciter administrabat officium. Quis enim digne sufficienterque valeat ejus doctrinae et verborum gratias enarrare, quibus multos ab iniquitate convertit? De hoc namque viro dicendum cum propheta: *Lex veritatis fuit in ore ejus:* itemque: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II). Quo evangelizante verbum veritatis, parata est sedes Dei in corde populi sibi credentis, et testimonia ejus credibilia facta sunt nimis. Sermo denique ipsius, audientes omnes in fide et opere aedificabat, et ad fervorem sanctae charitatis inflammabat. Ad hoc illud concurrebat, quod maxime sermone docentium corroborat, quia quod ore monebat, opere exercebat. Post innumera igitur ab ipso patrata sanctarum virtutum documenta pariter et exempla, cum nullius pene temporis interpolarent spatia, quibus aut sui, aut simul aliorum profectus non quaereret emolumenta, exemplificatum virum sanctissimum in totius sacrae religionis, Deoque beneplacitae conversationis gratiâ, concivem suum jam agmina caelica reposcebant.

§ **15**. Praesentabantur quoque Deo Angelico ministerio Lebuini vota, sic ad ipsum jugiter proclamantia: *Quam dilecta sunt, Domine virtutum, tabernacula tua: concupìscit et dèficit in his anima mea:* itemque: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea, ut videam virtutem tuam et gloriam tuam:* et iterum: *Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei mei?* (*Ex Psalmis* 83, 62, 41). Sed quia hoc ejus inexplebile desiderium mentis, retardabat sarcina corporea molis, nec aliter adipisci poterat aedificationem ex Deo, domum non manufactam, aeternam in coelis, nisi fieret dissolutio domus suae terrestris, hujus mundanae habitationis. Relaxantur tandem artus, expediuntur làtebrae, animaeque difficiles morae, et haec reseratis sibi claustrorum, januis, exilit àlacris, ac luce clarius micantibus jungitur coelicolarum turmis, cum quibus hymnizando pènetrat aulam regni coelestis, pridie Idus mensis Novembris, et percipit a benigno remuneratore suo haereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam sibi cum omnibus sanctis, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam illi et omnibus se diligentibus Deus ab aeterno misericorditer praeparavit.

Digitized by Google

§ 16. In urna repositum corpus reconditur cum debita honorificentia in ecclesia portus Daventriensis *. Cui loco hoc inditum constat vocabulum a Davone quodam, honorifico ac potenti viro S. Lebuino, dum adhuc viveret, familiarissimo. Ecclesia autem ipsa ab eodem sancto viro et quibusdam fidelibus, ut jam diximus, constructa, sed ab infidelibus exusta, iterumque est reaedificata. Decursâ igitur, utcumque potuimus, de gestis Apostolici viri Lebuini narrationis serie, libet pauca de inventione ejus subnectere.

§ 17. Post felicem illius ad coelestia transitum, contigit, Saxones, quorum maxima pars adhuc in infidelitate durabat, basilicam, qua sacrum corpus jacebat humatum, iterum succendere, et cuncta circumquaque vastare. Et cum per triduum ejus quaererent sepulcrum, Deo providente, reperire nequiverunt. Unde accidit, ut idem locus diu solitudinem pateretur.

§ 18. Interea Gregorio venerabili Abbate, cujus supra mentionem fecimus, ab hac instabili habitatione in domum aeternitatis migrante, consanguineus ejus Albricus dignitatem suscepit Trajectensis cathedrae. Qui cum haberet quemdam virum Deo dignum, sibi speciali affectu devinctum, nomine Ludgerum, ** postmodum pontificali honore sublimatum, sic affatus est eum: «Mi frater charissime Ludgere, cum noverim te ea quae ad divinam pertinent religionem, studiose exquirere, hortor ac postulo, loco illi, quo sacrum corpus Lebuini Christi sacerdotis reconditum fuit, te curam impendere, et ut a te, Deo revelante, inveniri valeat, magnopere elaborare, atque ad concinendas Deo laudes templum inibi super illud aedificare. Qualis etenim quantusque vir fuerit, tua fraternitas optime novit. » His acquiescens monitis egregius Ludgerus, omni adhibita solicitudine, agrum, in quo thesaurus ille erat absconditus, excolit pro viribus, similis homini bonam margaritam quaerenti studiosius. Et quamvis minime quod desiderabat, valèret invenire, moestus oppido, tamen intra spatium loci, quo putabatur contineri, coepit basilicam aedificare. Sed bono viro bona quaerenti non defuit manifestatio bonitatis Domini. Visum denique ei est in somnis, sanctissimum Christi sacerdotem Lebuinum secum loqui, et sui detegere locum sepulcri, seque ita affari: «Laudabile, inquit, ac Deo placitum tuum approbo studium, mi frater amantissime Ludgere, quod ad honorem nominis Dei templum jam olim dirutum conaris restruere. Mei vero membra corpusculi reperies remoto hoc, quem èrigis, pariete Australi.» At servus Domini Ludgerus nil haesitans de visione, aggregatâ Cleri plebisque plurima concione, atque sùbruto quem erigebat pariete, in loco sibi praeostenso quod desiderabat, se gavisus est invenisse. Oblata itaque Deo, ut dignum erat, in hymnis et psalmis gratiarum actione, dilatari fecit spatium

* *Dew enter.*

** Episc. sanctum de quo supra p. 495.

Digitized by Google

aedificii illius, quàtenus inibi clauderetur thesaurus, a se, Domino, revelante, repertus. Quantum denique sit pretiosus, ab eo tempore usque in praesens signis declaratur ac virtutibus quae per ejus merita in suos fideles operari semper dignatur ineffabilis potentia benigni Jesu, Dei et Domini nostri: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per infinita secula seculorum.

ITEM

DE S. LEBUINO PRESBYTERO

SERMO B. RADBODI

TRAJECTENSIS *(Utrecht)* ECCL. EPISCOPI

§ 1. Saepe contingit, fratres charissimi, ut inter epulas grata sic convivantibus fabulosa narratio, et oppressum cibis carnalibus animum quaelibet figmentorum persequatur esuries: dumque sui oblita mens, ad tempus ob repletionem corporis obsonium spirituale fastidit, magis appetat species vanitatum quibus aures carnis oblectet, quam doctrinae coelestis dulcedinem qua nauseantem animam verâ et perpetuâ suavitate reficiat. Verum nobis in praesenti lectione multo aliter evenire laetamur, qui quanto hanc solemnius carnis aure percìpimus, tanto eam avidius incordamus, atque idipsum quod sùmimus post venerandam esuriem, satietatis opulentiam, post felicem satietatem, redivivam esuriem in nobis creare non dubitamus. Itaque ut manifestius eluceat, quae (ut dicitur) cupedia spiritualibus famelicis hoc narrationis genere promittuntur, ponantur jam super coelestem mensam fercula deliciis omnibus hujus seculi gratiora, ex quibus suavissimas vitae perennis epulas capientes, tam jocundae refectionis auctori Deo gratias referamus, qui per singulos annos dulcissimi convivii participatione clementer nos exhilarat, dum beatissimi nobis Lebuini memoriam annuâ natalis sui festivitate, tamquam panem Angelorum ex ipso pietatis suae cophino prolatum repraesentat. Quo dum devote vèscimur, salubriter esurìmus, copiosissime pàscimur, hilariter exultamus. His consequenter adjungitur habitudo mentis pulcherrima, fortitudo invicta, salus continua, contemptus mundi, appetitus coelestium, desiderium futurorum. Quocirca oportet nos perpendere fratres, quantae sint deliciae quae porriguntur, ut easdem sumere avido corde non differamus: quibus repleti nulla formidemus

Digitized by Google

machinamenta hostium, nulla terreamur grandine secularium tempestatum.

§ 2. Atque ut hoc divina miseratione assequi valeamus, hujus nobis sanctissimi viri exemplum sufficere posse credimus, qui inter adversa mundi et prospera, saevientis fortunae impetum, quemadmodum turris Sion et porta Jerusalem praesidio Angelico defensa recussit, cassatisque ictibus machinarum in sempiternae fidei soliditate persistere meruit. Ad tantam vero perfectionem quibusdam bonorum naturalium gradibus ascendit, quibus quasi scalis evectus, terrena transiliens coelorum alta feliciter penetravit. Denique in infantia sua Deo et hominibus charus extitit: cumque esset ingenio docilis, animo mitis, pauper spiritu, meritis dives, viris probatis certatim annitentibus habitum religionis assumpsit, in quo ita Christo et Ecclesiae suae devotus effectus est, ut coaevos suos literali sagacitate praecederet, majoribus officiosissime parèret, perfectorum imperiis tanquam a Deo datis vera humilitate praeditus acquiesceret. Porro in pueritiae annis, morum honestate sectatus est venerandam senum canitiem, innocentis vitae simplicitatem doctrinae coelestis eruditione componens. Pubertatis autem spatia, non lascivientis animi voluptatibus effoeminavit, sed potius rigore frugalitatis et jugi laborum exercitio, rebellionem juventutis edomuit, castigans corpus suum et in servitutem rèdigens, ne forte cum aliis praedicaret, ipse reprobus efficeretur. Hujus sìquidem philosophiae nobilissimos professores, multos in sancta Ecclesia esse sciebat: inter quos felicis memoriae Willibrordum atque Bonifacium Pontifices in vineae cultura Dominicae apprìme laborasse audierat, ideoque animum Deo placitis operibus exercebat, ut quos habuerat in Christianitatis provectibus socios et patres, eosdem haberet in aeterna felicitate consortes. Enimvero quia tantorum familiae Christi luminarium sacra mentio nostris relationibus, acsi quidam venerandae lucis radius, illapsa est, intermisso paululum superiore stylo, viros non sine mentis alacritate memorandos, dignis laudum praeconiis ad honorem Dei, prout possumus, extollamus: ut Lebuino nostro tanto crescat altior gloria, quanto se praecedentium probabililior fuisse dicitur vita: quando quidem nullis diverticulis ab eorum tramite declinavit, qui tantorum vestigia ducum summis nisibus fuerit executus. Quapropter cum illorum religiositas exprimitur, iste laudatur. Cum horum studia praenotantur, iste totus depingitur. Cum illorum praeliandi adversus potestates aëreas certamina referuntur, hujus triumphus evidenter exponitur. Atque ex hujusmodi conjecturis facile colligitur memorià priorum vitam illustrari sequentium: et augeri filiis honestatem, cum eosdem patrum gloriose viventium fulcit auctoritas. Viros igitur quos praemisimus, sanctos admodum fuisse non dubitamus: quorum alter confessione, alter martyrio in

Digitized by Google

comitatum Agni suscipi meruit, habentque nunc haereditatem cum Christo qui in hac vita numquam passi sunt separari a Christo. Hos certe nobis imitabiles divina pietas condonavit: ut quem deterret a gladio manus violenta carnificis, magnum Willibrordum in divinae pacis quietudine Domino laudabiliter servientem, si possit se aequiparet: qui autem se agonistis comparabilem existimat, sanctum Bonifacium fuso pro Christi amore sanguine subsequi non formìdet. Quod si defuerit peremptoris atrocitas, ipse sibi manum divinâ romphaeâ perarmet, ipse sibi spiritualiter et persecutor efficiatur et martyr, dummodo aut unìus in pace munditiam, aut alterius in carnificio adipisci non negligat palmam.

§ **3**. Sed his summòtenus memoratis, repetenda est nobis historia quam paulo ante nos omisisse perscripsimus: quae tamen penitus omissa non est, quia subinde se inter caetera animo huic semper inhaerente opposuit affectus dictantis, nescio qua dulcedine delibutus, dum superiora componeret reliquorum quidem digitis, Lebuini autem jugiter corde conteritur. Sane quia de illo inprimis scriptitare decreverat, licet viros pretiosissimos repente in medium proferret, ab hujus tamen intuitu cogitantis intentio summovèri non potuit: quoniam bona quae de ipso dici queant ultro se offerunt; quae si quis omnia exponenda praesumeret, Tullianae, Plautinaeve eloquentiae floribus indigèret. Beatus igitur Lebuinus inter feros et semibarbaros hominum mores constitutus, agni innocentiam retinebat, memor Dominicae vocis qua dixerat, se Apostolos sicut agnos inter lupos missurum. Nec viro sancto defuit serpentina prudentia dum si quis capiti suo, id est, Christo, injuriam facere pertentaret, ille pro eo totum corpus indubitanter objiceret. Unde factum est ut in virtute Altissimi, ad divinum caput membra connecteret, utpote ut qui se inter ista medium quasi charitatis viscarium inserebat, infimaque summis còpulans, infirmitatem humanam dignitati Angelicae coaequare studebat. Sapiens plane architectus qui coelestem aedificans domum, petram in fundamento locaverat, * ne furentibus ventis, ne procellis aestuantibus, postremo ne impugnata totius adversitatis machinis virtutum contignatio laederetur. Petra autêm erat Christus. Age ergo quisquis haec audire desideras, num tibi quippiam videtur aut illa connexione salubrius, aut ista firmitate solidius, dum quod ibi copulatum est nulla resolutione laxatur: quod hic fundatum est, nulla tempestate subvertitur.

§ **4**. Quod si forte cuilibet monstruosis fabulis aurem accommodare vacat aut placet, invisum se veris relationibus, hujusmodi vanitate demonstrans, poëtarum deliramentis incumbere poterit, qui usque adeo praestigiosis figmentorum imaginationibus dementati sunt, ut ne ipsa quidem quae interdum esse

* Petra in fundamento, juxta Evang. (*Matth.* VII).

Digitized by Google

falsissima asserebant, falsa esse cognoscerent. Nos de sancto Dei Lebuino nihil mentitos esse, testem habemus Ecclesiam, quae hujus beneficiis cumulata, quam grandis apud divinitatem meriti fuerit, crebris remediorum proventibus confitetur. Cui quidem ea quae de illo dicimus grata fore indicio est, quod legenti tantus adsistat populus auditorum, ut compressum multitudinis etiam hi pertimescant, qui in tuto loco stare videntur, vixque in digressu aliquis inveniatur, qui non Deo gratias referat pro eo quod se patrocinium Lebuini audisse pariter et sensisse commemorat. Unde nobis adhuc vel pauca locuturis arbitramur neminem succensurum, quippe cum spiritum Dei in ipso templum aedificasse, atque id sibi habitabile fecisse procedens sermo declamet. Idipsum vero inter Matutinas laudes (ut credo) cantabitur; sed in lectione omitti non debuit, quo utriusque vocis ministerio quanti apud suos habeatur vir Christo amabilis accipiat commendatum. Quod autem praemittitur tale est. Spiritus Sanctus (ut ait Scriptura) in corde viri justi habitat. Nam templum ipsius est anima ab omni iniquitate aliena, in quo non carnalis victima caeditur, sed spirituales hostiae offeruntur; nec fit ibi sola emundatio corporis, sed et remissio vera peccati et abolitio perpetuae mortis. Hoc templum dici et esse meruit beatus Lebuinus, cum praestante Domino a criminum fieret contagio mundus, per eum qui vivit et regnat in secula seculorum, Amen.

S. MAXELLENDIS VIRGINIS MART.

VITA UT HABETUR IN MSS. EXEMPLARIBUS
INCERTO QUIDEM AUCTORE SED FIDE DIGNA

Necata est anno 670 — Nat. Franca.

§ 1. In Cameracensi (*a*) provincia inclytis admodum et generis nobilitate et spectata religione parentibus, patre Humlino matre Ameltrude orta est feliciter, sed felicius renata. Inde cum jam adolevisset, non ut solet puellaris aetas vanis adolescentularum conventiculis sese admiscebat, nec lubricis implicabat amoribus : sed toto animo, divino se mancipans timori, quantum juventus ipsa patiebatur, praecepta evangelica in pectoris penetralia recondebat, fructum sàtagens thesauro referre. Studia muliebrium ornamentorum respuit, meliorem illam animi pulchritudinem expetens, ut ei, cui se voverat, per omnia placere posset.

(*a*) *Cambrai.* Locus autem nativitatis Maxellendis, *Caudry*, Caldericus ut infra.

Digitized by Google

§ 2. Famâ autem illius se diffundente, multi eam a patre illius sibi conjugem petière. Sed sciens ille filiam a nuptiis abhorrere, eorum preces differebat. Erat in his nobilis quidam Harduinus nomine, qui ut caeteris potentior confidentius Humlinum et promissis et precibus ad consentiendum impellebat, nec prius destitit quam voti fieret compos. Cumque esset sponsalibus praestitutus dies laetus abscessit. Factum est id nesciente puellâ. Itaque post dies aliquot sciscitantur ex ea parentes, velit ne nubere viro illi, cujus sit forma egregia, magna dignitas, multae opes: ajuntque posse eam etiam in matrimonio commode servire Deo. Virgo sancta, cujus animo jam haec et terrena omnia viluerant, petit sibi dari spatium deliberandi in diem crastinum. Interim tota nocte in preces incumbens, orat obnixe Dominum, ne sinat unquam corrumpi corpus suum, quod se vovisset ei castum et integrum conservaturam: sed vires atque robur sibi suppeditet, quo possit vincere adversarios. Deinde et Evangelicis confirmata sententiis, et Angelica, ut ajunt, visione animata, mane accedit parentes, eosque sic appellat: «Decet quidem et me, et omnes divinae legis cultores, parentibus suis eum, quem par est, habere honorem: sed si quid sinistrum et a via Dei alienum persuadere velint, haudquaquam mos illis gerendus est, sed Deo potius obtemperandum. Ita cum ego consilia vestra longe a salute mea discrepare videam, id vobis plane confirmo, me minime facturam quod hortamini. Ego enim virginitatem meam ab infantia Christo consecravi. Non ergo, mi pater, cuiquam, me insciâ, despondère me debuisti, praesertim cum id aetatis jam attigerim, ut possim, quid sit e re mea, pervidere. Etsi autem a vobis dictum heri est, posse me et conjugio et Deo vacare, mihi certe perabsurdum videtur, prioris sponsi, id est, Christi redemptoris mei amori quemlibet mortalem, quantumvis potentem, anteponere. Itaque mihi prorsus decretum est, Christi me adjuvante gratiâ, numquam a sancto proposito deflectere.» His dictis, non sine parentum offensione discessum est.

§ 3. Jam vero aderat sponsaliorum dies, et Harduinus ultra modum nuptiis inhians, cum multa amicorum turba advolat. Porro Humlinus in magnas conjectus angustias, virginem admodum reluctantem secum abducit ad locum, contrahendo matrimonio destinatum. Ubi quantum se et dictis et factis virgo opposuerit, vix explicari verbis possit. Jam enim quodammodo praesentiens imminere sibi caedem, sic coram omnibus constanter et intrepide locuta est: «Video sane, et admiror vos omnes, dum contra unam venitis puellam, laborem multum frustra suscipere, et prorsus inania agitare consilia. Nam etiamsi Harduinus in cervicem meam gladium vibret, Christo propitio, cui me tota devotione commisi, numquam me sponsam habebit.» Haec cum illa dixisset, aliis ad sua revertentibus, ad paternas se

recepit aedes, et deinceps plus solito palam se dedit piis operibus exercendis: vacabat jejuniis, vigiliis, orationibus, carnisque macerationi: praestabat eleemosynas, refocillabat inopes, visitabat infirmos, et caetera misericordiae officia exhibebat, idque tanto ardentius, quanto celerius se per martyrium ad Christum abituram, illo inspirante, cognoverat.

§ **4**. Interea parentes ejus a quodam amico invitati ad convivium, cum familia sua eo se conferunt, sola Maxellende cum nutrice ejus domi relicta. Nolebat enim illa interesse ullis unquam conviviis et lautitiis, quod sciret multos inter convivas jactari sermones parum honestos, immo et perniciosos, quibus et boni mores, et sensus hominis facile corrumpantur. Id ubi Harduinus comperit, laetatur impense se opportunum jam tempus nactum suae explendae libidinis. Adjunctis igitur sibi aliquot satellitibus, properat ad aedes Humlini. Id sentiens Maxellendis, orat Deum, ut se tueatur: inde nutricem hortabatur, ut clausis ostiis, ipsam alicubi abscondat: non quod mortem formidaret, sed quod timeret pudicitiae suae. Paret nutrix, obserat fores: veniunt hostes, non curant nutricem, eam abesse affirmantem, irruunt in aedes, perscrutantur omnia, nec tamen inveniunt virginem. Jam taedio affecti recedere volunt, et ecce unus ex illis eos retinens, ait: « Si cistam hanc aperiatis, fortassis illic latitantem reperietis. » Mox aperitur cista, virgo lugens extrahitur, et ad Harduinum adducitur: qui cum moerentem blanditiis delinire moliretur, illa constanter ait: « Frustra virulentos ingeris sermones neque te neque tuas minas curanti. Nulla me ratione impedire poteris, quin reddam Altissimo quod ei pollicita sum. Corpus occidere potes, animam non potes. Ego vero Domini mei et animata doctrinâ, et promissionibus fidens, bona ejus credo me in terra viventium, in sanctarum virginum contubernio jucundissima animi exultatione visuram. » Dixit, et totis viribus e manibus improborum se subducit: sed fugientem sequitur Harduinus malitiâ inflammatus, suoque eam ense jugulat. Felix anima, palmâ martyrii, quod semper expetierat, adepta, migrat in coelestes beatae patriae mansiones. Harduinus vero ubi vidit sanguinem e corpore virginis manantem, repente excoecatus est. Quod cernentes ejus comites, ne ipsi quoque easdem darent poenas, relicto illo, in sua cum ignominia rediere.

§ **5**. Ubi autem caedis hujus fama increbuit, parentes virginis cum multis aliis tristes eo properant honorificas ei exequias celebrant: plerique etiam e Clero corpus feretro impositum, in basilica beatorum Petri et Pauli Apostolorum, sanctique Sulpitii, quae in proximo pago, quem Pomeriolas vocant, condita est, sepulturae mandarunt. Post annos tres foemina quaedam Amaltrudis nomine, vidua religiosa, quae eam basilicam condiderat,

Digitized by Google

et illic vigiliis et precibus assidue vacans, non nisi ad breve tempus inde exibat: cum nocte quadam fessa membra quieti dedisset, e coelo lapsam audivit vocem, ipsam admonentem, ut ad beatum Vindicianum Cameracensem Episcopum eat, illumque hortetur, ut corpus sanctae virginis e terra levatum, ad locum caedis ejus reportet, quod Deus illic signis et miraculis eam illustrare velit. Refert illa quae audierat, ad Episcopum, isque nihil haesitans, certo die adjunctis sibi non paucis e Clero, et vitae religiosae viris, quibus se junxit ingens populi multitudo, famâ rei quae acciderat, excita, ad virginis sepulcrum properat. Cumque eo ventum est, cum metu et reverentia levatum e tumulo corpus sacrum, in feretro congrue praeparato componitur, et cum hymnorum psalmorumque modulatione ad locum, qui Chaldericus dicitur, deportatur.

§ 6. Pervènit autem ad miserum Harduinum, transferri corpus virginis. Itaque assumpto itineris duce, venit obviam sacro corpori, humique se sternens, cum lacrymis petit veniam facinorum suorum, recipitque amissum oculorum lumen. Id cernens populus, prorumpit in laudes Dei. Porro Harduinus tanto affectus beneficio, gratias immensas agit sanctae virgini, et coram omnibus palam confitetur, quemadmodum eam ipse occiderit, et lumine orbatus sit. Postquam autem in Chaldericì ecclesiam venère, sacrum corpus illic honorifice conditum est, et Missarum sòlemniis devotissime celebratis, omnibusque rite peractis, plebs dimissa est. Episcopus vero Clericos et religiosas foeminas illic constituit, ut deinceps ita, ut par erat, omni tempore debitum ibi officium persolveretur. In quorum sumptus necessarios Humlinus sanctae virginis pater, intra cujus ditionem haec gerebantur, omnes facultates suas contulit ecclesiae illi, ejus expensis et operâ extructae. Eo autem tempore, multis evidentissimis miraculis per sanctae virginis merita locus ille floruit.

§ 7. Postea vero corpus ejus Cameràcum translatum, in ecclesia beati Martini, sanctimonialibus debita illic officia exhibentibus, aliquandiu quievit. Sed cum locus ille propter habitantium demerita, crebris esset incendiis obnoxius, Rotardus vicesimus a beato Vindiciano Episcopus (*saec.* x), sanctum corpus inde transtulit in beatae Mariae oratorium, quod illic usque ad Lietberti, tertii ab eo antistitis, tempora permansit. Qui cum esset vitâ sanctissimus, inter alia recte facta sua, Peronae, ubi fuit aedicula sancti Quintini martyris, in sancti Andreae honorem monasterium extruxit, atque eo pretiosa corpora sanctae Maxellendis et beati Sarii confessoris, Cameràco apportanda curavit. Dies martyrii sanctae Maxellendis celebratur Idibus Novembris*.

* Nonnihil adhuc Reliquiarum S. Maxellendis (vulgo illic Maslin) in pago Calderico asservatur. Insigni admodum et liturgico et populari gaudet cultu S. Virgo Martyr in Cameracensi Dioecesi.

Digitized by Google

VITA

S. ALYPII CIONITAE SEU STYLITAE

ID EST QUI MORABATUR IN COLUMNA.

EX SIMEONE METAPHRASTE.

Obiit ineunte VII Saec.

§ 1. Christi servus Alypius (*a*), ut multi ex auditione didicerunt, habuit quidem patriam, si patria sit dicenda in terris, Adrianòpolim, non quae celebris est in Thracia civitas, sed oppidulum in Paphlagonia; vitam autem quae omnium hominum superat vivendi rationem. Quem cum praescivisset et praedestinasset Dominus, ab ipso materno alvo ei benedixit, quibusdam visionibus et signis ostendens sui famuli ad diviniora profectum et incrementum. Cum enim adhuc eum utero gestaret mater, noctu visa sibi est videre formosum agnum in cujus cornibus duo accensi cerei replebant domum lumine; qui non prius reversus est ad suum locum quam in lucem prodierit natus infans, matre liberata a partus doloribus. Non multo post autem quam mater est enixa, ea in gratum somnum est resoluta; et rursus videt in somniis publice e sua civitate populum in hymnis et canticis et supplicationibus venientem usque ad suum infantem, et eum tamquam sacrosanctum et divum quempiam, adorantem. Haec matris fidelis spectacula eam compunxerunt, ut ad piam veniret cogitationem. Nam cum conjux jam ex hac vita migrasset, et totos tres annos non fuisset superstes filio qui ex eo fuerat susceptus, ipsa pulchre statuit soli Deo vivere et filio: et decaetero suum corpus potius obsignare Christo, quam probro se afficere, si ad secundas esset devolùta nuptias: cum et amor charissimi filii et cubìle mariti in ea valde pie cohabitaret.

§ 2. Cum se divine hisce confirmasset cogitationibus, accepto filio, vadit ad ecclesiam, orphanorum et viduarum curatorem solum bonum sciens esse Dominum. Cui etiam prompto et àlacri animo eum ablactatum statim dedicavit, tamquam novum aliquem Samuelem, dans in manus ejus qui tunc administrabat archiepiscopatum. Quem cum suis ulnis accepisset, tamquam quidam pastor bonus, secundo post matrem lacte spiritali nutriebat, literis et divinarum scripturarum dulcedine pinguefaciens animae officinam: ut facilius inveniret cum tempore crescentem, et cum aetate ascendentem intelligentiam; quod etiam concurrebat cum precibus ejus qui erudiebat. Erat enim puer

(*a*) Memoratur quidem in Martyrol. Rom., sed errato *Styliani* nomine, quasi non merum ab nonnullis ex veteribus adhibitum cognomentum hoc esset ex στῦλος, *Columna*, unde Stilites plures hujuscemodi Anachoretae. Pro *Alypio* autem in Moschorum Kalendario legitur *Olympius*. Colitur officio a Graecis VI Kal. Dec.

Digitized by Google

cujuslibet Scripturae divinae capax, tamquam generosa planta recens plantata, spiritalibus irrigationibus pietatis ferens fructus, ut non multo post ostendetur.

§ 3. Accidit ergo, ut illo tempore sanctae memoriae Theodorus, cum ad finem vitae pervenisset, suae sedi successorem reliquerit qui erat ejusdem cujus ipse nominis et moribus similis. Quamobrem se tamquam fratrem ostendens ejus qui praecesserat, valde dilexit Alypium. Invenit enim vere pastor divini pastoris ovem rationalem, in bonitate educatam, cujus juventa erat Dei timore munita. Invenit florem aetatis, qui nullum proprium quo cognosci posset, ostendebat signum. Nam quod in ipso quidem cernebatur, multis esse videbatur juventutis. Quod autem ad ejus mores propèmodum venisset, aperte ostendebat viri sapientis canitiem: quoniam erat etiam in eo timor Dei, qui principium sapientiae efficit in hominibus. Cum autem pietatis operibus visus esset omnibus antecellere, communi suffragio eum eligit sacer ecclesiae coetus, ut oeconomus esset fidelissimus: quoniam hoc credebant futurum omnibus utile: non quod rerum ullam haberet experientiam, sed quod esset divina plenus intelligentiâ. Quod quidem desiderans is qui tunc praeerat ecclesiae, simul eum fecit oeconomum et diaconum divinorum sacramentorum. Fuerunt haec signa ortus Alypii, qui educebatur ad vitam. Sic sacra in sacris aedibus fuit ovis nutrita ab iis quos prius diximus pastoribus in pietate. Quisnam autem et qualis fuerit in ea quae sequitur vita, non esset meum dicere, qui propter dicendi imperitiam, gloriosa ejus facta magis diminuam, quam, quantum oportèret, ostendam veritatem: dicam tamen, in patris mei egregiis dotibus jucunde versans: et fortasse nonnullam narrabo portionem eorum quae ab ipso recte et ex virtute gesta sunt.

§ 4. Habebat Deum in mente Alypius: habebat autem Deus quoque omnino Alypium: et recordatione beatorum ejus praeceptorum, animae purum et lucidum habens oculum, considerabat in unoquoque tempore, quidnam agens in praesenti vita, posset audire beatam illam vocem, *Euge serve bone et fidelis.* Invenit autem protinus solutionem ejus, quod quaerebatur, ab eo ipso, quem desiderabat, Christo doctus pietatis semitam. Bonus enim pastor qui pro grege suam posuit animam, portam etiam ostendit iis, qui volebant pulsare, omnia constituens ad salutem amatorum regni coelorum. Primum quidem dicens, ut Deum tota anima diligamus: secundo vero, ut ei debitam tribuamus reverentiam. Deinde ad altiorem pietatem et perfectissimam Dei charitatem tradùcens, venditis omnibus quae non consistunt, facultatibus et in rebus manent inferioribus, eas jubet suppeditare pauperibus: et nudam tollendo crucem, ejus sequi vestigia. Oportebat ergo hominem Dei, oportebat maximum quod restabat

Digitized by Google

ex praeceptis, implere ad perficiendam pietatem. Reliqua enim servavit ab ipsa juventute. Protinus ergo nihil cunctatus, res omnes mundi jussit valere: non tristis, quomodo nuper dives qui a Domino audierat, ut sua venderet et daret pauperibus, ut vitae aeternae consequeretur remunerationem.

§ **5**. Cum solam autem matrem fecisset consciam sui consilii, idque propter ejus precum desiderium, ad Orientem, inquit, o mater, me proficisci cupientem, tuis me precibus prosèquere: quo in loco multi quietem amplexi, feliciter vixerunt. Illa autem protinus tulit opem proposito sui filii, nequaquam affecta muliebriter, ut multae solent, quae forte viduitatem praetexunt et solitudinem, et quod ferre non possunt, videre a se diu abesse ea quae sunt sibi charissima. Nihil horum dixit sapiens mulier ad filium retardandum: sed manibus in coelum sublatis, totam suam mentem collegit ad orationem, cum his verbis confirmasset sui charissimi propositum: Abi, fili, dicens, quoniam te direxit divinus gratiae spiritus. Ecce Deus, o fili, quo vivimus et cui te commendo, ipse mittet bonum suum angelum ante faciem tuam: et te dedùcet, ut vult, et quo vult, prospero itinere pergentem in omnibus et placentem gloriae majestatis suae: et dabit tibi gratiam in verbo et opere, et te servabit in omni via recta, ut mittat tibi auxilium de sancto et de Sion tueatur te. Induet te lorica justitiae et imponet tibi galeam salutis. Dabit ut semen tuae operationis cadat in bonam terram et ut comedas labores fructuum tuorum. Sit vita tua *tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo et folium ejus non defluet* (*Ps.* 1). Acceptae sint preces tuae coram Deo ad salutem multorum. Resplendeat tamquam meridies justitia operum tuorum. Videam te tamquam Luciferum splendide orientem, propterea quod plus quam parentes, tuum dilexisti Dominum. Cum itaque post orationem irruisset filius in collum matris et mater in collum filii, flevissentque et se invicem essent amplexi et deosculati, vale dixerunt miserabiliter. Atque justus quidem cum preces maternas esset assecutus, prompto et àlacri animo viam confecit: illa autem rursus cum quiete et silentio domum rediit.

§ **6**. Cum autem multis post diebus vulgi sermone celebratum esset quod factum fuerat, omnes quidem in ministerio collegae et omnes cives fuere tristes, non ferentes hominis privationem. Sanctissimus autem Antistes civitatis ne vel id quidem audire sustinuit: sed recta, magna celeritate, sanctum est persecutus, diligenter quaerens et investigans, ubinam mansisset et quanam et quando transiisset: et licebat videre hominem prae animi aegritudine tamquam vaccam mugientem, quando suum quaerit pullum qui aberravit. Deo vero praevidente meliora, eum assequitur Euchaitis, cum celebraretur dies festus Theodori

Digitized by Google

martyris: et multis tandem persuasum precibus, reduxit ad suam civitatem; et illic decaetero sanctus monasticam vitam divine peregit. Sic enim sic quadam benignitate res nostras Deus administravit, ut qui ex ipsa patria productus fuerat fructus, eum ipsi rursus patriae laetitiam dederit salutarem. Audivit certe in somnis vir ille justus divinum consilium, ne aegre ferret tamquam quia viâ speratâ aberrasset. Illic enim esse sancta loca dixit ille qui noctu apparuerat, in quibus Deum amans quispiam eligere posset pie vivere. His ergo visionibus excitatus, obibat hilaris, perscrutans locum, in quo posset figere tabernaculum, remotum a civitatibus, et pacis, quietumque et a strepitu sejunctum. Ascendit ergo in unum montem ad meridionalem partem civitatis, et cum cognovisset pulchrum esse montem et sublatum in altum et ab omni turba liberum, stans in vertice montis, speculabatur undique: oculisque fuit delectatus, valdeque laetatus fuit spiritu et acquievit ei animus; loco autem deerat aqua, et hoc male habebat sanctum.

§ 7. Post unum itaque diem accepto rastro et ligone, in montem rursus revertitur. Quaesivit vero et fodit usque ad meridiem et non invenit, nec erat. Quocirca tristitiâ affectus, sedit post laborem et sedens obdormiit; in visione autem vidit virum locum ostendentem et ei consulentem, ut ibi foderet. Surrexit et fodit; ecce autem quaedam parva pinguedo: et perrexit fodere profundius, et aqua erupit; ipse vero exultavit animo, et Deum rogavit, qui facit misericordiam suam in eos qui ad ipsum confugiunt: et propere cucurrit ad suum Antistitem et rem significavit, et petiit ut arae figeret fundamentum, cum ipse benedixisset. Ille autem cum hoc rescivisset, sancto quidem assensus est, ut omnia faceret. Clam vero mittens, obstruxit os fontis, ut taedio affectus, montem quidem relinqueret, ut ascensu difficilem et qui asperum et arduum ad eum ascendere volentibus haberet ascensum: inferius autem habitaret campos qui sunt circa civitatem, ut ad quos omnibus facilis pateat aditus. Omnia vero lustrabat et circuibat sanctus, locum investigans separatum et remotum. Videt autem ante civitatem quamdam solitudinem quae erat plena sepulcris antiquissimis: in quo loco magnum agmem spirituum delitescens, eam reddebat tetram et horrendam omnibus hominibus. Ad quam Christi miles primum et primus ausus est accedere, magno stupore perculsis viris illis, cum quibus obibat considerans et quaerens locum quietis. Neque enim Dei amor scit unquam suspectum habere periculum, ut qui ad id quod videtur, spe potius agatur meliore. Inter se autem omnes ad ipsum viri voces emittebant, procul distantes et clamantes: Quisnam daemon te a nobis sic raptum illuc transtulit, o homo? Heu heu recede, egredere ex hac mala solitudine, qua soli delectantur daemones; et ad se rursus conversi dicebant: Hic est

emotae mentis: desipit sic seipsum tradens malis daemonibus. Haec saepe clamantes et suas dexteras extendentes, annuebant ut fugeret et illinc cito discederet. Sanctus autem vix tandem, multis eorum conversus clamoribus, suaviter et placide eos intuens, subrisit quod prae timore quidem clamarent, non auderent autem propius accedere et opem ferre ei, qui apud eos veniret in periculum

§ 8. Cum illi vero aliquantulum in eo loco essent morati, volentes scire finem, postquam eum aspexerunt sublime stantem super unum ex iis qui illic erant tumulis, ipsi quidem in domos suas reversi sunt fugientes. In summo autem vertice tumuli stabat columna, positum habens Tauroleonem. Ad eum tamquam animatum et vix tandem visum amicum, exultans accedit, et ardentissime eum complexus, suaviter et comiter eum alloquens, dicebat: «Salve, o lapidum merces mihi pretiosissima. Sic enim te reprobatum, et ab iis qui aedificarunt ad sepulcrum et sepulcri signum deputatum, salutare constitui, mihi potius factum ad caput anguli, adeo ut satis apte possim dicere, me credere et putare eum esse factum a Domino, et esse mirabilem in oculis nostris. Salve mihi, o petra, propter Christum. Salve tu, quoniam vera quoque petra Christus quae labefactari non potest, vis est appellatu, super quam pedibus meis firmiter insistere cupiens, elegi hoc habitaculum ad aeternam requiem.» Haec et his plura cum dixisset prae gaudio, ad suam excurrit civitatem. Cruce autem accepta et vecte ferreo, statim reversus, leoni subjecit vectem ferreum, erat enim praegrandis et valde gravis: seipsum autem vecti: gemensque et laborans, vix tandem potuit humi dejicere statuam (erat enim beatus ille fortis, ut qui esset in ipso vigore juventutis) ejus vero loco erigit et extollit potentissimum signum, nempe Crucis trophaeum: ut tyranni bellica officina divinarum virtutum operatione secure nunc videatur, et habeatur ludibrio. Sic vas aureum et electum, armis omni ex parte munitum, in eo loco jam securus se sopori dedit. Videt autem duos viros, sacerdotalem prae se ferentes dignitatem, ad eum accedentes, et eum leniter reprehendentes et increpantes, dicendo. «Quousque sivisti nos expectare, o homo Dei? Si tu es ipse Alypius a Deo praedestinatus, ut haec loca ad pietatem traducas et religionem, ne differas facere quae te manent.» Hi etiam, quando magnae martyris Euphemiae aedis coepit jacere fundamenta, sancto apparuerunt. Unus quidem eorum manu tenens thuribulum, definitum quemdam locum circumscripsit. Ostendebat autem eam quae fuit postea, ecclesiam. Alter leni voce acclamabat: « Osanna huic loco.» Et quinam essent quidem hi viri, nulli aperte indicarunt: eorum autem reliquiae aliquo post tempore inventae sunt tales, quales sancto in somnis apparuerant, suavi odore locum implentes: ut mirarentur, qui illo tempore, in eas inciderant, quae

in hodiernum usque diem servantur integrae in atrio templi magnae Euphemiae martyris, cum sic beatus ille jussisset. Quomodo autem et quando et ubi apparens, in certaminibus exercitatissima Euphemia, acerrimum excitat sancti zelum ad sacram aedem ei extruendam, oportet nos dicere, nec eos qui legent, fraudare narratione.

§ 9. Ad regiam propter quaedam negotia tunc ibat hujus Antistes. A quo etiam simul iter ingredi, ut qui esset Diaconus ecclesiae, jussus est vel invitus, ut cui minime esset gratum versari in civitatibus, cum sic facile ad voluptatem et vitia inclinetur animus. Propter Pontificis tamen reverentiam Chalcèdonem usque est consecutus. Illic cum clam se subduxisset, dum esset Episcopus mare transmissurus Constantinopolim, ubi juxta mare est positum martyrium Bassae martyris, id ingressus, sub uno ex scamnis quae illic erant, dormiens latebat. Cum sensim autem in somnis martyr ei apparuisset, et juberet eum cito surgere: ille vero ejus decorem et honestatem esset admiratus, et lubentissime interrogaret, quisnam esset, et quare juberet surgere, dicit ei: « Ego, quam vides, sum Euphemia, Christi ancilla et martyr. Surge autem, et, si velis, eamus in tuam patriam. Simul enim tecum vado, eroque tibi in itinere, si Deus velit, socia et adjutrix.» Vigilanti autem desiderium cum martyr beato immisisset Alypio, laetum compulit in patriam, nequaquam oblitum suae patronae, eam enim semper habebat in memoria, contemplans quam suaviter eum sic allocuta, quam benigne seipsam ostenderit, adhortans ut ingrederetur viam quae ducit ad vitam agendam cum Angelis, et ad aeterna fruendum laetitiâ.

§ 10. Propter haec in nomine sanctae fundavit martyrium *, breve quidem tunc, et quod satis esset ad implendum martyris desiderium. Non enim habebat convenienter suo magno animi studio quae ad magnificentiora posset transire, potestatem. Nam divinis obediens praeceptis, non habebat peram, non zonam quae aes conservabat, non duplicem tunicam, et quod esset ad usum supervacaneum: sed vivebat in sua sponte suscepta paupertate, gratam fidem ostendens in eum qui ipsum fecerat, et convenienter Apostoli praecepto, omnia possidens in eo quod nihil haberet. Unde etiam sumptum quoque qui fiebat in columna, quidam ex familiaribus, ex iis qui sciebant eum nihil possidere, àlacri animo offerebant, perinde acsi Deo gratum offerrent holocaustum, propter suam in eum reverentiam, quod viderent virum crescere in iis quae sunt ad Deum ascensionibus, et ex Sancto Spiritu puras illuminationes mente purissima suscipere, jejuniis et vigiliis suum corpus redigentem in servitutem, et non permittentem, ut insurgeret adversus appetitiones spiritus: ut qui aperte sciat quod qui pro virtute certare studuerunt, debent esse integri et perfecti

* Parvum scilicet oratorium in honorem martyris.

Digitized by Google

spiritu: non adversus sanguinem et carnem contendentes, sed adversus principatus et potestates et hujus mundi principes: cum quibus colluctatio est difficilis iis qui secundum carnem vivunt. Hinc fit, ut a suo scopo non aberret, sed vincat eos qui sunt carnis expertes, is qui in carne refulsit: et adversus eos insignem victoriam sit consecutus: ut per eos qui in veritate glorificant servum ejus, Deus glorificetur, et per fideles servos suos suam ostendat majestatem. Quae enim per ipsum et in ipsum conspecta sunt fieri, discite, o fideles, et mecum Dominum magnificis laudibus extollite.

§ **11**. Nam cum vellet beatus Alypius divine in columnam ascendere, senum deductus consiliis, ingreditur tunc in cellam quae erat humilis et valde brevis, triginta annos natus, cum laboribus exercitationis se biennio pulchre exercuisset, tanquam quidam Imperator qui est acie congressurus cum hostibus. Illic enim statim adversus sanctum insurrexerunt spiritus, eos enim irritabat valde, psallens, et paulatim percutiens ignitis dictis divinorum eloquiorum. Quocirca furore perciti, penitus surgentes tamquam ex aliquibus insidiis, impetum fecerunt in cellam, universam concutientes ex fundamentis, existimantes se ab initio magis posse superare beatum virum, si terrore spectrorum eum perculsum invaderent. Sed ii quidem ut improbi insurrexerunt et recesserunt, ut qui sanctum potuerint nulla afficere injuriâ. Stabat enim tamquam mons Sion, confidens in Dominum, egregia munitus loricâ precationum, et magna Crucis lanceâ. Cum autem a cella recessissent, rursus invaserunt oratorium. Nondum enim ejus facta fuerat dedicatio. Postquam certe id viderunt consecrari, dolo quosdam sonos emittentes, et horribilem rugitui leonis similem vocem edentes, adeo ut universa quae eo convenerat multitudo dispersa fere fugisset huc et illuc, nisi ejus timorem ad fiduciam, quod praecessit, traduxisset Evangelium. Postquam enim Diaconus acclamavit illud, Secundum Matthaeum, respondens illud consuetum, Gloria tibi, Domine: in templum totus populus prosiliit, non ferente amplius adversaria potestate sanctitatem eorum quae fiebant, sed fugiente cum quodam sono et stridore, perinde ac si a gravi flagello torqueretur. Atque sic quidem ejecti tunc fuerunt spiritus, ut non amplius ausi sint accedere ad Martyrium. Sic autem ipsum consecratum, fuit dedicatum martyri, utpote quod ipsa prius sanctum incitasset ad certamina pro virtute suscipienda, sicut antea ostendimus.

§ **12**. Deinceps autem ab eo tempore unusquisque, tam parvus, quam magnus, versabatur secure in illis locis se oblectans: et apud beatum virum assidue frequentes erant, seu vir quispiam, seu mulier, seu puer, seu senex vellet cum eo versari, et comedere, et beatis ejus frui sermonibus, erat enim jucundus omnibus, nec ullum capiebat unquam ejus taedium. Sed cum

hoc invenisset afferre animae detrimentum quod negligerentur preces et status spiritalis, vale dicens terrenis omnibus, et amicis, et negotiis, ascendit seipsum affigens columnae, paucis tabulis conclusus in capite columnae, adeo ut nec sufficeret quidem ad hoc, ut parum posset sanctus recumbere aut sedere: sed perpetuo staret in ipsa tamquam statua aenea, luctans cum imbribus, cum aestu et frigore, nubibusque simul et ventis et tempestatibus, quibus et lapis et ferrum inanima materia et solida, saepe tempore diffluunt et dissolvuntur, et ad perfectum veniunt interitum. Haec ergo fortiter tulit vir ille magnus, sanctorum socius, et qui plus, quam sancti, decertavit, plus, quam quivis raptor et latro, violentus possessor regni coelorum. Nam illi quidem fortasse hoc cupientes injusti, poenam dolorum recusassent, meliorem partem consecuturi. In hujus autem ore perpetuo erat Dei laudatio: universa vero ejus vita a tenera aetate fuit confessio.

§ **13**. Quisnam ergo ex martyribus tam multa certamina afflictionis et malorum perpessionis pro Christo unquam subiit septuaginta annos? Tres illi pueri flammâ Babylonica visi sunt aliquando superiores, sua in Deum fiduciâ, praeclare ea ardentiores. Sed adversus unum elementum, nempe ignem, decertarunt, et uno die. Hic autem perpetuo aestus flammam, aestivis solis lampadibus vehementer urentibus, fortiter sustinuit. Nox una aliquando hiberna et gelu, unum ex numero militari divellit a quadraginta qui spe balnei a tota spe miserabiliter excidit *. Hic autem tot annorum glacie, et ventorum flatibus graviter spirantibus concretus, numquam fuit animo labefactatus, quotidie, ut semel dicam, morte affectus, et rursus reviviscens, et insultibus decertationis fortiter et generose resistens. Si autem adversus feras agrestes et immanes decertavit sanctorum aliquis: et nemo, sicut hic vir praeclarus, depugnavit adversus daemonia nequitiae. A quibus in astro nocturno, tamquam a funditore aliquo stans in columna, in humero fuit percussus lapide. Ille autem statim manus in coelum extollens, et astris et ipsis ostendit daemoniis, se nihil timere: sed haec libere dixit: « Quid vobis mecum rei est, o perniciosi, et hominibus infesti daemones? Quid frustra conturbamini, et in Dei servos incassum exercetis inimicitias? Videte enim lapidem, quem vos in me conjecistis. Is erit mihi testis vestrae improbitatis, quem ostendam coram Christo meo in die ejus adventus. Ut autem sciatis, me telum infantium reputasse plagas vestras: ecce humi dejicio tectum quod est supra caput meum quod saepe arcet jactus lapidum, et non sinit me èadem pati pro Domino quae Stephanus primus martyr et eamdem quam ille coronam accipere, quem vos Judaicis manibus interfecistis: cum quibus etiam subibitis aeternum gehennae

* Vide supra in hist. XL MM., p. 105, § 8.

supplicium.» Illi cum haec verba audiissent, et cognovissent illum justum audere omnia pati pro Christo, aufugerunt protinus. Hoc enim illa nocte auditum est a quibusdam qui iter faciebant quod in quodam loco itineris occurrissent daemonibus deflentibus suam fugam, et aperte clamantibus: «Alypius nos expellit a nostro habitaculo. Quo ibimus, cum non habeamus locum, in quo consistamus?»

§ **14**. Egregius autem Christi miles post preces matutinas, fingens ei opus esse, a sua matre petiit secùrim. Quam cum accepisset, ille septi tectum a quatuor locis dissolvit, et humi disjecit: et mansit sub dio usque ad extremum diem suum. Mater vero ejus postquam sensit sonum tabularum, easque vidit humi fractas, dexterâ frontem accipiens: «Cur hoc fecisti, inquit, o fili? Cur evertisti salutem tuae custodiae? Quomodo feres minas hiberni tèmporis? aut vernarum pluviarum vehementes inundationes, et aestatis meridionales et ardentes radios? Non considerasti ventorum terribiles impetus, lethiferas a mari plagas: fulmina quae repentina nam multis mortem afferunt: et eorum, qui adversantur, violentiam quae non cadit sub aspectum?» Matri autem suae sapienter respondens justus, dixit: «Propter quem haec omnia pati opto, est Christus vivi Dei filius et Deus, certa eorum quae sunt, vita, pro quo quidvis minimum pati, est res beata. Non nunc quidem, o mater, lubenter horrorem patiemur, ut illinc ad lucem inaccessam accedamus? Non feremus hic aestum diei, ut labore dignam mercedem accipiamus, et aeterni ignis fugiamus supplicium?» Cum haec et alia multa his similia dixisset, persuadet matri, ut propèmodum suaderet, non solum abjicere tabulas propter Christum, sed etiam tunicam, et corpus praeterea exuere. Nesciebat enim misereri filii, etiamsi esset valde amans liberorum qui hic propter Christum patiebatur. Negabat naturam praeter naturam, ut nato praeponeret eum qui genuerat: licebatque videre rem jucundam et gratam omnibus fidelibus: matrem quae laetabatur ob charissimum filium: et filium, ob matrem filiorum amantem: et Deum qui propter ipsos vere et sincere glorificabatur. Quis enim illius honestae et admirabilis mulieris non benedixit filium? aut quis rursus hujus fructus radicem, tamquam sanctam, non beatam pronunciavit? Nam praeter alia bona, quibus erat ornata, permanebat etiam apud filium, ei inserviens et subministrans quae erant necessaria, tabernaculo fixo apud columnam. Quo in loco cum renunciasset omnibus quae sunt in vita jucunda, tamquam in paradiso referta deliciis, propriis manibus acquirebat quae sunt ad usum necessaria, ut vidua et quae maritum non habebat: tanti faciens eleemosynam ut miserabile esse putaret duos asses possidere.

§ **15**. Aliquando certe accidit, ut aliquis tertiam partem offerret numismatis. Quam cum accepisset rogatu filii, cucurrit ad

Digitized by Google

civitatem, ut eam in minutas aeris partes commutatam, consumeret ad usus sui victus. Cum autem, postquam haec fecisset, reverteretur, fracta pauperum adjurationibus, universum distribuit. Deinde cum eam vidisset filius nihil habentem in manibus, « Ubi est, inquit, minuta moneta? Opus enim habemus ad sumptum. Deo, inquit, o fili, et pauperibus nos credidi. Non enim pium esse statui propter nos despicere juramenta pauperum, et pejerare Deum viventem: credens fore, ut nos quoque eorum qui misericordiam consecuti sunt, precibus assequeremur misericordiam. » Propter hoc factum benedixit matrem, et accepit, laetus quod factum fuerat, ut qui illius esset natus. Quamobrem Deus eos etiam in altum in terra sustulit, dans bona in terra, et quae sunt in coelis meliora. Nomen enim sancti, et gratia Dei, quae ubique propter ipsum praedicabatur, multas animas vocabat ad poenitentiam virorum et mulierum. Primam autem Euphemiam quamdam quae erat una ex illustribus foeminis civitatis sancti Alypii, tantum incitavit zelus in Deum, ut mariti et liberorum, amicorumque et cognatorum nullam curam ducens, se in vilissima incluserit domuncula propter beati columnam, arctae portae fortiter transmittens angustias, et nunc affatim se explens vitae aeternae deliciis.

§ **16**. Post eam autem Dei quoque amor compulit magnam illam inter mulieres, et primam muliebris aedis ducem Eubùlem: quae ad tantam pervenit mensuram virtutis, ut media nocte aliquando suffiens (erat enim hoc ei in more positum) plurimas horas, ita ut oculis aspiceretur, adversus daemonem concertavit: qui non sinebat sanctam transire, sed depugnabat, ne mediae noctis preces Domino redderet, ut consueverat. Quae et vitae facultatibus, et multa gloriâ viduata, in vita quae ex virtute agitur, ita refulsit, ut paucae ex iis quae erant in terra. Eis autem paulopost fiunt similes et Maria sancti Patris soror quae ipsa quoque renunciavit omnibus quae sunt in terra: marito, inquam, et iis quae sunt ad tempus, deliciis: se tam fortiter gerens in exercitatione, ut illius continentia sit reliquis exemplum ex iis quae decertant, usque in hodiernum diem: et aliae complures quae colligebantur tam peregrinae, quam indigenae: quae res suas humi jacientes, ad sancti patris genua supplices procidebant, dicentes: « Per te salvae fiamus, si curris propter coronam, in quam non cadit interitus. Nos quoque fortes evademus et viriles. Nam etsi sexu simus imbecilliores, vestra tamen imaginem sumus nos quoque ornatae ab eo qui est potentior, pro virtute eadem valentes facere. Non est enim masculus et foemina apud Christum. Quae intelligentiâ percipitur, pretiosissimam mercemur margaritam. Simus sociae negotiationis. Vestra sit maxima pars lucri: efficiamur nos solum participes negotiationis. Ne nos timueris, o pater, quod simus genus humile, et facile inclinemur. Mundum

Digitized by Google

cognovimus: per jucunda transivimus: omnium fecimus periculum, et omnia vana esse cognovimus. Unum solum scimus Christo vivere, et ejus praeceptis parère. Huic pulchro amatori crede nos esse desponsas. »

§ **17**. Haec cum audivisset sanctus illacrymavit, diligens fervorem earum in Deum propositi: et fixis oculis aspiciens coeli altitudinem, toto corde Deum oravit, dicens: « Benigne Domine, qui poenitentiâ curas delicta hominum, ascendant verba servorum tuorum coram te, et fiat eis sicut crediderunt: et da vires servo tuo, ut satisfaciat animabus eorum qui confugiunt ad fontem tuae misericordiae: et eas exhibeat in die adventus tui castas absque ullo dedècore, indutas operibus lucis et justitiae et sanctitatis, ad gloriam magnificentiae sanctitatis tuae. » Et haec quidem oravit: a se invicem autem distinctas duas sacras aedes extruxit, in quibus utriusque sexus corpora distribuit (non enim dixerim spiritus et animas), dans regulam et praeceptum sanctis foeminis, ut masculorum oculis numquam aspicerentur: utpote quod sit valde periculosum iis etiam quae sunt valde probatae. Quae quidem id usqueadeo inviolatum servaverunt, ut cum beatus Alypius eis saepe permisisset quod in mortis venissent periculum, ut viderentur ab eorum parentibus secundum carnem, noluerint: ut continentiâ in Deum, naturae quoque vinculo fierent superiores.

§ **18**. Cum his sancti quoque mater simul versans, eamdem quoque servabat regulam: habitum autem nequaquam acceperat monasticum, a sancto saepe rogata: idem esse dicens Diaconissam, quod monacham: sed ei persuadet somnus, et divina quaedam revelatio, ut sanctum oraret, ut ei imponeret habitum exercitàtionis. Visa est in somnis audire symphòniam sacrosanctarum mulierum, quae divinos et modulatos hymnos canebant in Regem suum et Deum: et delectata spiritu, cum voluisset domum ingredi, in qua modulabatur choros ducentium coetus, et cum eis canere et Deum laudare, non fuit ei permissum ab eo, qui praeerat januae, et servabat aditum, qui dicebat: « Non intrabis, neque poteris versari cum venerandis Dei ancillis, cum sis hospes, et imperita earum hàbitus exercitationis. Propter haec pudore et magno animi angore forte affecta, est experrecta, et sancto genu flexit, et rogavit eum, ut habitum acciperet, exponens omnia quae viderat in somnis. Eum autem cum mane accepisset, animo laetata est et exultavit, nulla re de caetero defecta, quae pertineret ad perfectionem. Quae quidem cum multos et varios foetus seminasset justitiae, nunc fruitur fructibus, in quos non cadit interitus.

§ **19**. Atque sic quidem seorsum et separatim effecit beatus ille habitare homines et mulieres: In Deum autem et in reliquo vitae instituto, tanquam germanos in Christo fratres,

Digitized by Google

nihil omnino differre: sed unanimem inter se invicem conservare charitatem, una voce benefactorem et vitae suppeditatorem noctu et interdiu laudares septies: ut concorditer extollendo concentum canticorum, Regem creatae naturae vere et sincere placent. Deo autem et Angelis et sanctis jucundum quidem erat audire psallentes: jucundius autem, videre hominem Dei, intra coelum et terram affixum columnae, tamquam Angelum aethereum, in altum extensis manibus, per tres classes glorificare Trinitatem. Nam simul cum eis psallebant, qui erant inclusi ad basim columnae. Seorsum rursus choris multitudini monachorum, et chori rursus mulierum alibi. Talis laudum in Deum erat gratia, ut saepenumero nonnulli ex iis, qui praetergrediebantur, haec audientes cantica, ad tantam venerint compunctionem, ut relictis actionibus, quas studebant exequi, in eo loco totum diem remanserint, donec cessarit psalmodia.

§ **20**. Venio post haec ad magna dicenda miracula, quae Deus fecit in suum famulum. Nemo autem sit, qui fidem non adhibeat: ante multorum enim oculos saepe, cum fieret, apparuit. Id autem erat lux e coelo descendens super sancti verticem in columna, et manens aliquandiu. Id vero tunc accidebat, quando nox erat et continuae voces tonitruum, quando fulgurum crebrae coruscationes, quando imbrium inundationes, propterea quod non auderent omnino, ut arbitror, intuèri gloriam arcanorum. Locus autem usqueadeo refulgebat splendore lucis, ut qui erant contemplationis ignari, existimarent globum omnino inflammari. Ipse autem in tremore exultans, sensim dicebat arcanum traditionis coenae mysticae, dicens etiam reliqua ante adventum et post adventum, minime volens agnosci miraculum, humanam vitans gloriam, quae est ad tempus. Illius autem lucis adventum praesignificabat Crux, quae erat in vertice affixa tabulis: quae quidem valde movebatur in globo, et emittebat quemdam sonum stridentis sibili, donec rursus redacta in formam columnae ignis veniens usque ad nubes, rediret ad coelorum altitudinem. Hoc autem viderunt, non unus, duo, aut decem, aut solum quinquaginta, sed etiam plures alii: adeo, ut ad ipsam usque regiam transire visio tanti miraculi.

§ **21**. Multis certe precibus, quae tunc erat Imperatrix, a Dei servo contendit: multas quoque pecunias partim misit, partim etiam se esse missuram est pollicita, si Crucem, quae erat super columnam, mitteret in regiam. Cui quidem literis ad eam rescriptis persuadet, ut parum expectans, id assequeretur, cujus studio tenebatur: ut qui puro mentis oculo praevidisset fore, ut Imperatrix e vita excederet. Nam hoc quoque dono dignatus fuerat a Patre luminum, ut tamquam praesentia futura praedicaret, uni quidem diadema imperii, alteri autem sanctae cathedrae rectionem. Oratio autem paulopost fuit ipsa re confirmata. Hinc

Digitized by Google

rursus factum, ut ad eum concurrerent: nonnulli quidem de longa amicorum aut cognatorum absentia, tamquam a propheta, certum scire volentes, an superessent: alii vero morbi diuturni cupientes aliquod accipere remedium. Hoc enim habebat, quod nullus ex doctis et peritis medicis: id autem erat, pro aegrotis effundere lacrymas, ut qui laborabant, ex alto haberent curationem. Alii autem quaerentes de vi principum et magistratuum et violentiorum contractuum iniquitate: quorum nodos et captiosos plexus hic dissolvebat: non in iis, quae doceri possunt, humanae sapientiae verbis: sed in iis, quae doceri possunt Sancti Spiritus: ut nullus hujus mundi, qui gloriantur in sapientia, omnia faciens et cogitans per orationem et deprecationem, ut omnino aliquos et ante omnes Christum lucrifaceret, ad alios quidem scribens: alios autem monens: pluribus etiam donans: omnes autem, qui propter inimicitias, litemque et gravem furorem enses saepe contra se invicem strinxerant, cum apud ipsum fuissent concordes et se complexi exiverunt, fratres animo, conjuncti affectione; adeo ut quilibet homo justus glorificaret et laudaret Dominum misericordem. Ipse enim beatae filiorum Dei partis veluti pacificator, appellationem suam laetus lucrifaciebat. Ille et in paupertate spiritus et in persecutionibus, gratiâ Dei, tamquam regnum Dei possessurus, erat beatus.

§ **22**. Si autem ii quoque qui lugent, sunt consolationem accepturi tamquam beati: qui est illo beatior, qui pro commiseratione et misericordia et amore apud Deum effudit tot rivos lacrymarum? Porro autem fuit vir ille adeo Domini et Christi amans, ut quotannis ejus passionis legens Evangelium (is enim erat mos ejus) pro probris et contumeliis, quibus fuerat affectus, lacrymaretur et discerperetur: adeo, ut putaret se videre Dominum in ipsis passionibus. Quod autem esset inter mites enumerandus, planum factum est, cum terram possederit. Pro eleemosyna autem tantam consequetur misericordiam, quantum misericors fuit supra praeceptum. Quidnam autem sit hoc, opus est dicere: Petiit aliquando mendicus ab eo indumentum. Ille vero nihil dubitans, in cordis hilaritate, cum sibi ademisset, qua indutus erat, tunicam, et dexterâ involuisset, dejecit a columna sinistrae manui arcano non credito. Deo enim faciebat, qui non vult tubâ cani pietatem. Et qui misericordiam fuerat quidem consecutus, cum quod petebat impetrasset, recessit, Deo agens gratias, quod curam gereret indigentium.

§ **23**. Ipse autem tandiu perseveravit in aëre congelatus, donec quidam vir religiosus ex iis qui erant inclusi, cum in eum intendisset oculos, sic dixit ei: « O sacra et beata anima, quaenam vis dicendi, aut quot linguae doctorum poterunt explicare tuam divinam virtutem? ab ortu benedictum tuae vitae progressum? intelligentiam canae juventutis? senectutis plane admirabilis

Digitized by Google

tolerantiam, mansuetudinem, et in omnes comitatem? Quis pater unquam tanto studio defendit filium, quanto tu quemlibet, qui afficiebatur injuriâ? Quis, contritis maxillis injustorum, e medio dentium praedam rapuit, sicut tu? Quis autem sic conservavit pauperem a manu potentis? Orphano vero, cui non erat adjutor, quis sicut tu, opem tulit? Os autem viduae et pauperum, quemnam sic unquam benedixit, sicut te justum? Haec quae sunt pii et justi Job, sunt quoque vestrae. Nam vos quoque estis sicut Job, et forte etiam supra Job. Nam ille quidem in calamitatibus diem ortus sui est execratus, dicens: Pereat, et non sit inter dies annorum. Tu autem non sic, qui fortiter omnia sustinuisti: quando te hyems terribilis multa nive texit multos dies, non permittens ut surgeres, premens et frigore congelans, quae sunt intima corporis: quo tempore concurrebat etiam naturalis senectutis refrigeratio, qui a jècore suppeditabatur, calorem non accipiens amplius, ut est rationi consentaneum: et contractis nervis circa tibias, fibrarum vires emarcuerant, naturalem pedum statum non amplius accipientes. Sed non dixisti: Pereat nox, in qua dictum est, Ecce masculus; neque imprecatus es, astra illa nocte fuisse obscurata. Neque dixisti: Cur non sum mortuus in utero: e vulva autem sum egressus et non statim perii?... Quid autem dixisti? Justus Deus et juste castigavit. Quid enim mihi opus est pedibus, qui sum cum Christo in Deo crucifixus, et habeo manus quas extendam ad preces, et os ad confessionem laudemque et gloriam ejus qui creavit? Abeant pedes post octoginta et quinque annos, qui corporis ministerio satis inservierunt. Paulo post enim omnino requiescet tabernaculum, pulvere reverso in pulverem. Cum sic autem gratias ègeris, o vir Dei beatissime, si fuissent tibi liberi, iis privari eodem modo tulisses: et si juga boum, camelosque pascentes àliaque jumenta amisisses. Quibus enim tua sponte propter Christum renunciaveras, iis privatus, aequo animo tolerasses; quoniam per arctam et angustam portam constitueras mala perpeti. Propterea extensi sunt palmites tui a mari, et usque ad fluvios pervenerunt tuae propàgines. Quomodo enim, quando quispiam generosae arboris fructum viderit, ex ea studet surculos suae arbori inserere *: sic reliquae civitates, tamquam a divina et electa radice, vi tuos avellentes discipulos, sacros Antistites et eruditores suis patriis acceperunt ut donum magnificentissimum. »

§ **24**. Porro autem ego quoque **, tuae plantationis vilissima, o pater, et tarda propàgo, hanc funebrem orationem ausus sum tibi dedicare cum selegissem pauca ex multis tuis actionibus in quarum plurimas ìncidi; ut qui ex tuis didicerim certaminibus, quod tentata justi anima, tamquam aurum in conflatorio, suae

* Similitudo ex arte inoculationis (ital. *innesto*) arborum.
** Metaphrastes Alypii discipulus fuit.

pulchritudinis auget ex probatione decus. De Te enim olim disceptabam stultus ego haec cogitans de tuis calamitatibus : Cur post quinquaginta tres annos, cum aëre et quae in eo sunt malis luctatus, cum esses justus, privatus fuisti media corporis parte? Cur praeter haec, quatuordecim annos non usus es pedibus, sed super unum latus perpetuo recubuisti, quod etiam iis qui in lectis recumbunt super vestem mollem stràgulam est molestum, et non possunt ne unam quidem horam ferre quin convertantur. Percussus enim fuisti etiam malo ulcere, nempe ultima quoque Job plagâ. Haec mihi sic dubitanti, divinae vocis ad Job per turbinem mihi venit ad mentem, non alia de causa te sanctum haec passum esse, quam ut Justus ut ille apparères. Credo autem sapienti quoque Salomoni, qui de virtute praeditis animabus sic docuit: *Justorum animae in manu Dei sunt, et non tanget eas tormentum mortis. Visae sunt oculis insipientium mori, et reputata est afflictio eorum exitus; illi autem sunt in pace... Quoniam Deus tentavit eos, et invenit eos dignos se. Tamquam aurum* etc. (*Sap*. III). Ergo etsi nos molestiâ affecit tua quae fuit ad breve tempus imbecillitas, ut qui non investigassemus judicium laudabilis tuae tolerantiae, quod operetur probationem; at nunc novimus quod corpus post animae hinc excessum, proprium consequetur honorem. Nullus enim fuit nec ex civibus neque externis qui non diligenti studio ejus in amplexibus Sanctum non salutaverit. Mulieres autem pueros et lactentes infantes, impellentes et repulsae, irrumpentes et insurgentes, flentesque, ad reliquias efferebant animo valde anxiae, ne si forte ablatum fuisset corpus, charissima privarentur ex ejus contactu benedictione. Nemo autem nescit, quod cum quatriduanae jam essent exuviae, adolescens quidem captus fuit a daemone. Qui cum meridie ad tuum actus esset sepulcrum, inclyte Pater, et vehementer discerperetur, ipso die fuit a maligni vexatione liberatus.

§ **25**. Tu vero Pater sancte, qui evolasti ad ea quae supra sensum et cogitationem sunt, et sortitus es quae sunt meliora, memento tuorum filiorum, eisque adsis et eos serva et custodi, ut tua sequentes vestigia perveniant ad tuam beatam mansionem. Ovium gregis tui ne obliviscaris, sed etsi spiritualium frùeris gloriâ, circa divinitatis versans pulchritudinem, nos aspice et nostri miserere quos congregasti et orphanos reliquisti. In verborum tuorum doctrina confirma, in tuorum operum imitatione corrobora: da nobis, qui mundo valediximus, pacem Christi Jesu Domini nostri, cui gloria et potentia cum Patre et Sancto Spiritu in secula.

Digitized by Google

VITA S. ELOQUII ABBATIS LATINIAC.

UT VIDETUR A MONACHO WALCIODORENSI CONSCRIPTA
HABETUR IN PERVETUSTO MS. CODICE ECCLESIAE TRAJECTENSIS

Floruit Saec. VIII. — Hibernus.

§ 1. Regnante Clodoveo Christianissimo Rege, venit beatus Eloquius ad Galliarum litora ex Hyberniae regione, cum aliquibus venerabilibus viris, videlicet Furseo, Ultano, Foillano, Boëtio, Ettone et caeteris confratribus. Cumque plura monasteria, per insulas maris construxissent, et per Britanniam ac Saxoniam transvecti essent, plurimum ibi populum Domino acquisierunt. Tunc quibusdam causis ingruentibus, relictis ibidem monasteriis expulsi a populo et Rege, causâ visendi Romam profecti sunt, atque a Clodoveo memorato perhumaniter excepti, in loco qui dicitur Latinlacus * monasterium extruxerunt: ibique fratribus ordinatis, S. Furseus ** coeptum volens prosequi iter, non multo post apud villam Peronam defunctus est, beato Eloquio monasterii Latiniacensis et animarum curam relinquens. Post multos vero dies, S. Eloquius sciens discipulorum animos diaboli instinctu contra se excitatos, relictis omnibus, cum paucis fratribus super fluvium Isaram nominatum, in loco qui antiquo vocabulo Girimacus dicitur, ibidem eremiticam vitam duxit. Ubi et a viris religiosis honorifice susceptus, atque ab Eligio Noviòmi Episcopo, viro venerabili, undique per suam dioecesim licentiam praedicandi accipiens, multos oratione aegros pristinae sanitati restituit: ac sanos et incolumes in viam veritatis induxit.

§ 2. Quadam autem die, dum ad ejus cellulam quidam aeger eleemosynam peteret, vir Domini quod ad manum porrigeret non invenit: jam enim caetera in usus pauperum expenderat: tantaeque ejus inopiae condolens, in oratione prostratus, profusis lacrymis Domino supplicare coepit, ut qui caeco nato oculos aperuit et quatriduanum Lazarum resuscitavit, ipse pristinam ei conferre dignaretur sanitatem. Statimque pro foribus Domino gratias agens profectus est ab infirmitate plenissime curatus. Cumque fama longe lateque divulgaretur, quod vir Domini precibus apud Deum, multis incolumitatem impetraret, coeperunt in grabatis aegros plurimos offerre quos ille tangens sancti olei liquore, post susceptam benedictionem sanos dimisit. Viri itaque religiosi circumjacentis loci, magno gaudio replebantur, quod apud eos talis vir habitandi moram elegerat, atque ejus oratorium, ex agris, vineis et pratis omnes magnifice honoraverunt.

* Gall. *Lagny.* ** De S. Furseo egit Surius Vol. I. p. 357.

Digitized by Google

§ 3. Quadam vero die cum operarios in vineam conduceret, ac operantibus adstaret, venit quidam èjulans et clamans: « Heu me miserum, ecce filium meum unicum, quem ex sacro fonte aquâ baptismatis abluisti, in domo mea semivivum reliqui : succurre illi, obsecro, serve Dei, et eum adjuva.» Cumque eum leniter consolaretur, quod ex hac infirmitate non esset moriturus, ecce mater pueri occurrens, dixit: « Noli molestare virum Dei, jam enim filius noster mortuus est.» Quod vir Dei audiens, Evangelica verba profudit, dicens: «Docuit nos Dominus spe obtinendi orare, dum ait: *Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis*. Credite igitur et fundamus ad Deum preces et recipiet sanitatem.» Cumque orationi simul incumberent, ecce puer sanus effectus, seu potius redivivus, venit ad locum ubi sanctus Dei orabat. Quem cum viderunt parentes ejus, gratias Deo egerunt, qui salvat sperantes in se. Multa quidem et alia sunt quae per eum Dominus dignatus est operari, quae brevitatis ergo missa facimus.

§ 4. Igitur sanctissimus Dei famulus Eloquius, vitae cursu fideliter peracto, repletus omnium bonorum operum fructu, ad coeli gaudia, tertia die Decembris ascendit. Cujus corpus sepultum fuit a fidelibus in quodam monticulo, juxta aggerem publicum super fluviolum nomine Sommeron; ubi postea aedificata est aedicula super tumbam ejus, propter crebra miracula ibidem ostensa.

§ 5. Tempore Ludovici Imperatoris mulier quaedam Richildis nomine, diu caeca, ad ecclesiam ejus veniens, statim ad sepulcrum ejus illuminata est. Alia nomine Herlefreda caeca, et totis nervorum compagibus dissoluta, illuc deportata, ipsa die videns et sana, est regressa. Alia nomine Germuara, per annum contractam habens manum dexteram, ibidem est curata. Alia nomine Gertrudis de pago Hasbanico, dextro lumine privata, ibidem illuminata fuit.

§ 6. Cum ergo temporibus Regis Francorum Odonis * plurimae fierent circumquaque strages Christianorum ex crudelitate Danorum, ac multa incendia ecclesiarum ac villarum agerentur : sancti Eloquii pariter cremata est ecclesia. Postea saepius in eo loco a transeuntibus auditae sunt voces suaviter psallentium, et luminaria ardentia de nocte conspiciebantur. Cum vero hujusmodi signorum fama circumquaque percrebuisset, ac maxime quod sanctus Dei absque ecclesiastico cultu sub dio et in deserto loco solus jacèret: Hardericus venerandus Comes cum Heresinde conjuge sua clarissima, accesserunt ad Rodohardum tunc temporis Laudunensem Episcopum, petentes ut licentiam daret aliorsum corpus illud sanctum transferre, ubi honorabilius possit custodiri. Quo concesso, delatum est sancti viri corpus ad hanc

* Legendum foret: ... Temporibus Caroli Simplicis, Francorum regnum administrante Odone ejus tutore (Saec. x)...

Digitized by Google

praesentem ecclesiam Walciodorensem *. Ubi cum intrasset, multi hac die ex variis infirmitatibus, antequam Missarum solemnia complerentur, sanati sunt.

§ 7. Presbyter hujus ecclesiae nomine Dendinus, febricitans, statim ut hujus limen ecclesiae transivit, sanatus est. Alius per 16 annos caecus, illuminatus est. Paralyticus in porticu hujus ecclesiae solitus eleemosynam petere, sanatus est. Postea quidam a daemone graviter obsessus, ubi ad sepulcrum ejus obdormivisset prostratus, statim surrexit, et sanus in domum propriam est reversus. Illius itaque translationis ac sepulturae decus, tertio Nonarum Decembrium celebratur cum honore ad laudem nominis Dei qui vivit in omnia secula, Amen.

MARTYRIUM

SS. MENAE, HERMOGENIS ET EUGRAPHI

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE. HABETUR IN TOMIS LIPPOMANI**

Circa 306.

§ 1. Cum Diocletianus et Maximianus imperium deposuissent, Maxentius quidem ab eis Romae, Constantius autem Galliis, Maximinus vero Orienti praeficiuntur Imperatores. Fuit ergo protinus in Oriente magna persecutio adversus Christianos, et rerum communium confusio, et ut semel dicam, magna quaedam perturbatio et seditio in terra et in mari, Maximino studente quidem confirmare majorum suorum deceptionem, et falsam religionem: e terra autem, si fieri posset, tollere res Christianorum, et omnino auferre de medio. Cum vero ei relatum esset, totam Alexandriam (ea est autem civitas illustris in Aegypto) et per se quidem seditionem agitare causâ reipublicae, et seditionem etiam agitare, cum Christi ad eam venisset praedicatio, ubi deliberasset et considerasset, et visum est (quoniam non poterat per se praesens civitatem conciliare) edictis interea reprimere quidem praedicationem, componere autem controversias publicas et civiles. Cum vero edicta videretur superare eorum qui seditionem agitabant, controversia et ratio praedicationis, relata sunt haec quoque rursus ad Imperatorem. Ille autem continuo non parum quidem aegre ferebat suarum contemptionem constitutionum: irascebatur vero quod dii patrii abolerentur.

* *Vazor* apud *Namur*.
** Insignis haec historia est, ac licet Metaphrastea, satis fide digna. Praeclara prebet exempla facundissimae et fortissimae confessionis.

Digitized by Google

§ 2. Irae itaque hunc praetextum prae se ferens quod tanta defecisset civitas, tunc quidem suum retinuit impetum, eos qui erant in Ecclesia, ut qui essent ex magistratibus, revèritus: postea autem cum in hoc totum suum convertisset studium, et cognovisset sibi quidem necesse esse reipublicae gratiâ adhuc versari Byzantii, non expedire vero, eo relicto, proficisci Alexandriam, mittit ad eos virum qui vocabatur quidem Menas, et erat genere Atheniensis, et unus ex senatu, et ex Graecorum processerat disciplina: ut qui cum in alia esset doctrina summe exercitatus, tum etiam in arte rhetorica quae in disceptationibus versatur et contentionibus, erat inexpugnabilis: et ut paucis dicam, ad dicendum quidem erat promptissimus, ad audiendum vero prudentissimus: tunc autem celabat religionem, et occulte sectabatur res Christianorum: usque ad hoc tempus autem se simulabat sequi voluntatem Imperatoris. Verebatur enim, quoniam sunt certamina periculosa, sua sponte venire ad martyrium. Atque Imperator quidem maxima celeritate eum mittit Alexandriam, ut rerum quidem civilium componat controversias, et eos reconciliet qui propter eas processerunt ad seditiones: maxime vero et praecipue, ut zelo patriae religionis, et dicendi arte, et animi celsitudine, Christi praedicationem expelleret e civitate, et rursus imperatoriam doceret religionem, eos subjungens qui illam abjuraverant.

§ 3. Ille autem potestatem et tantarum rerum molem suscipiens, cum brevi tempore fuisset in civitate, artis necessitatè et ingenii praestantiâ controversias facile composuit et civibus quidem antiquam pacem, civitati vero potentiam et tranquillitatem omnino restituit, adeo ut raro quidem tribunali, plagis autem ne semel quidem opus fuerit. Cum autem in aliis quidem vidisset convenire civitatem, in novi vero dogmatis sententia nondum convenire, et omnia sigillatim scripsisset ad Imperatorem, conversus est ipse ad praedicationem: et intelligens esse facile, si modo velit, totam per se civitatem convertere ad veram religionem: et quod si in alio quidem tempore subiisset martyrium, pro se solum accepisset coronam: hodie autem pro iis qui decertant, accipiet mercedem: intuens ad coronas, statuit et magis arguere deceptionem, et traducere civitatem ab errore gentilium, et persuadere omnibus, ut discant pietatem, et seipsum reddere manifestum, et certaminum occasiones ipse tamquam ansas praebere aliis. Quoniam vero perspiciebat multitudinem nequaquam quidem nudas admittere adhortationes, sed eas potius habere suspectas: facilius autem capi a fide quae proficiscitur ex operibus, pauca docens, idque solum, quando videbat interrogantes, et cupientes discere: magna ex parte autem eos per signa inducens, adeo brevi ad eam, quae latebat, traduxit veritatem, ut fuerint omnes parati daemonum statuas et aras dejicere:

Digitized by Google

et, si quando licèret, pro Christo pati mortem prompto et àlacri animo. Nam cum ille quidem cum rebus publicis ipso quoque dignitatis fastu exùtus, totum forum obiret honesto et moderato incessu, et totus quoque fere populus ipsum consequeretur, propter reverentiam magistratus et signorum et curationum: accederet autem forte fortuna, ut ipse incideret in aegrotos, aut illis occurreret, quibus erat corpus aliqua parte mutilum, ille quidem protinus cernebatur animo perturbatus, et manus eis imponebat, et Christum invocabat, et signo Crucis obsignabat. Illi vero cum essent claudi, statim saltabant omnibus videntibus: surdi autem et caeci, protinus videbant et audiebant, mutique loquebantur, et daemoniaci curabantur.

§ 4. Cum haec ergo fierent, et precaretur quidem beatus Menas: ad invocationes autem concurrerent omne genus miracula (manifestum enim erat iis qui simul aderant, quis solum nominatus faceret miracula, et quod non erat alius, nisi Christus Deus), erumpens repente universa civitas a majorum, in qua enutriti fuerant, deceptione, et patrios quidem deos multum ludificans, multa vero dicens adversus Imperatorem, et gravissime execrans tam eos qui colunt, quam ea quae coluntur, et toto animo abjurans parentum impietatem, a martyris lingua et mente omnes simul pependerunt, et sua ei animâ adhaeserunt, sacras voces arbitrantes, et verba vitae, illius solius verba agnoscentes: paucis ad signa conniventibus, et ad agnitionem eorum obsurdescentibus. Quinam autem erant isti? Ii, a quibus magni quidem fiebat festum daemonum quod peragebatur ad aras, propter comessationem, et ebrietatem, et cubilia, et intemperantiam: contemptui vero habebantur res honestae et venerandae Christianorum, propter vitam continentem et impatibilem, et quae erat cum corpore, vitam incorpoream. Cum autem isti tenebrarum filii et interitus, derelictum errorem et suorum simulacrorum dedecus non ferentes, sanctum quaererent ulcisci pro facta eis injuria, et populum pro ejus in deos contumelia, caverent autem impetum multitudinis, haec quoque clam referunt ad Imperatorem. Ut vero ejus iram maxime accenderent, et ad poenas sumendas eum totum inducerent, et a dubitatione et ira obsessum, efficerent celerem ultorem audacis facinoris, hoc nomen Galilaeus, seminarunt per totam epistolam: ejusque dominatus, et deorum contemptionem et abolitionem: et adversus ambos scommata et irrisionem, et universam civitatis defectionem.

§ 5. Maximinus autem statim eis lectis literis, pudore et dolore fuit repletus. Dolebat enim propter damnum civitatis, cum considerasset, quam mutilatum sibi esset imperium, et quanta pars potestatis esset sibi ablata: pudore vero afficiebatur, videns se esse victum, et suos deos esse affectos contumeliâ. Cum autem prae se tulisset eam quae ipsum invaserat, animi perturbationem,

et vultus tristitiam, esse solummodo intensam cogitationem, et ejus quod expediebat, meditationem, quoniam huic tempestati diu non potuit resistere, fit protinus manifestus, et arguitur ab animi perturbatione, et aperte erumpit in iram. Cum itaque multis maledictis Christum esset insectatus, et beatum Menam condemnasset erroris: et adjecisset, fieri quidem non posse, ut homines hominem discernant: peccare autem peccatum minime ignoscendum eos qui cum nihil habeant, cujus insimulent benefactores, efficiunt ut illorum in eis spes cernatur inanis: surrexit, interim rerum urgentium praetermissa solutione. Mane autem die sequenti convocatis magistratibus, cum communiter cum eis considerasset, et vidisset omnes consentientes in quemdam Hermogenem, virum quidem honestum et clarum, et alioqui non malum (erat enim temperans et bonus in pauperes, et, ut dicit Apostolus, legem non habens, naturâ faciebat quae sunt legis: ignorabat vero tunc Christi virtutem, et nec ejus erat baptismo consummatus: etiamsi imprùdens ingrediebatur viâ quae est ex Christo: et erat quidem ejus ovis, sed non signata: et conjunctionis ac familiaritatis nondum acceperat signaculum). Cum ergo haec ei adessent, et esset quidem ipse quoque genere Atheniensis, et in Graeca eruditione summe exercitatus, tam experientiâ, quam naturâ valeret prudentiâ: et ad dicendum ita accederet, ut videretur ad hoc venire meditatus: et ideo censeretur esse aptus implicatis et perplexis quae tunc orta erant, negotiis, et ad eum adjecit animum Imperator: et cum vidisset universum ad hoc consensisse senatum, statim quidem tanquam probri et ignominiae causâ vel absentem beatum Menam removit a rectione: misit autem Hermogenem qui tunc erat Praefectus urbis, jubens eum et magnum Menam examinare, et civitatem ab errore, ut ei quidem videbatur, liberare: non modica quidem ei data manu ex Byzantio quae cum eo versaretur, et majore ex Alexandria quae ei inserviret.

§ 6. Hermogenes ergo jam navigans in Aegyptum, cum undique circumflueret ministris et satellitibus, videt tres viros luminosos, ei dicentes: « Vide, Hermogenes, quod nec breve quidem studium Deus despicit. » Cum ille autem interogasset, « Et quod est hoc breve studium? Imperfectum tuum, dixerunt, suscipiens propositum, viam tuam quae ad multorum spectabat naufragium, effecit tibi gloriae conciliatricem, et honorum immortalium. Vide ergo, ut haec bona nuncia apud te conserves, et ne ea mandes oblivioni, etenim per hoc tuum iter, mox habebis verum Regem et aeternum. Porro autem a nobis quoque ipsis eum virum consequèris, per quem et huic beato Regi fias amicus, et eum accipias profectum, quem qui hodie regnat, tibi dare non potest. » Cum vero ad extremum galli cantum nox jam pervenisset, excusso simul somno, et, quam ex nocturna visione

Digitized by Google

acceperat, perturbatione, non valens conjicere ea quae visa fuerant, suspicatus est solummodo somnium esse visionem illam quod illi nec opinatam evestigio rerum annunciabat mutationem, et gloriam fortasse constantiorem quidem, sed tamen terrenam. Cum autem paucis post diebus longam illam confecisset navigationem, et placido fluctu in portum appulisset Alexandriae, descendit de navi, et continuo se totum dedebat exequendis Imperatoris monitis atque jussis. Nam cum Imperator quidem multa Praefecto mandasset adversus beatum Menam: ei vero universa civitas obviam processisset in litore: tympana autem et laudes et tubae in occursu circumsonarent: et una vox esset laudantium, eum extollens qui missus fuerat ab Imperatore, cum ipse Praefectus suos tamquam in phalangis ordinem direxisset satellites, et jussisset praecedere lictores et apparitores, cum tanto stupore et admiratione omnium ascendit in civitatem, cum quanta iis qui tunc erant potuisset videri vel ipsam terram movere, et negotiorum meditatione, et in rebus omnibus studio diligentissimo, constantique et inflexibili habitu animi, sperans se et ab Imperatore mandatum honorem recte administraturum, et eorum qui non erant firmi, gressus supplantaturum.

§ 7. Cum autem vespere solus per se esset, dimissa turbâ quae eum deduxerat, animadvertens magnus Menas quod cum seorsum quidem sunt homines, et maxime viri clari et insignes, ferunt reprehensiones, et cum ea quae eis saepe visa fuerant, refelluntur, sustinent: in concione vero et congregata multitudine, aegre ferunt se redargui, et constanter permanent in iis quae sibi visa fuerint. Hoc ille optime considerans, et quod eruditissimus quidem vir erat Hermogenes, nondum autem poterat comprehendere tantam dogmatis altitudinem: et quod si sic ascenderet tribunal, cum de pietatis institutione nihil antea audivisset, non prius discussis malis, quas anticipaverat, notionibus, dicendi scientia, et vehemens ingenium, et contentio animi, ingentes spiritus excitante auctoritate magistratus, non solum erunt impedimento ad tradendam pietatem, sed satis etiam erunt ad tantam corrumpendam civitatem quae in fide nuper est plantata, et ad ejus pia evellenda semina: moderato et honesto habitu ingreditur ad Praefectum. Quem cum compellasset, dixit: Gratia uni et magno Deo; ejus enim, ut videtur, providentiâ nunc primum tu excelsus et clarus, magna illa et prima regia urbe relicta, ad hanc ultimam et parvam accessisti: et cum jam esset sanctus de pietate sermonem inchoaturus, vel potius malas de Deo anticipatas notiones prius labefactaturus, Praefectus cum et unum Deum audivisset, et ne a calumniatoribus vocaretur in invidiam, ut qui admitteret inimicos Imperatoris, et eos sermone impertiret, et alioqui morum gravitate, et in sanctum acerbitate, Imperatoris captans benevolentiam, et ad emolumenta aspirans, interrupto

Digitized by Google

sermone, eum jubet comprehendi et conservari in custodia, tantum dicens assistentibus: Si venerit dies crastinus, sciet hic solidus mysta Galilaei, qualis ego sum amicus inimicis Imperatorum et deorum, et an sit unus Deus, an multi.

§ 8. Crastino autem die ei proposito tribunali, et spectante toto populo, et assistentibus satellitibus, ipse praesidens, jussit sanctum assistere. Cum hoc autem factum esset, et laeto vultu et interrito animo martyr astitisset, dixit Praefectus: « Aequum est, o Mena, omnem hominem honorare Reges, et Regum deos colere, et praeterea grato esse animo in benefactores: aut ipse aperte doce, quid ad haec facere oporteat. » Sanctus vero, « Eàtenus, inquit, o Praefecte, grato esse animo oportet in benefactores, quatenus et ei qui est gratus, et ei in quem hoc fit, id fuerit utile. Quando autem contra magnum utrisque affert damnum, tunc oportet rejecta ea quae est cum damno, benevolentiâ, ea praeferre quae conferunt. Reges vero honorare quidem sanctum est propter potestatem et principatum. Quando autem ii non sunt recte et sane affecti in Deum qui est primus principatus, neque ei, ut par est, honorem tribuerint, non dixerim eos esse honorandos. Quinetiam eorum dii non sunt temere colendi, nisi prius examinaverimus, an vere possint, quaecumque oportet Deum posse: et num, cum et ortum habeant et principium, fine quoque careant et sint immortales. Sin autem eis horum desit aliquid, eos quidem oportet despicere. Quomodo enim fuerit Deus imperfectus? ferventi autem desiderio et mundo corde quaerendus est Deus qui est vere Deus.

§ 9. «Ego igitur, ut ipse scis, o Praefecte, cum et essem Atheniensis, et patriam legem jamdiu honorarem, et in tenera adhuc aetate amissis parentibus essem nescio quomodo studiosus et valde laboriosus, statui percurrere omnem Graecorum fabulosam doctrinam. Hoc vero a me brevi est confectum, omnemque eorum scientiam et artem accurate percurri. Cum vix tandem autem accepissem, esse apud Christianos quoque quasdam Scripturas, fuit mihi studio eas legere. Cum vero legissem, animadvertebam in eis tantam latère utilitatem, quanta ne dici quidem potest: et eas conferens cum Graeca disciplina, inveniebam magnam differentiam, easque inter se pugnare quasi ex diametro. In illis quidem virtutem et veritatem, in hac autem errorem et improbitatem. Nam quae sunt apud Christianos quidem Scripturae, inducunt Christi virtutes Deo convenientes, et alioqui simplices, divinaeque naturae, et sibi consequentes: Graecorum autem Scripturae, inducunt Deum praeditum humanis affectionibus e perturbationibus: et sunt quidem plenae mendacio, plenae etiam turbulentis animi motibus: repletae quoque intemperantiâ et immoderatione, habentes deos inter se pugnantes, victosque et sauciatos ab hominibus, in quos cadit interitus: et innumerabilibus

Digitized by Google

aliis malis refertae et fabulis. Et ut semel dicam, illarum quidem finis est salus, ex veri cognitione: harum autem apertus interitus, et deductio ad turpes probrosasque affectiones, et inventionem erroris. Quamvis vero ita se habeant Scripturae Christianorum, non continuo decrevi eas sequi: sed etiam Christi virtutis quaerebam experientiam, ut facto docerer veritatem: et cum incidissem in quemdam, cui erant mutila membra corporis, et cum hoc dixissem esse bonae fortunae, inveni verbis divinis factum quoque esse consequens. Postquam ergo solum Christi nomen dixissem super illa membra mutilata, illa, protinus amissa mutilatione, perinde ac rursus transformata, ad eam quae erat in principio, traducta sunt sanitatem. Cum ergo re ipsa et facto agnovissem Opificem, et Graecorum ac gentilium abjurassem vanitatem, baptizatus sum, et me soli Christo dedicavi. Ab illo autem tempore in hodiernum usque diem, o Praefecte, morbos difficiles, et affectiones incurabiles, et quas solus poterat curare Deus, cito et facile curo, solum Christi nomen invocans. Eorum vero quae dico, testis est mihi universus populus, et hoc quod circumsistit theatrum: nec potest dicere haec esse falsa, et verba inania. Nam nunc quoque licet ea quae dicuntur, facto ipso comprobare.»

§ **10**. Cum sic veritatem aperte explicavisset martyr, totus populus et universum theatrum ab hora tertia usque ad septimam, a lingua martyris quodammodo dependebant, et illius magis sermonem desiderabant, quam contumeliam. Et postremo cum vidissent ipsum simul et deos Imperatoris refellisse et arguisse et verum Deum demonstrasse, et simul illos producere testes suorum miraculorum, uno ore omnes, Ne labores, dicebant, o bone Praefecte. Nam nos ipsi fuimus testes prodigiorum: ipsi fructum sensimus ejus miraculorum. Nullum serpit mendacium, neque ulla fraus subest in iis quae ab ipso fiunt; cognovisses ipse quoque veritatem, si simul adfuisses et quod non oportet alium existimare et adorare Deum, quam ejus Deum. Revèritus autem Praefectus civitatis fidentiam et loquendi libertatem, et videns omnem fere populum ad Christum declinasse et ivisse in athletae sententiam et servare, ne quid novi in eum audeatur: et partim quidem non potens dicere contra veritatem, partim vero etiam erubescens eum punire, qui veritatis verbum tam recte tractabat, ut omnes qui aderant, ei parèrent et crederent, perturbatione plenus et tristitiâ, jubet sanctum rursus includi. Surrexit ergo protinus a tribunali et dimisit theatrum: et a certamine simul effluxit populus et universum theatrum: et eorum omnium emanabat quidam susurrus, martyrem laudibus prosequentium. Atque sanctus quidem erat inclusus: linguam autem ne sic quidem habebat tacentem et ab hymnis in Christum abstinentem: « Liberasti nos, Domine, ab affligentibus nos, et eos

qui nos oderunt, pudore affecisti. Aperuisti in parabolis os nostrum, et locuti sumus propositiones ab initio.»

§ **11**. Praefectus autem reputans, quantum ex prima quidem experientia eum condemnasset civitas, quantum vero sit eum etiam condemnaturus Imperator, cum acceperit, et non parum se afflictans, propemodum sibi indicebat inediam. Cum tamen apud se cogitaret somnia et tota nocte ea mente versaret, postquam illuxit, audivit vero congregatum rursus esse theatrum, et hesternam superare hominum frequentiam desiderio communis in dicendo contentionis, et athletae probabilitatis, reliquarum rerum curam dicens esse posthabendam, sedit in tribunali; circumsistebant omnes satellites attoniti, et subjiciebatur ejus oculis quodlibet instrumentum factum ad torquendos homines (ita enim jusserat Hermogenes, ut metum afferret martyri). Postquam ergo haec facta sunt et introductus est sanctus vinctus funibus, dicit Praefectus: «Dic mihi tu execrande: Quanam fortunâ fretus, eo processisti audaciae, ut populo quidem persuaderes, ut a potestate deficeret Imperatoris: impudenter autem diis detraheret, et tuam teneret sententiam, et sic repente tuae linguae mentique adhaeresceret: et convictus es criminis peregrinae a te introductae religionis et affectatae tyrannidis?» Ad haec sanctus: «Quod tyrannidem quidem, inquit, non affectem, moderatus hic, in quo me invenisti, habitus ante me pro me respondit. Populum vero non ipse persuasi deficere, sed zelus Dei qui per signa ab eis fuit agnitus. De tuis autem et Imperatoris diis male dixi, quod oportet omnem hominem, cum ratione et judicio falsum deprehenderit, ipsum quidem execrari, adorare autem veritatem. Veritas vero, o Praefecte, apud homines, de qua non est dubitandum, est ipse Christus.»

§ **12**. Praefectus vero dixit: «Hoc tibi ita videtur, o demens. Quod enim non oportet colere et adorare Crucifixum, et quod nugae erant et inanes sermones, quaecumque a te heri dicta sunt, ex hoc patebit. Quando enim, cum ego aliquod tuum membrum execuero, aut exussero, tu qui Christum adoras, non potueris id restituere, quomodo haec visus fueris aliis re vera dedisse, quae non potuisti tibiipsi largiri?» Ad hoc annuit universus populus. Sanctus vero dixit: «Opto, o Praefecte, ut tu in me Christi facias periculum. Confido enim fore, ut eâ depositâ quam nunc sustines, dignitate, ipse quoque cernaris unus ex iis, quibus Christus imperat.» Praefectus itaque et suam volens iram ulcisci: sperans autem fore, ut propter ea quae dixerat, sanctum in omnibus convinceret, jubet carnosam illam partem plantae pedum, super quam collocata est utraque basis, gladiis excoriari et sic denudatis ossibus, stare ipsum ad rogata de diis ei proponenda: ut sic maxime laborum dolorumque acerbitate perculsus, ad danda responsa et solvendas quaestiones facile

Digitized by Google

impediretur. Sanctus autem, cum ei immisericorditer caro gladiis scinderetur, et universae quae circumcirca sitae erant venae ei rumperentur et quicumque nervi motum administrantes congenerati erant, divellerentur, parum quidem ingemiscebat, gratiâ quodammodo cedente et athletam probante, quinetiam ei coronarum praebente occasionem (aperte enim fructus laborum, sunt coronae). Se enim fortiter gerebat adversus dolores, tanquam ipsa magis adesset et ipsum sustentaret, et levaret sensum dolorum. Postquam autem fuit dimissus e tormentis, protinus exiliens sanctus, stetit rectus super sola ossa. Pes meus, psallens, stetit in rectitudine: in ecclesiis benedicam te Domine. Effluebat autem undique ex ejus vestigiis magna vis sanguinis: et ipse quidem laetum habebat vultum: florentem vero et vigentem habebat animam adversus pericula: liberam autem linguam ad vehementius arguendum quam prius. Nullum autem eum omnino terrebat instrumentum tormentorum. Statim ergo manibus plausit theatrum, tanquam parta victoriâ.

§ **13**. Praefectus autem simul et cogitans vitare reprehensiones, et adversarium reddere veluti inermem et inutilem, jubet ei statim amputari linguam ex ipso gutture. Sanctus vero, «Etiamsi, inquit, extinxeris pupillas meorum oculorum, ne sic quidem ego offendam. Est enim lucerna meis pedibus lex Christi. Confido autem, dicens, quod postquam ipse linguam amisero, tunc tu linguam suscipies, clara voce canentem Christi magnalia.» Postquam vero quadam machinâ et studio lictorum, lingua martyri crudeliter evulsa fuit ex ore sacro, et ipsi ferri aciem deorsum injicientes, eam jam excindebant, patiebatur vir generosus et angore plenus erat ejus animus. Fortem tamen se praebebat et ad Christum totam suam dirigebat cogitationem. Postquam autem finem accepit tormentum, defessum quidem erat sancto robur corporis: ipse vero Christi desiderio animo confirmatus, sensim sublato capite et multum sanguinem expuens, et defluxionibus totus effectus purpureus, confidenter omnes fixis adspiciebat oculis: et nutu Praefecto suum in rebus asperis animum, et populo suam significabat fortitudinem: et se non modo non cedere, sed eam rem etiam delicias putare et mortem sitire. Praefectus autem furore correptus, quod etiam ludificans supplicium, populum suis nutibus testem faceret suae magni animi virtutis, jussit protinus ejus quoque excindi oculos. Postquam vero ministri ad hoc magnam adhibuere diligentiam et statim, nulla communis naturae moti misericordiâ, tenentes athletam, crudeliter ejus sacros effodiebant oculos, dolentis quidem (Quidni enim)? et significantis humanae naturae imbecillitatem: ferentis autem hoc quoque fortiter, et caput, quoties id ab eis remittebatur, inclinantis et quodammodo Domino gratias agentis, quod talia sit bona consequi dignus habitus: Praefectus repente animo affectus et

Digitized by Google

tristitiâ motus ob ea quae videbat, cum hoc solum dixisset, «Cras reliquum corporis erit tradendum avibus, ut nullae ad memoriam supersint reliquiae,» et eum sic jussisset servari, surrexit e tribunali.

§ **14**. Milites vero sanctum adhuc modicum spirantem abducunt, et conjiciunt in carcerem. Noctu autem horâ circiter tertia, cum quasi fulgur illustrasset carcerem, accedit Christus ad locum, in quo projectus fuerat sanctus: et primum quidem eum complet fiduciâ et animi alacritate. Deinde linguam quoque et oculos reformat, ut prius. Deinde cum pedes quoque sanasset et ut semel dicam, eum veluti mortuum totum denuo vivificasset, «Attende, inquit, tibiipsi, o Mena. Ego enim, inquit, sum Jesus Christus, propter quem es passus, qui neque prius a te aberam, neque longe eram a tuis certaminibus: sed expectabam, ut tuus in me amor cognosceretur a magistratibus et potestatibus. Quoniam autem est cognitus, decaetero ero tecum, aperte te defendens. Hermogenem autem Praefectum qui meo est infestus nomini, cras quidem habebis supplicem, paulo post etiam socium certaminis, ut tibi erit manifestum et qui pro me una tecum feret testimonium, promptoque et alacri animo tecum patietur et simul coronabitur. Est enim mea indignum clementia, propter ignorationem, ejus in cognitione bonitatem et bonorum operum effectionem praeterire.» Haec cum dixisset et sanctum ei afflasset spiritum, eum replet omni laetitia.

§ **15**. Praefectus autem quoniam et ipse erat solerti ingenio, et vir bonus: et beatum quidem Menam sciebat esse et doctum et genere clarum et ex eadem praeterea ortum patria, media nocte cum somnum excussisset, et ab ira quae tenebras offundit, ad se rediisset, et animo reputasset, qualia quidem sancto Menae intulisset supplicia: quantam vero ipse contra attulisset fortitudinem et animi constantiam, nihil quod pusillum et abjectum ostenderet animum, aut passus, aut locutus: et quod is periisset, cujus sapientiae et studio sunt omnes inferiores (eum enim jam existimabat mortuum, ut qui ad tanta suffecisset supplicia), et seipsum damnans, quod non blanditiis eum potius induxerit (bene enim actum esset, si vel sic eum cepisset) oculos suffundit lacrymis, et deplorat jacturam. Decrevit ergo veluti viri tantam reveritus virtutem, cum mane surrexisset, illius corpus publice honorare, ut mortuos honorant qui sunt eis proximi genere: et sic martyri pro injuria, quam ei fecerat, satisfacere. Orto autem jam die, quoniam erat theatrum plenum Alexandrinis (fuerat enim congregatum a praeconibus, cum sic jussisset Praefectus), praesidens ipse, jussit maximo honore e carcere ad tribunal deferri corpus martyris.

§ **16**. Cum vero qui missi erant, ingressi fuissent carcerem, viderunt miraculum quod erat superius ratione et cogitatione:

Digitized by Google

luce quidem plenum, obscurum alioqui carcerem: duos autem viros, quorum forma non potest verbis exprimi qui assistebant quidem tanquam satellites: ut milites vero, erant parati ad defendendum: Martyrem autem non solum vivum, et conservantem illaesam corporis integritatem: sed placide etiam intuentem, et linguam moventem, et jucunde psallentem: Nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es, Domine. Protinus ergo visione obstupefacti, stetere muti. Cum brevi autem perspexissent non esse fraudem et somnium ea quae videntur, sed vigiliam et veritatem, et divinam quamdam potestatem, mutati exclamaverunt: « Magnus Deus Christianorum. » Protinus ergo procul abjectis illis ensibus militaribus, judicis autem iram nihili facientes, et Praesides quidem ac Praefectos damnantes: damnantes vero etiam ipsum Imperatorem, crediderunt in Christum, et statuerunt deinceps manere apud sanctum. Cum autem ex eo contigisset diutius tardare milites: desiderabat autem civitas quidem videre corpus fortissimi athletae: videre vero etiam, quid esset eventurum, stabat theatrum, adversus ipsum Praefectum et milites indignans et tumultuans. Praefectus autem volens gratificari populo, postquam cognovit nihil aliud esse, quod eis afferret molestiam, nisi militum moram diuturniorem, pluribus aliis diligentioribus militibus jubet, ut afferant martyrem. Cum autem illiipsi quoque venissent in carcerem, et illas res omnes vidissent admirabiles: audivissent vero martyrem apertissime et expeditissime disserentem, et linguam diserte moventem: (Viderunt autem milites quoque ei, tanquam Deo alicui animum adhibentes,) admiratione pleni et spectaculo propemodum resoluti, ipsi quoque statim cognoverunt rem esse divinae virtutis, et toto animo crediderunt, nihil Praefecti curantes potestatem, et reliquis accesserunt.

§ **17**. Sanctus vero postquam audivit a militibus, jam totam adesse civitatem, magnificientem eum videre, et paratos esse omnes credere illius Deo, si, quae in eum facta sunt, tantum viderint miracula: nihil cunctatus egreditur, habens etiam simul cum eo futuros milites. Cum autem eum ad theatrum accedentem vidit populus adeo sanum et integrum, atque si nihil asperum et molestum esset passus: audivit vero eum quoque canentem: Si constiterint adversus me castra, non timebit cor meum: simulatum et scenicum quemdam esse actum suspicabantur ea quae videbantur. Postquam autem curiosius oculos conjicientes, agnoverunt illum esse Menam, oculis videntem, et linguâ loquentem, et ingredientem pedibus, statim omnes una voce: « Fortis fuit, dixerunt, fortis fuit Christi virtus, etiam adversus ipsam mortem. Felix civitas Alexandrina quae per unum hunc virum hodie tantam fraudem deprehendit, et pulchre didicit veritatem. Dei solius citra controversiam est haec potestas et virtus.

Digitized by Google

Gloriare, o orator, athleta veri Dei et Servatoris, gloriare.» Praefectus autem obstupefactus rei novitate ed admirabilitate, et veritus, ne praeter spem aliquid novi facere cogitaret theatrum, statuit surgere. Postquam vero vidit totum populum ferri quodam magno motu et impetu, et audivit omnes clamantes: « Mane, o venerande Praefecte. Noli invidere tantae civitati rem maximam, nempe ut verum Deum agnoscat hodie, et recta ingrediatur ad lucem veritatis: ipse quoque totus versatur in contemplanda re admirabili quae acciderat martyri, et populo denunciat silentium. Cum autem sanctum jussisset ad se venire, ubi proxime fuit, eum animadvertit et cognovit. Nam ei quidem antea videbantur somnia ea quae apparebant, ut qui Christi nondum habuisset experientiam. Postquam autem et qui aderant lictores, et omnis alia satellitum caterva, quinetiam ipse Praefectus, propriis manibus singula examinantes, cui contradici non potest, fidem cognovere miraculi, tunc omnes circumsistentes, et ipse quoque Praefectus obmutuit.

§ **18**. Cum autem permultum transiisset temporis, multum vero stuporis excussisset Praefectus, et ad se rediisset, dixit sancto: «Dic mihi, o homo, vere per Deum tuum: Quid haec sibi volunt? Et quae haec sunt quae videntur admirabiliter et praeter opinionem? Potest enim haec Deus solus facere, et non alius.» Sanctus autem cum brevi et principii expers Dei principium eos qui aderant, docuisset, et quam esset Crux necessaria et maxime salutaris, esset elocutus, et ad summam, universum susceptae carnis oeconomiae explicasset mysterium, subjunxit in fine: «Deus ergo, o Praefecte, cum sit bonus atque benignus, et propter salutem hominum in terram descenderit, nullum vult omnino perire ex omnibus, et a bonis aeternis excidere: sed quomodo mater post partum omnino quidem sui curam gerit filii: sustinet autem, propterea quod sit imperfectus, ejus etiam contumelias, non ideo malevolens infanti (vincitur enim a visceribus, et valde potius cupit videre eum, cum pervenerit ad perfectionem, gloriâ aliqua et splendore insignem): ita etiam Deus nostri quidem curam gerit post creationem, et tamquam pater sustinet ea quae in ipsum admittuntur delicta propter ignorationem: et a suis potius victus visceribus, benevole se gerit et clementer: nihil aliud desiderans, quam ut ejus gloriam consequamur, cum in virum perfectum creverimus ad mensuram aetatis spiritalis, sicut nos docet Paulus, plenitudinis ipsius Christi. Postquam ergo vidit vos Servator a daemonibus inescatos, tardare venire ad ejus cognitionem, et ad aemulationem ipsum provocantes in non deis, et ad iram concitantes in vestris simulacris, et non formidantes ejus vires et potentiam, vestri curam gerens tanquam filiorum, in me hodie convicit, et errorem vestrorum cultuum, et zelum qui non est ex cognitione, ut ipsi quoque praesentes mihi confitemini.

Digitized by Google

Discat ergo unusquisque vestrum, in me Christi reputans potentiam, quod homo, qui jam spectabam ad senectutem, et magnam quidem corporis partem, omnes autem vires tormentis amiseram, et perinde ac mortuus eram conjectus in carcerem, adsum nunc coram vobis integer, illaesus, nihil diminutus, tamquam rursus in lucem editus, et iterum natus valentior, et si quis velit invenire eum qui est vere Deus, cum agnoverit eum qui mihi hodie dedit linguam, et pedes, et oculos, eum quoque esse credat qui ab initio et alia, et ipsam lucem, et rationem, et motum rebus donavit mobilibus. Cum sis ergo intelligens, o Praefecte, ne sustineas ignorare eum qui tui curam gerit, et tuam expectat conversionem. Oportet enim te quoque ipsum ad Christum accedere, sicut etiam ab ipso mihi fuit significatum. Laetare autem quod ad bonum et aeternum sis Regem accessurus, et ad martyrii stadium te mecum exuturus.»

§ **19**. Praefectus autem, ut qui bonam haberet animam et gratiae capacem, maxime vero cum etiam gratia ejus animae oculos attigisset, coepit intelligere, et partim quidem ex verbis, partim autem etiam ex miraculo, verum Deum et splendorem pietatis paulatim admittere. Conjectans vero eam quoque, quam prius in navigando aspexerat visionem, et quemadmodum Deus qui apparuerat, vult eum connumerari cum suis ministris et amicis, laetabatur quidem tanquam de re magna: dubitabat autem, quemadmodum qui tanto tempore errori adhaeserat, repente dignus fuerit habitus, qui tali Deo fieret familiaris. Cum ergo haec apud se versaret, divina gratia eum adhuc magis, vocans ad agnitionem, ei illustriora praebet signa veritatis: et videt ille cum quibusdam paucis, duos viros sanctum circumsistentes, fulguri formâ similes, alatosque, et iis qui videbant, magnum afferentes terrorem, ut qui essent parati ad eum defendendum: caput autem coronâ redimibant. Postquam vero aliis quoque communicavit id quod cernebat, et invenit eos eamdem, quam ipse aspexerat, vidisse visionem, cum nihil esset quod dubitaret, constitit repente, cum e sede exiliisset, et clamavit ad populum: « Est hic revera veri Dei famulus, manu sanctum ostendens: et magnus est is, quem nos docet colere Deum verum: qui adeo quidem admirabiliter et contra opinionem proprios refingit athletas: e coelis autem eis, ut videtis, tribuit victorias: et intelligentem eis opem ferens, eos defendit. Imprùdens vero eram malis deditus daemonibus, et volebam idipsum vobis persuadere qui recte Christo volebatis parère. »

§ **20**. Haec dicens, paratus quidem erat currere, et prensare pedes martyris: diu autem eum retinuit terror et spectaculum Angelorum. Atque repente quidem evanuerunt Angeli. Ille vero accurrens, et sancti pedes apprehendens, suaviter deosculabatur, et ei dicebat: « Ora, vere Dei serve: ora, quaeso per ipsam, quam

Digitized by Google

praedicas, veritatem: Ora, ut ego quoque devotus fiam servus, et Deo tuo serviam. Nunc sensi ex iis quae in te facta sunt, spectaculis, quibusnam utantur satellitibus qui germane ad Christum accedunt, et undenam eis et quales sint laborum remunerationes: et quod sunt quibusdam alienis et terribilibus stipati satellitibus, ut tu quoque. Qui nos etiam tamquam sceleratos et profanos, visu aliquandiu repellebant et amovebant. Tandem autem usi humanitate, tua nobis cesserunt sanctitate et puritate: et vereor, ne me accedentem Christus repulerit, rogantem, et hoc magnum, et quod nostra merita superat, postulantem, ut referar in numerum infimorum suorum famulorum. Verumenimvero sic quoque praeclare mecum agi existimo, si talem Deum assecutus, luam poenas pristini erroris et amentiae.»

§ **21**. Sanctus autem: «Bono animo esto, inquit, clarissime Praefecte: neque quicquam de clementia Dei dubitaveris. Ego enim qui ex meipso Dei feci periculum, et scio eum esse benignum et misericordem, et qui ob vitia hominum movetur misericordiâ, confido quod te non solum non repellet accedentem: sed hac etiam tua sincera suscepta fide, scripsit jam nomen tuum in libro vitae: et quantum ego possum scire, statuit ut tu per martyrium, divinum ejus nomen mecum glorifices.» Cum sic dixisset, et intellexisset populum toto die manere jejunum, et vidisset eum stare erectum prae admiratione eorum quae cernebantur, et velle adhuc manere, et ejus vultum cernere, et sermones audire, pollicitus eum mane affuturum, statim abiit, et dimisit theatrum. Sed Praefectus ne sic quidem sustinuit discedere a martyre: sed cum eo vacante tota nocte est versatus, accuratius per catechèsim ab eo institutus in verbo veritatis. Cum autem esset mane, et tanta frequentiâ congregatus esset populus, ut nec eum caperet quidem locus theatri, una vero cum Praefecto ascensurus esset sanctus in concionem, magna multitudo gentilium sancto dedita operâ occurrens, tanquam uno ore, «Omnes nos, dicebat, credimus Deo qui a te praedicatur, et jam omnia negamus, et ei soli militare et servire constituimus.» Cum Deo autem gratias egisset sanctus, et laudasset multitudinem propter celerem conversionem, et dixisset, quod nec protinus quidem credidisse cum audiverint, neque esse cunctatos animo dubitantes, apud Deum caret mercede: et quod mox baptizati, futuri sint participes donorum Christi, cum una cum Praefecto ascendisset, constitit.

§ **22**. Postquam autem intuens ad populum, «Deus, dixit, vos suo perficiat signaculo, et reddat sibi ad omne opus utiles, jussit unumquemque rogare et discere de Deo quod vellet.» Praefectus vero cum toto populo, «De tuo, inquit, Deo nulla est nobis dubitatio, o sanctissime. Omnia aperte cognovimus, et omnibus quae a te dicta sunt, credidimus. Unum solum petimus, ut Deo

conjungamur, et familiares reddamur per baptismum.» Cum itaque consensisse Praefectum vidisset populus: «Revera, dixerunt, non est Deus acceptor personarum, ut qui propter moderationem et curam quam gessit pauperum, reddiderit Praefecto sui cognitionem, et vero Dei cultu eum sit remuneratus.» Postquam autem ex iis quae circumcirca erant, civitatibus affuerunt Episcopi quidam pii et religiosi qui erant omnes tredecim: qui alii quidem solum ut viderent certamina martyris: alii autem ideo e deserto descenderant, ut visitarent fideles qui erant in civitate, et allata quoque esset aqua, cum ita jussisset sanctus, ipse sanctus cum e loco excelso descendisset, et Praefectum quidem inclinare caput Dei amantissimis fecisset Episcopis, illos vero ejus capiti aquam infundere, et dicere: «Suscipit lavacrum regenerationis Hermogenes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, sic eum fecit baptizari coram toto populo.» Eo autem nomine populus Christum multis laudibus est prosecutus.

§ **23**. Quoniam vero et Praefecti regeneratio cogebat festum celebrare, nec facile poterat satisfieri tantae multitudini, tunc quidem sanctus dimittit theatrum. Deinde etiam conversus ad Episcopos: «Non justum est, inquit, ut Ecclesia tanto viro privetur qui est tam studiosus, et modestus, et tam sublimi ingenio.» Ea de causa propter multam in sanctum reverentiam, cum accepissent Hermogenem nihil contradicentem, illi eum referunt in cleri numerum. Deinde cum per ordinem ecclesiasticos omnes gradus transivisset, eum constituunt Episcopum civitatis. Qui etiam cum post electionem die septimo coëgisset quicquid habebat auri et aliarum facultatum, et valere jussisset delicias et lautitias, et alia quibus delectantur eorum animae qui mundo delectantur, omnia dedit in manus pauperum. Deinde cum etiam alia omnia parvifecisset, cum universa multitudine se armavit ad bellum gerendum contra daemones, ut adversus quos gereret inimicitias propter priorem vitam, et eorum errorem vehementer persequeretur: et cum brevi eorum fana et aras evertisset, et simulacra dejecisset, ubique Crucem fixit, et in Christi nomine construxit altaria. Atque turbas quidem postea ad ejus pedes procidentes, et rogantes baptizari, baptizabat, tam multos quotidie, ut nec facile posset eorum numerus comprehendi: daemoniacos autem, aut qui ab aliis premebantur aegritudinibus, sola Christi invocatione, repente liberabat a daemone, et ab aegritudine: et docebat semper amplecti castitatem, et pium Dei cultum, humilitatemque et charitatem, mansuetudinemque, et nil possidendi virtutem, et caeteras similiter virtutes: seipsum proponens exemplar iis qui docebantur.

§ **24**. Cum autem non multi dies praeteriissent, et tota civitate in unam conveniente sententiam, effecti sunt omnes unus grex Christi, vir quidam deditus falsae religioni daemonum, unus

Digitized by Google

ex Senatu, nomine Rusticius, civitati invidens et nobis Christianis: et simul ebrietatem, qua uti solebant ad aras, et reliquam intemperantiam pluris faciens, quam eam quae est apud Christianos abstinentiam et moderationem, ita ut erat irâ percitus, magna celeritate currens ad Imperatorem, paucis narrat omnia: « Abolitum est, dicens, omne sacrificium: contumeliâ est affecta deorum magnificentia: eversa sunt templa: diruta sunt omnia deorum altaria: et ad summam, refert deorum deletionem, et Praefecti mutationem: et quod Praefectus Hermogenes, vetere benevolentiâ et lucro civili inductus ab eloquente Mena, universo fere persuasit imperio, ut declinaret ad Crucifixum: et jam quidem ubique secure adoratur Christus: eum autem secuta est tota Alexandria. » Haec cum dixisset, ut eum magis provocaret ad iracundiam, et ad poenas de Christianis sumendas acrius irritaret, adjicit: « Nisi hoc tibi magnae fuerit curae, et a te quidem evertantur res Christianorum, in pristinum vero statum restituantur res deorum, scio fore, ut tuum quidem imperium citissime evertatur: confirmetur autem regnum ejus qui dicitur Christus. »

§ **25**. Hoc cum audivisset Maximinus, fore quidem, ut suum corrueret imperium, Christi autem regnum erigeretur: laudato quidem et honorato Rusticio propter ejus in ipsum et in deos benevolentiam, efferatus adversus Praefectum et universam civitatem, et magis quam expediret indignatus, statuit illeipse continuo proficisci Alexandriam, magno studio et apparatu, cum bellicosorum hominum decem millia ad hoc jussisset sequi, dicens: « Vel sola Imperatorum reverentiâ motus populus, eos deos honore afficiet, quos illi censent colendos, et se ab alia reprimet improbitate. Nam nisi ita esset, ut ipse rerum status arguit, citra ullum ruborem mala fierent, et nec studeret quidem latère aliquis. Attamen cum deorum providentiâ fuero Alexandriae, et hos ipsos ulciscar, et meam corrigam ignorationem, procul amandans errorem in Crucifixum. » Dixit, neque multum temporis permisit intercedere: sed rebus omnibus publicis posthabitis, magna celeritate venit Alexandriam: et statim jubet sanctos comprehendi, et mane, tota vidente civitate, et manu assistente militari, sedens pro tribunali, eos jussit nudos introduci.

§ **26**. Postquam autem eos solum vidit introductos, magna voce exclamans, « O dii, inquit, quid hoc futurum est quod iste, cujus tantam curam gessi, et ei primos magistratus, quos nulli alii ex iis qui nobis parent, mandavi, sua sponte omnia despexerit, et ad tam obscuram et abjectam fortunam transfugerit, et comam etiam capitis sibi ademerit, et nihilo melius sit affectus, quam mimi et scurrae qui in scena risum movent. » Propius vero accedens ad Hermogenem, « Dic mihi, inquit, o infelix, quanam de causa tibi commisi totius terrae et maris imperium, et decrevi

Digitized by Google

ut absque successore gereres magistratum: non ut diis quidem futurum benevolum et nullo modo eos abnegaturum, et benevolum quoque nobis futurum. et ut hunc doctum et sapientem virum qui prospero fortunae afflatu praeter aequum inflatus et hinc lapsus est in errorem, arte et experientiâ et verborum persuasione ad patriam reduceres religionem? Quidnam ergo te movit, aut quidnam spectasti, ut sineres eum diutius versari in vanitate et non solum eum ab errore non reduceres, sed ejusdem malae opinionis ei fieres socius: et tibi praeterea caput, o stolide, tondères et reputarèris esse unus ex iis, qui sunt in theatro, histrionibus?» Cum eo irae et acerbitatis processisset Imperator, iracundeque et furiose eos esset intùitus, benigne Deus aspexit martyres: et repente eis appàrent Angeli, eos audaciâ replentes et viribus et ungentes ad certamina: jubentes, ne timerent iram Imperatoris, utpote quod victoria sit cum eis futura.

§ 27. Hermogenes autem statim respondit: «Si sustines me patienter audire, Imperator sapientissime, quanam de causa et quid spectans, primas quae apud te reputantur felicitates lubens abjecerim, promtoque et àlacri animo ad hanc fortunam descenderim, ut velim videri stultus et pauper et ridiculus et inglorius et dici potius Christi: et ideo lubenter accusari erroris et ignorationis et paratus esse et ensem et ignem et bestias propter Christum despicere: et pro illo potius mortem sitire quam vitam, toto meo testimonium ferente concilio, maxime vero re ipsa subjecta oculis, magnam veritatis curam gerens, et ne quid quod sit opportunum, praetermittam, dicam id quod quaesivisti.» Imperator autem, «Ego, inquit, hoc omnino et nihil aliud cupio, si non ipse falsum praeferes veritati, hoc in majori honore habens propter necessitatem.» Hermogenes autem: «Mihi, o optime Imperator, me adversus Christum audacter et insolenter gerenti, et volenti quidem quos olim deos colere, tuam autem observare potentiam, studio fuit, ut ipse quoque scis, cum tanta ad civitatem venire pompa et apparatu: et virum quidem partim blanditiis, partim vero metu ad hanc quae vigebat, patriam reducere impietate: ut te ne cum majore quidem dixerim ad nos accessisse, et ne tu quidem, si affuisses, desperasses virum posse vincere. Mihi autem feret testimonium universus hic populus, quam eram ab initio varius, blandiens, minans, terrens, in omnes denique species me transformans, ut virum abducerem a pietate. Ego enim stultus ignorabam in qualem virum incidissem, quam interritum et valentem, et qui liberam quidem habebat linguam ad responsa, animum vero ad ferenda intentata supplicia, et omnia denique perpetienda paratum, potius quam ad Christum abnegandum. Sed ut alia omittam, cum vidissem eum recusare deos colere et neque potestatem curare, neque suppliciorum aut tormentorum ullam ducere rationem: sed tam probabiliter quidem

Digitized by Google

et ad persuadendum apte contradicere, ut ego quidem ab ejus ingenio vincerer: dii autem arguerentur: et ei universus suffragaretur populus et eadem, quae ipse, sentiret de religione: cogitavi eum paulopost talibus cruciare suppliciis, ut si possem quidem, eum perfecte vincerem: sin minus, ejus quidem certe reprimerem' promptum et alacrem animum, et dicendi facultatem impedirem. Visum est ergo mihi, plantas pedum ejus gladiis excindere usque ad ossa: quinetiam ejus quoque linguam excindere eloquentem, a qua omnia superabantur: praeterea vero ejus quoque oculos effodere: ut propter oculorum quidem tenebras otio deditus, fractus autem dolorum cruciatu, tardior quidem fieret ad respondendum, imbecillior vero ad contendendum. Atque lictores quidem cum primum jubentem audivissent, fecerunt universum. Ille autem homo continuo esse convictus et nihil amplius ferens, quam communis possit natura, missus in carcerem, erat plane mortuus. Viri tamen misertus (verum enim fatebor), ut docti et mei civis et aegre ferens, quod vir periisset tanta sapientiâ praeditus et eloquentiâ, summo mane afferri jussi corpus ejus exanime, volens videre, quonam ejus rediisset constantia.

§ 28. «Postquam autem eum vidi accersitum recte ingredi et pure intueri: deinde etiam eum audivi aperte disserentem, videbar mihi videre spectrum et inane somnium: et statim clausi oculos, deorum inimici vel ipsum simulacrum abhorrens. Cum autem de sede descendissem et visionem simul cum aliis curiose indagassem: et non solis credens oculis, sed etiam manibus examinans et contrectans, illum ipsum didici esse Menam, protinus victus sum a veritate, non falsum testem habens conscientiam. Verum enimvero adest ipse quoque, o Imperator: et dicat quidem populus cruciatus: curiose autem ipse quoque inquire, ut volueris, cum miraculum sit tibi ante oculos. Dic vero mihi per tuos deos, o Imperator, Si quis vidisset Christum, sicut ego ipse vidi, repente totum hominem reformantem et animantem et ex hoc quidem suam potestatem confirmantem, nempe quod haec quidem non sunt alterius, quam Dei et quod ipse sit qui primum creavit hominem: pollicetur autem iis qui illum secuti fuerint, in coelis quidem regnum aeternum, hic vero tantum posse, quantum ipse solus. Si quis, cum haec et didicisset et vidisset, despiceret quidem talis Dei esse et dici amicus: despiceret autem posse omnia agere et mutare quae solus ipse Deus: et caecos quidem facere videre, claudos autem saltare et montes movere et mortuos suscitare: et ut semel dicam rem omnem movere creatam solo verbo et nutu. Deinde etiam pignus habere quod laetabitur et regnabit in aeternum: Qui eum reliquisset et clausisset oculos ad tantam beatitudinem: elegisset autem vestros deos colere et esse Consul et Imperator, quisnam is tibi

Digitized by Google

videretur? Non vere stultus, non emòtae mentis, et qui longe abest, ut intelligat quod sit conducibile?

§ **29**. «Propterea igitur, o Imperator, ego errorem et fabulas vestras et deos abominatus et abnegata hac omni quae videtur, felicitate, ad solum Deum accessi et malui, ut ipse dixisti, esse infelix: potius videri stultus quam esse, eligens. Atque nostra quidem ex iis quae audiisti, jam didicisti: Res autem Christi si velis experientiâ discere, ne cuncteris. Excogita cito in nos magnum aliquod et grave supplicium: et si tibi forte deest aliquid ad excogitanda supplicia, ego qui magna in his exercitatione ad summam processi experientiam, ea quoque quae restant revocabo in memoriam. Objice bestiis, deturba e praecipitio, mari obrue, terra infòde, gladio scinde, igni combùre, unicuique membro appositum excogita supplicium. Sic enim ego quoque paulo ante caecutiens, feci meo luminari et qui me deduxit ad veritatem, Menae.» Atque populus quidem, cum tam artificiose et libere dixisset Hermogenes, admiratus est ejus animi virtutum et dicendi facultatem: Imperator autem cum nec adversus quae dicta fuerant, posset aliquid dicere (nam et populus testificabatur et in conspectu ejus erat miraculum), et simul cogitans quod si ad dicendi veniret contentionem, ipse quidem pudore afficeretur, ejus vero dii refellerentur: animi dubius et dolore affectus, jussit sancti manus et pedes, illas quidem ex humeris, hos autem ex genibus ense amputatos, ipso vidente, jaci in focum ignis. Deinde cum ventrem conto percussissent et omnia effecissent fluere, id quod restabat adhuc spirans jàcere eos jussit in fluvium qui praeterfluit civitatem. Lictores ergo nudos enses et crudeliter intuentes, cum essent vel solo aspectu terribiles, sanctum statim circumsistentes, primum quidem crudeliter manus, deinde rursus quoque pedes immaniter amputaverunt. Ille autem laborabat quidem frequentibus confectus doloribus: adeo vero se fortem praebebat, acsi non ipse pateretur, sed alios potius videret affectos suppliciis.

§ **30**. Postquam autem vidit sua membra igne redacta in cinerem, caput parum attollens et ad focum aspiciens, «Quam felix sum, inquit, quod manus meas quas aliquando extendi ad deos alienos et pedes, qui ambulaverunt in errore, Deus hodie accipit ut oblata ei in sacrificium.» Protinus autem milites, postquam abscissae fuerunt manus et pedes, ad ventrem se contulerunt: et conto quidem eum verberarunt, fluxerunt autem intestina. Ipse vero jam quidem deficiebat et imbecillum adhuc conservabat spiritum: tam generoso autem erat et forti animo, quam si modo coepisset decertare. Cum eum ergo adhuc spirantem accepissent milites, sicut jussi fuerant, in fluvio demerserunt. Postquam autem Maximinus de martyre Hermogene vix tandem deposuit solicitudinem, protinus de beato Mena coepit deliberare.

Digitized by Google

Cum vero timeret, ne si cum eo disseruisset (quoniam et miraculis et dicendi facultate existimabatur esse supra hominem) ipse quidem victus dedecoraretur: et eos etiam perderet quos adhuc habebat errore implicatos, sancti miraculis inductos ad veritatem: omnibus praetermissis, jubet ut cum eum in obscuro et tenebricoso carcere inclusissent, primum quidem vinctum manibus a tecto suspenderent: deinde etiam ab ejus pedibus lapidem appenderent adeo gravem, ut vehiculo impositus, vix posset ferri: deinde eum relinquerent, ut divulsus violenter moreretur.

§ **31**. Protinus ergo ii, quorum est hoc munus, fecerunt quod eis fuerat imperatum: et sic ipsum dimittunt suspensum, nullum omnino sinentes eum videre ad consolationem. Sanctus autem cum et capiti impositis vinculis, et deorsum trahente pondere lapidis extenderetur et ei propemodum dissolverentur compàges, nervi vero convellerentur et carnes dilacerarentur et ut semel dicam, omnis ei alia graviter abrumperetur commissura, quamdiu quidem vires corporis suffecerunt ad animi constantiam, graviter quidem patiebatur, psallebat autem assidue: *Vide humilitatem meam et laborem meum;* et illud, *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Postquam autem plane ei consumptis viribus, suam conjunctionem omnino negavit natura, cum dixisset, Gratias ago tibi, Domine, quod tua bona perceperim: tanquam pondere supplicii repente ei voce repressa, in soporem resolutus, tacuit.

§ **32**. Postquam vero utrique athletae tanta constantiâ et fortitudine desiit certamen martyrii, repente affuerunt amantes et socii Angeli ad eos defendendos: et primum quidem cum martyris Hermogenis corpus e fluvii profundo sustulissent, et repente eum totum integrum restituissent et deinde etiam animassent, et dixissent se proficisci ad Menam athletam et ipsum hortati essent, ut consequeretur, ubi parum ingressi venerunt ad custodiam, intro statim perrexerunt, viribus quae sub aspectum non cadunt, dissolutis eis claustris. Hermogenes vero seipsum quidem mente agitans et totum actum tacite considerans, obstupescebat: beatum autem Menam etiam suspensum aspiciens et jam non spirantem amplius et tormentum cernens intolerabile, tristitiâ afficiebatur. Ut vero esset attentus et videret, hortati Angeli, statim cum quodam honore et reverentia ad sanctum accedunt. Relaxatis autem utrisque vinculis, cum quam sustinuerat, membrorum juncturam compegissent et sanassent, et eum magno gaudio et alacri animi studio replevissent, statim quidem solvunt Hermogenis moerorem propter magnum Menam. Cum autem usque ad matutinum cui eis essent versati, et ad pericula subeunda eos magis acuissent et jussissent eos festinare ad mox eis mittendas coronas, et polliciti essent se simul

Digitized by Google

adfuturos, et certamina una esse adituros usque ad tempus coronarum et victoriae renunciationem: et deinde etiam eis pacem dedissent et fastum victoriae nuncium eis significassent, statim ab eis recesserunt.

§ **33**. Imperator autem cum summo mane jussisset aperiri theatrum et ad eum omnem convenire populum, sedit pro tribunali. Quoniam autem acceperat totam civitatem credidisse Christo: deliberando vero et consultando statuerat esse quidem inutile eam relinquere impunitam: rursus autem inconsideratum et a ratione alienum, condemnare omnes, ut puniantur: simulans se totum ignorare, dixit: « Quod vos quidem qui adestis, deos quidem sacrificiis et aliis libaminibus, nos autem Imperatores reverentia et timore et in aliis rebus obedientiâ colere statueritis, ex multis aliis intellexi. Quod autem non statim repugnastis et restitistis illis execrandis, qui Crucifixi res ausi sunt docere et non ipsos ante nos lapidibus obrueritis, existimo deos ex hoc iram non levem concepisse. Ego igitur qui et ipsos deos cupio ulcisci, et nullum vestrum in divinitus immissam incidere calamitatem, jubeo civitatem et vos omnes privari iis, qui utrisque olim fuerunt attributi, honoribus: ut sciatis et ex his poenis vobis impositis et stultorum illorum suppliciis, quod quando Judex qui non fuerit ipse praeoccupatus, non vult suam prodere sententiam et prodigia facere cum his histrionibus, nunquam potest opem ferre Crucifixus, aut liberare a malis: solum autem hoc potest, certam mortem et extremam infelicitatem procurare iis qui parent. Eorum quae dico, fidem vobis possunt facere deceptores illi et praestigiatores Hermogenes et Menas, uterque ipsorum ante tormenta pollicentes se esse alios a mortuis suscitaturos: a me autem brevi, ut oportebat, gravi morte vitâ privati, ne sibiipsis quidem possunt opem ferre. Ubi autem nunc est plane illius Christi virtus?»

§ **34**. Postquam ergo ad tantam blasphemiam processisset Imperator, multo tumultu plenum erat theatrum, ejus maledicta omnibus aegre ferentibus, et jam res novas moliri statuentibus. Caeterum cum a praeconibus factum esset silentium, et rursus dicturus esset Imperator, quae erant ex sui animi sententia, repente totum adspiciens theatrum, cum vidisset sanctos qui in medium tribùnal descenderant (exinopinato enim apparuerant), una veluti linguâ et uno ore omnes exclamaverunt: Unus vere est Deus, Deus Christianorum. Hoc facto, quidam Eugraphus qui ipse quoque in Graecorum doctrina erat exercitatus, rempublicam autem adhuc gerentis Menae fuerat minister. Is ergo cum tunc esset unus ex iis qui erant in theatro, et videret quae fiebant, cum vidisset miraculum et esset veluti zelo accensus et se divinae Crucis signasset signaculo, et animi fortitudine et audaciâ esset repletus, in medium prosiluit et audacter Imperatori,

Digitized by Google

«Ego, o Imperator, inquit, sum Christianus, et tua jussa respuo et execror, et non abjuro religionem, et jam tibi sum propter Christum propositus, nulla mearum carnium motus misericordiâ. Ne existimes autem fore, ut minis vel blanditiis me sis omnino superaturus, sed neque ullum Christianorum. Nobis enim mors quidem est vita quae cum vobis agitur impiis. Vere autem vita est mors quae pro Christo suscipitur. Et scio quidem quod tamquam leo rugiens in hanc ascendisti civitatem, quaerens irâ corripere et cultu simulacrorum Christi gregem discerpere: et quod hodie quoque ad nos prosiluisti cum eadem spe et armis. Sed te aversabimur, et audacia qua impellimur ad mortem lubenter suscipiendam et pietate immutabili tanquam dolosam aliquam vulpem quae ludit maxime ridicule.»

§ **35**. Haec cum audiisset Imperator, et esset ei cor irâ accensum, et jam esset emòtae mentis ex stupore miraculi, veluti oblitus se esse Imperatorem, e sede desiliens, cum insana manu cujusdam eorum qui prope erant, strinxisset ensem, multa et certa vulnera affert Eugrapho: et sic per se interimit prope tribunal virum fortem et martyrem: primum quidem stantem citra ullum timorem et ferentem plagas, et vel in ipsis arguentem Imperatorem: postea autem in terra jacentem firmo et constanti animo et Deo agentem gratias, quod primus aliorum ad eum ingrederetur: et non uno ictu, sed multis finem acciperet, ut dignus pluribus haberetur coronis. Qui cum et has plagas acciperet et has voces ederet, expiravit. Temulentam autem adhuc habens animam Imperator quod irâ victus, sic ad militare descendisset ministerium, cum rursus revertisset ad sedem, aliquandiu manens cogitabundus, cognovit se per impudentiam dubitationi attulisse remedium et specie oppugnasse veritatem. Cum repente ergo ad se rediisset et se ad sanctos convertisset, «Juro, inquit, deorum potentiam, me multa quidem alia sperasse videre inopinata: tales autem me visurum esse magos, numquam sum opinatus. Sed quid novi facere videmini, arte magica et praestigiis populum a se facientes discedere, et simpliciores abducentes a deorum potestate et mori pro Crucifixo tam facile persuadentes? Ego itaque qui vos miseros sum optime expertus, mox aperte ostendam vel vos esse spectra, vel hanc ementitam membrorum vestrorum reformationem, esse fraudem oculorum et apertas praestigias.»

§ **36**. Sancti autem dixerunt: «Consequentia dixisti, o Imperator. Nam quoniam mens quidem tua est infatuata, caecutit autem anima, cor vero est excaecatum: merito rei quoque admirabilis veritas, praestigiae esse videtur et deceptio. An non enim aperte caecutis qui iis non credis, quae sunt vel luce clariora? Quod si quid etiam de iis quae vides, dubitas, in nobis adhuc ipsis diligenter inquire veritatem. Sin autem saevis minis, vel bonorum promissis, etiamsi ipsum dixeris imperium quod

Digitized by Google

res est apud vos maxima et beatissima, existimas nos a nostra traducere sententia, falleris, o Imperator. Nam tu prius, mutato errore, Christum confiteberis, quam nos a veritate deficientes, falso simus adhaesuri. In nos ergo pronuncia sententiam, recte sciens quod quicquid decaetero dixeris aut feceris, a te fiet inaniter, et ab eo quem tibi proponis, scopo longe cadet.» Imperator autem cum et ex se quidem intellexisset veritatem, maxime vero eam cognovisset ex stupore et admiratione eorum qui adstabant (Sanctos enim tangentes et manibus contrectantes obstupescebant), timens ne populus, cujus jam erant animi persuasi a rei evidentia, illo resistente manifestae veritati, aliquid novi in eum agerent, cum hoc solum jussisset eis amputari capita, surrexit e tribunali. Postquam autem sancti cum iis qui eos ducebant militibus et toto populo ad locum venerunt, stantes et manus simul et oculos in coelum tollentes, in conspectu omnium satis diu sunt precati civitati, et Christianis omnibus et Ecclesiis quietem et tranquillitatem et ut nemo qui eorum eguisset auxilio, reverteretur inanis. Deinde post precationem se invicem amplexi, dataque pace et salutatione, porrectis collis, uterque eorum a milite, cui id obtigerat, beatum finem accepit.

§ **37**. Quoniam autem magnus Menas adhuc vivus petierat ab Imperatore, ut ejus corpus deponeretur Byzantii (de eo autem mandavit etiam iis qui tunc erant fideles et erant ei alioqui familiares, dicens eam civitatem sibi esse attributam ad habitandum), ei invidens Maximinus vel ipsam sepulturam, jussit capsam construi ferream et in ea imponi corpora martyrum: deinde etiam in maris profundum transmittere: ne forte, dicens, aliquid de justis faciendis Galilaeis praedixerit: et ut sic ejus excideret praedictio. Qui ad hoc ergo inserviebant, cum essent universum diligenter executi, in arca ferrea sanctorum corpora in mari demerserunt. Imperator autem, cum nec civitatis ferre posset scommata et simul intellexisset populum in eum efferri audaciâ, et dubitaret, ne temere et periculose aliquid in eum iniretur, ex ea iter ingressus est versus Byzantium, metu et pudore affectus. Cum hic ergo fuisset rerum exitus, fit rursus etiam aliquid, non minus prioribus.

§ **38**. Imperatorem equitantem praevenit capsa quae ferebat corpora martyrum, quae et tanta erat et ferrea et per mare navigabat. Nam cum divina quadam virtute celerrime e fundo emersisset, et fluctus marinos pervasisset, secunda aquâ navigabat et celeritate par volucribus currebat Byzantium: et eum qui condemnaverat ne habitaret civitatem, ea quae fuerat condemnata, magna praevenit celeritate. Postquam autem divina quaedam apparitio civitatis Episcopo facta est media nocte, quae significabat et mox affuturos martyres, et jubebat eum properare ad litora quae sunt in arce, ut eos descendentes e mari statim

Digitized by Google

exciperet: cum hac ipsa hora noctis congregasset eos qui ex clero simul aderant et quosdam pios et fideles, cum eis perrexit ad litora quae ei ostenderat is qui apparuerat. Cum autem versus mare intenderent oculos, repente vident lucem, tanquam columnam e coelo usque ad mare pervadentem et in quadam cymba quodammodo fundatam: duos vero viros aspectu praeclaros, ex utraque parte honorifice et venerabiliter appropinquantes. Idipsum autem quod videbatur, appellere ad portus in quibus illi stabant.

§ **39**. Postquam vero paulatim fuit propius et jam cognitum fuit, eam esse arcam et non navem, considerantes eam, neque cum undae erant convexae, resilire: neque cum rursus concavae, dèlabi: et sine remis et clavo ingredi et ex adverso virorum illorum navigare: lucemque esse multam et splendidam et tantam, ut non minus quam Sol locum illustraret: et viros illos in se ferre quidem signa cujusdam divinae admirabilis naturae, qui ipsi quoque quodammodo pedibus ingrediebantur per aquam et deducebant capsam cum quadam reverentia: omnes metus et horror invaserat. Atque Angeli quidem capsae ductores, cum jam fuissent in conspectu eorum qui astabant, cum tantum visi essent et appropinquassent, quantum satis erat ad mandandum, ubi nunc quidem martyres ponere oporteat, propter Imperatoris amentiam et ubi paulo post propter eorum voluntatem, et quae et quemadmodum facere oporteat, repente ex eorum oculis recesserunt. Episcopus autem et qui cum eo aderant, primum quidem arcae circumfusi, eam amplectebantur: postquam vero intellexerunt eam esse totam ferream, eos stupor invasit, considerantes quonam modo supra tam tenuem navigaverit superficiem, non omnino obruta; et tunc quidem, cum eam supra in arcem detulissent, in occulto quodam templo absconderunt, sicut jussi fuerant.

§ **40**. Postquam autem statim reversus Maximinus et evestigio plagâ divinitus immissa percussus, privatus fuit oculis et simul ab Angelis flagellatus, ut ipse suis dixit familiaribus, paucis post diebus expiravit: cum post plagam et flagella tantum vixisset temporis, quantum satis erat ad aperiendum arcanum iis qui ad ipsum genere attinebant: ne latèret Dominus judicia faciens et divina justitia etiam hic malos puniens: adhibita audaciâ Episcopus, considerans solam fidem sufficere ad auxilium, magno studio et honore transferens fortissimorum martyrum Christi corpora, prope moenia arcis ea deposuit, custodes quidem civitatis, navigantium autem conservatores: eorum qui sunt in morbis et calamitatibus, certissimum solatium, ad gloriam magni Dei et Servatoris nostri Jesu Christi.

Vide in hanc historiam adnotanda in Martyrol. Illustr. X Dec.

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS SANCTORUM

QUORUM HISTORIAM

IN SURIO HABES PRO MENSE MARTIO

	Dies M.	*Pag.*
ABRAMIUS Conf., et MARIA ejus neptes	16	297
ADRIANUS et EUBULUS, MM.	7	94
AGAPETUS Episc.	24	455
ALBINUS Episc.	1	5
ALEXANDER Episc. Mart.	18	343
ALEXANDER Miles Mart.	27	518
ALYPIUS Cionita, *ex* 26 *nov.*		720
AMANTIUS Diac.	19	358
ANECTUS cum Sociis, MM.	10	110
* ANSELMUS Luc. Episc.	18	344
ARMOGASTES cum ARCHIMINO MM.	29	541
ARCHIMINUS cum SATURO MM.	It.	Ibid.
ASTERIUS cum MARINO MM.	3	23
ATTALAS Abbas	10	116
BARACHISIUS cum JONA MM.	29	544
BENEDICTUS Abbas	21	413
BRUNO Archiep. Colon. *ex* 11 *oct.*		664
CALUPPANUS Monachus Reclusus	3	25
CATHARINA Virgo et Vid. Sweda	22	438
CEADDA Episc. Anglus	2	18
CHUNEGUNDES Imper. Virgo	3	27
CODRATUS cum Sociis MM.	10	110
COLETA Virgo Abbat.	6	35
CRESCENS cum Sociis MM.	10	110
CUTHBERTUS in Anglia Ep.	20	378
CYRILLUS Jerosolymit. Episc.	18	346
CYRILLUS Diac. Mart.	29	541
DIONYSIUS Corinth. Mart. com Sociis	10	110
DISIBODUS Episc., *ex* 8 *jul.*		597
EDUARDUS Rex Mart.	18	349
ELOQUIUS Abbas, *ex* 3 *dec.*		735

Digitized by Google

	Dies M.	*Pag.*
Eubulus cum Adriano MM.	7	94
Eugraphus cum Sociis MM., *ex* 10 *dec.*		737
Euphrasia Virgo	13	270
Eustasius Abbas	29	551
Gertrudis Virgo	17	337
Gregorius Magnus Pp.	12	121
Guntramnus Franc. Rex	28	537
Herculanus Ep. M.	1	14
Heribertus Archiep.	16	314
Hermelandus Abbas	25	483
Hermogenes cum Sociis MM. *ex* 10 *dec.*		737
Isaacius Conf.	27	528
Jacobus Alamannus, *ex* 11 *oct.*		688
* Joannes de Deo Conf.	8	95
Joannes Syrus Conf.	19	357
Joannes Climacus Abbas	30	560
Joannes Canon. Regul., *ex* 10 *oct.*		654
Jonas et Barachisius MM.	29	544
Joseph B. M. V. Sponsus	19	354
Landoaldus Presb.	19	338
Latro cum Domino Crucif. *a pag.* 471 *ad* 480	25	
Lea Abbatissa Vid.	22	436
Lebuinus Presb., *ex* 12 *nov.*		699
Longinus Centur.	15	292
Ludgerus Episc.	26	495
Maclovius Episc., *ex* 16 *aug.*		609
Malchus cum Prisco et Alexandro MM.	28	537
Marcus Areth. Episc.	29	538
Marinus et Asterius MM.	3	23
Maxellendes Virgo M., *ex* 13 *nov.*		716
Meinulphus Abbas, *ex* 5 *oct.*		647
Menas cum Sociis MM., *ex* 10 *dec.*		737
Nicephorus Constantinop. Patr.	13	284
Petrus Cubicularius Mart.	12	552
Phocas Mart.	5	35
Priscus cum Malcho et Alex. MM.	28	536
Quadraginta Martyres Sebasteni	10	100
Remaclus Episc., *ex* 3 *sept.*		621
Rupertus Episc.	27	532
Sabinus Martyr	13	266
Saturus cum Sociis MM.	29	541

Digitized by Google

	Dies M.	Pag.
Simon vel Simeon puer Trident. Martyr	24	456
Siviardus Abbas	1	15
Swibertus vel Suitbertus Ep.	1	11
Theophanes Conf.	12	253
Thomas Aquinas Conf. et Eccl. Doctor	7	74
Timolaus cum Sociis MM.	24	454
Udalricus Episc., *ex 4 jul.*		581
Vulfrannus Senon. Episc.	20	370

Erratum *p.* **110... Circa 558 :** *lege...* **Circa 258.**

Digitized by Google

MONITUM

Habes praeterea (de quibus tacet Index, Sanctis tantummodo recensendis confectus) Sermones e SS. Patribus excerptos: De ANNUNTIATIONE B. M. V., p. 468. — In COENA DOMINI, p. 565. — De Ven. EUCHARISTIAE SACRAM, p. 569. — De COMPASSIONE B. M., p. 574. — In RESURRECTIONE DOMINICA, p. 576. Eos ex adjectitio VII Surii Tomo desumpsimus, plenius egregium Carthusianum reddituri quam Mosander ipse, in cujus praestanti Editione (anni 1618) omnia pene Domini et B. Virg. Festa desiderantur. Id peregimus Januario mense pro CIRCUMCISIONE et EPIPHANIA Dom. pp. 1 et 123; id Februario in PURIFICATIONE B. M. V. pp. 52, 57, 61; id denique pari in seqq. mensibus diligentiâ curabimus.

Quoad autem addendas Surio nostro quorumdam Sanctorum historias, in Januario S. FRANCISCUM SALESIUM inseruimus; in Febr. BB. SEPTEM Ordinis servorum FUNDATORES et SS. Vigintisex JAPONENSES MM.; Martio de MIRACULIS S. Thomae Aquin. S. JOANNEM de DEO, S. ANSELMUM Lucensem. Atque hic Aprilem nunciare juvet *Vitis* nos sane praeclaris auctum esse daturos S. LEONIS Magni cum celeberrima ejus Epistola dogmatica; S. ZENONIS Veron. (ined.); B. ALEXANDRI Saulii Corsicae Apost.; S. PAULI a Cruce Congreg. Passionis Fundat. (ined.) et S. THURIBII Limani. Cum a nonnullis insuper eas expetiri noverimus Litteras quas Surius Tomis 1ae Edit. praefixit, licet a Mosandro in sua quae optima laudatur omnino sint praetermissae, in alicujus nostrorum Voluminum exordio parebunt.

Magna caetero vetustarum inclyti Carthusiani Editionum disparilitas, ut nos docuit dum optimae quam vocant, scilicet 3ae in multis insistimus, meliora quaeque ex aliis interim admittenda, Lectorem moneant nullius proinde nostram posse singulare exemplar referre; benevolum denique reddant, si quid fortasse plerisque probatum, minus ipsi probari contingat, multimoda eruditionis ornamenta nec non typicus nitor quibus impressio haec nostra proculdubio antecellit.


Habita facultate Auct. Eccl.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


3 2044 105 516 454

Digitized by Google